Sc. 19. Pl. 6.

3
29
11

No 1503

HONORATI TOURNELY CURSUS THEOLOGICUS SCHOLASTICO-DOGMATICUS.

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ, DE DEO ET DIVINIS ATTRIBUTIS,

Quas in Scholis Sorbonicis habuit

HONORATUS TOURNELY

SACRÆ FACULTATIS PARISIENSIS

Doctor, Socius Sorbonicus, Regius & Emeritus Professor, Sacrosanctæ Capellæ Regii Palatii Parisiensis Canonicus.

VENETIIS,

Apud NICOLAUM PEZZANA.

MDCCXXXI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

THEOLOGIÆ CANDIDATIS PRÆFATIO.

ECCE, dilectissimi Candidati, nativo quodam & quasi hæreditario jure ad vos redeunt, quæ vestri causa conceptæ primùm sunt ac in Scholis Sorbonicis prodiere nostræ de Deo ac divinis perfectionibus Theologicæ Prælectiones. Qui primam ipsis originem, idem & progressum & publicam tandem lucem dedit noster in studiis vestris juvandis ac promovendis amor.

Nulla verò Theologiæ pars est præstantior ea quę de Deo tractat ac divinis Attributis; nulla dignior; nulla quę meliori jure Theologię aut sapientiæ nomen mereatur; nulla denique ex qua Theologus plùs emolumenti ac utilitatis reportare possit, non tantùm ad eruditionem, propter varias & multiplices disputationes, sed maximè ad morum ac vitæ sanctimoniam, ex attenta scilicet divinarum perfectionum consideratione, qua fit ut homo Christianus in Deum assurgat, illum contempletur, timeat, diligat, laudet ac benedicat; atque semper in ejus conspectu omnem agendi vivendique rationem ad ejus beneplacitum nutumque componat.

Quàm verè igitur Sapiens: *Nosse te consummata justitia est, & scire justitiam, & virtutem tuam, radix est immortalitatis.* Et Christus ipse, *Hæc est vita æterna ut cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* Sap. 15. v. 3. Joan. 17. v. 3.

Ergo veri Dei cognitio ac cultus non modò Theologiæ, sed & totius Religionis ac vitæ Christianę primum fundamentum est. *Accedentem enim ad Deum credere oportet quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Ut autem sine fide impossibile est placere Deo, ita sine sacra doctrina seu Theologia, *Fides, quæ ad veram beatitudinem ducit, gigni, nutriri, defendi ac roborari non potest*, ait S. Augustt. Lib. 14. de Trinitate. Fidei vindex ac custos est Theologia. Theologiæ fundamentum, fides. Heb. 11. v. 6. Ed. Nn. To. 3. p. 498. E.

Esse supremam aliquam mentem & intelligentiam, quæ omnia regat ac moderetur, non tantùm certa fides aperit, sed & unicuique innatus conscientiæ sensus, & universæ naturæ vox clamat ac clarissimè testatur. *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum. Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus & divinitas; ita ut sint inexcusabiles. Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt.* Veruntamen *altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris: sed quæ præcepit tibi Deus illa cogita semper, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus. Qui enim scrutator est maiestatis opprimetur à gloria.*

Psal. 18. v. 2. Rom. 1. v. 20. Eccl. 3. v. 22. Pro. 25. v. 27.

Quantùm enim clarum est ac evidens, Deum esse, tam obscurum & arduum dicere quid sit. *Quid sit Deus*, ait S. Augustinus, *neque periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius invenitur. Longè facilius dicimus*, ait rursus idem S. Doctor, *quid non sit, quàm quid sit Deus. Deus quippe est, qui cùm dicitur, non potest dici; cùm æstimatur, non potest æstimari; cùm comparatur, non potest comparari; cùm definitur, ipsa definitione crescit... Quem totum omnia nesciunt, ac metuendo sciunt.* Ita S. Ambrosius, aut quisquis auctor est Libri de fide Orthodoxa.

Li 1. de Tri. c. 3. To. 8. f. 752. A. In Psa. 85. n. 12 To. 4. f. 909. B. In Ap. Op. S. Am. Ed nov. T. 2. pag. 351. E. L. 1. de Trin. p. 770. n. 8. D.

Egregiè S. Hilarius, *Non sibi relictum quidquam aliud à natura sua intelligens, in quo maius officium præstare Conditori suo minusve posset, quàm ut tantum eum esse intelligeret, quatenus intelligi non potest, & potest credi.*

Ibid. p. 773. n. 12. A.

Et paulò post; *Dei virtutes secundùm magnificentiam æternæ potestatis, non sensu, sed fidei infinitate pendebat.*

L. 5 de Tri. c. 1. To. 8. p. 813. B. C.

Quapropter S. Augustinus, ut ajunt, negationis, omnem à Deo imperfectionem removendo, facilius explicat quę sit ineffabilis Dei natura. *Intelligamus Deum*, inquit, *sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia Creatorem, sine situ præsidentem, sine habitu omnia continentem, sine loco ubique totum, sine tempore sempiternum, sine ulla sui mutatione mutabilia facientem, nihilque patientem.* Rursus Lib. 1. Confess. c. 4. Deum alloquens dicebat: *Amas, nec æstuas; zelas, & securus es; pœnitet te, & doles; irasceris, & tranquillus es: opera mutas, nec mutas consilium: recipis quod invenis, & nunquam amisisti, nunquam inops, & gaudes lucris: nunquam avarus, & usuras exigis.* Interdum etiam via excellentię Deum nobis adumbrat idem S. Doctor, affirmans omnes perfectiones modo longè nobiliori, excellentiori ac defęcatiori in ipso contineri. *Universa*, inquit Sermone 384. de Trinitate n. 1. *præcellit. Si enim quæras magnitudinem, major est; si pulchritudinem, pulchrior; si dulcedinem, dulcior, si splendorem, fulgidior; si iustitiam, iustior, si fortitudinem, fortior; si pietatem,*

To. 1. p. 71. A. B. To. 5. p. 1485. E. F.

tem, clementior. Nulla enim ratio patitur, ut vel factura factori suo æquetur, vel opus artifici comparetur, sicut legitur in Propheta: Qui fecit fortia, fortior est, & qui fecit pulchra, pulchrior illis est. Sap. 13. v. 5.

Agite ergo, dilectissimi Candidati, ac summo animi ardore & Religionis sensu ad studia Theologica vos comparate: neque vos aut labor deterreat, aut voluptates avocent quominus in sacratissima tam augustę disciplinæ adyta penetretis. Invitat vos argumenti dignitas & amplitudo; de Deo agitur, de Religione, quę sola legitimum supremo Numini cultum, Regibus debitam obedientiam, Reipublicæ tranquillitatem, conscientiæ pacem, solatium ac supremam felicitatem asserere potest. Invitat gravitas & multitudo quęstionum, de quibus jam diuturna & acris exardet in Scholis catholicis disputatio. De scientia videlicet Dei, de voluntate, de decretis, prædestinatione ac reprobatione, de arbitrii libertate &c. quę omnia ita connexa sunt & colligata cum iis quę circa gratiam Christi jam disseruimus, ut se se mutuò juvent, nec possint à se invicem divelli.

Verùm, arguet aliquis, cùm tam immensa sit multitudo, ac varietas Librorum qua Veterum, qua Recentiorum, qui de rebus Theologicis Scholastica etiam methodo pertractant, quid necesse est novis istis Prælectionibus & rem litterariam, & Theologię studiosos prægravare, quos tanta librorum circa idem argumentum copia sępe inopes facit, incertos quibus possimùm addicere sese debeant? Præsertim verò cùm nihil jam proferri posse videatur, quod ab aliis occupatum non fuerit, ac non nisi ad lectoris fastidium ea recudantur ac recoquantur, quę centies recusa, & recocta centies fuere.

At vel ipsa hęc Librorum de eodem argumento ubertas & copia clarissimè demonstrat, tam vastum ac fœcundum esse de rebus divinis argumentum, ut exhauriri nunquam possit. Ergone quia veteres Ecclesiæ Magistri ac Doctores tot egregia de Religione fideique nostrę mysteriis monumenta nobis reliquere, nos otiosos ac desides esse oportebit? quasi qui præcesserunt subsequentibus omnem industriæ locum ita præripuerint, ut in eodem argumento utiliter sese exercere, ac de suo quędam in publicum commodum proferre non valerent. Et nos homines sumus. Numquid non suus unicuique sensus, sua mens & industria? ut si jam inventis nihil novi addi possit, (quod in Religione semper periculosum est) nova saltem accedat docendi ratio ac methodus. *Non nova, sed novè dicas*, ait Vincentius Lirinensis. Labor ergo & industria Veterum, quibus nos multùm profecimus, diligentiam nostram non retardare, imò excitare magis debet, exacuere, dirigere.

Et verò hoc habet Religio & Theologia nostra, quòd alię ferè omnes artes ac disciplinę, ut non statim, sed quadam successione temporis, & quasi per gradus perfectionem omnem suam adipiscantur.

tur. Simplex omnino ac nudus fuit in primis parentibus Dei cultus, simplex Religio: tùm paulò evoluta magis & ornata in Patriarchis: deinde in Judaica gente multiplici præceptorum, ac cæremoniarum apparatu circumvestita. An non & apud nos Christianos (tametsi Spiritus sanctus omnem veritatem Apostolos edocuerit) fides ipsa, maximè verò morum ac rituum disciplina, per ætates singulas progressus quosdam & incrementa habuerunt? Quàm multa lapsu temporis, occasione succrescentium errorum, aut distinctiùs evoluta, aut castigatiùs & uberiùs pertractata? Atque hinc tot eximii studiorum fructus, quibus omni ævo plurimùm nobilitata est & amplificata res litteraria, illustrata fides, Religio strenuè vindicata.

Quid dicam novos, qui identidem succrescunt, errores? Quid adultarum jam hæresum novas artes, novasque cavillationes, quas priores Theologi, neque nondum extantes cognoscere, neque futuras prævidere, nec proinde ignotas refutare potuerunt, quas posterioribus Theologis, intactas præterire, ac non configere sit nefas? Imò eò accuratiùs quàm veterum heterodoxorum fallacias, retegere, eò studiosiùs oppugnare necesse est, quòd hæc jam ferè obsoleverunt, vixque à quoquam hodie propugnentur; istæ verò jactantiùs quotidie in Scholis, in Libris, in privatis colloquiis, in omnium ore volitant, ac tyronum auribus & animis opportunè, importunè obtruduntur.

Accedit insuper Quæstionum, quæ in Scholis liberè hinc & inde agitantur, multitudo ac diversitas, in quibus pertractandis cùm mira sit pro uniuscujusque gustu ac ingenio Magistrorum Scholæ varietas, Candidatorum nostrorum utilitati & commodo benè consultum credimus, si hæc opinionum varietas ipsis, ut quam voluerint seligant, exponatur. Quin nec parum inde utilitatis in Ecclesiam ipsam redundat: ex mutua quippe diversarum opinionum collisione & animorum conflictu, ingenium acuitur, illustratur veritas, error, qui latebat, detegitur, ac tandem Ecclesia ipsa adjuvatur; Judiciorum ejus materia præparatur, fiunt disquisitiones, ac paulatim quasi maturescit ejus, si quando futura est, circa caput aliquod Religionis controversum sententiæ declaratio ac definitio.

Non est porrò quòd in his Theologicis Prælectionibus floridum ac elegans dicendi genus quisquam hic à nobis expectet. Non flores hic consectamur, sed fructus: non verborum nitorem & elegantiã, sed rerũ veritatem; & ut cum Apostolo loquamur, *sanorum verborum formam.* 2. Tim. 1. v. 13.

In rebus etenim Theologicis ad usum Scholæ versandis, oratio certum quemdam modum teneat oportet. Non sit illa luxurians, non turgida nec inflata, neque etiam mollis ac diffluens; sed in exponendis controversis quæstionibus simplex, nitida & aperta: in erroribus confutandis, nervosa, vehemens ac vivida: in diluendis variis ac sinuosis sophismatibus, subtilis & acuta;

denique

denique in rejiciendis nonnullorum Catholicorum opinionibus, quamquam innoxiis, placida & amica. Non ergo vos offendant verba quædam inculta & barbara, quibus Schola utitur ad rem breviùs ac nervosiùs exprimendam: nonne artes singulæ propria quædam ac sibi domestica verba usurpant ad artefacta sive perficienda sive explicanda?

Neque etiam nostri est instituti, grandiora de dogmatibus Ecclesiasticis volumina, qualia Petavios, Thomassinos, aliosque optimæ notæ Scriptores edidisse novimus: non prolixam ac per singulas ætates circa quodlibet controversum caput digestam testimoniorum SS. Patrum ac Conciliorum catervam ac seriem; non Historico-criticas quæstiones longiùs deductas vobis exhibere: vix quippe in palæstra Theologica primum tyrocinium ponentibus usui ac commodo esse possent.

Dicam cum Apostolo, *Tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi: non escam, nondum enim poteratis.* Junior ac delicatus stomachus solidiorem cibum non sustinet, nec excoquit, sed eo pregravatur magis ac læditur: necesse igitur nobis fuit, ea quæ in verbo Dei tùm scripto tùm tradito, quæ in præstantissimis Scholæ Magistris seu veteribus seu postremis optima sunt, variisque in locis dispersa, seligere, delibare, colligere in unum, ac in leviorem quasi succum qua par fuit brevitate digesta vobis instillare: medium enim quoddam inter nimiùm diffluentem prolixitatem, quæ tædium, & plùs æquo coarctatam brevitatem, quæ obscuritatem parit, iter tenere studuimus. 1. Cor. 3. v. 2.

Quoniam verò tam lubricum ac difficile est stadii Theologici curriculum tutò perficere, postulare videtur hic locus, ut ad præsentem de Deo ac divinis Attributis disputationem, & alias quæ subinde subsecuturæ sunt vos informemus, dilectissimi Candidati, legesque & conditiones præscribamus, quas si diligenter observaveritis, omnia vitare pericula & infames tot naufragiis scopulos illæsi declinare, viamque omnem non solùm tutò ac securè, sed etiam cum fructu, cumque oblectatione & gloria conficere possitis.

I. Suprema hęc sit viro Theologo lex ac regula, ut fidei placitæ probet ac confirmet auctoritate Scripturæ ac Traditionis: sunt enim duo isti purissimi fontes, ex quibus doctrinæ ac morum regulæ haurienda est. Sunt quippe Religionis nostræ dogmata, vel exquisitæ quædam veritates, quæ omnem mentis humanæ captum longè superant; vel facta quædam, quæ à sola & liberrima Dei voluntate pendent, cujus proinde utriusque generis ea vis est & conditio, ut ab homine apprehendi neutiquam, vel omnino sciri aliter queant, nisi ex auctoritate tùm Dei revelantis, tùm Ecclesiæ proponentis, seu declarantis quæ sunt à Deo revelata. In iis itaque

que captivandus est intellectus in obsequium fidei, nec curiosæ inquisitioni locus relinquendus. *Nobis curiositate opus non est post Christum Jesum, nec inquisitione post Evangelium. Cùm credimus, nihil desideramus ultrà credere. Hoc enim priùs credimus, non esse quod ultrà credere debeamus.*

Tertull. Lib. de præscr. cap. 8. Ed. Rigalt. p. 205. A.

II. In subsidium fidei ac Theologiæ vocanda etiam humana Philosophia & ratio, non quidem ut domina & magistra, ad cujus normam & nutum Religionis capita definienda sint, absit; sed ut ancilla & serva, quę dominatrici fidei subserviat, non præsit; eam illustret ac defendat, non regat. Fidei quippe auctoritas ex seſe firma est & inconcussa, nec aliunde, quàm ab auctore suo Deo vim & pondus mutuatur: è contra humana ratio fidei lumine destituta, quàm cęca est, quàm præceps, debilis ac infirma! Unde meritò S. Augustinus, *Auctoritati credere magnum compendium est ac nullus labor.*

Lib. de quantitate animæ c. 70. n. 12. T. 1. pag. 406. F.

Suum auctoritati, & quidem præcipuum, suum & rationi locum esse in rebus ad Religionem pertinentibus affirmat idem S. Doct. *Quamobrem*, inquit, *ipsa quoque animæ medicina, quæ divina providentia & ineffabili beneficentia geritur, gradatim distincte atque pulcherrima est. Distribuitur enim in auctoritatem atque rationem. Auctoritas fidem flagitat, & rationi præparat hominem. Ratio ad intellectum cognitionemque perducit. Quamquam neque auctoritatem ratio penitus deserit, cùm consideratur cui sit credendum.*

Lib. de Relig. c. 24. Ib. p. 763. A.

Nihil etenim rationi tam consonum est ac conforme, quàm ut Deo loquenti, & Ecclesiæ verbum Dei proponenti ac explicanti credatur: unde *rationabile obsequium nostrum* appellat Apostolus. Addit mox laudatus S. Augustinus, *Nihil in Ecclesia Catholica salubrius fieri, quàm ut rationem præcedat auctoritas.* Rationem non excludit Sanctus Doctor, sed rationi auctoritatem præire debere contendit.

Lib. de moribus Eccles. Cath. c. 25. Ib. p. 704. E.

Accuratè igitur distinguite, dilectissimi Candidati, fidem à ratione, opinionem à dogmate: mensura fidei in duobus consistit, scilicet ut non subtrahatur fidei quod sub fide est, nec attribuatur fidei illud quod sub fide non est.

Durandus, Major & alii.

III. Theologia Scholastica Positivæ aliquas subtiliores ac plerumque merè Philosophicas & de possibili quæstiones adjicit, quæ nec omnino improbandæ sunt, nec etiam promiscuè usurpandæ; sed cautè ac sobriè, prout fidei illustrandæ ac tuendæ inservire possunt. Veteres equidem qui adversùs hæreticos Simonianos, Valentinianos, Marcionitas, Manichęos, Arianos, Eunomianos disputarunt, coacti aliquando fuerunt eorum pervicacia subtiles illas & argutas movere quæstiones, nec ulla ferè est earum, quas Erasmus tanquam nęnias exagitat, quę ab aliquo ex iis veteribus Scriptoribus agitata non fuerit: Verùm,

ut

ut jam monuimus, non plùs æquo hujusmodi tricis indulgendum, sed cautè ac sobriè.

IV. Ea veterum Philosophorum, quibus fidei lumen non illuxit, decreta prorsus abjicienda, quæ cum fide Christiana cohærere ac conciliari nunquam possunt. Qualia sunt v. g. *Ex nihilo nihil fit. A privatione ad habitum non datur regressus. Virgo potest esse mater, &c.* quæ certè creationi, corporum resurrectioni, ac Beatæ virginis Deiparæ vel maternitati, vel Virginitati perpetuæ directa fronte adversantur.

Frustra opponeres nostros Philosophos, si quando veteris Philosophiæ placita adoptarunt, locutos esse tanquam Philosophos sola duce naturali Philosophia, non ut Christianos fide Catholica imbutos: quasi duplex foret, & non una ac simplex veritas; & quod ex fide supernaturali constat esse falsum, per naturalem rationem posset unquam demonstrari esse verum: quasi in viro Christiano & Catholico silere & obmutescere non deberet humana ratio, ubi fides loquitur ac præcipit.

5. In iis rebus, quæ nec revelatione, nec ratione, nec ullo certo testimonio nobis innotescunt, innoxia est ignorantia & dubitatio. *Salva fide, de quibusdam rebus, quas neque sensu, neque ratione percipimus, neque nobis per Scripturam Canonicam claruerunt, nec per testes quibus non credere absurdum est, in nostram notitiam pervenerunt, sine iusta reprehensione dubitamus. Melius enim est, dubitare de occultis, quàm ligitare de incertis.* S. Aug. Lib. 19. de Civ. Dei c. 18. T. 7. p. 562. F. G. S. Aug. l. 8. de Gen. ad litt. c. 5. n. 9. Tom. 1. part. 1. p. 229. C.

6. Cavete ne arcana fidei, quę adeo supra omnem captum humanum posita sunt, curioso animo rimari ac introspicere tentetis. Cavete pariter, ne quod apertum est negetis, quia quod est occultum comprehendere non potestis. *Numquid ideo negandum est quod apertum est, quia comprehendi non potest quod occultum est? Numquid, inquam, propterea dicturi sumus quod ita esse perspicimus, non ita esse, quoniam cur ita sit non possumus invenire?* S. Aug. Lib. de dono persev. c. 14 n. 17. To. 10. pag. 842. B.

7. Inter varias Scholę opiniones eam seligat & sequatur prudens Theologus, quæ magis ad placitum fidei, & ad normam loquendi à SS. Patribus usurpatam accedere videtur; & quę fuerit communi Scholę totius consensu probata, hanc tueatur. *Nec enim minima Scholæ auctoritas esse potest, quam parvi facere nemo sine fidei discrimine potest.* Melch. Canus de locis Lib. 8.

8. A recepta in Scholis loquendi forma non recedat Scholę Theologus, ne disputatio fiat obscura & tota ferè de nomine. Pariter à dialecticis argutiis ac nimiùm subtilioribus tricis abhorreat, ne fortè disputatio tota sit insidiosa, ex qua nihil nisi inanem verborum strepitum, quod sępe fit, reportes. Legitimum tamen Dialecticę usum non idcirco negligat, quòd

ea

S. Aug. L. 1. T. Prescon. c. 1. n. 2. T. 9. p. 390. C. ea multi, Novatores imprimis, adversùs Ecclesiam turpiter abutantur: *Alioqui qui pro patria miles non armandus esset, quia contra patriam nonnulli arma sumpserunt; neque boni doctis medici ferramentis medicinalibus uti deberent ad salutem, quia his ad perniciem indocti pessimique abutuntur.*

9. Summa in Scholis servetur opinionum, quę salva fide hinc & inde disputantur, libertas. Nulli ex iis, quas Ecclesia permittit, censurę nota inuratur. Superbi ingenii, ac nimium præfidentis est, velle alios in sensum suum perducere: indocti & arrogantis in nulla re suspensum hęrere, ac statim supremo suo judicio omnia definire. Non ita profectò Augustinus, qui dubiis in rebus ac nondum satis explicatis, & ab Ecclesia declaratis quæstionem modestè versabat in utramque partem, cupiens edoceri, docere nolens. Ita circa originem animarum dubius aliquando hęsitavit, nihilque ausus est definire. Scribens ad Optatum, candidè fatetur Epistola 190. cap. 1. num. 2. non habere se quod certò statuat, propter argumenta quę in utramque partem proponebantur. *Hujus quæstionis profunditatem sibi imperscrutabilem cernens, nullam voluit hujus rei definitam proferre sententiam: incongruum prorsus existimans aliquid affirmare sine dubitatione velle, quod alter posset contraria responsione convellere.* Non aliter gerebat se S. Doctor, si quando cum Pelagianis decertans incurreret in quęstiones nondum divinę revelationis ope liquidò explicatas: neque alia de causa etiam illam sine contentione non semel tractavit, an scilicet qui vivi reperti fuerint adveniente Domino in sęculi fine, ex hac mortalitate ad immortalitatem sine media morte transituri sint. Iisdem vestigiis insistens S. Thomas quærit & in utramque partem versat, uter Christum plùs amaverit, an Petrus, an Joannes. His nos freti exemplis, quæstiones nonnullas, quę liberè ac salva fide summo animorum ardore in Scolis agitantur, propositis hinc & inde momentis discussimus, tùm ad servandam opinionum libertatem, tùm ad vos meliùs informandos, dilectissimi Candidati, qui unico veluti conspectu celeberrimarum illarum controversiarum aditus omnes ac recessus, omnes undequaque latebras introspicere poteritis.

T. 3. p. 700. D. E. S. Fulg. L. 3. de verit. prædest. & gratiæ c. 8. Ed. nu. 1684. p. 194.

10. Absit ab omni Theologica concertatione quelibet verborum asperitas, rixandi libido & puerilis quędam ostentatio. *Disputationis disciplina*, ait S. Augustinus Lib. 2. de Doct. Christ. cap. 31. n. 48. *ad omnia genera quæstionum, quæ in Litteris sanctis sunt penetranda & dissolvenda plurimùm valet: tantùm ibi cavenda est libido rixandi, & puerilis quædam ostentatio decipiendi adversarium.* Bellè Remigius seu Ecclesia Lugdunensis, *Qui*

Tom. 3. part. 1. p. 38. C.

non

non tranquillè & pacificè moderatur quod sentit, sed statim paratus est ad contentiones, dissentiones & scandala, etiam si non habeat hæreticum sensum, habet hæreticum animum.

Absit & studium partium; & ut ait S. Augustinus, *verum non vincendi, sed inveniendi gratia quærite.*

11. Adversam quam impugnas sententiam, cave deformes, aut parum fideliter referas. Si quæ vero sunt, quæ tibi videantur ex illa consequi minùs sana & tuta in fide, cave ea auctoribus illius sententiæ imputes, quando hujusmodi consectaria illi pernegant ac rejiciunt. *Sunt multi fidelium qui imperito zelo succenduntur, & sæpè dum quosdam quasi hæreticos insequuntur, hæreses faciunt.* Si quos autem à vero deflectere deprehenderis, amicè ac patienter instrue, corrige modestè, ad veritatem revoca. Ita pro veritate certet adversùs errorem Theodoretus, ut dum errorem odit & insectatur, homines diligat, iisque quàm maximè prodesse velit. *Diligite homines, interficite errores,* dicebat S. Augustinus L. 1. contra litt. Petiliani cap. 29. *sine superbia de veritate præsumite, sine lævitia pro veritate certate.* Rationem reddit S. Doctor Lib. 2. de Baptismo contra Donatistas c. 5. n. 6. *Homines enim sumus,* inquit, *unde aliquid aliter sapere quàm res se habet, humana tentatio est.... In nullo autem aliter sapere quàm res se habet, angelica perfectio est.*

12. In omni disputatione dominetur ac præsit studium veritatis, & amor pacis. *Deus quippè non dissensionis Deus, sed pacis. Solliciti ergo sitis servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* Altiùs animis vestris infixum hæreat solemne istud ac vulgatum effatum, *In necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus charitas. Veritatem in pace catholica pacifico studio requiramus, parati corrigi si fraternè ac rectè reprehendimur; parati etiam si ab inimico, vera tamen dicente, mordemur. Absit,* dicebat adhuc scribens ad Hieronymum, Epistola 73. aliàs 15. n. 1. *ut lædar; imò verò absit, ut non cum gratiarum actione lucris meis deputem, si fuero te docente instructus, aut emendante correctus. Quippè non vincimur,* ait S. Cyprianus Epist. 71. *quando offeruntur nobis meliora, sed instruimur.*

13. Sit in Candidato Theologiæ ingenium docile, recti amans & tenax, patiens laboris, scientiæ cupidum. Memineritis vos Ecclesiasticis muniis aliquando obeundis destinatos esse, quibus suo tempore incumbet alios edocendi officium. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent de ore ejus.* Cavete ne ex eorum numero sitis de quibus Propheta Ozee cap. 4. v. 6. *Quia tu scientiam repulisti, repellam te ne Sacerdotio fungaris mihi.* Confidimus autem de vobis meliora. Ad hæc omnia neces-

L. de incendo fidei veritate 2o. 15. Biblioth. SS. PP. p. 717. 2. col. H. L. 2. de moribus Manich. c. 3. n. 5. To. 1. p. 717. D. S. Greg. Magn. Epist. 45. aliàs 39. ad Theodistam Ed. no. To. 2. p. 1132. E To. 9. p. 218. B. Ibid. p. 99. C. Ibid. D. 1. Cor. 14. 33. Ephes. 4. 3. S. Aug. L. 1. de Trin. c. 9. n. 16. To. 6. p. 78. D. Tom. 2. p. 164. A. B. Ed. Rigalt. p. 120.

Malac. 2. p. 6.

necesse est accedant castigati mores, pietas, Religionis amor, fuga voluptatis: nihil quippè aciem ingenii tam obtundit, & à studiis avocat, quàm voluptate captus ac diffluens animus.

Denique, non alium vobis studiorum vestrorum fructum ac finem proponite, quàm veritatis indagationem ac sanioris doctrinæ defensionem; non vanam gloriam & ostentationem, non lucri cujusdam temporalis cupiditatem. *Sunt*, ait egregiè S. Bernardus Serm. 36. in Cant. num. 3. *qui scire volunt eo fine tantùm, ut sciant; & turpis curiositas est. Et sunt qui scire volunt, ut sciantur ipsi, & turpis vanitas est ... Sunt item qui scire volunt, ut scientiam suam vendant, & turpis quæstus est. Sed sunt quoque qui scire volunt ut ædificent, & charitas est. Et item qui scire volunt ut ædificentur; & prudentia est. Horum omnium soli ultimi duo non inveniuntur in abusione scientiæ, quippè qui ad hoc volunt intelligere ut benè faciant.*

Edit. Mabill. 1690. p. 1400.

Hos postremos ad exemplum & imitationem proponite vobis, dilectissimi Candidati: *Deus autem Domini nostri Jesu Christi Pater gloriæ, det vobis Spiritum sapientiæ & revelationis, in agnitione ejus, illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis quæ sit spes vocationis ejus, & quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in Sanctis, & quæ supereminens magnitudo virtutis ejus in nos. Si quis autem vestrum indiget sapientia, (* Quis porrò non indiget? *) postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.* Valete.

Ephes. 1. v. 17. & seq.

Jac. 1. v. 5.

INDEX

INDEX

QUÆSTIONUM.

DISPUTATIO PRÆVIA. *De ſacra doctrina ſeu Theologia.* Pag. 1.
QUÆSTIO PRIMA. *De nomine, definitione, diviſione, exiſtentia ſeu neceſſitate Theologiæ.* 1.
ARTICULUS PRIMUS. *De nomine & definitione Theologiæ.* 2.
ARTICULUS II. *De variis Theologiæ diviſionibus.* 3.
ARTICULUS III. *De exiſtentia ſeu neceſſitate Theologiæ.* 5.
PRIMA CONCLUSIO. *Admittenda eſt ſacra doctrina ſeu Theologia, quæ ſecundum ſubſtantiam ſpectata, toti Eccleſiæ ſimpliciter neceſſaria eſt, non ſingulis hominibus.* 6.
SECUNDA CONCLUSIO. *Theologia ratione modi ſeu methodi qua in Scholis traditur, non eſt ſimpliciter toti Eccleſiæ neceſſaria: utiliſſima tamen eſt fidei myſteriis exponendis, ac contrariis Novatorum erroribus refellendis.* 9.
ARTICULUS IV. *De uſu rationis & humanæ Philoſophiæ in rebus Theologicis pertractandis. An, & quis ille ſit admittendus.* 12.
PRIMA CONCLUSIO. *In rebus fidei ac Theologicis admitti debet humanæ rationis ac Philoſophiæ uſus, modò legitimus ſit, ac intra fines debitos ſe contineat.* 13.
SECUNDA CONCLUSIO. *Humana ratio fidei ſubjici debet non præponi; ei ſubſervire, non dominari: adeoque Religionis Chriſtianæ myſteria non ſunt ad legem & normam rationis exploranda & definienda.* 16.
TERTIA CONCLUSIO. *Ratio & fides non pugnant inter ſe; neque fides eſt contra, ſed ſupra, aut præter rationem.* 22.
Objectiones. 23.
QUÆSTIO SECUNDA. *De natura & obiecto Theologiæ.* 25.
ARTICULUS PRIMUS. *An Theologia ſit ſcientia vel ſapientia.* 26.
CONCLUSIO. *Theologia ſtrictè ad ſenſum Philoſophorum non eſt ſcientia nec ſapientia. Meritò tamen dici poteſt ac debet ſenſu latiori, tametſi vero & proprio, ſcientia & ſapientia.* 27.
Objectiones contra primam Concluſionis partem. 28.
Objectiones contra ſecundam Concluſionis partem. 30.
ARTICULUS II. *De obiecto Theologiæ.* 31.
PRIMA CONCLUSIO. *Obiectum materiale Theologiæ, eſt omnis propoſitio, quæ per diſcurſum colligi poteſt ex revelatis à Deo.* 32.
SECUNDA CONCLUSIO. *Obiectum formale Theologiæ, eſt omnis propoſitio Theologica, ſpectata quatenus deducibilis per diſcurſum ex revelatis à Deo.* ibid.
TERTIA CONCLUSIO. *Obiectum Theologiæ adequatum & communitatis, ut vocant, eſt ens divinum quatenus per diſcurſum cognoſcibile ex revelatis à Deo.* ibid.

QUAR-

QUARTA CONCLUSIO. *Obiectum Theologiæ adequatum attributionis, eſt Deus ſub ratione deitatis.* 33.
QUINTA CONCLUSIO. *Obiectum formale* quod *Theologiæ adequatum, Deus eſt ſub ratione deitatis.* ibid.
SEXTA CONCLUSIO. *Obiectum formale* quo *ſeu motivum Theologiæ, eſt revelatio divina, ſeu veracitas divina & auctoritas primæ veritatis revelantis, quatenus applicata per diſcurſum.* 34.
SEPTIMA CONCLUSIO. *Obiectum formale* ſub quo *Theologia movetur ad cognitionem ſui obiecti, eſt obſcuritas & inevidentia.* ibid.
QUÆSTIO TERTIA. *De proprietatibus Theologiæ.* ibid.
ARTICULUS PRIMUS. *An Theologia ſit una ſpecie ſcientia.* 35.
CONCLUSIO. *Theologia eſt una ſpecie ſcientia, tum in concluſionibus quæ educuntur ex duplici premiſſa de fide, tum in aliis quæ educuntur ex una premiſſa de fide, & altera naturali.* ibid.
Obiectiones. 36.
ARTICULUS II. *An Theologia ſit ſupernaturalis, & certior aliis quibuſcumque ſcientiis naturalibus.* 39.
PRIMA CONCLUSIO. *Concluſiones Theologicæ certitudine vincunt ac ſuperant quaſcunque ſcientias naturales.* 41.
Obiectiones. 42.
SECUNDA CONCLUSIO. *Concluſio Theologica præciſè, ſeu quatenus concluſio eſt ex premiſſis per diſcurſum deducta, ad fidem non pertinet, nec conſequenter æqualis eſt cum fide certitudinis.* 45.
Obiectiones. 46.
ARTICULUS III. *An Theologia ſubalternetur ſcientiæ Dei & Beatorum.* 49.
CONCLUSIO. *Theologia noſtra non eſt ſubalternata ſcientiæ Dei & Beatorum.* ibid.
ARTICULUS IV. *Utrum & quomodo Theologia ſit argumentativa.* ibid.
PRIMA CONCLUSIO. *Theologia noſtra non eſt argumentativa.* 50.
SECUNDA CONCLUSIO. *Theologia quæ naturalis Philoſophiæ opera & principiis utitur, poteſt evidenter ac poſitivè ea principia demonſtrare quæ ſunt lumine ipſo naturali cognita atque perſpecta. Item poteſt demonſtrare Deum eſſe, & quidem unum ac perfectiſſimum.* ibid.
TERTIA CONCLUSIO. *Theologia poſitivè ea principia probare poteſt, quæ tametſi revelata ſint & ad fidem pertineant, in alio tamen tanquam in fonte ac principio continentur, unde neceſſario conſecutionis nexu inferuntur.* V.g. *poſitivè probat Theologus, duas eſſe in Chriſto voluntates, ex eo quòd duæ ſint in ipſo naturæ perfectæ, divina ſcilicet & humana.* 51.
QUARTA CONCLUSIO. *Poteſt aliquando Theologus argumento, ut dicitur, ad hominem, poſitivè probare ſua principia prima & immediata, quæ ſola revelatione divina cognoſcuntur.* ibid.
QUINTA CONCLUSIO. *Theologia non poteſt evidenter ac poſitivè probare, ſive à priori ſive à poſteriori, ſua prima & immediata principia, quæ ſola Dei revelatione immediata cognoſcuntur.* ibid.
SEXTA CONCLUSIO. *Theologia ſaltem negativè probare poteſt omnia ſua principia quæcumque illa ſint.* 52.

QUÆ-

QUÆSTIO QUARTA. *De locis Theologicis.* ibid.
De Scriptura ſacra. 53.
Nonnullæ regulæ in ſtudio ac lectione Scripturarum obſervandæ. 60.
De Traditionibus. 63.
De Eccleſia. 66.
De Conciliis. 81.
De Sede Apoſtolica, ſeu Romana Eccleſia, & Summo Pontifice. 89.
De Sanctis Patribus. 95.
QUÆSTIO PRIMA. *De exiſtentia Dei.* 97.
ARTICULUS PRIMUS. *An ſit à natura nobis intimè impreſſa & innata Dei cognitio.* ibid.
CONCLUSIO. *Eſt in unoquoque hominum à natura intimè impreſſa exiſtentiæ Dei cognitio.* 98.
Solvuntur Obiectiones. 101.
ARTICULUS II. *An iſta propoſitio,* Deus eſt, *ſit per ſe nota quoad nos.* 111.
CONCLUSIO. *Propoſitio hæc,* Deus eſt, *nota eſt per ſe quoad nos.* 112.
Solvuntur Obiectiones. ibid.
ARTICULUS III. *An & quibus argumentis exiſtentia Dei demonſtrari poſſit.* 114.
An demonſtrari poſſit exiſtentia Dei. 115.
PRIMA CONCLUSIO. *Exiſtentia Dei non poteſt demonſtrari à priori.* ibid.
SECUNDA CONCLUSIO. *Exiſtentia Dei certò ex creaturis demonſtratur.* 116.
Solvuntur Obiectiones. 117.
Quibus argumentis demonſtretur Deum exiſtere. 119.
Prima demonſtratio Metaphyſica ex Ente neceſſario. ibid.
Aliæ demonſtrationes Metaphyſicæ ab innata Dei notitia, à neceſſitate Entis ſummè veri & ſummè boni. 124.
Demonſtrationes phyſicæ ex ſubordinatione cauſarum ad unam primam: Ex temporanea mundi productione: Ex ordinata mundi ſtructura, & conſtanti rerum omnium viſibilium compage: Ex ipſo denique homine. 125.
Demonſtrationes Morales ex populorum omnium conſenſu, ac ſtimulis conſcientiæ ex patrato ſcelere. 129.
ARTICULUS IV. *An Deus unus ſit.* ibid.
CONCLUSIO. *Deus unicus eſt.* 132.
Solvuntur Obiectiones. 135.
QUÆSTIO SECUNDA. *De natura Dei.* 142.
ARTICULUS UNICUS. *Quiſnam ſit gradus conſtitutivus, ſeu differentia eſſentialis divinæ naturæ.* 144.
PRIMA CONCLUSIO. *Nec intelligendi vis & facultas, nec ipſa intellectio actualis videtur eſſe gradus conſtitutivus, ſeu differentia eſſentialis divinæ naturæ.* ibid.
SECUNDA CONCLUSIO. *Infinitas ſive materialis, ſive formalis non videtur eſſe gradus formaliter conſtitutivus divinæ eſſentiæ.* 146.
TERTIA CONCLUSIO. *Independentia ſeu aſeitas omnimoda videtur eſſe proprius divinæ eſſentiæ caracter ac gradus conſtitutivus.* 147.
Solvuntur Obiectiones. 149.

QUÆSTIO TERTIA. *De divinis Attributis generatim & in communi ſpectatis.* 152.
ARTICULUS I. *An & quomodo perfectiones omnes & divina Attributa in eſſentia Dei includantur.* ibid.
PRIMA CONCLUSIO. *Perfectiones omnes ſimpliciter ſimplices continentur in eſſentia divina ſaltem implicitè.* 153.
SECUNDA CONCLUSIO. *Perfectiones ſimplices & ſecundùm quid non ſunt in Deo formaliter, ſed tantùm eminenter.* 154.
TERTIA CONCLUSIO. *Eſſentia Dei adæquatè ſumpta in ſe & prout eſt à parte rei, omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem, omniaque Attributa formaliter explicitè continet: eſſentia verò inadæquatè & pro ſolo eſſentiæ conceptu, non radicaliter tantùm, ſed etiam formaliter, tametſi implicitè ac confusè omnia Attributa complectitur ac continet.* ibid.
ARTICULUS II. *An & quomodo Attributa divina tùm ab eſſentia, tùm à ſe invicem diſtinguantur.* 156.
Errores circa diſtinctionem Attributorum tùm ab eſſentia, tùm à ſe invicem. 157.
An Gilbertus æquè diſtinxerit inter Attributa abſoluta & eſſentiam ac inter perſonas & eſſentiam divinam. 158.
Opiniones Scholæ circa diſtinctionem Attributorum divinorum tùm ab eſſentia, tùm à ſe invicem. 161.
PRIMA CONCLUSIO. *Inter Attributa divina tùm abſoluta tùm relativa ad eſſentiam comparata, & abſoluta ad invicem, nulla eſt omnino realis actualis, aut modalis, aut etiam formalis diſtinctio ante mentis operationem.* ibid.
SECUNDA CONCLUSIO. *Inter Attributa divina tùm abſoluta tùm relativa comparata ad eſſentiam, & abſoluta ad invicem, datur diſtinctio virtualis cum fundamento ex parte Dei; non tamen perfecta ſed imperfecta, ſenſu in præmotatis expoſito.* 166.
Solvuntur Obiectiones adversùs primam Concluſionem. 168.
Solvuntur Obiectiones adversùs ſecundam Concluſionem. 173.
QUÆSTIO QUARTA. *De divinis attributis ſigillatim ſumptis.* 176.
QUÆSTIO QUINTA. *De ſimplicitate Dei.* 177.
ARTICULUS UNICUS. *Utrum omnis compoſitio, ſive phyſica ex materia & forma, partibus quantitativis aut integrantibus, ſubiecto & accidente; ſive metaphyſica ex actu & potentia, eſſentia & exiſtentia, natura & perſonalitate; ſive logica ex genere & differentia, ſit à Deo removenda.* ibid.
Errores circa ſimplicitatem Dei. ibid.
Spinoſa. 178.
Melito Sardenſis. 179.
Tertullianus. 180.
Solvuntur Obiectiones ex Tertulliano. 182.
Audæus ſive Audius. 186.
S. Epiphanius. 187.
Aſſeritur dogma Catholicum contra impium Spinoſæ ſyſtema, & alios qui phyſicam in Deo compoſitionem admittunt. ibid.
PRIMA CONCLUSIO. *Unica non eſt in rerum natura ſubſtantia: neque Deus eſt illa unica & univerſalis mundi ſubſtantia.* ibid.

SECUNDA CONCLUSIO. *Deus simplex est spiritus, expers omnis compositionis physicæ, sive ex materia & forma, anima & corpore; sive ex partibus quantitativis aut integrantibus; sive ex subjecto & accidente.* 190.
TERTIA CONCLUSIO. *Nulla in Deo admittenda est compositio sive metaphysica, ex actu & potentia, essentia & existentia, natura & personalitate; sive logica, ex genere & differentia.* 193.
Solvuntur Objectiones. 195.
QUÆSTIO SEXTA. *De infinitate Dei.* 203.
CONCLUSIO. *Deus infinitus est in omni genere perfectionis.* ibid.
QUÆSTIO SEPTIMA. *De immensitate Dei.* 206.
ARTICULUS I. *An Deus sit immensus, rebusque omnibus intimè præsens, non tantùm cognitione & operatione, sed essentia.* 207.
CONCLUSIO. *Deus est immensus, rebusque omnibus intimè præsens adest, non tantùm cognitione & operatione, sed essentia.* 208.
Solvuntur objectiones. 211.
ARTICULUS II. *An præsentia Dei in rebus efficaciter probetur ex operatione illius, & quomodo.* 214.
PRIMA CONCLUSIO. *Substantialis Dei in rebus presentia efficaciter probatur ex eius operatione.* ibid.
SECUNDA CONCLUSIO. *Operatio Dei non est ratio formalis & immediata per quam rebus omnibus præsens constituitur.* 217.
ARTICULUS III. *An Deus sit extra mundum, & in spatiis, ut vocant, imaginariis.* 219.
CONCLUSIO. *Deus non est actu & positivè extra mundum, & in spatiis imaginariis.* ibid.
QUÆSTIO OCTAVA. *De immutabilitate Dei.* 220.
ARTICULUS UNICUS. *An Deus sit omnino immutabilis.* 221.
CONCLUSIO. *Deus est omnino immutabilis.* ibid.
Solvuntur Objectiones. 222.
QUÆSTIO NONA. *De æternitate Dei.* 232.
ARTICULUS UNICUS. *Utrum Deus & quidem solus sit æternus.* 233.
CONCLUSIO. *Deus est æternus, & quidem solus; cujusque æternitas nulli subjacet aut temporis successioni aut differentiæ.* ibid.
QUÆSTIO DECIMA. *De invisibilitate & incomprehensibilitate Dei.* 236.
ARTICULUS I. *An Deus videri possit oculis corporeis.* ibid.
PRIMA CONCLUSIO. *Deus oculis corporeis nec visus est unquam, nec videri potest.* 237.
SECUNDA CONCLUSIO. *Deum oculis corporeis videri non posse constanter ac perseveranter docuit S. Augustinus. An verò post generalem carnis resurrectionem, immutata corporum natura, spiritales fieri possint, ac Deum immediatè videre, neque affirmavit, neque etiam negavit, sed quæstionem purè philosophicam in suspenso reliquit.* 239.
Solvuntur Objectiones. 242.
ARTICULUS II. *An Deus videri possit ab intellectu creato per solas naturæ vires.* 246.
CONCLUSIO. *Deus videri non potest ab intellectu creato per solas naturæ vires.* 247.

ARTICULUS III. *An Deus sit incomprehensibilis.* 249.
CONCLUSIO. *Deus ab intellectu creato, etiam adiuvante lumine gloriæ, comprendi non potest.* 250.
Solvuntur Objectiones. 252.
QUÆSTIO UNDECIMA. *De visione Dei.* 255.
ARTICULUS UNICUS. *An possibilis sit & possit demonstrari intuitiva Dei visio.* ibid.
PRIMA CONCLUSIO. *Possibilis est intuitiva Dei visio.* 256.
SECUNDA CONCLUSIO. *Possibile esse visionem Dei intuitivam nulla ratio naturalis potest demonstrare positivè, sed negativè tantùm.* 257.
Solvuntur Objectiones. 258.
QUÆSTIO DUODECIMA. *De existentia visionis Dei intuitivæ.* 268.
ARTICULS I. *Utrum animæ Sanctorum quibus nihil luendum supereſt, ſtatim ac corpore ſolutæ ſunt, ante ultimum ac generale Judicium intuitiva Dei viſione donentur.* ibid.
Errores. ibid.
CONCLUSIO. *Animæ Sanctorum quibus nihil luendum supereſt, ſtatim ac corpore ſolutæ ſunt, & ante ultimum ac generale Judicium, fruuntur, intuitiva Dei viſione.* 271.
Probatur primò ex Scripturis. ibid.
Probatur ſecundò, ex conſtanti Sanctorum Patrum & Eccleſiæ utriuſque Græcæ & Latinæ traditione. 273.
Probatur tertiò, ex definitionibus Conciliorum, Eccleſiæ precibus & hymnis. 276.
Probatur quartò, variis rationum momentis. 278.
Solvuntur Objectiones ex Scripturis. ibid.
Solvuntur Objectiones ex Liturgis & precibus Eccleſiæ. 286.
Solvuntur Objectiones ex ſanctis Patribus. 290.
Sanctus Hilarius. ibid.
Sanctus Ambroſius. 293.
Sanctus Joannes Chryſoſtomus. 295.
Sanctus Auguſtinus. 296.
Sanctus Bernardus. 299.
Solvuntur Objectiones ex rationibus Theologicis. 301.
Quæ fuerit Joannis XXII. ſententia circa beatitudinem Sanctorum. 302.
ARTICULUS II. *Utrum animæ Sanctorum quibus aliquid poſt mortem luendum supereſt, in Purgatorio ad tempus detineantur; atque fidelium precibus & ſuffragiis juventur ac ſubleventur.* 305.
Quid ſit Purgatorium. ibid.
Qua ratione ſuffragia viventium juvent animas in Purgatorio detentas. 306.
Qui erraverint adversùs fidem Purgatorii. ibid.
Probatur dogma Catholicum Purgatorii. 308.
CONCLUSIO. *Juſtorum animæ quibus poſt mortem nonnihil expiandum supereſt, Purgatorii pœnis expurgare illud priùs tenentur, quàm ipſis concedatur aperto Dei conſpectu frui: atque ut mitiores fiant & breviores eorum pœnæ, viventium ſuffragiis juvari poſſunt ac ſublevari.* ibid.
Primum momentum. Poſt condonatam in hac vita lethalem culpam, supereſt pœna temporalis hic vel in altera vita perſolvenda; ſuntque peccata quæ poſt

hanc vitam expiantur & remittuntur. ibid.
Secundum momentum. Juſti nondum plenè hac in vita purgati, viventium precibus ac ſuffragiis in altera juvari ac ſublevari poſſunt. 311.
Primum argumentum ex Scripturis. ibid.
Secundum argumentum ex uſu & praxi Eccleſiæ univerſæ. 313.
Tertium argumentum ex more Chriſtianorum celebrandi exequias. 315.
Quartum argumentum ex ſepulturis. ibid.
Quintum argumentum ex nonnullis ſuperſtitionibus quæ tamen indicant veram Religionem. 316.
Sextum argumentum ex publicis fidei profeſſionibus & definitionibus Conciliorum. ibid.
Septimum argumentum ex rationibus Theologicis. 318.
Solvuntur Objectiones. 319.
ARTICULUS III. *Utrum in hac vita mortali, aliquibus intuitiva Deo viſio conceſſa fuerit.* 328.
Solvuntur Objectiones. 331.
QUÆSTIO DECIMA TERTIA. *De principiis effectivis viſionis Dei intuitivæ.* 334.
ARTICULUS I. *Utrum in viſione Dei intuitiva admittenda ſit aliqua Dei ſpecies ſive impreſſa ſive expreſſa.* ibid.
PRIMA CONCLUSIO. *Nulla datur in viſione beatifica ſpecies impreſſa.* 335.
SECUNDA CONCLUSIO. *Species impreſſa Dei in viſione beatifica non videtur omninò impoſſibilis.* ibid.
TERTIA CONCLUSIO. *Datur in viſione Dei beatifica ſpecies quæ dicitur expreſſa ſeu verbum mentis.* 337.
ARTICULUS II. *De lumine gloriæ. Quæ ipſius natura; quæ neceſſitas; quæ officia.* 339.
PRIMA CONCLUSIO. *Lumen gloriæ eſt habitus intellectualis ſupernaturalis elevans intellectum ad eliciendam viſionem Dei.* ibid.
SECUNDA CONCLUSIO. *Lumen gloriæ neceſſarium eſt ad eliciendam beatificam Dei viſionem.* 340.
TERTIA CONCLUSIO. *Lumen gloriæ ſuppleri abſolutè poteſt per uberiorem Dei concurſum ſupernaturalem.* 341.
QUARTA CONCLUSIO. *Nulli creaturæ poſſibili naturale ac debitum eſſe poteſt lumen gloriæ.* 342.
ARTICULUS III. *An, & quomodo intellectus concurrat ad viſionem Dei intuitivam.* 345.
PRIMA CONCLUSIO. *Intellectus activè concurrit ad eliciendam viſionem beatificam.* ibid.
SECUNDA CONCLUSIO. *Intellectus concurrit ad viſionem Dei eliciendam per virtutem ſibi propriam & innatam, elevatam tamen per lumen gloriæ.* ibid.
TERTIA CONCLUSIO. *Intellectus concurrit ad viſionem beatificam, ut cauſa principalis: lumen verò gloriæ, ut inſtrumentum Dei.* ibid.
QUÆSTIO DECIMA QUARTA. *De objecto viſionis Dei intuitivæ.* 346.
ARTICULUS I. *De primario objecto viſionis beatificæ.* ibid.
PRIMA CONCLUSIO. *Beati vident omnia quæ ſunt in Deo formaliter ac neceſſariò, ſecundùm proprias & neceſſarias eorum rationes; non verò ſe-*

cundùm rationes ſecundarias, ſeu varios ad creaturas reſpectus. ibid.
SECUNDA CONCLUSIO. *De potentia Dei abſoluta non poteſt videri eſſentia ſine attributis; nec unum attributum ſine alio; nec una perſona ſine alia.* 347.
ARTICULUS II. *De obiecto ſecundario viſionis beatificæ.* 349.
PRIMA CONCLUSIO. *Beati vident aliquas creaturas, non tamen omnes futuras vel poſſibiles.* ibid.
SECUNDA CONCLUSIO. *Beati videre poſſunt omnes creaturas aliquando futuras, & omnes poſſibiles.* 350.
TERTIA CONCLUSIO. *Beati vident in Deo formaliter, & vi viſionis beatificæ aliquas creaturas.* 351.
QUÆSTIO DECIMA QUINTA. *De proprietatibus viſionis beatificæ.* 353.
ARTICULUS PRIMUS. *An viſio beatifica Angelorum & hominum ſit ejuſdem ſpeciei.* ibid.
CONCLUSIO. *Viſio beatifica Angelorum & hominum ejuſdem eſt ſpeciei.* ibid.
ARTICULUS II. *An viſio beatifica æqualis ſit in omnibus Beatis.* ibid.
CONCLUSIO. *Æqualis non eſt in omnibus Beatis viſio Dei beatifica.* ibid.
ARTICULUS III. *De principio inæqualitatis viſionis beatificæ.* 355.
CONCLUSIO. *Inæqualitas viſionis beatificæ oritur ab inæqualitate luminis gloriæ, tanquam à cauſa phyſica totali & adequata, non verò à majori vel minori perfectione ſeu perſpicacia intellectus.* ibid.
QUÆSTIO DECIMA SEXTA. *De ſcientia Dei.* 357.
ARTICULUS PRIMUS. *An ſit in Deo propriè ac ſtrictè loquendo, veri nominis ſcientia.* ibid.
CONCLUSIO. *Eſt in Deo veri nominis ſcientia, eaque perfectiſſima.* ibid.
ARTICULUS II. *Quodnam ſit divinæ ſcientiæ ſeu cognitionis obiectum.* 358.
An Deus ſemetipſum perfectè cognoſcat ac comprehendat. 359.
CONCLUSIO. *Deus ſemetipſum cognoſcit perfectè, intuitivè, quidditativè & comprehenſivè, tanquam obiectum formale motivum, & primarium terminativum ſuæ cognitionis.* ibid.
An Deus cognoſcat ſigillatim omnes creaturas ſeu poſſibiles, ſeu exiſtentes, omnia ſecreta cordis, omnia mala ſeu pœnæ ſeu culpæ. 361.
PRIMA CONCLUSIO. *Deus certò, diſtinctè ac ſigillatim cognoſcit omnem creaturam.* ibid.
SECUNDA CONCLUSIO. *Deus certò cognoſcit creaturas omnes poſſibiles.* ibid.
TERTIA CONCLUSIO. *Deus certò cognoſcit omnia præſentia, ſingularia etiam viliſſima, bona & mala ſeu pœnæ ſeu culpæ, occultas etiam cordium cogitationes.* 362.
An Deus certò cognoſcat futura contingentia. 365.
CONCLUSIO. *Deus certiſſimè cognoſcit futura omnia libera & contingentia.* 366.
Solvuntur Obiectiones. 368.
An Deus certò cognoſcat futura conditionata. 371.
CONCLUSIO. *Deus certa & infallibili ſcientia novit futura conditionata.* 372.
Solvuntur Obiectiones. 374.

ARTI-

ARTICULUS III. *De medio in quo Deus omnia cognoſcit.* 378.
Quo in medio Deus ſeipſum cognoſcat. ibid.
CONCLUSIO. *Deus abſque ullo medio ſeipſum per ſeipſum immediatè cognoſcit.* ibid.
Quo in medio Deus alia à ſe ſeu creaturas cognoſcat. 379.
CONCLUSIO. *Deus cognoſcit in ſua eſſentia res omnes creatas.* ibid.
Quo in medio Deus videat creaturas poſſibiles. ibid.
CONCLUSIO. *Deus omnia poſſibilia certò cognoſcit in ſua omnipotentia ſeu eſſentia, tanquam in cauſa rerum omnium effectrice.* 380.
Quo in medio Deus contingenter & liberè futura cognoſcat. 381.
PRIMA CONCLUSIO. *Deus futura contingentia non cognoſcit aut in reali eorum cum æternitate coexiſtentia, aut in proximis eorum cauſis tanquam in medio priùs cognito.* 383.
SECUNDA CONCLUSIO. *Deus futura libera naturalis ordinis non videt in ſuis decretis abſolutis ac præmoventibus.* 385.
TERTIA CONCLUSIO. *Deus futura libera naturalis ordinis certò cognoſcit in ſua eſſentia, tanquam ſpecie intelligibili in repræſentando infinita.* 389.
QUARTA CONCLUSIO. *Deus futura libera ordinis ſupernaturalis in ſtatu naturæ ſeu innocentis ſeu lapſæ non cognovit in ſuis decretis abſolutis phyſicè præmoventibus.* ibid.
Quo in medio Deus futura libera conditionata cognoſcat. 390.
CONCLUSIO. *Deus futura libera conditionata non videt in decretis abſolutis ex parte ſui & conditionatis dumtaxat ex parte objecti.* 392.
ARTICULUS IV. *An & quæ ſcientia Dei ſit cauſa rerum effectrix.* 396.
CONCLUSIO. *Scientia Dei quæ viſionis dicitur, non eſt rerum liberè futurarum cauſa effectrix.* 397.
Solvuntur Objectiones. 402.
ARTICULUS V. *De variis ſcientiæ Dei diviſionibus.* 404.
Utrum admittenda ſit ſcientia quæ ſit media inter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ & viſionis. 405.
Quid ſit ſcientia media. ibid.
Opiniones Scholæ. 406.
Expenduntur momenta quibus ſcientia media impugnatur, ac ſolvuntur. 411.
Primum momentum ex Scripturis. ibid.
Secundum momentum ex Traditione ac precibus Eccleſiæ. 414.
Tertium momentum ex S. Auguſtino. ibid.
Primum argumentum ex S. Auguſtino. 416.
Secundum ex S. Auguſtino argumentum. 418.
Tertium ex S. Auguſtino argumentum. 426.
Quartum momentum quo ſcientia media impugnatur, ex conformitate ipſius cum doctrina Semipelagianorum, ac erroribus à quibus ſatis illa non recedit. 430.
Quintum momentum ex incommodis. 433.
Sextum momentum ex novitate ac facilitate. 438.
Septimum momentum ex Cenſura Romana in Congregatione de Auxiliis. 439.
Octavum momentum ex variis rationibus Theologicis. 440.

INDEX

PRIMUM CAPUT. *Scientia media Deo eripit titulum primæ causæ, primi liberi moventis; titulum supremi dominii in voluntates nostras. Derogat omnipotentiæ Divinæ; Deo tribuit modum concurrendi cum causis liberis cæcum & imperitum.* 441.

SECUNDUM CAPUT. *Ex inutilitate scientiæ mediæ ad dirigendum Deum in suis decretis absolutis.* 443.

TERTIUM CAPUT. *Ex inutilitate scientiæ mediæ ad conciliandam libertatem cum prædestinatione & gratia efficaci.* 445.

Expenduntur momenta quibus adstruitur scientia media, & opposita Thomistarum sententia impugnatur. 448.

Momenta quibus usus scientiæ mediæ directè adstruitur ac confirmatur. ibid.

Ex Scripturis. ibid.

Ex S. Augustino. 450.

Solvuntur momenta quibus scientiæ mediæ vindices oppositam Thomistarum sententiam impugnant. 452.

QUÆSTIO DECIMA SEPTIMA. *De voluntate Dei.* 459.

ARTICULUS I. *An sit in Deo propriè dicta voluntas.* ibid.

CONCLUSIO. *Est in Deo propriè ac formaliter voluntas, non per modum potentiæ, sed operationis; eaque ad primum essentiæ divinæ conceptum pertinet.* ibid.

ARTICULUS II. *De obiecto formali & materiali, tùm primario tùm secundario divinæ voluntatis.* 463.

CONCLUSIO. *Sola increata bonitas est obiectum formale motivum divinæ voluntatis; & quidquid Deus amat extra se, propter semetipsum amat, tanquam propter ultimum finem.* ibid.

ARTICULUS III. *An Deus seipsum, & alia à se distincta velit & diligat, & quomodo.* 467.

PRIMA CONCLUSIO. *Deus seipsum primariò ac necessariò amat.* ibid.

SECUNDA CONCLUSIO. *Deus necessariò amat creaturas possibiles.* ibid.

TERTIA CONCLUSIO. *Deus amat & quidem liberè omnes creaturas aut existentes, aut aliquando futuras.* 470.

QUARTA CONCLUSIO. *Deus vult mala naturæ aut pœnæ, non quidem per se ac directè, sed per accidens ratione alterius: mala verò culpæ seu peccata nullatenus vult nec per se nec per accidens; ea tamen permittit ex quibus novit bonum eruere.* ibid.

Solvuntur Obiectiones adversùs præcedentes Conclusiones. 471.

ARTICULUS IV. *An Dei voluntas sit libera, & quæ sit ejus libertatis explicandæ ratio.* 475.

PRIMA CONCLUSIO. *Est in Deo vera & propriè dicta libertas circa creaturas.* ibid.

SECUNDA CONCLUSIO. *Libertas Dei consistit in entitate divinæ volitionis, & intrinseca ipsius terminatione ad obiectum extrinsecum.* 476.

ARTICULUS V. *An multiplex in Deo distinguenda sit voluntas.* 477.

Voluntas beneplaciti & signi. ibid.

Voluntas antecedens & consequens. 481.

Voluntas Dei efficax & inefficax. 486.

Voluntas Dei absoluta & conditionata. 487.

ARTICULUS VI. *An Dei voluntas ſemper impleatur.* 488.
PRIMA CONCLUSIO. *In iis quæ Deus ſolus operatur ſine ullo creaturæ conſortio ſeu cooperatione, voluntas Dei ſemper impletur, nec illi reſiſti poteſt.* 490.
SECUNDA CONCLUSIO. *Voluntas Dei abſoluta & efficax etiam circa liberas hominis actiones, ſemper impletur, nec ipſi unquam reſiſtitur.* 491.
TERTIA CONCLUSIO. *Voluntas Dei conditionata, cujus nempe conditio non pendet à ſolo, Deo ſed à libera etiam creatæ voluntatis cooperatione, non ſemper impletur.* 492.
QUARTA CONCLUSIO. *Voluntas Dei quatenus eſt omnium cauſa univerſalis, ſemper impletur.* 495.
ARTICULUS VII. *Utrum voluntas Dei ſit cauſa rerum.* 496.
CONCLUSIO. *Voluntas Dei eſt rerum cauſa.* ibid.
ARTICULUS VIII. *Utrum voluntatis divinæ aſſignari poſſit aliqua cauſa.* 497.
PRIMA CONCLUSIO. *Divinæ voluntatis nulla poteſt aſſignari cauſa efficiens.* 498.
SECUNDA CONCLUSIO. *Actus divini decreti ſecundùm entitatem ſuam increatam non poteſt habere cauſam meritoriam.* ibid.
TERTIA CONCLUSIO. *Effectus divini decreti, v. g. gratia & gloria, qui confertur in tempore, poteſt habere cauſam meritoriam.* ibid.
QUARTA CONCLUSIO. *Libera terminatio decreti divini ad effectum futurum, quæ ab æterno facta eſt, poteſt habere cauſam meritoriam: id eſt, Deus ab æterno potuit decernere & velle dare nobis aliqua dona propter futura merita.* 499.
QUINTA CONCLUSIO. *Actus divinæ volitionis ſecundùm entitatem ſuam increatam non poteſt habere veram cauſam finalem: poteſt tamen, noſtro intelligendi modo, una volitio eſſe cauſa finalis alterius.* ibid.
SEXTA CONCLUSIO. *Effectus volitionis ſeu decreti divini qui confertur in tempore, poteſt quidem habere veram cauſam finalem reſpectu noſtri; non tamen propriè ac ſtrictè loquendo reſpectu Dei.* ibid.
ULTIMA CONCLUSIO. *Terminatio volitionis ſeu decreti divini ad effectum futurum, quæ ab æterno facta eſt, non habet etiam veram cauſam finalem reſpectu Dei, ſed tantùm reſpectu noſtri.* 500.
ARTICULUS IX. *Utrum ſit aliquis ordo ſecundùm prius & poſterius inter divina decreta.* ibid.
CONCLUSIO. *Admittendus eſt inter divina decreta ordo aliquis virtualis, & ſecundùm noſtrum intelligendi modum, inter decreta divinæ voluntatis.* 501.
ARTICULUS X. *An ſit in Deo vera, ſincera, formalis ac beneplaciti voluntas ſalvandi omnes; ac Chriſtus pro omnibus mortuus fuerit.* 502.
Status quæſtionis. ibid.
Errores. 504.
Pelagiani & Semipelagiani. ibid.
Prædeſtinatiani. 505.
Miſericordes. ibid.
Calvinus. 506.

Janſe-

Janſenius. 507.
Scholaſtici. 512.
PRIMA CONCLUSIO. *Deus omnes, ſive Angelos, ſive homines in ſtatu innocentiæ verè ac ſincerè ſalves fieri voluit.* 513.
SECUNDA CONCLUSIO. *Certa fide tenendum eſt, Deum vera, interna & formali voluntate alios velle ſalvos fieri, quàm prædeſtinatos; & Chriſtum non pro ſolis prædeſtinatis mortuum ac ſanguinis ſui pretium Deo Patri obtuliſſe, ſed etiam pro aliis, ſaltem fidelibus qui per Baptiſmum gratiam juſtificantem ſeu ſanctificantem adepti ſunt.* 514.
Probatur prima pars Concluſionis. ibid.
Probatur ſecunda pars Concluſionis. 517.
TERTIA CONCLUSIO. *Vera eſt, pia, Catholica & fidei proxima ſententia, Deum, ſuppoſito etiam peccato originali, verè ac ſincerè velle omnes & ſingulos homines ſalvos fieri; & Chriſtum pro omnibus & ſingulis hominibus mortuum eſſe, ac ſanguinis ſui pretium pro omnibus Deo Patri obtuliſſe.* 521.
Prima probatio ex Scripturis. ibid.
Secunda probatio ex Conciliis. 523.
Tertia probatio ex ſanctis Patribus. 525.
Quarta probatio ex conſenſu Scholæ. 530.
Magiſter Sententiarum. ibid.
S. Thomas & Thomiſtæ. 531.
S. Bonaventura. 535.
Scotus. 536.
Quinta probatio ex momentis Theologicis. 543.
Solvuntur Obiectiones contra voluntatem Dei generalem & antecedentem ſalvandi omnes. 544.
Solvuntur Obiectiones adversùs mortem Chriſti pro omnibus. 556.
Solvuntur Obiectiones ex Doctoribus Scholæ. 562.
QUÆSTIO DECIMA OCTAVA. *De affectibus divinæ voluntatis, amore, odio, deſiderio, ira, pœnitentia.* 569.
An ſit in Deo amor propriè dictus. ibid.
PRIMA CONCLUSIO. *Eſt in Deo amor propriè dictus.* ibid.
SECUNDA CONCLUSIO. *Deus amat omnes creaturas.* 570.
TERTIA CONCLUSIO. *Deus amat omnes creaturas æqualiter ex parte actus divini; inæqualiter autem ex parte boni quod illis vult.* 571.
Utrum ſit in Deo odium propriè dictum, & fuga mali. 573.
PRIMA CONCLUSIO. *Eſt in Deo odium propriè dictum abominationis circa peccatum & peccatorem.* 574.
SECUNDA CONCLUSIO. *Deus ſic peccatum improbat & averſatur, ut tamen peccatorem ipſum non oderit odio inimicitiæ propriè dicto.* ibid.
An ſit in Deo deſiderium, ſpes, deſperatio. 575.
CONCLUSIO. *Non eſt in Deo deſiderium, ſpes aut deſperatio.* ibid.
An ſit in Deo timor, triſtitia, ira, pœnitentia. 576.
CONCLUSIO. *Non eſt in Deo timor, nec triſtitia, nec ira, nec pœnitentia.* ibid.
QUÆSTIO DECIMA NONA. *De juſtitia & miſericordia Dei.* ibid.
ARTICULUS PRIMUS. *Sitne in Deo vera juſtitia.* ibid.

PRI-

PRIMA CONCLUSIO. *Eſt in Deo formaliter juſtitia diſtributiva, in præmium bonorum & malorum vindictam.* 578.
SECUNDA CONCLUSIO. *Juſtitia commutativa non eſt in Deo ſtricto ac proprio, ſed latiori dumtaxat ſenſu.* 582.
ARTICULUS II. *Sitne in Deo formaliter miſericordia.* ibid.
CONCLUSIO. *Miſericordia quæ eſt voluntas ſubveniendi alienæ miſeriæ, eſt formaliter in Deo.* 583.
QUÆSTIO VIGESIMA. *De omnipotentia Dei.* ibid.
ARTICULUS UNICUS. *An ſit in Deo omnipotentia; & quod illius totale & adæquatum objectum.* 584.
PRIMA CONCLUSIO. *Eſt in Deo omnipotentia, eaque infinita.* ibid.
SECUNDA CONCLUSIO. *Objectum totale & adæquatum divinæ omnipotentiæ non ſunt ſolummodo res omnes creatæ, ſed aliæ perfectiores quæ produci poſſunt; illudque omne quod eſt poſſibile, ſive quod non repugnat aut ex parte ſui, aut ex parte Dei.* ibid.
QUÆSTIO VIGESIMA PRIMA. *De providentia Dei.* 587.
ARTICULUS PRIMUS. *An res humanæ vel fatali neceſſitate, vel caſu fortuito eveniant.* 488.
CONCLUSIO. *Res humanæ nèc fatali neceſſitate, nec caſu fortuito eveniunt.* ibid.
ARTICULUS II. *An omnia entia etiam abjectiora & viliora divinæ providentiæ ſubjaceant.* 591.
CONCUSIO. *Omnia entia etiam abjectiora & viliora divinæ ſubjacent providentiæ.* ibid.
Solvuntur objectiones. 594.
QUÆSTIO VIGESIMA SECUNDA. *De prædeſtinatione.* 599.
ARTICULUS PRIMUS. *De nomine, definitione, natura & exiſtentia prædeſtinatitonis.* ibid.
Nomen prædeſtinationis. ibid.
Definitio prædeſtinationis. 600.
Natura prædeſtinationis. 603.
Exiſtentia prædeſtinationis. ibid.
PRIMA CONCLUSIO. *Admittenda eſt vera ex parte Dei prædeſtinatio.* 604.
SECUNDA CONCLUSIO. *Gratis ficta & commentitia videtur diſtinctio à Catharino excogitata, ſalvandorum, in eos qui ante præviſa merita inſigniter prædeſtinati ſunt; & alios qui communi dumtaxat providentiæ relicti ex præviſis meritis ſalvantur.* 609.
ARTICULUS II. *De cauſis prædeſtinationis.* 610.
Utrum dentur aliquæ cauſæ prædeſtinationis ad gratiam. ibid.
PRIMA CONCLUSIO. *Falſa & erronea eſt animarum præexiſtentia, quam aliquando finxit Origenes; neque cauſa prædeſtinationis aut reprobationis refundi poteſt in bona vel mala opera quæ animæ fecerunt, antequàm ad corpora detruderentur.* 612.
SECUNDA CONCLUSIO. *Prædeſtinatio ad primam gratiam purè gratuita eſt, cujus nulla datur ex parte prædeſtinati cauſa.* ibid.
TERTIA CONCLUSIO. *Primam efficacem gratiam qua in Chriſtum creditur,*

tur, nonnullis etiam non orantibus, (& consequenter sine ullo etiam merito de congruo) Deus præparavit: aliis verò orantibus, nec sine aliquo merito de congruo; nemini autem ex merito de condigno eam destinavit. Augmentum verò gratiæ, ut & ipsam gloriam, homo justus de condigno mereri potest. 614.

QUARTA CONCLUSIO. *Perseverantia finalis passivè sumpta, pro unione scilicet mortis cum gratia sanctificante in homine justo, magnum est ac singulare Dei donum, quod etiam non orantibus Deus pro suo beneplacito interdum concedit. Illud nihilominus homo justus mereri potest, si non de condigno, saltem de congruo. Perseverantia verò activè sumpta, pro continuatione in bonis operibus usque in finem, pariter Dei donum est, sed quod Deus orantibus, & facientibus quod in se est per auxilium gratiæ, largitur.* ibid.

Utrum dentur aliquæ causæ prædestinationis ad gloriam: seu, utrum prædestinatio ad gloriam fiat ex prævisione meritorum gratiæ. 617.

Status quæstionis ac variæ sententiæ exponuntur. ibid.

CONCLUSIO. *Efficax & absoluta prædestinatio ad gloriam à Deo est post prævisa merita gratiæ.* 620.

Prima Probatio. Ex Scripturis. ibid.

Secunda Probatio. Ex sanctis Patribus, præsertim Augustino. 622.

Probatur ex S. Augustino. 623.

Tertia Probatio. Ex rationibus Theologicis. 627.

Solvuntur Objectiones ex Scripturis. 628.

Solvuntur Objectiones ex S. Augustino. 637.

Solvuntur Objectiones ex S. Thoma. 649.

Solvuntur Objectiones ex rationibus Theologicis. 651.

ARTICULUS III. *De effectibus prædestinationis.* 655.

PRIMA CONCLUSIO. *Inter bona supernaturalia tres sunt præcipui prædestinationis effectus, vocatio, justificatio & glorificatio.* ibid.

SECUNDA CONCLUSIO. *Inter bona naturalia ea dumtaxat sunt ac dici possunt effectus prædestinationis, quæ ex speciali Dei providentia & amore ad vitam æternam ordinantur.* 656.

TERTIA CONCLUSIO. *Mala pœnæ, & ipsa etiam permissio peccati computantur inter effectus prædestinationis, non quidem per se seu ratione sui; sed per accidens, seu ratione subsequentium bonorum quæ Deus sua misericordia ac virtute novit ex illis eruere.* 657.

ARTICULUS IV. *De proprietatibus prædestinationis.* 658.

PRIMA CONCLUSIO. *Certa est ac immobilis prædestinatio.* ibid.

SECUNDA CONCLUSIO. *Nullus sine speciali revelatione certus esse potest de sua prædestinatione.* 660.

TERTIA CONCLUSIO. *Certus est ac determinatus numerus prædestinatorum.* 661.

QUARTA CONCLUSIO. *Prædestinatio nullam imponit prædestinationis necessitatem, sed cum libertate stat ac conciliatur.* ibid.

QUÆSTIO XXIII. *De reprobatione.* 663.

ARTICULUS PRIMUS. *De nomine, definitione, existentia & divisione reprobationis.* ibid.

Nomen reprobationis. ibid.

Definitio reprobationis. ibid.

Existentia reprobationis. 664.

Divisio reprobationis. ibid.
ARTICULUS II. *De causis reprobationis.* 666.
Status quæstionis. ibid.
Errores & opiniones. ibid.
PRIMA CONCLUSIO. *Neminem hac in vita Deus ab omni penitus auxilio gratiæ excludit; sed omnibus paratam offert vel confert.* 669.
SECUNDA CONCLUSIO. *Causa reprobationis ab uberiori & efficaci gratia in adultis baptisatis, non est peccatum originale, sed aliquod actuale precedens.* ibid.
TERTIA CONCLUSIO. *Impium est asserere cum Calvino, Deum ex solo suo beneplacito & sine ullo prævio peccato prævisо, nonnullos homines positivè reprobasse & æternis supplicіis destinasse.* 671.
QUARTA CONCLUSIO. *Non datur negativa reprobatio, (sive sit mera negatio actus, sive actus positivus) à gloria tanquam à beneficio indebito, ex solo Dei beneplacito, ante prævisum quodcunque peccatum.* 672.
QUINTA CONCLUSIO. *Peccatum originale non est causa reprobationis negativæ adultorum qui baptisati sunt; sed unica reprobationis illorum causa, sunt actualia peccata.* 674.
Solvuntur Objectiones. 678.
ARTICULUS III. *De effectibus reprobationis.* 684.
PRIMA CONCLUSIO. *Peccatum formaliter sumptum, quatenus est malum culpæ, non potest esse effectus reprobationis.* ibid.
SECUNDA CONCLUSIO. *Peccatum quatenus pœna est præcedentis peccati propter subtractionem uberioris gratiæ, potest utcunque dici effectus reprobationis.* ibid.
TERTIA CONCLUSIO. *Perseverantia in peccato, & obduratio, quatenus sunt mala culpæ & important obfirmatam in malo voluntatem, non sunt effectus reprobationis: secus verò, quatenus includunt gratiæ uberioris privationem & permissionem peccati in pœnam culpæ præcedentis.* ibid.
ULTIMA CONCLUSIO. *Pœna tùm damni, quæ in privatione Dei consistit, tùm sensus, quæ in cruciatibus æternis, est effectus reprobationis à gloria.* 686.
APPENDIX *de libertate.* ibid.
QUÆSTIO UNICA. *De natura libertatis.* ibid.
PRÆNOTANDA. *Varia libertatis & necessitatis significatio.* ibid.
Errores circa humanam libertatem. 694.
Status quæstionis. 696.
Utrum arbitrii humani libertas ad merendum vel demerendum necessaria, in uno voluntario deliberato & sola immunitate à coactione sit collocanda; an verò in immunitate ab omni necessitate etiam simplici, seu invincibili ad unum determinatione, tametsi fluxa & transeunte. 698.
PRIMA CONCLUSIO. *Arbitrii libertas ad merendum vel demerendum necessaria, non consistit in solo voluntario perfecto ac deliberato.* ibid.
SECUNDA CONCLUSIO. *Libertas ad merendum vel demerendum requisita excludit simplicem necessitatem seu determinationem ad unum, etiam voluntariam, mutabilem ac transeuntem, qualis, in mente Jansenii, oritur ex delectatione superiori relativa & indeliberata.* 703.
Prima probatio ex Scripturis. ibid.

Secun-

Secunda probatio ex Sanctis Patribus. 707.
Probatur ex Sancto Auguſtino argumento multiplici. ibid.
Primum argumentum. S. Auguſtinus Manichæos ac Pelagianos oppugnans, conſtanter docet humanam libertatem immunem eſſe ab omni neceſſitate, ſeu ineluctabili ad unum determinatione. ibid.
Secundum momentum. S. Auguſtinus excludit ab homine lapſo omnem neceſſitatem ad bonum vel ad malum determinantem. 712.
Tertium argumentum. S. Auguſtinus docet hominem lapſum eligere poſſe bonum vel malum; adeoque verè ipſum indifferentem eſſe ad alterutrum. 715.
Quartum argumentum. Idem eſt apud S. Auguſtinum, hominem lapſum ſub motione gratiæ liberum eſſe ab omni neceſſitate, ac ipſum, ſi velit, agere poſſe & non agere, ſeu habere actum in ſua poteſtate. 718.
Quintum argumentum, ex definitione peccati quod imputari nemini poteſt, niſi liberum fuerit ab illo abſtinere. 720.
Probatur ex Sancto Thoma. 725.
Primum argumentum. S. Thomas ad libertatem arbitrii requirit indifferentiam actiuam, ſeu potentiam ad oppoſita. ibid.
Secundum argumentum. S. Thomas excludit à libertate arbitrii omnem neceſſitatem, ſeu ad unum determinationem. 726.
Tertium argumentum. S. Thomas exigit poteſtatem indifferentiæ ad rationem meriti vel demeriti. 728.
Tertia probatio ex Conciliis. 730.
Quarta probatio ex Summis Pontificibus. 735.
Quinta probatio ex rationibus Theologicis. 739.
Prima ratio, ex definitione potentiæ liberæ. ibid.
Secunda ratio, Omnis actio libera procedit à voluntate ut voluntas eſt, non à voluntate ut natura eſt. 741.
Tertia ratio. Omnis actio libera dirigi debet judicio rationis libero ſeu indifferenti. 743
Quarta ratio. Omnis actus verè liber debet eſſe ſub poteſtate ſeu dominio operantis. 745.
Quinta ratio. Hæretici humanæ libertatis hoſtes, non coactionem, ſed ſimplicem neceſſitatem, ſeu invincibilem ad unum determinationem admiſerunt, & idcircò proſcripti ſunt ab Eccleſia. 746.
Solvuntur Obiectiones. 751.
Solvuntur Obiectiones ex S. Auguſtino. ibid.
Prima Obiectio. Adamus peccando liberum perdidit arbitrium. ibid.
Secunda Obiectio. Omnis actio voluntatis eſt voluntaria & conſequenter libera. 754.
Tertia Obiectio. Voluntas numquam agit per modum naturæ. 756.
Quarta Obiectio. Omnis actus voluntatis eo ipſo liber eſt quo ducem habet rationem. 758
Quinta Obiectio. Eſt in Deo ac Beatis neceſſitas ſimul ac libertas. 759.
Sexta Obiectio. Laus & meritum tribuitur actionibus etiam neceſſariis. 763.
Septima Obiectio. Eſt in homine quædam peccandi neceſſitas. 764.
Solvuntur Obiectiones ex momentis Theologicis. 770.
Solvuntur Obiectiones primi generis. ibid.
Solvuntur Obiectiones ſecundi generis. 773.

Finis Indicis.

APPRO-

APPROBATIO.

DE mandato illuſtriſſimi D. D. Sigillorum Regiorum Cuſtodis, legi *Prælectiones Theologicas de Attributis divinis*, quas in Scholis Sorbonicis habuit ſapientiſſimus vir D. HONORATUS TOURNELY S. F. P. Doctor & Socius Sorbonicus, nec non Sacræ Theologiæ Profeſſor emeritus; in quibus non tantùm nihil eſt fidei & bonis moribus contrarium, ſed omnia juxta magis receptas Theologorum ſententias ex fidei principiis, vel ex SS. Patrum doctrina & ratione ita accuratè & dilucidè tractata, & explicata, ut non Tyronibus modò ſed & eruditis quibuslibet quibus aliquis ſanioris doctrinæ ſenſus ineſt, opus utiliſſimum judicetur. Datum Pariſiis die vigeſimâ Februarii an. 1725.

C. LEULLIER.

NOI

NOI REFORMATORI
Dello Studio di Padoa.

HAvendo veduto per la Fede di Reviſione, & Approbatione del P. F. Tomaſo Maria Gennari Inquiſitore nel Libro intitolato *Prælectiones Theologicæ de Deo, & Divinis Attributis*, non v'eſſer cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, & buoni coſtumi, concedemo Licenza a Nicolò Pezzana, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gl'ordini in materia di Stampe, & preſentando le ſolite copie alle Publiche Librarie di Venezia, & di Padoa.

Dat. 6. Giugno 1728.

§ *Gio: Franceſco Moroſini Kav. Ref.*

§ *Alviſe Piſani Kav. Proc. Ref.*

§

Agoſtino Gadaldini Seg.

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ

DE

DEO ET DIVINIS ATTRIBUTIS.

Priusquam ad augustum istud de Deo ac divinis ejus attributis argumentum propiùs accedamus, juvat in ipso quasi limine paulisper immorari; ut intelligamus quæ sit ratio & natura, quæ affectiones & proprietates disciplinæ illius, quæ circa res divinas tractandas occupatur.

DISPUTATIO PRÆVIA.

De sacra Doctrina seù Theologia.

Sanctus Thomas 1. parte q. 1. decem articulis omnem de sacra Doctrina controversiam complexus est, qui ad quatuor universim capita totidem quæstionibus à nobis discutienda, revocari facile possunt.

QUÆSTIO PRIMA.

De nomine, definitione, divisione, existentia, seu necessitate Theologiæ.

Hujus quæstionis quatuor erunt articuli.

1. De nomine ac definitione Theologiæ.
2. De variis Theologiæ divisionibus.
3. De existentia seu necessitate Theologiæ.
4. De usu rationis & humanæ Philosophiæ in rebus Theologicis pertractandis: an, & quis ille sit admittendus.

ARTICULUS PRIMUS.

De nomine & definitione Theologiæ.

THeologiæ nomen origine græcum est, compositum ex duplici vocabulo græco θεὸς & λόγος. Est quippe Theologia secundùm vim nominis λόγος περὶ θεῦ, aut λόγια τῦ θεῦ, id est sermo, seu ratiocinatio & dissertatio de Deo.

Multis aliis nominibus designatur in Scripturis.

Dicitur 1. *Sapientia Dei in mysterio* 1. Cor. 2. v. 7. 2. *Forma sanorum verborum.* 2. ad Timot. 1. v. 13. 3. *Agnitio veritatis quæ secundùm pietatem est.* ad Tit. 1. v. 1. 4. *Doctrina secundùm fidelem sermonem*, ad Tit. 1. v. 9.

Theologiæ nomen triplici omnino sensu usurpatur. Latè, strictè, & propriè.

1. Theologia latè seu in ampliori significatione, complectitur quemlibet de Deo sermonem, sive solo naturali lumine, sive supernaturali revelatione nitatur. Quo sensu, Philosophus lib. 6. Metaphysicorum distribuit Philosophiam in Physicam, Mathematicam & Theologiam. Quin & nostri Philosophi agunt de Theologia naturali. Hoc sensu veteres Philosophi & Poetæ à sancto Clemente Alexandrino L. 5. Strom. Theologi vocantur, quòd nempe de Religione ac rebus ad Deos suos pertinentibus tractarent.

2. Theologia strictè sumpta à veteribus SS. Patribus Græcis, Basilio Epist. 141. Cyrillo Alexandrino L. 1. in Joan. Maximo L. de Oratione Dominica, Gregorio Nazianzeno Orat. 38. &c. usurpatur pro ea sola sacræ Doctrinæ parte, quæ de Deo ac divinis perfectionibus disserit. Atque hoc sensu, S. Joannes singulari ratione Theologus nuncupatus fuit, quòd præ cæteris Evangelistis Verbi divinitatem luculentiùs asseruerit. Pariter S. Gregorius Nazianzenus inter cæteros Ecclesiæ Doctores Theologi nomen obtinuit, ob egregia Scripta, in quibus divinitatem Christi strenuè vindicavit. Hinc nata apud illos veteres celebris distinctio θεολογίας & οἰκονομίας. Per istam, sermonem de Incarnatione; per illam verò, sermonem de Christi divinitate intelligebant.

3. Theologia strictè ac propriè hìc significat sermonem seu disceptationem de Deo, divinis attributis seu perfectionibus, ac omnibus rebus à Deo revelatis.

Duplici autem modo potest circa resomnes à Deo revelatas occupari, 1. iis simplici assensu sine ulla ratiocinatione inhærendo: quo sensu, Theologia non distinguitur ab habitu fidei, qui ex sese discursivus non est, sed promptum exigit mentis obsequium. 2. Discursu ac variis ratiociniis conclusiones ex principiis fidei inferendo: quo sensu hìc Theologiam usurpamus. Quapropter definiri vel describi potiùs meritò potest nostra Theologia, Doctrina seu disciplina quæ ex propositionibus fidei & immediatè revelatis, tùm circa Deum, tùm circa rem quamlibet à Deo revelatam, conclusiones discurrendo colligit, quibus fides gignitur, nutritur, defenditur, roboratur.

ARTICULUS SECUNDUS.

De variis Theologiæ divisionibus.

VAriæ divisiones Theologiæ ex triplici capite repeti potissimum solent. Ex parte subjecti in quo est: Ex parte objecti quod considerat: Demum ex parte modi quo suum objectum attingit.

1. Ex parte subjecti, cui inest Theologia, dividitur in eam quæ est comprehensorum seu beatorum in cœlis degentium, ubi intuentur Deum sicuti est, & in eam quæ propria est viatorum, qui hanc mortalem vitam decurrunt; tenebris undequaque involuti, ambulantes per speciem & in ænigmate. Est quippe fides, cui tota inniti debet nostra Theologia, rerum non apparentium: de ista hic agimus, non de priori.

Rursus Theologiæ viatorum ratione subjecti totuplex distingui potest, quotuplex generatim est hominum genus, qui de rebus divinis concertationes habent. Quippe vel illi Gentiles sunt & Infideles, vel Christiani; & isti rursus, vel Hæretici, vel Orthodoxi.

Apud Gentiles multiplicem fuisse constat Theologiam. Plato L. 2. de Repub. duplicem distinguit: symbolicam seu mysticam, quæ Sacramentis seu symbolis quibusdam involuta continebatur; & Philosophicam, quæ in rerum divinarum commentatione occupabatur.

Varro apud S. Aug. L. 6. de Civitate Dei c. 5. triplicem enumerat: fabulosam seu Poetarum, quæ Scenis & Theatris erat destinata; civilem seu populi & Sacerdotum, quæ publicè exercebatur in Templis; & naturalem seu Philosophorum, quæ in Scholis docebatur.

Christiani suam etiam & quidem soli veram ac tutam habent Theologiam, maximè qui inter illos Orthodoxi sunt, qui Ecclesiam ducem ac magistram audiunt & sequuntur. Hæretici enim, qui proprio ducuntur spiritu nec Ecclesiæ loquenti obtemperant, circumferuntur omni vento doctrinæ, nec germanam & puram Theologiam possident.

2. Ex parte objecti seu rerum de quibus agit Theologia, dividitur in naturalem & supernaturalem: hæc lumine supernaturali fidei; illa sola naturali ratione duce de Deo differit. Posterior ad præsens nostrum institutum pertinet, non prior.

Iterum Theologia supernaturalis dividitur in speculativam & practicam seu moralem. Speculativa in objecti sui contemplatione conquiescit, nihilque circa illud operatur, v. g. cùm Theologus agit de Deo ejusque attributis, de sanctissima Trinitate, de Incarnatione &c. contemplatione non operatione circa hæc objecta occupatur. E contrà, Theologia moralis, quæ tota versatur in tradendis morum præceptis, verè practica est ac dicitur.

Immeritò divisionem hanc rejicit Episcopius L. 1. Institutionum Theologicarum cap. 2. hac ratione ductus, quòd cùm omnis nostra de Deo cognitio ad ejus cultum & mandatorum observantiam ordinetur, omni ex parte practica dicenda sit.

Verùm, admisso principio, consecutio negatur. Etsi enim cultus Dei ac mandatorum observatio, sit finis ad quem Theologia dirigere nos debeat,

cùm tamen non omnis, sed certa quædam Theologiæ nostræ pars agat ex professo de illo cultu, & modo quo exhiberi debet, sicut & de observatione mandatorum; idcirco, non totaliter, sed aliqua dumtaxat sui parte Theologia practica dici debet. A Socinianis suam hanc opinionem mutuatus est Episcopius. Illi enim, ut elevent necessitatem cognitionis mysteriorum Trinitatis, Incarnationis, &c. ac facilius viam sternant ad Religionem quandam communem, per quam omnes promiscuè servari possunt, Theologiam ita strictè practicam dicunt, ut nihil in ea præcisè ad salutem necessarium sit, nisi quod pertineat ad præcepta morum; secluſa mysteriorum fide ac notitia.

3. Denique ex parte modi seu methodi, trita ac pervulgata est divisio Theologiæ, in Positivam & Scholasticam.

Positiva tota occupatur circa primaria fidei ac Religionis Christianæ capita, ex Scripturis, Conciliis, ac SS. Patribus comprobanda. Utitur stylo elegantiori, diffuso & oratorio. Positiva inde dicta, tùm quia prima & immota fidei principia ponit ac statuit, tanquam theses & positiones quæ sunt artis cujuslibet firmamenta & fundamenta præcipua: tùm quia Scripturæ, Concilia, & SS. Patrum Operæ, quibus illa potissimùm innititur, juris sunt positivi. Tertullianus L. de præscriptionibus c. 14. eam appellat *Exercitationem Scripturarum*.

Scholastica inde dicta, quòd in Scholis seu Academiis jamà quingentis annis usurpatur. Adhibet illa concisum & acutum dicendi genus; ac dialectico more, terminos exponit, definitiones ac divisiones statuit; aperit ac figit quæstionis statum; proponit argumenta, objecta dissolvit. Uno verbo, ea utitur methodo quæ tradendis & addiscendis Disciplinis aptissima est.

Apud Græcos, S. Joannes Damascenus 8. sæculo primus Theologiæ Scholasticæ fundamenta veluti posuit, cùm distincta methodo res Theologicas ad certa capita revocavit ac tractavit.

Apud Latinos, S. Anselmus ex Abbate Beccensi Archiepiscopus Cantuariensis, qui obiit an. 1109. stylo adhuc magis acuto, subtili ac didactico, res nostras Theologicas est prosecutus.

Verùm inter alios omnes, Theologiæ Scholasticæ quasi parens habetur Petrus Lombardus, Episcopus Parisiensis 12. sæculo, dictus vulgò Magister Sententiarum, quòd Theologiæ Summam ex Decretis seu Sententiis SS. Patrum miro compendio & arte complexus fuerit quatuor Sententiarum libris.

Olim Scholastici vocabantur, tùm ii qui se se in Scholis exercebant; tùm qui sermonis elegantia, nitore & ordine pollebant; tùm denique & quidem maximè, ii qui eruditi & Scholarum disciplinis exculti habebantur. Quo sensu, S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum ait, *Serapionem ob elegantiam ingenii, nomen Scholastici meruisse*. Hinc illud Tullii scribentis in Pisonem: *Homo*, inquit, *ad persuadendum concinnus, perfectus, politus è schola*.

ARTICULUS TERTIUS.

De existentia seu necessitate Theologiæ.

OBserva I. Theologiam hìc spectari posse, vel secundùm substantiam & ratione sui; vel secundùm modum quo docetur & discitur.

Theologia ratione sui & secundùm suam substantiam, vel spectatur simpliciter ut est doctrina seu simplex expositio fidei; vel ut est disciplina disceptatrix, quæ ex principiis fidei argumentando discurrit.

Non hìc movetur quæstio de necessitate fidei supernaturalis ad salutem: suo enim proprio loco reservanda est, cùm de fide disserunt Theologi.

Itaque hìc agitur dumtaxat de necessitate Theologiæ, vel quoad substantiam spectatæ, vel quoad modum seu methodum qua solet in Scholis exponi.

Observa II. Non uno sed multiplici sensu, rem aliquam esse ac dici necessariam.

1. Absolutè ac simpliciter. Quo sensu, solus Deus est necessarius, cùm sit ens à se, ac planè independens.

2. Hypotheticè, seu facta aliqua hypothesi & suppositione: v.g. Si quis vult ad vitam ingredi, necesse est ut Dei mandata observet.

Rursus quod necessarium est ex hypothesi, vel tale est simpliciter & absolutè, sine quo finis propositus obtineri non potest; quomodo mandatorum observatio necessaria dicitur ad vitam æternam consequendam, quando quis potest & tenetur ea observare: vel tale est ex parte dumtaxat, seu secundùm quid, ad finem promptiùs, faciliùs & securiùs comparandum; quo sensu, executio Consiliorum Evangelicorum necessaria dicitur ad obtinendum regnum cælorum.

Inter illa verò quæ necessaria dicuntur simpliciter & absolutè, (quamquam ex hypothesi) alia sunt necessaria necessitate medii, sine quibus re, aut voto seu desiderio perceptis, finis non potest obtineri: alia verò necessaria necessitate dumtaxat præcepti.

Eorum autem quæ sunt necessaria necessitate medii, alia sunt externa media, alia interna: priora suppleri possunt voto ac desiderio, quod includitur in charitate & contritione perfecta; ita Baptismus & Pœnitentia inter Sacramenta novæ Legis, suppleri possunt per charitatem perfectam. Interna verò media seu subsidia, nullatenus suppleri possunt: talis est gratia sanctificans, sine qua impossibile est ad vitam æternam pervenire. In hoc autem stat maximè discrimen Sacramentorum quæ sunt necessaria necessitate medii, ab aliis necessariis dumtaxat necessitate præcepti; quòd priora eam speciem vel gradum gratiæ contineant vel conferant, sine qua nemo salvus esse potest, non alia. Ita sine gratia regenerante Baptismatis, & gratia reparante seu justificante Sacramenti Pœnitentiæ, desperata prorsus est æterna hominis salus.

Observa III. Cùm hìc quæritur an Theologia sit necessaria, vel universam spectari hominum speciem, vel singulos homines. Sunt enim quædam toti speciei necessaria, non autem singulis individuis. v.g. Matrimonium necessarium est humanæ speciei, ad illius conservationem & propagationem,

non verò singulis hominibus. E contra Sacramentum Baptismatis non tantùm speciei hominum universim, sed etiam singulis prorsus hominibus necessarium est ad æternam salutem.

Necessitatem Theologiæ etiam quoad substantiam spectatæ, impugnant quotquot fidei ipsius supernaturalis necessitatem subvertere conantur, quales sunt Sociniani.

Novatores autem Lutherani & Calvinistæ, Scholasticam nostram invere-cundè carpunt ac dilacerant: ad quos ea in parte accedit Erasmus ad caput 1. Ep. ad Timoth. quòd nempe, (ut ipsis placet) Scholastica nostra tota sophisticis argumentis occupata, quæstiones moveat inanes, otiosas, ac propemodum (ut Erasmus ait) impias. Hos duces sequutus est, imò & quadamtenus superavit Jansenius in deprimenda nostra Theologia scholastica Libro proœmiali cap. 28. & Lib. de hæresi Pelagiana c. 23. Sit itaque

PRIMA CONCLUSIO.

Admittenda est sacra Doctrina seu Theologia, quæ secundùm subsantiam spectata, toti Ecclesiæ simpliciter necessaria est, non singulis hominibus.

Probatur prima pars. Ea scientia seu disciplina omnino ac simpliciter toti Ecclesiæ necessaria est, *quæ fides salubertima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur*. Sunt verba S. Aug. Lib. 14. de Tri-
Edit. nov. T. 8. p. 948. E. nit. cap. 1. n. 3. Ecclesia quippe stare non potest sine fide, aliarumque virtutum subsidiis: atqui Theologia seu sacra doctrina fides gignitur, nutritur, defenditur, roboratur, judice ipso S. Aug. mox citato; ergo omnino seu simpliciter necessaria est toti Ecclesiæ.

1. Necessaria est ad fidem persuadendam & suscipiendam: quod demonstrat Apostolus Rom. 10. v. 14. & sequent. hac gradatione. *Quicunque*, inquit, *invocaverit nomen Domini, salvus erit. Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante? quomodo verò prædicabunt nisi mittantur?*

Porrò qui verbum Dei annuntiant, ii non tantùm historicè ac narrativè fidem proponunt; sed eam variis momentis muniunt ac persuadere conantur, quod proprium est Theologiæ. Sic agebat S. Paulus disputans cum Judæis, eosque ad fidem suscipiendam gravissimis momentis invitans. *Disputabat in Synagoga*, ait Sacer contextus Act. c. 18. v. 4. *per omne Sabbatum, interponens nomen Domini Jesu Christi, suadebatque Judæis & Græcis.*

2. Necessaria est ad fidem fovendam & conservandam. Ephes. 4. v. 11. & seq. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi. . . ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Inde sic facile est arguere: Fides non potest in nobis foveri ac conservari, nisi præmuniatur & adversus humani ingenii levitatem & inconstantiam, ne fortè *velut parvuli fluctuantes simus, & circumferamur omni vento doctrinæ*; & adversùs nequitiam & hæreticorum homi-

num

minum fraudes & astutiam, ne illis circumveniamur & in errorem inducamur: at cui maximè istud officium incumbit, nisi Theologiæ, nisi Pastoribus & Doctoribus, quorum partes sunt ut fidem astruant, susceptam confirment, oppositos errores ac Novatorum fraudes & cavillationes detegant ac diluant?

3. Necessaria est Theologia ad fidem defendendam, & ab Hæreticorum insultibus vindicandam. *Oportet*, ait Apostolus ad Titum 1. v. 9. *Episcopum esse amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere. Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui, & seductores. . . . quos oportet redargui, qui universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet.* Sic Hæreticos describit ac depingit Apostolus.

Porrò Theologiæ nostræ hæc propria dos est ac conditio, ut argumenta submineat quibus garrulitas Novatorum reprimatur; detegantur astutiæ, doli, machinationes; mendacia, sophismata revincantur. In hunc finem Christus Pastores ac Doctores voluit esse in Ecclesia, quibus Spiritus sanctus dona sua dispertit, prout vult. . . . *Alii quidem*, ait Apost. 1. Cor. 12. v. 8. *per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ.* Sermo ille scientiæ haud dubiè Theologia nostra est.

Probatur 2. auctoritate & exemplo Christi & Apostolorum, qui variis momentis Theologicis usi sunt, tum ad persuadendam fidem, tùm ad frangendam Judæorum pervicaciam. Matth. 22. v. 32. Christus probat mortuorum resurrectionem, *quia Deus non est mortuorum, sed vivorum Deus.* Lucæ 11. v. 17. probat se non ejicere dæmonia in nomine Beelzebub, hoc argumento: *Omne regnum in se ipsum divisum desolabitur: si autem Satanas in se ipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus? quia dicitis in Beelzebub me ejicere dæmonia. Si autem ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt?* Deinde ostendit se in digito Dei ea ejicere: *Porrò*, inquit, *si in digito Dei ejicio dæmonia, profectò pervenit in vos regnum Dei.*

Marci 12. v. 36. & sequ. demonstrat Messiam non esse filium David sicut falsò affirmabant Scribæ, quia nempe David spiritu Prophetico eum appellat Dominum suum: *Quomodo*, ait Christus, *dicunt Scribæ Christum filium esse David? Ipse enim David dicit in Spiritu sancto: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Ipse ergo David dicit eum Dominum; & unde est filius ejus?*

S. Paulus 1. Corinth. 15. v. 13. probat futuram mortuorum resurrectionem ex ipsa Christi resurrectione. *Si autem*, ait, *resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit.* Possibilem verò esse mortuorum resurrectionem, ostendit exemplo seminis naturalis, quod prius terræ mandatur & moritur, ut subinde reviviscat. *Insipiens*, inquit, *tu quod seminas non vivificatur, nisi prius moriatur.* Et 2. Corint. 5. v. 14. infert nos omnes mortuos esse, eò quòd Christus pro omnibus mortuus sit: *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo*, concludit, *omnes mortui sunt.* Denique ex profanis etiam Scriptoribus argumentum aliquando ducit. Laudat etenim Act. 17. v. 28. istud Arati poetæ dictum, *Ipsius* (nempe Dei) *& genus sumus.*

Superfluum videtur in re tam clara & certa, plura congerere Scripturæ aut SS. Patrum testimonia: tot enim sunt Conclusionis nostræ certissima argumen-

ta, quot extant, (innumeræ autem extant,) SS. Patrum & Eccleſiaſticorum Scriptorum egregiæ ac invictæ pro defenſione Religionis lucubrationes.

Secunda concluſionis pars, nempe ſingulis hominibus abſolutè neceſſariam non eſſe Theologiam, facilè demonſtratur. Etſi enim homo quilibet fidem habere teneatur, non tamen omnes & ſinguli tenentur ex officio eam exponere, & à perduellium Hæreticorum fraudibus ac ſophiſmatibus vindicare. *Numquid*, ait Apoſt. 1. ad Corinth. 12. v. 29. *omnes Apoſtoli? numquid omnes Doctores?* Unde meritò Tertullianus L. de præſcript. Hæreticorum c. 14. ait: *Hæc regula à Chriſto inſtituta*, nempe fidei Sybolum, *nullas habet apud nos quæſtiones, niſi quas hæreſes inferunt, & quæ Hæreticos faciunt . . . .* Et poſtea: *Fides tua te ſalvum fecit, non exercitatio Scripturarum.*

Edit. Rigalt. p. 207. A. Ibid. B.

S. Aug. L. jam citato 14. de Trinit. c. 1. n. 3. rem noſtram conficit his Verbis: *Qua ſcientia*, (nempe Theologia) *non pollent fideles plurimi, quamvis polleant ipſa fide plurimùm. Aliud eſt enim ſcire tantummodo quid homo credere debeat propter adipiſcendam vitam beatam quæ nonniſi æterna eſt: aliud autem ſcire quemadmodum hoc ipſum & piis opituletur, & contra impios defendatur.*

T. 8. p. 948. E.

Dices 1. Iſaiæ 54. v. 13. dicitur. *Ponam . . . univerſos filios tuos Doctos à Domino*, ſeu *docibiles Dei*, ut ait S. Joan. c. 6. v. 45. hunc Prophetæ locum referens: Et Jeremiæ 31. v. 34. *Non docebit ultrà vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum.* Igitur Theologia non videtur toti Eccleſiæ ſimpliciter neceſſaria.

Reſpondeo, nego conſequentiam. Hoc enim unicè intendunt Iſaias & Jeremias, futurum ut non amplius per Prophetas Deus homines doceat, ſed per Chriſtum filium ſuum, quem miſſurus aliquando eſt in mundum. *Multis modis*, ait S. Paulus Hebr. 1. v. 1. *Deus loquens patribus in Prophetis: noviſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio.* Senſum hunc ſubindicare videtur Jeremias citato capite v. 22. his verbis: *Creavit Dominus novum ſuper terram: femina circumdabit virum.* Quæ certè futuram Verbi divini Incarnationem præuntiant. Porrò Chriſtus qui per ſe ipſum homines edocuit, Apoſtolos, Paſtores & Doctores à miniſterio verbi non excluſit, imò inſtituit potius; ut conſtat ex teſtimoniis in confirmationem noſtræ concluſionis citatis.

Vel ſenſus eſt: Deum per ſeipſum, interioris gratiæ influxu, mentem illuſtrare ac movere voluntatem, dum Paſtores & Doctores exteriùs intonant, verbum Dei annuntiando. Niſi enim Deus ad externam verbi prædicationem, aures cordis interiùs aperiat, evaneſcit illa, ac planè inutilis ad ſalutem evadit.

Dices 2. S. Petrus Ep. 1. cap. 3. v. 15. jubet Chriſtianos ſemper paratos eſſe debere *ad ſatisfactionem de ea quæ in ipſis eſt ſpe*: at ſine auxilio Theologiæ fieri iſtud non poteſt; igitur Theologia ſingulis Chriſtianis neceſſaria eſt.

Reſpondeo nego conſequentiam. Verba S. Petri, ait Eſtius in hunc locum, non ita ſunt accipienda, *ac ſi velit omnes Chriſtianos eſſe Theologos qui norint de fidei dogmatibus, aut docendo aut reſpondendo, differere. . . Sed hoc unum exigit ab unoquoque fidelium, ut de iis quæ ex fide Chriſtiana ſperat, & omnino de iis quæ fidei ſunt, interrogantibus ac rationem poſcentibus, juxta ſuum quiſque modum reſpondere ac ſatisfacere poſſit.*

Pag. 2180.

Dices 3. Eccleſiaſtici 17. v. 12. dicitur, *Unicuique mandavit de proximo ſuo.* Tenetur ergo quilibet, proximum doctrina fidei informare. Ergo unicuique neceſſaria eſt Theologia.

Reſ-

Respondeo, nego consequentiam. Sensus Scripturæ iste est: unicuique mandasse Deum, ut nihil injustè & iniquè faciat quod suo proximo nocere possit; nihil quod ipsi offensioni sit ac scandalo. *Dixit illis*, ait sacer Contextus, *attendite ab omni iniquo: & mandavit illis unicuique de proximo suo.*

SECUNDA CONCLUSIO.

Theologia ratione modi seu methodi qua in Scholis traditur, non est simpliciter toti Ecclesiæ necessaria: Utilissima tamen est fidei mysteriis exponendis, ac contrariis Novatorum erroribus refellendis.

Prima conclusionis pars per se manifesta est. Namque ex mox dictis; Theologia secundùm substantiam spectata, simpliciter toti Ecclesiæ necessaria est, ad fidem persuadendam, fovendam, ac defendendam: Atqui Theologia quæ Positiva dicitur, ad hæc sufficit, sine stricta illa Scholæ methodo quæ à quingentis annis invaluit, sicut manifestè patet ex doctissimis illis SS. Patrum Operibus, quibus longè ante ortum Theologiæ nostræ Scholasticæ rem fidei strenuè ac feliciter promoverunt adversus hæreticos, qui omni ævo variis suis ac detestandis erroribus eam labefactare conati sunt.

Altera verò conclusionis pars, nempe Scholasticam nostram Theologiam utilitatis plurimùm Ecclesiæ afferre, nec damnandam, ut solent Novatores, sed laudandam potius ac retinendam.

Probatur 1. auctoritate tùm Conc. Constantiensis Sess. 8. ubi inter alios Vvicleffi errores, istum proscribit: nempe, *Universitates, Studia & Collegia vana gentilitate introducta sunt*: Tùm consensu & approbatione SS. Pontificum, Episcoporum, Christianorum etiam Principum, Ecclesiæ universæ, quæ & Scholas publicas erigi, & in eis Professores sacræ Doctrinæ institui, honoribus, privilegiis ac stipendiis ad munus illud invitari curavit. T. 12. Conc. p. 46. E.

Et verò, ex quo finem accepit longa illa sanctorum Patrum series usque ad S. Bernardum feliciter perducta, non alibi meliùs, quàm in Scriptis Theologorum Scholæ conservata ac propagata legitur Catholici dogmatis traditio: quod unum, si alia deessent, summam Scholasticæ Theologiæ utilitatem demonstraret.

Probatur 2. quia quidquid Positivæ Theologiæ superaddit Scholastica nostra, plurimùm confert ad rem fidei Catholicæ promovendam.

Addit. 1. genus dicendi concisum, simplex & apertum. Quis porrò negaverit, hocce dicendi genere, amputata omni verborum luxuria, veritatem pressiùs ac nitidiùs menti nostræ objici & instillari? Nec te moveat, quòd nonnulli è nostris barbaro ac inculto sermone utantur; vitium quippe istud docentis est, non doctrinæ. Quamquam, cùm artes singulæ propria quædam habeant vocabula, quibus artis hujus periti utuntur, nemo jure reprehendat Scholæ nostræ Doctores, quòd aliquos terminos usurpent ad mentem suam brevius ac clariùs exponendam aptos & idoneos; tametsi puriorem ac politiorem Latinitatem illi non redoleant.

Addit. 2. Dialecticam, quæ claram ac perspicuam suppeditat docendi methodum, cùm terminos exponit, omni sublata verborum ambiguitate & æquivocatione; statum quæstionis aperit ac figit, ne animus aliò distrahatur;

tur; definitiones, divisiones statuit, argumenta contraria dissolvit, ne aliqua in animo remaneat circa rem propositam ac probatam dubitatio & anxietas. Hæc porrò omnia, quantam disputationi lucem, quantum veritati præsidium inferant, quis non intelligit?

Immeritò sanè Novatores ex eo maximè nostram Scholasticam carpunt ac fugillant, quòd in sui subsidium Dialecticam advocet. *Dialectica quippe*, ait S. Basilius, *instar muri est dogmatibus, quòd ea non sinit facilè diripi, & quorumlibet incursioni patere.* Quin ipsimet Novatores, si qui alii, toti in dialecticis tricis & argutiis versantur cùm nos impugnant, pro more veterum Hæreticorum, qui præsentius non habuerunt errorum suorum præsidium, quàm ex vana, falsa, & sophistica Dialectica. Arius Sophistica fuit, Dialectica, loquacitate & astutia præditus, sicut observat Socrates L. 1. c. 5. Addit Sozomenus L. 1. c. 15. eum, *cùm Dialecticam apprimè calleret, nam & hujusmodi disciplinarum haudquaquam expers fuisse dicebatur, in absurdos sermones delapsum esse.* Talis fuit & Aetius, ac Discipulus ejus Eunomius, qui narrante sancto Epiphanio, hæresi 76. c. 2. *Dialecticis tricis totus dèditus, divini verbi rationem omnem quibusdam figuris explicabat.* Colligit idem S. Doctor Aetii capita quæ vocantur syllogistica; quæ qui legat, nihil esse sentiat præter contorta & aculeata sophismata. Qua ergo fronte usum dialecticæ in nobis reprehendunt Novatores, qua ipsi tam miserè abutuntur? Verùm, non alia de causa illi Scholasticam nostram tam exosam habent, quàm quòd eam suis dolis, fallaciis, Sophismatibus detegendis ac revincendis perutilem maximè ac idoneam toties experti fuerint.

Ed. Valef. p. 426. B.

T. 1. p. 913. D.

Qui legerit ea SS. Patrum Opera, qui vel Apologias pro Christianis adversùs Gentiles ediderunt, vel adversùs Hæreticos fidei nostræ placita strenuè defenderunt, facilè intelliget, quanto illis præsidio fuerit accuratæ Dialecticæ usus. Unum inter alios hìc appellabimus Augustinum necessitatis Dialecticæ vindicem & assertorem adversùs Cresconium Grammaticum L. 1. c. 13. & sequentibus, ubi ait r. Quòd temerè prorsus Dialecticam reprehendet, cùm ipse *plura subtiliter argutèque disseruerit. Si noxia sunt*, inquit, *quare hæc facis? Si non sunt, cur arguis?* 2. Quòd nemini Dialectica tanquam crimen aliquod, sit objicienda, quandoquidem & Christum & Paulum alios-que Apostolos dialecticos fuisse necesse sit confiteri. 3. Frustra objici nonnullos Dialectica abusos fuisse, *Alioqui*, ait S. Doctor L. citato c. 1. n. 2. *pro patria miles non armandus esset, quia contra patriam nonnulli arma sumpserunt; neque boni doctique medici ferramentis medicinalibus uti deberent ad salutem, quia his ad perniciem indocti pessimique abutuntur.*

T. 9. p. 398. B.

Ib. p. 350. C.

Addit. 3. Theologia Scholastica Positivæ, subtiliores aliquas, ac plerumque merè Philosophicas & de possibili quæstiones: at genus illud omne quæstionum nec omnino improbandum, nec etiam promiscuè usurpandum; sed cautè ac sobriè, prout fidei illustrandæ ac confirmandæ inservire possunt.

Certè veteres qui adversùs Hæreticos Simonianos, Valentinianos, Marcionitas, Manichæos, Arianos, Eunomianos disputarunt, coacti aliquando fuerunt illorum pervicacia, subtiliores aliquas & acutiores ejusmodi quæstiones movere; & nulla ferè est earum, quas Erasmus tanquam nænias exagitat, quæ ab aliquo ex illis veteribus Scriptoribus agitata non fuerit. Est tamen in hujusmodi quæstionibus Philosophicis sobrietas quædam cordato

Theo-

Theologo ritè obſervanda, ne ſcilicet plùs æquo illis indulgeat; atque in omni Scholaſtica concertatione leges illæ ac regulæ ſedulò retinendæ ſunt ac obſervandæ, quas in præfatione noſtra expoſuimus.

Ad hæc accedit ſuffragium ac judicium ſacræ Facultatis Pariſienſis, quæ iſtas Lutheri contra Theologiam noſtram Scholaſticam Propoſitiones Cenſura ſua confixit.

3. *Theologia Scholaſtica eſt falſa Scripturæ & Sacramentorum interpretatio, & exulem nobis fecit veram & ſinceram Theologiam.*

Cenſura. *Hæc propoſitio eſt falſa, temerariè ac ſuperbè aſſerta, ac ſanæ doctrinæ inimica.*

5. *Quo tempore cœpit Theologia Scholaſtica, id eſt illuſoria, eodem evacuata eſt Theologia Crucis, ſuntque omnia planè perverſa.*

Cenſura. *Hæc propoſitio eſt falſa, præſumptuosè & irrationabiliter aſſerta, & errori Bohemorum damnato vicina.*

6. *Libidinem corrumpendæ Scripturæ iam fermè trecentis annis patitur Eccleſia incomparabili damno ſuo à Doctoribus Scholaſticis.*

Cenſura. *Hæc propoſitio eſt falſa, ſtultè & malitioſè aſſerta.*

Dices, Scriptura & Scriptores Eccleſiaſtici prorſus rejiciunt uſum Philoſophiæ ac præſertim Dialecticæ, tanquam noxium, rixarum ac contentionum parentem: noſtra igitur Scholaſtica Theologia, quæ tota ferè in illis dialecticis tricis & argutiis verſatur, noxia potius ac pernicioſa dicenda eſt, quàm utilis, & ad veritatem detegendam ac defendendam parum idonea.

Antecedens probatur 1. ex Apoſt. Coloſſ. 2. v. 8. *Videte*, inquit, *ne quis vos decipiat per Philoſophiam & inanem fallaciam.* 2. Ex Tertulliano L. de anima cap. 1. & 3. ubi Philoſophos appellat, *animalia gloriæ & Patriarchas Hæreticorum.* Et c. 18. ait: argumentationes Philoſophicas eſſe *tormenta cruciandæ ſimplicitatis, & ſuſpendendæ veritatis.* Et L. de præſcript. c. 7. ait ipſas Hæreſes à Philoſophia ſubornari. De Ariſtotele ejuſque Dialectica ſic exclamat: *Miſerum Ariſtotelem! qui dialecticam inſtituit artificem ſtruendi & deſtruendi, verſipellem in ſententiis, coactam in conjecturis, duram in argumentis, operariam contentionum, moleſtam etiam ſibi ipſi, omnia retractantem ne quid omnino tractaverit.* Pag. 264. B. Pag. 266. B. Pag. 277. B Pag. 204. C

Eædem ſunt circa Dialecticæ uſum in rebus Theologicis querimoniæ SS. Patrum Gregorii Nyſſen. L. 2. adversùs Euno mium. Gregorii Nazianzeni Orat. 26. Hilarii L. 12. de Trinit. Ambroſii L. 1. de fide cap. 3.

Reſp. Diſtinguo ant. Scriptura & Scriptores Eccleſiaſtici reſpuunt uſum Dialecticæ, falſæ, inſidioſæ, ſophiſticæ, quæ tota eſt ad circumventionem erroris, qualem in oppugnanda veritate Religionis noſtræ uſurpabant Gentiles Philoſophi & Hæretici, concedo; reſpuunt uſum cujuſcumque Dialecticæ, nego. Ex citatis Apoſtoli verbis manifeſtum eſt, non aliam ab ipſo perſtringi Dialecticam, quàm inanem illam fallaciam, qua Simoniani, Cerinthiani aliæque hujuſcemodi peſtes fidelium animos decipere & in errorem pertrahere conabantur: *Videte*, inquit, *ne quis vos decipiat per Philoſophiam & inanem fallaciam.* At talis profectò non eſt Philoſophia & Dialectica Chriſtiana, qua noſtri Theologi commodè utuntur ut fideles præmuniant adversùs Hæreticorum hominum fraudes & ſophiſmata. *Quamvis enim*, ait S. Jo. Damaſcenus, L. de Dialectica c. 1. *veritas variis argumentorum captionibus* Ed. nov. T. 1. p. 8. C.

nibus non egeat, iis tamen adversùs eos qui improbum bellum cient... abutimur.
Dialectica igitur Hæreticorum tota est insidiosa & fallax, erroris patrona, inimica veritatis, quæ fidei nostræ dominari vult, non subservire: talem Dialecticæ usum seu potius abusum ultrò damnamus ac rejicimus. Dialectica verò Scholæ nostræ Christianæ & Catholicæ, fidei subservit tanquam ancilla dominæ ac magistræ: hanc fovet ac defendit; fallacias argumentorum, quibus oppugnatur, detegit ac revincit; errores contrarios stricta syllogismorum arte ac methodo insequitur ac comprimit: quid laudabilius? quid utilius?

Ad Scriptores Ecclesiasticos citatos resp. 1. Tertullianum virum ferventioris & austerioris ingenii paulò duriùs humanam Philosophiam & Dialecticam Aristotelis exagitasse, quòd nempe abnormem illius abusum in Hæreticis sui temporis deprehendisset. 2. Alios SS. Patres eundem etiam Hæreticorum abusum, non ipsam in se Dialecticam reprehendisse, qua ipsi tam feliciter ad defensionem fidei toties usi fuerunt. Porrò, ut ex S. Aug. antea observavimus, res in se recta & laudabilis, non idcirco rejicienda, quòd ea nonnulli abutantur: corrigendus est abusus, & res ipsa retinenda.

ARTICULUS QUARTUS.

De usu rationis & humanæ Philosophiæ in rebus Theologicis pertractandis: An, & quis ille sit admittendus.

TRiplex hìc error occurrit cautè declinandus.

Primus, eorum qui rationi in rebus fidei nihil, aut ferè nihil permittunt: ita sentire videntur Anabaptistæ.

Secundus, eorum qui plus æquo rationi in rebus fidei concedunt, cùm statuunt rationem formam esse seu regulam, ad quam fidei mysteria expendi debeant ac definiri; ita ut fides rationi sit subjicienda, non ratio fidei. Ita Manichæi, quos insequitur S. Aug. L. de utilitate credendi. Sed præsertim Sociniani, apud quos hæc est palmaris regula, nullam interpretationem sacræ Scripturæ admittendam esse, quæ vel cum sana ratione, vel cum evidenti sensuum externorum experientia pugnet. *Homo*, inquit Ostorodus L. Institutionis c. *6. non tenetur credere, quod ratio dictat esse falsum.* Et Smalzius contra Frantzium: *Si rationi*, ait, *adversaretur Religio, eo ipso Religio non esset, summa enim & ipsa ratio Religio est.* Quo principio semel posito, necesse planè est, omnia fidei mysteria quæ captum omnem humanæ rationis adeo superant, funditùs subverti & labefactari.

Tertius denique error illorum est, qui domesticum quoddam ac intestinum bellum inducunt rationem inter & fidem; & utrique suum quasi supremum tribunal ac judicium, suam utrique oppositam veritatem assignant. Ita sentiebat Pomponacius Philosophus è secta Peripatetica, quem repressit Conc. Lateranense V. sub Leone X. an. 1513. Sess. 8. Is quippe cùm docuisset ex mente Aristotelis, animam rationalem esse mortalem, atque eam ob rem reprehensus fuisset, respondit, se non ut Christianum, sed ut Philosophum locutum fuisse: Se quidem ex fide nosse ac credere animam esse immortalem, sed ex ratione ac sententia Philosophi, scire esse mortalem. Errorem hunc reno-

renovarunt Carteſius & Henricus Regius, qui in rebus Philoſophicis ea ſtatuunt placita, quæ cum dogmate fidei ſtare ſatis & conciliari non poſſunt; neque aliter à cenſura Catholicorum illi defendunt ſe ſe, quàm quòd de rebus naturalibus, ut Philoſophi ſolo lumine naturali loquantur, non ut Chriſtiani ex fide divinitus revelata. Longiùs progreſſus eſt nefarius fidei Chriſtianæ hoſtis Benedictus Spinoſa in ſuo Tractatu Theologico-politico, ubi docet, *neque Theologiam, hoc eſt fidem, rationi; neque rationem Theologiæ ancillari*; eoſque planè falli, tùm qui Scripturam rationi, tùm qui rationem Scripturæ accommodant; cùm ſuum unicuique ſit regnum, ſuum jus, neutrum neutri obnoxium. Addit, *inter fidei dogmata plurima eſſe quæ nec umbram veritatis habeant . . . . nullaque dogmata ad fidem Catholicam pertinere, de quibus inter honeſtos viros poſſit dari controverſia.*

Obſerva 1. aliud eſſe humanam rationem eſſe organum ſeu inſtrumentum quo fides aptè utitur ad ſui defenſionem & conſervationem; & aliud, illam eſſe regulam ſeu normam ad quam res fidei expendi & æſtimari debeant. Prius verum eſt, poſterius falſum & hæreticum.

Obſerva 2. hæc duo valdè diſtincta eſſe, nempe rem aliquam eſſe contra, vel eſſe ſupra fidem. Prius arguit pugnam & oppoſitionem contrariæ veritatis fidem inter & rationem: poſterius deſignat dumtaxat, ex una parte ſublimitatem & altitudinem inacceſſam myſteriorum fidei; & ex altera, tenuitatem & ignorantiam humanæ mentis. His poſitis ſit

PRIMA CONCLUSIO.

In rebus fidei ac Theologicis admitti debet humanæ rationis ac Philoſophiæ uſus, modò legitimus ſit ac intra debitos fines ſe contineat.

Affinis prorſus eſt iſthæc Concluſio duabus præcedentibus, iiſdemque argumentis probatur, & impugnatur objectionibus. Quippe ſi toti Eccleſiæ ſimpliciter neceſſaria eſt Theologia quoad ſubſtantiam ſpectata: ſi ratione modi, ſeu prout Scholaſtica methodo traditur, plurimùm utilitatis habet, neceſſe prorſus eſt, uſum aliquem rectum & legitimum humanæ rationis ac Philoſophiæ in rebus Theologicis admittere: neque enim ſine ope ac præſidio humanæ rationis, Theologus poteſt adire fontes ex quibus Theologia ſua argumenta depromit: non poteſt unum Scripturæ textum cum alio, verſiones cum primigenio textu comparare; Traditionem Conciliorum & SS. Patrum conſulere; unum ex alio legitima conſecutionis forma inferre; diſtinguere certa ab incertis, naturalia à ſupernaturalibus, revelata à non revelatis; Hæreticorum argutias & ſophiſmata diluere: denique non poteſt fidei obices ex animo infidelium removere, expellere præjudicia, motiva credibilitatis, ut pars eſt, exponere, & à vanis Hæreticorum hominum exceptionibus vindicare.

Neque verò Scriptura, uſum rationis in perſcrutanda fide rejicit, imò conſulit ac præcipit. Rom. 12. v. 2. & 3. *Nolite conformari huic ſeculo, ſed reformamini in novitate ſenſus veſtri: ut probetis quæ ſit voluntas Dei bona & beneplacens & perfecta. Dico enim . . . . . non plus ſapere quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem.* Epheſ. 5. v. 9. *Ut filii lucis ambulate, probantes quid ſit*

ſit beneplacitum Deo. 2. Corinth. 13. v. 5. *Vosmetipſos tentate ſi eſtis in fide : ipſi vos probate.* 1. ad Theſſal. 5. v. 20. & 21. *Prophetias nolite ſpernere. Omnia autem probate: quod bonum eſt tenete.* 1. Joan. 4. v. 1. *Chariſſimi, nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſint; quoniam multi Pſeudoprophetæ exierunt in mundum.* Inde eſt quòd Chriſtus Joan. 5. v. 39. Judæos remittit ad ſcrutandas Scripturas: *Scrutamini Scripturas . . . illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me.* Denique Act. 17. v. 11. Judæi Beroenſes *qui ſuſceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie ſcrutantes* (erant) *Scripturas, ſi hæc ita ſe haberent.* Omni rationis ſenſu deſtitutus ſit oportet, qui contenderet hæc omnia fieri poſſe ſine ope ac præſidio humanæ rationis.

S. Aug. L. de vera Religione c. 24. ſuum auctoritati, & quidem præcipuum; ſuum & rationi locum eſſe in rebus ad Religionem pertinentibus affirmat his verbis: *Quamobrem ipſa quoque animæ medicina, quæ divina pro-*
T. 1. p. 762. A. *videntia & ineffabili beneficentia geritur, gradatim diſtinctèque pulcherrimæ eſt. Diſtribuitur enim in auctoritatem atque rationem. Auctoritas fidem flagitat, & rationi præparat hominem. Ratio ad intellectum cognitionemque perducit. Quamquam neque auctoritatem ratio penitus deſerit, cùm conſideratur cui ſit credendum.*

Ibid. D. Et cap. ſequenti 25. *Noſtrum eſt*, inquit, *conſiderare quibus vel hominibus vel libris credendum ſit ad colendum rectè Deum, quæ una ſalus eſt. Huius rei prima diſceptatio eſt, utrum iis potiùs credamus, qui ad multos Deos, an iis qui ad unum Deum colendum nos vocant. Quis dubitet eos potiſſimùm ſequendos, qui ad unum vocant; præſertim, cùm illi multorum cultores, de hoc uno Domino cunctorum & rectore conſentiant?* L. de moribus
Ibid. p. 704. E. Eccleſiæ Catholicæ c. 25. ait: nihil in *Eccleſia Catholica ſalubrius fieri, quàm ut rationem præcedat auctoritas.* Rationem non excludit S. Doctor, ſed rationi auctoritatem præire debere contendit.

Dices 1. Si rationi aliquid in fide permittitur, ergo fides ex ſeſe certam non habet auctoritatem, cùm alterius ope & auxilio indigeat.

Reſp. nego conſequentiam. Humana quippe ratio non eſt cauſa ſeu motivum formale propter quod fides ſuſcipitur, ſed eſt tantùm, ut diximus in prænotatis, organum ſeu inſtrumentum quo fides ipſa utitur, ut ſuadeatur, nutriatur, roboretur, ac defendatur: ipſa verò Dei revelatio eſt vera cauſa movens; Eccleſiæ autem auctoritas res revelatas proponens ad credendum, eſt cauſa dirigens ad fidem. Uno verbo, ratio debet fidei ſubjici & mancipari, non fides rationi. Iſta ſerva eſt & ancilla, illa domina & magiſtra, cui ratio in omnibus obtemperare debet, nuſquam obloqui.

Inca ſſum hìc opponerentur varia Scripturæ & SS. Patrum teſtimonia, quibus unicè in rebus fidei auctoritatis neceſſitatem adſtruunt & commendant; qualia ſunt iſta Joan. 20. v. 29. *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Hebr. 11. v. 1. *Fides eſt argumentum rerum non apparentium.* 2. Cor. 10. v. 5. *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti.* Quibus adſti-
T. 3. p. 2. pag. 558. F. pulantur S. Ambroſius L. 1. de Sacramentis, & L. de fide c. 5. ubi ait: *Tolli argumenta, ubi fides quæritur.* Et S. Aug. Tract. 40. in Joan. *Credimus*, ait,
Ibid. p. 700. E. *ut agnoſcamus; non cognoſcimus ut credamus.* Et Tract. 79. *Hæc eſt laus fidei, ſi quod creditur, non videtur; nam quid magnum eſt, ſi id creditur, quod videtur?* Fruſtra, inquam, hæc nobis opponerentur, quæ hoc unum evincunt quod

quod ultrò fatemur, nempe, auctoritatem Dei revelantis & Ecclesiæ proponentis res à Deo revelatas, formale esse motivum fidei nostræ; humanam verò rationem, esse dumtaxat organum seu instrumentum quo utitur Theologus, ut res in Scripturis & Traditione revelatas deprehendat, & adversùs Hæreticos, momentis ex hoc sacro & infallibili fonte deductis, defendat ac tueatur.

Cùm igitur Apostolus jubet captivandum intellectum in obsequium fidei, non idcirco excludit judicandi, sed tantùm contradicendi facultatem. Sana etenim ratio dictat, Deo loquenti statim obsequium mentis exhibendum esse, nunquam obloquendum, tametsi ea non intelligamus quæ nobis à Deo revelantur.

Dices 2. S. Aug. Lib. de moribus Ecclesiæ Catholicæ Manicheos redarguit ac confutat, quòd humanam rationem in rebus fidei dignoscendis sociam advocarent; ergo censet S. Doctor, humanæ rationis usum à rebus fidei & Religionis omnino excludendum esse.

Resp. distinguo ant. S. Augustinus Manichæos redarguit, quòd humanam rationem sociam advocarent in rebus fidei dignoscendis, tanquam judicem ac regulam ad quam res fidei expendi & æstimari debeant, & quæ auctoritati quodammodo anteponenda sit, concedo: tanquam administram & suo modo adjutricem, seu tanquam instrumentum fidei subserviens eique prorsus subditum, nego. Porrò, Manichæorum, inter alios multos, hic error erat, quòd vellent in rebus ad fidem & Religionem pertinentibus, primas partes rationi esse adscribendas; ac priùs ex rationis judicio quæ credenda sunt, esse definienda, quàm ipsis fides habeatur. *Naturæ quidem ordo ita se habet*, inquit S. Doctor L. de Moribus Ecclesiæ Catholicæ c. 2. *ut cùm aliquid discimus, rationem præcedat auctoritas... sed quoniam cum iis nobis res est, qui omnia contrà ordinem & sentiunt, & loquuntur, & gerunt; nihilque aliud maximè dicunt, nisi rationem priùs esse reddendam.* T. 1. p. 688. C.

Dices 3. Humana ratio ita infirma est, tenuis, ac tantis tenebris involuta, ut planè cæcutiat in rebus divinis perscrutandis; unde meritò Ecclesiastici 3. v. 22. dicitur: *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris; sed quæ præcipit tibi Deus, illa cogita semper, & in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus.* Et Tertull. L. de Præscriptionibus c. 8. *Nobis*, inquit, *curiositate opus non est post Christum Jesum, nec inquisitione post Evangelium. Cùm credimus, nihil desideramus ultrà credere; hoc enim priùs credimus, non esse quod ultrà credere debeamus.* Igitur usus rationis non tantùm videtur inutilis in perquirendis fidei nostræ mysteriis, sed etiam noxius ac pernicios us. Pag. 205. A.

Resp. Nego consequentiam. Inde quidem rectè sequitur, quod mox demonstraturi sumus, rationem humanam non esse judicem & arbitram fidei; nec ejus judicio fidei nostræ capita definienda esse: at non sequitur planè inutilem esse, multò minùs noxium ejus usum, quando sese intra fines sibi præscriptos modestè continet; hoc est, quando fidei prona obsequitur, nec supra illam superbiùs sese extollit, temerè rejiciens ea quæ sunt revelata, eò quòd non satis illa comprehendat. Procul ergo studium illud rimandi res divinas inquietum, curiosum, fidei infensum, quale in Hæreticis deprehenditur; non illud rectum, modestum, ac fidei subditum, quod

Catho-

Catholicorum proprium est. Etsi enim infirma sit ac tenuis humana ratio, non tamen omnino extincta; nec penitus intercludi debet ipsius usus in rebus Theologicis. Verùm, quantò major est rationis infirmitas & ad errandum propensio, eò magis indiget superiori lumine fidei, ut ab errore se defendat. *Nam infirma ratio*, inquit S. Aug. L. 1. de moribus Eccl. Catholicæ c. 2. n. 3. *videri potest, quæ cùm reddita fuerit, auctoritatem postea, per quam firmetur, assumit.*

T. 1. p. 688. C.

Non alius est sensus Tertulliani in objectione laudati: non omnem ille damnat aut rejicit à rebus Theologicis rationis usum, quo tam feliciter ipse aliquando usus est; sed inordinatum & curiosum, qui fidem suo quasi supremo judicio subjiciat.

Dices 4. Ex S. Gregorio Magno Hom. 26. in Evangelia: *Fides amittit meritum, ubi ratio præbet experimentum.* Ergo ut suum fidei meritum servetur, rejici debet in rebus fidei dignoscendis humanæ rationis usus.

Resp. Distinguo ant. Si fidei credatur propter evidentiam rationis tanquam motivi, concedo: Si fidei credatur propter auctoritatem Dei revelantis, nego. Porrò credimus rebus à Deo revelatis, non propter evidentiam rationis, sed propter auctoritatem Dei, qui suprema veritas est, revelantis, quæ certè suam mysteriis revelatis obscuritatem & inevidentiam non adimit.

SECUNDA CONCLUSIO.

Humana ratio fidei subjici debet, non præponi; ei subservire, non dominari: adeoque Religionis Christianæ mysteria non sunt ad legem & normam rationis exploranda & definienda.

Probatur 1. Ex Scripturis triplici invicto argumento.

Primum petitur ex iis locis quæ declarant res fidei esse per se se obscuras & inevidentes, quæ nec sensu, nec ratione, sed una Dei revelatione cognosci possunt. Heb. 11. v. 1. *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Id est fundamentum rerum quas speramus, & convictio rerum quæ latent & obscuræ sunt. Hinc 1. Corinth. 13. v. 12. Apostolus ait: *Videmus nunc per speculum & in ænigmate.* Ab ista lege se exceptos volunt Sociniani, *qui nisi clarè mysteria percipiant*, non recipiunt. Et cap. 2. ejusdem Epist. v. 4. & seq. *Sermo meus*, ait idem S. Paulus, *& prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ Verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis; ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei .... sed loquimur Dei sapientiam in mysterio quæ abscondita est.* Quàm longè distat sapientia Novatorum planè humana ab illa Dei sapientia, quæ tota in mysterio est abscondita! Illi, ut olim Thomas Apostolus, *nisi viderint, non credunt*: at judice ipsomet Christo, Joan. 20. v. 29. *Beati qui non viderunt & crediderunt.*

Atque exilla fidei nostræ inevidentia & nativa obscuritate Scriptura colligit, sola Dei revelatione mysteria Religionis Christianę dignosci posse. Mat. 16. v. 17. postquam S. Petrus solemniter professus est Christum esse Filium Dei, statim Christus subjungit: *Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro & sanguis*

non

non revelavit tibi, ſed Pater meus qui in cælis eſt. Et cap. 11. v. 27. Chriſtus ait: *Nemo novit Filium, niſi Pater: neque Patrem quis novit, niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare*. Atque hinc gratiæ neceſſitas ut rebus revelatis obſcuris & inevidentibus aſſenſus mentis præbeatur. *Dominus meus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico*, ait Iſaias c. 50. v. 5. & David Pſal. 118. v. 18. *Revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua*. Hinc iſtud Apoſtoli votum pro Epheſiis in ſua ad illos Epiſtola c. 1. v. 16. & 17. *Non ceſſo*, inquiebat, *gratias agens pro vobis, memoriam veſtri faciens in orationibus meis: ut Deus Domini noſtri Jeſu Chriſti pater gloriæ, det vobis ſpiritum ſapientiæ & revelationis in agnitione ejus; illuminatos oculos cordis veſtri, ut ſciatis quæ ſit ſpes vocationis ejus*.

Secundum argumentum colligitur ex iis locis, quæ declarant myſteria fidei altiora eſſe, & ſupra omnem rationis humanæ captum longiùs poſita, quàm ut ab ea poſſint attingi.

Eccleſiaſtici 3. v. 22. & ſeq. *Altiora te ne quæſieris: & fortiora te ne ſcrutatus fueris: ſed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper, & in pluribus operibus ejus ne fueris curioſus. Non eſt enim tibi neceſſarium, ea quæ abſcondita ſunt, videre oculis tuis*. Et mox . . . . . *plurima enim ſuper ſenſum hominum oſtenſa ſunt tibi. Multos quoque ſupplantavit ſuſpicio illorum, & in vanitate detinuit ſenſus illorum*. Memorabile eſt iſtud Salomonis Proverb. 25. v. 27. *Qui ſcrutator eſt majeſtatis, opprimetur à gloria*. 1. Corinth. 2. v. 14. *Animalis homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei: ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere*. Etc. 3. v. 18. *Nemo ſe ſeducat: ſi quis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc ſæculo, ſtultus fiat ut ſit ſapiens. Sapientia enim hujus mundi, ſtultitia eſt apud Deum*. Denique Matth. 11. v. 25. *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli & terræ*, ait Chriſtus, *quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis*.

Neque porrò mirum videri debet, quòd tenuis & infirma noſtra ratio, abſtruſa & ab omni mentis captu remota Religionis myſteria intelligere non poſſit, cùm nec mentem ipſam, cujus ratio eſt, nec unionem animæ cum corpore, nec alia penè infinita naturalis ordinis, certò cognoſcere & explicare poſſit. Quod etſi experientia ipſa non teſtaretur, Spiritus ſanctus in Scripturis aperte declaravit. Eccleſ. c. 3. v. 11. *Mundum tradidit diſputationi eorum, ut non inveniat homo opus quòd operatus eſt Deus ab initio uſque ad finem*. Et c. 8. v. 17. *Intellexi quòd omnium operum Dei nullam poſſit homo invenire rationem, eorum quæ fiunt ſub ſole, & quantò plus laboraverit ad quærendum, tantò minus inveniat*.

Tertium argumentum colligitur ex ipſa humanæ rationis infirmitate ac cæcitate in rebus fidei dignoſcendis: unde omnino neceſſe eſt ut ſe ſe imperio fidei prona ſubjiciat, priùſque credat, quàm valeat intelligere. Epheſ. 4. v. 17. *Hoc igitur*, inquit Apoſt. *dico ut non ambuletis, ſicut & Gentes ambulant in vanitate ſenſus ſui, tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei, per ignorantiam quæ in illis eſt*. Et c. 5. v. 8. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*. Rom. 8. v. 7. *Sapientia carnis inimica eſt Deo*.

Ergo captivandus eſt intellectus in obſequium fidei. Quam conſequutionem diſertè idem Apoſt. admittit 2. Corinth. 10. v. 4. *Arma militiæ noſ-*

træ, inquit, *non carnalia sunt, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se adversùs scientiam Dei; & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Inde est quòd Isaias c. 7. v. 9. juxta septuaginta Interpretes dicat: *Nisi credideritis, non intelligetis.* Et Apost. Hebr. 11. v. 6. *Accedentem ad Deum credere oportet, quia est.* Fides ergo præcedere debet, sine qua vix quidquam de Deo intelligere, ac tutò disserere possumus.

Reponunt Sociniani, his testimoniis rectè confici necessariam esse fidem, in rebus inevidentibus, quæ clarissimè proponuntur in Scripturis, nec ullam involvunt manifestam contradictionem: ea verò quæ manifestè pugnant cum ratione, qualia sunt mysteria Trinitatis, Incarnationis, peccati originalis &c. nec pro revelatis habenda esse, nec fidem nostram exigere.

At misera prorsus evasio seu illusio! Quid enim controvertitur inter nos? an scilicèt pertineat ad rationem, judicare quæ sint mysteria revelata, adeoque credenda vel non. Regula Socinianorum ista est, nempe pro revelatis non esse habenda, quæcunque ratio pronunciat repugnare, ac contradictionem involvere. Itaque statuunt humanam rationem judicem revelationis, atque adeo & fidei; cùm ad illam pertineat judicare quænam repugnent, vel non. Athoc ipsum est quod damnant laudata Scripturæ testimonia: Sociniana igitur responsio, mera est illusio ac petitio principii.

Probatur 2. Conclusio ex SS. Patribus, quorum in re præsenti concors est ac unanimis sententia.

Tertullianus antea citatus L. de Præscript. c. 8. *Cùm credimus*, inquit, *nihil desideramus ultrà credere: hoc enim priùs credimus, non esse quod ultrà credere debeamus.* Et L. de de anima c. 1. *Cui veritas*, ait, *comperta est sine Deo? Cui Deus cognitus sine Christo? Cui Christus exploratus sine Spiritu sanctо? Cui Spiritus sanctus accommodatus sine fidei Sacramento?*

Pag. 205. A.

Pag. 264. B.

S. Irenæus L. 2. adversùs Hæres. c. 28. aliàs 49. Valentinum, Basilidem & alios qui *altitudines Dei*, ut loquitur, *exquisisse se dicunt*, eo argumento sic reprimit. *Si autem ea quæ in manibus sunt, & ante pedes, & in oculis, & terrenis, & præcipuè dispositionem capillorum capitis sui, nondum sciunt ii qui sunt perfecti, quemadmodum eis de spiritualibus, & supercœlestibus, & de his quæ super Deum vana persuasione confirmant, credemus?* Familiare est istud apud SS. Patres ex rerum naturalium ignorantia ductum argumentum, quo maximè retundunt ac reprimunt temerariam eorum hominum superbiam, qui Dei mysteria rimari præsumunt, eaque, nisi intelligant, respuunt.

Ed. nov. p. 159. ed. 1.

S. Athanasius in illud Matt. 11. v. 17. *Omnia mihi tradita sunt*: exponens ista verba: *Nemo cognoscit Patrem nisi Filius &c. Quid igitur*, inquit, *impii his de rebus quas scrutari nefas est, effutire non verentur: illi, inquam, qui & homines sunt, nec vel ipsam rerum terrestrium naturam possunt evolvere? Imò, quæ vel ipsos spectant, ipsi explicent nobis, num videlicet suam ipsorum naturam percipere queant?* Et Epistola ad Serapionem Episcopum eosdem sic insequitur. *O stulti, atque ad omnia audaces atque præcipites! quare non potiùs sanctam Trinitatem curiosè scrutari definitis eamque esse dumtaxat creditis? Magistrum Apostolum hac in re imitati, cujus hæc sunt verba: Credere enim oportet primùm Deo, quia est.*

Ed. nov. T. 1. p. 1. p. 107. n. 5.

Ib. p. 2. pag. 666. n. 18.

S. Hila-

S. Hilarius L. 2. de Trinit. n. 9. Arianos divinam Verbi generationem eo maximè impugnantes, quòd exponi satis & explicari non posſit, argumento ex humana generatione, cujus modus ignoratur, deducto ſic refellit : *Quæro*, inquit, *unde iſta iis quos genores indulgeas, qualiter ſenſum inferas, oculos accendas, cor affigas. Hæc, ſi potes, enarra. Habes ergo quæ neſcis, & tribuis quæ non intelligis: æquanimiter imperitus in tuis, inſolenter in Dei rebus ignarus.* Ed. nov. p. 794. A. B.

Denique S. Aug. ut alios innumeros omittamus, Tract. 40. in Joan. n. 9. *Credimus*, inquit, *ut agnoſcamus ; non cognoſcimus ut credamus .... Quid eſt enim fides? niſi credere quod non vides.* Et tract. 79. n. 1. *Hæc eſt laus fidei, ſi quod creditur, non videtur : nam quid magnum eſt ſi creditur quod videtur?* Eò tendit ſententia D. Gregorii ſuperiùs adducta : *Fides non habet meritum, ubi ratio præbet experimentum.* Et L. de Moribus Eccleſiæ Cath. c. 25. nu. 46. *Nihil ſalubriùs in Eccleſia Catholica fieri, quàm ut rationem præcedat auctoritas.* Libro denique 2. de libero arbitrio c. 2. num. 6. *Niſi*, ait, *aliud eſſet credere, & aliud intelligere, & primò credendum eſſet quod magnum & divinum intelligere cuperemus, ſruſtra dixiſſet Propheta, Niſi crediderit, non intelliget.* T. 3. p. 2. pag. 568. F. Ib. pag. 700. n. 1. T. 1. p. 704. E. Ib. pag. 576. F.

SS. Patrum veſtigia preſſiùs ſequitur D. Thomas. *Cùm gratia*, inquit, 1. p. q. 1. ar. 8. ad 2. *non tollat naturam ſed perficiat, oportet quòd naturalis ratio ſubſerviat fidei: ſicut & naturalis inclinatio voluntatis obſequitur charitati, unde & Apoſt. dicit* 2. ad Cor. 10. *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti.*

Quæ hactenus à nobis prolata ſunt, tùm ex Scripturis, tùm ex SS. Patribus teſtimonia, cauſas & rationes exponunt, cur fidei myſteria non ſint ad legem & normam humanæ rationis definienda. 1. Propter ignorantiam & cæcitatem humanæ mentis, etiam in rebus ipſis naturalibus cognoſcendis: quantò magis in divinis? 2. Propter altitudinem & ſublimitatem myſteriorum Dei, quæ humana ratio perſcrutari non poteſt. 3. Propter naturam ipſam fidei, quæ tota eſt obſcura & inevidens; obſequium mentis exigit, non curioſam cognitionem. 4. Propter meritum fidei & obedientiæ, quod nullum eſſet, ſi quæ ad credendum proponuntur, per ſe ſe clara forent & manifeſta.

Dices 1. Rom. 12. v. 1. Apoſtolus vocat obſequium quod fidei debetur, rationabile. *Obſecro vos, Fratres, per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum.* Ratio igitur eſt quaſi fundamentum ac principium fidei.

Reſp. Nego conſequentiam. Litterali quippe ſenſu, obſequium illud rationabile, cultus eſt mentis interior ac planè ſpiritalis, quem Apoſtolus opponit cultui Judaico, qui totus materialis erat in mactatione & ſanguine victimarum poſitus. Vox quippe græca, quæ per, *obſequium*, in vulgata noſtra redditur, cultum ſignificat De quo ſpiritali cultu ſeu obſequio ac demiſſione mentis loquitur Chriſtus Joan. 4. v. 23. *Venit hora & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate.* In ſpiritu, non in figuris ac victimis corporeis, ut Judæi: in veritate, non falſo & erroneo cultu, ut Samaritani.

Quamquam & obſequium quod fidei damus, meritò rationabile dicitur,

non eo quidem ſenſu, quòd ratio ſit fidei norma, principium ac fundamentum, abſit: ſed quòd nihil eſt rationi tam conſentaneum, quàm iis myſteriis acquieſcere; tametſi obſcura ſint ac nos lateant, quæ nobis à Deo, qui nec falli poteſt nec fallere, revelata ſunt, & ab Eccleſia ad credendum, proponuntur, quæ tot prodigiis ac miraculis firmata ſunt; tot Martyrum ſanguine obſignata; tam univerſo populorum omnium conſenſu recepta. Unde meritò exclamabat S. Auguſt. L. 22. de Civit. Dei c. 8. nu. 1. *Quiſquis adhuc prodigia ut credat inquirit, magnum eſt ipſe prodigium, qui mundo credente non credit.* T. 7. p. 663. A.

Dices 2. Scriptura multiplicem rationis uſum aſſignat & commendat, ut patet ex teſtimoniis Concluſione prima relatis: ſed ille uſus in eo maximè reponendus videtur, ut ratio ſit fidei judex & arbitra; ergo &c.

Reſp. Diſtinguo majorem. Scriptura multiplicem aſſignat & laudat in rebus Theologicis uſum rationis, tanquam organi ſeu inſtrumenti quo fides gignitur, nutritur, roboratur, defenditur, concedo: tanquam fundamenti, principii, ſeu motivi quo ad credendum mens humana movetur & determinatur, nego.

Inſtabis 1. Ex dictis Concluſione 1. Ad rationem pertinet detegere quæ ſunt revelata, eaque ſecernere à non revelatis: ſed iſtud exequi ratio non poteſt, niſi aliquod in res fidei judicium exercendo; ergo ipſi judicium aliquod in res fidei tribui debet.

Reſp. Diſtinguo minorem. Niſi judicium aliquod in res fidei exercendo, diſcretionis, examinis & diſcuſſionis, concedo: judicium deciſionis exauctoritate, nego. Ad fidem quippe veluti quoddam prævium ac præambulum eſt ſcire quæ ſunt à Deo revelata in verbo Dei ſcripto vel tradito; qua in re valet plurimùm rationis induſtria, Scripturas perſcrutando, verſiones cum fontibus, textum cum textu conferendo; &c.

At ratio, quæ revelationem in Scripturis detegit, non eſt principium ſeu motivum formale aſſenſus qui datur rebus à Deo revelatis; ſed eſt ipſamet Dei revelantis & Eccleſiæ proponentis auctoritas. Quemadmodum v. g. ſi quis Juriſconſultus Legem aliquam è tenebris, quibus conſepulta jacebat, erueret, eique obtemperandum eſſe contenderet; motivum ſeu ratio obedientiæ non eſſet Juriſconſultus qui legem detexit, ſed auctoritas Legislatoris qui legem tulit & promulgavit. Eſto igitur concedatur rationi aliquod in res Theologicas judicium, non repugnamus, modò judicium illud non ſit deciſionis ex auctoritate, quaſi fides ad normam rationis foret exigenda; ſed ſit tantummodo judicium diſcretionis & examinis, quo præſuppoſito, ſuprema rei revelatæ aut non revelatæ definitio ad Eccleſiam deferri debet. Rationem autem hìc intelligimus, non cæcam illam & corruptam per peccatum: *Animalis* enim *homo non poteſt percipere quæ ſunt Dei*. 1. Cor. 2. v. 14. Sed rectam & ſanatam per gratiam. Quo ſenſu ibid. v. 15. dicitur, *Spiritualis homo judicat omnia*. Unde Apoſtolus ipſe provocat ad judicium fidelium: *Ut prudentibus loquor*, ait c. 10. v. 15. *Vos ipſi judicate quod dico*.

Inſtabis 2. Proprium eſt rationis, ferre judicium de concluſionibus ex principiis fidei conſequentibus: v. g. iſta, Chriſtus duplici conſtat natura, divina ſcilicet & humana; ergo duas habet voluntates. Atqui ſic diſcurrendo,

tendo, verum, & quidem decisionis judicium exercet in rem fidei; conclusio enim hæc pertinet ad fidem.

Resp. Distinguo majorem. Proprium est rationis ferre judicium de conclusionibus ex principiis fidei consequentibus, ratione connexionis conclusionis cum antecedentibus; seu ratione consequentiæ, concedo. Quia pertinet ad rationem ope Dialecticæ discernere ac judicare, utrum legitima sit conclusio & rectè inferatur ex principiis. Ratione consequentis, subdistinguo: quatenus consequens in principiis continetur, & ex illis rectè infertur, concedo: quatenus consequens revelatum est à Deo, nego.

Distinguo min. Atqui sic discurrendo verum decisionis judicium exercet in connexionem consequentis cum antecedente, concedo: in ipsum consequens, subdistinguo: quatenus infertur ex antecedente, concedo; quatenus est à Deo revelatum, nego. Rectè distinguit S. Aug. L. 2. de Doctrina Christiana c. 34. veritatem sententiæ, & veritatem connexionis. Fidei sententias dictat nobis in Scripturis divina revelatio, quæ simpliciter credi debent propter auctoritatem Dei revelantis, tametsi mentis nostræ captum longè superent; at veritatem connexionum apprehendit ipsa recta ratio, cujus est judicare quid ex altero sequatur legitimè: consequenti verò quòd est à Deo revelatum, non credit ex eo præcisè, quòd ex antecedente legitima syllogismorum forma deducatur, sed quòd sit revelatum à Deo.

Instabis 3. In illis syllogismis, in quibus una ex præmissis certa est ex fide, altera verò ex ratione, conclusio est de fide: v. gr. in isto syllogismo, Omnis homo verus habet animam immortalem: Christus est homo verus; ergo habet animam immortalem. Atqui motivum assensus qui datur huic conclusioni, est ipsa ratio, quæ discurrendo cognoscit conclusionem necessariò sequi ex præmissis in quibus continetur.

Resp. 1. Nego maj. Conclusio enim illa, prout conclusio est Theologica & per discursum ex præmissis infertur, non est de fide; quia sic considerata non nititur motivo formali fidei, divina nempe revelatione, sed humano discursu. In his igitur syllogismis, ratio non est fundamentum, sed motivum quo consequens à Deo revelatum nititur; sed est tantùm medium seu instrumentum, cujus opera elicitur veritas in præmissarum altera delitescens & virtualiter contenta.

Resp. 2. Distinguo min. Motivum assensus qui datur huic conclusioni, quatenus conclusio est mediante discursu ex præmissis educta, est ratio, concedo: quatenus in præmissis continetur & est virtualiter saltem revelata, nego. Distingui sedulò debet ratio consequentiæ & ipsum consequens: consequens deprehenditfides, consequentiam ratio. Nec inde sequitur, fidem, qua consequens deprehenditur niti ratione: quia ratio hic non est argumentum, sed instrumentum. Ut cùm dicitur fidem esse ex auditu; auditus non est argumentum fidei, sed conditio, seu instrumentum.

Dices 3. Christus ipse & Apostoli, ipso rerum naturalium exemplo, nonnullis adductis parabolis, fidei mysteria confirmant; ergo natura ipsa argumenta subministrat, quibus fidei veritas demonstratur.

Resp. Aliud esse, doctrinam fidei ex natura haurire; aliud, doctrinam

jam cognitam aliquo modo illustrare, vel docendi occasionem ex natura arripere. Posterius in parabolis Christi agnoscimus, non prius. Nec enim per parabolas mysteria sua expresse probavit; sed tantùm illustravit, ut faciliùs perspicerentur.

Dices 4. Nisi ratio sit regula fidei, nusquam poterit Religio Christiana Philosophis gentilibus suaderi.

Resp. Nego ant. Sunt etenim plurima, & quidem splendida & invicta credibilitatis motiva, quibus suadetur Religio Christiana. Cùm igitur Gentiles ad fidem adducere conamur 1. Removenda sunt ab eorum animis præjudicia, quibus invisam habent Religionem Christianam. 2. Exponenda omnia motiva credibilitatis: tum ipsa intima fidei principia referanda, & primùm ea quæ ad mores pertinent; ac probandum, ea rectè cum sana ratione conciliari, cùm & ipsimet gentiles Philosophi eorum plurima laudaverint & admiserint: tùm denique, proponenda quæ sunt ad credendum necessaria; & quantùm fieri potest nonnullis exemplis ex natura & ipsa etiam Gentilium Theologia ductis, utcumque illustranda.

TERTIA CONCLUSIO.

Ratio & fides non pugnant inter se; neque fides est contra, sed supra aut præter rationem.

Fidem esse supra rationis captum, res est tam certa & clara ex jam dictis, ut nova probatione non indigeat. Fidem & rationem mutuam sibi opem ferre; illustrari fidem à ratione, defendi, roborari; rationem per fidem ab errore liberari, confirmari, perfici, abundè constat ex dictis Conclusione 1.

Probatur itaque fidem & rationem inter se non pugnare; quia cùm una sit ac simplex veritas, cujus auctor Deus, impossibile est illud falsum per rationem demonstrari, quod certissima fide constat esse verum. Aliàs de uno & eodem objecto duo simul contradictoria enunciari possent, quod implicat: de eodem siquidem diceretur, quòd esset, & non esset; contra effatum istud per se clarissimum, *impossibile est idem simul esse & non esse*. Neque verò in mentem suam unquam inducet homo Christianus, Deum fidei ut & rationis parentem, intestinum illud ac domesticum rationem inter & fidem dissidium inducere voluisse, quo mens humana in errorem certissimè induceretur, qui proinde in Deum ipsum tanquam in auctorem refundi posset.

Nostrum non est istud argumentum, sed Concilii Lateranensis V. sub Leone X. an. 1513. Sess. 8. ubi proscripta fuit sententia Pomponacii superiùs memorata. *Cùm verum vero minimè contradicat*, ajunt Patres Lateranenses, *omnem assertionem veritati illuminatæ fidei contrariam, omnino falsam esse definimus, & ut aliter dogmatizare non liceat districtiùs inhibemus: omnesque hujusmodi errorris assertionibus inhærentes, veluti damnatissimas hæreses fœminantes, per omnia, ut detestabiles & abominabiles Hæreticos & Infideles, Catholicam fidem labefactantes, vitandos & puniendos fore decernimus*. Lege Spondanum ad an. Christi 1513. nu. 20.

T. 14. Conc. p. 187. E.

T. 2. p. 308.

At, inquies, nonne duplex distingui potest veritatis ordo: unus scilicet naturalis seu rationis, alter verò supernaturalis seu fidei? Ac licèt sua unicuique ordini

ordini constet veritas; & quidem una simplex & minimè sibimetipsi contraria; attamen nihil obstare videtur, quominus veritas unius ordinis non cohæreat, sed pugnet cum veritate alterius.

Resp. Falsò prorsus supponi duplicem esse de eodem objecto veritatem, pro duplici rerum ordine, à quo idem objectum consideratur. Est quippe una & simplex illius veritas; licèt non uno, sed duplici motivo attingatur. Motivum autem seu lumen humanæ rationis, cùm sit errori obnoxium, superiori lumini fideisubjici debet, ac per illud corrigi & emendari: sicut ergo gratia naturam non destruit, sed perficit; ita nec fides rationem, nec ratio fidem labefactat; imò mutuam, ut jam diximus, sibi opem ferunt. Quòd si humana ratio in fidem aliquando petulantiùs insurgat, eamque impugnare videatur, profectò non vera, non sana dicenda illa est, sed falsa & vitiata. Ita S. Aug. Ep. 143. aliàs 7. ad Marcellinum n. 7. *Si ratio*, inquit, *contra divinarum Scripturarum auctoritatem redditur, quamlibet acuta sit, fallit verisimilitudine; nam vera esse non potest. Rursus si manifestissimæ certæque rationi velut Scripturarum sanctarum objicitur auctoritas, non intelligit, qui hoc facit; & non Scripturarum illarum sensum, ad quem penetrare non potuit, sed suum potius objicit veritati: nec quod in eis, sed quod in se ipso velut pro eis invenit, opponit.* T. 2. p. 466. D. Et Epist. ad Consentium 120. c. 1. aliàs 122. *Illa* (ratio) inquit, *quæ persuasit, in ea Trinitate quæ Deus est, Filium Patri non esse coæternum, vel alterius substantiæ . . . . non ideo quia ratio est, sed quia falsa ratio est, cavenda & detestanda dicenda est.* Ib. p. 348. D.

Audis ex S. Aug. rationem, quæ fidem impugnat, falsam esse, non veram; quæ *non re ipsa, sed quadam tantùm verisimilitudine fallit*. Igitur ratio in se spectata seu in abstracto, non adversatur fidei; sed ea dumtaxat quæ falsa est ac corrupta, quæ non capit ea quæ Dei sunt.

Origenes L. 1. contra Celsum, rationem fidei ferè adequat, nedum ipsi contrariam & adversam supponit. Referens quippe quod ex sententia nonnullorum objiciebat Celsus, nempe nullam fidei reddendam esse rationem; nec examinandum, sed simpliciter credendum, sic reponit Origenes. *Si possibile esset omnes homines relictis vitæ curis vacare Philosophiæ, nemini aliam viam insistendam præter solam hanc. Invenietur enim in Christianismo non minor (ne quid dicam arrogantius) fide ratio, & enarratio Propheticorum ænigmatum . . . . Quod quia est impossibile tùm propter vitæ necessitates &c. quid compendiosius excogitari queat ad subveniendum multitudini, quàm quod Jesus Gentibus tradidit?* Pag. 416. K.

Idem postea dixit Aug. L. de quantitate animæ c. 7. *Auctoritati credere*, inquit, *magnum compendium est & nullus labor.* T. 1. p. 406. F.

Objectiones.

Dices 1. Rom. 8. v. 7. *Sapientia carnis dicitur inimica Deo*. 1. Cor. 2. v. 14. *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei, stultitia enim est illi*. Et c. 3. v. 19. *Sapientia hujus mundi, stultitia est apud Deum*. Cap. 1. v. 23. dixerat, *Christum Crucifixum, esse Judæis scandalum, Gentibus autem stultitiam*. Ex quibus testimoniis infertur, inter fidem ac sapientiam divinam & humanam rationem, diffidium & intestinum quoddam bellum intercedere.

Resp. Sapientiam carnis seu hujus mundi Deo inimicam esse; cui & nos

mandatis ipſius, ut oportet, non obſequentes, etiam reddit inimicos: *legi enim non eſt ſubjecta*, ait S. Paulus citato c. 8. ad Rom. v. 7. Pariter animalis homo, id eſt perverſus ac carni rebuſque ſenſibilibus totus immerſus, non percipit ea quæ Dei ſunt: quo etiam ſenſu, Crux Chriſti Judæis ſcandalum fuit & Gentibus ſtultitia. Verùm, non ſemel jam monuimus, nos hìc non loqui de illa perverſa vel corrupta hominis ratione ſeu ſapientia, ſed de recta & ſanata per gratiam; vel de ratione ut ſic, & in abſtracto ſpectata, quæ fidei favet plurimùm, nedum noceat.

Dices 2. Ea inter ſe pugnant, quorum unum aliquid affirmat, quod ab altero negatur: atqui humana ratio multa admittit & probat, quæ fides reſpuit; qualia ſunt iſta v. g. *Ex nihilo nihil fit. A privatione ad habitum non datur regreſſus. Virgo non poteſt eſſe mater &c.* quæ totidem ſunt effata fidei Chriſtianæ prorſus adverſa; ergo &c.

Reſp. Diſtinguo maj. Si ſint ejuſdem ordinis, concedo: ſi diverſi, nego. Diſtinguo min. Atqui ratio humana plura admittit quæ negat fides; ratio corrupta, non ſanata per gratiam, quæ per fidem emendari debet, concedo: ratio recta & ſanata per gratiam, nego. Igitur ratio & fides ſunt quidem in diverſo ordine, at non idcircò pugnant inter ſe; & ſi quando ratio fidei contradicit, non vera & ſana eſt ratio, ſed corrupta & falſa, ait S. Aug. quæ ex veriſimilitudine dumtaxat judicat, non ex rei veritate; atque eo in caſu reprimenda & in ordinem redigenda. Qua propter è veteri Philoſophia ea prorſus rejiciet Philoſophus Chriſtianus, quæ cum fide noſtra non concordant: neceſſe enim eſt, ea eſſe falſa, quæ pugnant cum veritate à Deo revelata; & æquitas poſtulat ut ei potius aſſentiamur qui nec falli poteſt nec fallere, quàm humanæ rationi ac Philoſophiæ, quæ cæca eſt & tot erroribus obnoxia.

Inſtabis, ſequitur ex hac ipſa ſolutione, fidem & rationem pugnare inter ſe, ac contraria prorſus docere; ſiquidem neceſſe eſt ut fides errata rationis humanæ corrigat & emendet.

Reſp. Diſtinguo ant. Sequitur, rationem corruptam & non ſanatam per gratiam pugnare cum fide, eſto: rationem rectam & ſanam, nego. Sana etenim ac recta ratio recè intelligit, Deo, qui ſuprema veritas eſt, ex animo obſequendum, tametſi non capiat quæ ſunt ab ipſo revelata myſteria: Intelligit cum S. Auguſtino Epiſt. ad Voluſianum 137. aliàs 3. n. 8. *Dandum Deo aliquid poſſe quod nos fateamur inveſtigare non poſſe. Atque in talibus rebus tam rationem facti eſſe potentiam facientis.*

T. 2. p. 405. B.

Dices 3. Si humana ratio fidei ex adverſo non repugnaret, poſſet diſſolvere argumenta quæ contra myſteria fidei à Gentilibus vel Hæreticis proponuntur: atqui iſtud non poteſt humana ratio; ergo &c.

Reſp. 1. Nego ſequelam majoris. Namque cùm duo iſta certiſſimè conſtent, & vera eſſe quæ ſunt à Deo revelata, & ea ſuper captum rationis eſſe poſita; ſua ipſis ſemper ſtaret veritas inconcuſſa, tametſi mens humana pro ſua infirmitate & ignorantia diſſolvere non poſſet quæ adversùs illa opponuntur. Arguenda igitur potius & incuſanda humana infirmitas, quàm veritas myſteriorum impugnanda. Ita ferè reſpondebat S. Aug. L. 11. de Gen. ad Litt. c. 4. nu. 6. cùm ipſi proponeretur iſta quæſtio: *Cur Deus tentavi hominem permiſerit, quem tentatori conſenſurum eſſe præſciebat? Altitudinem quidem conſilii ejus penetrare non poſſum*, ajebat S. Doctor, *& longè*

T. 3. p. 1. pag. 277. C.

ſupra.

supra vires meas hoc esse confiteor. Est ergo aliqua causa fortassis occultior, quæ melioribus sanctioribusque reservatur, illius gratia potius quam meritis eorum. Et T. 10. p. L. 3. de Peccat. merit. & remiss. c. 4. n. 7. *Etsi*, dicebat S. Doctor, *refellere 74. C. istorum argumenta non valeam, video tamen inhærendum esse iis quæ in Scripturis sunt apertissima, ut ex his revelentur obscura.*

Resp. 2. Nego min. Solvuntur enim illa argumenta quantùm satis est, ut humana Philosophia nusquam demonstrare valeat mysteria nostra aliquam contradictionem involvere. Ad hoc enim sufficit, ut certissimè ostendat & comprobet homo fidelis, ea esse revelata, & consequenter vera; nec ampliùs aliquid ab eo exigi meritò potest: arguentis autem est demonstrare falsitatem eorum, quod certè nusquam assequi poterit.

Instabis. Si posset humana ratio dissolvere argumenta quæ fidem impugnant, posset & fidem ipsam, seu ejus mysteria attingere & mente assequi; atqui hoc non potest; ergo nec ulla ratione argumenta contraria dissolvere.

Resp. 1. Nego sequelam majoris. Non magis enim qui solvit argumenta contra mysteria fidei, ea comprehendere debet, quàm qui argumenta illa proponit: atqui qui argumenta proponit contra mysteria fidei, ea certè non comprehendit nec mente prorsus assequitur; ergo nec qui ea argumenta dissolvit.

Resp. 2. Distinguo maj. Posset mysteria attingere aliquo sensu, ea nempè defendendo, concedo: ea penetrando, nego. Ita cœlum aliquo sensu possumus attingere, aspectu scilicet non manu.

QUÆSTIO SECUNDA.

De natura & objecto Theologiæ.

REi alicujus natura per definitionem explicari solet; definitio autem ut sit accurata, constare debet genere proximo & differentia propria: quæ differentia in potentiis & habitibus, de quorum numero est Theologia, repeti debet ab objecto, seu ordine ad objectum. Ut ergo quæ sit natura Theologiæ dignoscatur, quærendum est 1. Quodnam sit genus ejus proximum. 2. Quod ejus objectum.

Cùm verò Theologia sit habitus mentis, cujus proprium est ex principiis fidei discurrendo conclusiones elicere; & quinque à Philosophis numerentur virtutes mentis quibus ad verum inclinatur, nempè intelligentia, sapientia, scientia, prudentia & ars; quæritur ad quam ex illis virtutibus mentis tanquam ad genus proximum revocanda sit Theologia.

Qua in controversia certum istud est: 1. Theologiam non esse intelligentiam; quia discursu nititur, non simplici mentis intuitu sicut intelligentia, quæ versatur circa prima dumtaxat atque notissima principia. 2. Non esse prudentiam; quia hæc tota occupatur circa actiones singulares, qualis non est omni ex parte Theologia. 3. Certum est Theologiam non esse artem; quia non versatur, sicuti ars, circa operationem externam.

Quæstio igitur tota in eo volvitur, utrum Theologia sit scientia vel sapientia.

Duobus articulis nostram hanc secundam quæstionem absolvemus: 1. An Theologia sit scientia vel sapientia. 2. Quodnam sit proprium objectum Theologiæ.

ARTICULUS PRIMUS.

An Theologia sit scientia vel sapientia.

FAcilis est hujus quæstionis solutio, si figatur vera idea & notio tum scientiæ, tùm sapientiæ.

Observa igitur 1. Scientiam & sapientiam vel strictè intelligi, vel latiori quodam sensu, quamquam vero & proprio.

Scientia sensu latiori sumpta, est cognitio quælibet vera & certa, ex principiis certis licèt non demonstrativis, per discursum comparata.

Scientia stricto sensu Philosophorum more, est cognitio certa, vera & evidens rei necessariæ per propriam causam. Quibus conditionibus, distinguitur scientia ut vera, ab errore falso; ut certa, ab opinione incerta; ut evidens, à fide obscura; ut discursiva, seu quæ procedit per proprias causas, ab intelligentia non discursiva.

Sapientia latè sumpta, usurpatur nonnunquam pro multarum & admirabilium rerum scientia, & est rectitudo quædam intellectualis ad benè judicandum de omnibus rebus, consurgens ex perfecta scientiarum omnium complexione; unde aliquis simpliciter & absolutè sapiens denominatur.

Aliquando tamen sapientiæ nomine, intelligitur virtus intellectualis in aliquo tantùm genere: quo sensu, quisquis in sua arte peritus, qui causas & principia rerum ejusdem artis reddere potest, sapiens appellatur; ita solemus dicere sapientem Architectum; sapientem Statuarium, &c.

Sapientia strictè, quo sensu à Philosophis usurpatur, est habitus intellectualis scientificus, quo res altissimæ cognoscuntur per altissimas causas & universalissima principia. Ex qua definitione facilè intelligitur, hoc cum scientia commune habere sapientiam, ut sit vera, certa, evidens & discursiva; istud verò proprium illi esse, quòd sit cognitio rerum altissimarum; hoc est quæ à sensibus valdè remotæ sunt; per altissimas causas & universalissima principia: quia prima rerum principia expendit, & ab illa cæteræ scientiæ suorum principiorum confirmationem & evidentiam mutuantur.

Observa 2. De solo ferè nomine hic moveri quæstionem, utrum scilicet Theologia dicenda sit, vel non, scientia. Dubitandi ratio hæc est præcipua, quòd nempè evidentia sit absolutè requisita ad veram scientiam, qua evidentia caret Theologia nostra. Sunt qui ad veram scientiam existimant sufficere evidentiam quæ procedit ex principiis notis lumine superioris scientiæ; atque adeo Theologiam nostram veram eo nomine scientiam esse contendunt, quòd procedat ex principiis notis lumine superioris scientiæ, nempè scientiæ Dei & Beatorum cui nostra Theologia subalternatur. Ita S. Thom. hìc art. 2.

Sunt qui ad veram scientiam exigunt dumtaxat evidentiam consequentiæ, non verò consequentis. Alii evidentiam per certitudinem in Theologia suppleri existimant. Alii cum Henrico Gandavensi admittunt medium quoddam lumen, inter lumen gloriæ & lumen fidei, per quod asserunt propositiones Theologicas evidenter à Doctoribus cognosci; & consequenter Theologiam nostram stricto sensu esse scientiam. His præsuppositis, sit

CON-

CONCLUSIO.

Theologia ſtrictè ad ſenſum Philoſophorum non eſt ſcientia, nec ſapientia. Meritò tamen dici poteſt ac debet ſenſu latiori, tametſi vero, & proprio, ſcientia & ſapientia. Duæ ſunt Concluſionis partes.

Prima pars prob. Quia ad ſcientiam & ſapientiam ſtrictè ſumptam requiritur evidentia, tùm concluſionum, tùm principiorum ex quibus illæ educuntur: atqui neque principia, neque concluſiones Theologiæ hanc habent evidentiam. Non principia, quæ ex fide ipſa hauriuntur; fides autem ex Apoſt. Hebr. 11. v. 1. *eſt rerum non apparentium*. Non concluſiones, illæ etenim educuntur ex propoſitionibus præcedentibus, quarum una ſaltem eſt de fide: concluſio autem non poteſt majorem habere evidentiam quàm principia ipſa ex quibus educitur; ergo Theologia non eſt ſcientia ſtrictè ſumpta.

Neque ſufficit evidentia orta ex principiis notis in ſuperiori ſcientia, nempè ſcientia Dei & Beatorum. Namque hic quæſtio eſt de Theologia viatorum, non comprehenſorum; debet autem evidentia in eodem eſſe ſubjecto in quo ineſt ipſa ſcientia: porrò in nobis viatoribus, qui videmus per ſpeculum & in ænigmate, non ineſt illa evidentia; ergo nec ſcientia ſtrictè ſumpta.

Non ſufficit etiam evidentia conſequentiæ: quia hæc concluſioni etiam probabili competere poteſt, quando ſcilicet concluſio legitima ſyllogiſmorum forma deducitur ex præmiſſis: tùm quia ad Dialecticam maximè pertinet judicium ferre de legitima conſequentia, non verò præcisè ad Theologiam; ergo ad ſcientiam ſtrictè ſumptam neceſſaria eſt evidentia, non tantùm conſequentiæ, ſed conſequentis.

Neque etiam certitudine concluſionis poteſt ejus evidentia ſuppleri, ad hoc ut Theologia ſit habitus verè ac ſtrictè ſcientificus. Namque 1. Utraque iſta conditio, & certitudo, & evidentia, diſtinctè ac neceſſariò requiritur in ſcientia ſtrictè ſumpta. 2. Quia in ſcientiis ordinariis, non ex certitudine naſcitur evidentia, ſed potiùs ex evidentia certitudo.

Neque admitti prorſus debet lumen illud medium inter lumen gloriæ & lumen fidei, quod excogitavit Henricus à Gandavo: fictitium quippe videtur hujuſmodi lumen medium, cujus nullum prorſus extat in Scriptoribus Eccleſiaſticis fundamentum; & quo, ipſa fidei obſcuritas evaneſcit: ſi quidem in mente hujus Auctoris, concluſiones Theologicæ quæ ex duabus præmiſſis de fide eruuntur, ſunt evidenter veræ; ergo & principia quibus illæ deducuntur, ſunt pariter evidenter vera. Ubi ergo tunc fidei nativa obſcuritas & evidentia?

Deinde verò lumen illud medium, vel eſt infuſum, vel acquiſitum: non prius, quia ad illius infuſionem requiritur aliqua diſpoſitio, quæ & qualis illa ſit, ab omnibus ignoratur: non poſterius, quia omnes actus quibus lumen illud medium comparari poſſet, eſſent obſcuri, & ab ipſa fide profluerent quæ natura ſua eſt inevidens & obſcura; adeoque non poſſent illi lumen clarum & perſpicuum producere.

Secunda pars concluſionis probatur.

1. Ex Scripturis in quibus Theologia noſtra & ſcientia & ſapientia nun-

nuncupatur. Sapientiæ 10. v.10. *Dedit illi scientiam Sanctorum*. Et c. 13. v. 1. *Vani sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei*. Jeremiæ 3. v. 15. *Dabo vobis Pastores, & pascent vos scientia & doctrina*. 1. Cor. 12. v.8. *Alii datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ*. Et c. 2. v. 6. dixerat idem Apost. *Sapientiam loquimur inter perfectos, sapientiam verò non hujus sæculi .... sed loquimur Dei sapientiam in mysterio quæ abscondita est.*

T. 8. p. 948. D. Ibid. E. 2. Ex S. Aug. L. 14. de Trinit. c. 1. n. 3. *Rerum divinarum scientia, priè sapientia nuncupatur*. Et paulò post .... *Scire quemadmodum* (fides) *& piis opituletur, & contra impios defendatur, proprio appellare vocabulo scientiam videtur Apostolus.*

3. Quia una excepta principiorum & conclusionum evidentia, Theologia nostra cæteras habet veræ ac propriæ scientiæ conditiones; neque ad alium habitum mentis potest revocari, quàm ad scientiam & sapientiam.

Adde quòd omnis cognitio certa & sine formidine erroris, scientia verè ac propriè dicitur. Quo sensu, S. Aug. L. de Doctrina Christiana ait: *Non esse verendum dicere nos scire, quæ idoneis testibus novimus*. Et alibi. *Id scire dicimur*, inquit, *quod certò novimus*. Quo sensu Job 19. v. 25. dicebat: *Scio quòd Redemptor meus vivit*. Et Joan. 11. v. 24. Martha ad Christum dicebat: *Scio quia resurget in resurrectione, in novissimo die*. Nonnisi tamen ex fide & Job, & Martha id noverant.

OBJECTIONES

Contra primam Conclusionis partem.

Dices 1. contra primam Conclusionis partem. Evidentia essentialis non est scientiæ, sed tantùm est conditio necessaria ad ejus certitudinem: cùm igitur Theologia hanc certitudinem habeat, non indiget evidentia ut sit & dici possit stricti nominis scientia.

Resp. distingo ant. Evidentia non est essentialis scientiæ, latiori quodam sensu, tametsi vero & proprio, concedo: Stricto sensu ac Philosophorum more, nego. Patet ex dictis, non modò certitudinem, sed & evidentiam omninò esse necessariam ad constituendam scientiam strictè sumptam; & in ea certitudinem nasci ex evidentia, non evidentiam ex certitudine.

Dices 2. Theologia sufficientem habet evidentiam ut scientia stricto sensu dici possit: quia etsi fidei capita sigillatim & evidenter non cognoscat, evidenter tamen cognoscit illa mysteria esse credibilia; quia nempè evidenter cognoscit duo ista generalia & communia principia, primum; Quidquid Deus revelavit, verum est: secundum; Deus ea mysteria revelavit, quæ nobis ab Ecclesia proponuntur ad credendum. At ista duo evidentia sunt, 1. Quia Deus est prima veritas, quæ nec falli potest nec fallere. 2. Quia plurimis prodigiis ac miraculis mysteria illa confirmata fuerunt.

Resp. Nego ant. Ad cujus probationem: Dico 1. Aliud esse mysteria fidei reddi credibilia per motiva credibilitatis; & aliud, illa cognosci evidenter vera, per motiva credibilitatis. Fiunt quidem evidenter credibilia, sed non evidenter vera: evidentia quippè illa per hujusmodi motiva com-

comparata, tantùm externa eſt reſpectu illorum myſteriorum, quorum exiſtentiam certò quidem demonſtrant, naturam verò apertè nobis non manifeſtant. Quapropter cùm evidentia illa motivorum credibilitatis, ſit merè externa, non ſufficit ad ſcientiam ſtricto ſenſu uſurpatam.

Dico 2. Evidentiam qua conſtaret Deum aliquid immediatè per ſemetipſum revelaſſe, non ſufficere etiam ad ſcientiam ſtrictè ſumptam: quia cùm illa evidentia ex parte loquentis ſeu revelantis Dei, utpotè merè externa, coheret adhuc myſterii revelati obſcuritas & inevidentiæ; cujus proinde naturam & intimam principia mente aſſequi ac penetrare non valemus.

Inſtabis. Nonnulla etiam ad fidem pertinent, quæ tamen à Theologia clarè demonſtrantur: v.g. exiſtentia Dei; animæ humanæ immortalitas. Hujuſmodi etiam fuere ea Religionis noſtræ capita, quæ Apoſtoli propriis ſuis oculis uſurpaverunt: v. g. mortuum eſſe Chriſtum, reſurrexiſſe, ad cœlos aſcendiſſe; ergo ex ea parte Theologia noſtra ſimpliciter ac ſtrictè poteſt appellari ſcientia.

Reſp. 1. Theologiam noſtram ſtrictè ſcientiam eſſe ac dici poſſe, quantùm ad ea capita quæ clarè ac perſpicuè cognoſcit, v.g. exiſtentiam Dei, immortalitatem animæ; unde ſolet ea ex parte Theologia naturalis appellari. Nihilominus poſſunt ejuſmodi capita, tametſi perſpicua, etiam per fidem apprehendi & credi: quia nempè idem objectum poteſt vario motivo attingi; quatenus evidens eſt; lumine naturali; quatenus à Deo revelatum; auctoritate Dei. Verùm, quidquid ſit de iſta controverſia, de qua ſuo loco ubi de fide, cùm hìc Theologiam qua latè patet & ſecundùm omnes ſuas partes conſideramus, quæ, paucis omninò exceptis, nativam præ ſe ferunt obſcuritatem & inevidentiam; meritò aſſerimus, eam ſtricti nominis ſcientiam non eſſe.

2. Quantùm ad alia exempla Mortis, Reſurrectionis Chriſti &c. non una & eadem eſt reſponſio. Nonnulli volunt, qua parte illa myſteria fuere Apoſtolis clarè cognita, fidei meritum in ipſis non habuiſſe; quia de cauſa Chriſtus dicebat: *Quia vidiſti me, Thoma, credidiſti; beati qui non viderunt & crediderunt.* Joan. 20. v. 29. Quamquam dici meritò poteſt, Apoſtolos ea myſteria, quæ propriis oculis uſurpabant, credidiſſe; non quia illa videbant, ſed quia futura eſſe Chriſtus illis revelaverat. Alii exiſtimant, evidentiam facti aut teſtimonii ſtare cum fide, cujus objectum (ut ipſis videtur,) non eſt eſſentialiter obſcurum & inevidens. Alii dicunt, cum illa etiam evidentia & perſpicuitate nonnullorum myſteriorum cohærere fidem; tùm quia ſic animo præparatus eſt homo fidelis, ut etiam pronus ea myſteria crederet, etſi ea clarè non perſpiceret: tùm quia ſemper ineſt aliquid obſcuritatis in modo quo myſteria hæc perfecta fuerunt. Verùm plenius & accuratiùs hujuſce quæſtionis examen ad eum locum remittimus, ubi de natura fidei ſermo erit inſtituendus.

Dices 3. cum Henrico Gandavenſi. Theologi ſuo ſtudio, induſtria & labore conſequuntur lumen aliquod ad clariùs cognoſcenda fidei myſteria. Unde S. Aug. L. contra Epiſt. fundamenti c. 14. n. 17. dicebat: *Ego catholicam fidem profiteor, & per illam me ad certam ſcientiam perventurum præſumo.* Tom. 8. pa. 160. B. Atqui lumen illud neque eſt lumen gloriæ, ut conſtat, neque ſolius fidei quod omnibus fidelibus commune eſt; ergo medium eſt inter lumen

men fidei & gloriæ. Ergo beneficio hujus luminis, propoſitiones fidei fiunt evidentes.

Reſp. Diſtinguo maj. Theologi ſuo ſtudio ac labore conſequuntur aliquod lumen ad fidei myſteria cognoſcenda majori cum facilitate ac minori confuſione; ad ea exponenda & contra inſultus Novatorum vindicanda, concedo: ad ea clarè ac perſpicuè cognoſcenda, nego. *Niſi crediderit is, non intelligetis*: ait Iſaias c. 7. v. 9. juxta verſionem 70. Interpretum. *Crede ut intelligas*, inculcat ſæpius S. Aug. Atque hæc eſt certa ſcientia, id eſt certa cognitio, ad quam S. ille Doctor ſe per fidem perventurum confidebat; quia ſcilicet, ſine prævia fide, Religionis myſteria certè cognoſci non poſſunt; quod appoſitè urgebat S. Doctor L. citato contra Epiſt. fundamenti adverſus Manichæum, à quo multa gratis, planè incerta & dubia proponebantur: *Tu*, inquiebat S. Aug. *qui fidem meam labefactare conaris*, *Ibid. C.* *certam ſcientiam trade, ſi potes; ut id quod credidi, temerè me credidiſſe convincas. Duo ſunt quæ mihi profers: unum, cùm dicis Spiritum ſanctum eſſe qui loquitur; & alterum, cùm dicis manifeſta eſſe quæ loquitur.... ſed tu nec hoc nec illud vales oſtendere. Nihil aliud elegiſti, niſi laudare quod credis, & irridere quod credo.*

OBJECTIONES

Contra ſecundam Concluſionis partem.

Dices 1. contra ſecundam Concluſionis partem. Vera ſcientia, ex Philoſopho, ſua non probat ſed ſupponit principia: atqui Theologia noſtra ſua probat principia, nempè hoc vel illud myſterium eſſe à Deo revelatum.

Reſp. Diſtinguo maj. Scientia inferioris ordinis, ſua non probat principia, eſto: ſcientia ſuperioris ordinis, qualis eſt Theologia, nego. In eo igitur differt ſcientia inferior à ſuperiori, quòd inferior ſua principia à ſuperiori mutuetur, quæ ſua, quibus nititur, fundamenta & principia aperit & demonſtrat.

Dices 2. Objectum veræ ſcientiæ debet eſſe immutabile & univerſale: atqui objectum noſtræ Theologiæ non eſt immutabile; quia actiones humanæ, circa quas ad verum & rectum dirigendas illa verſatur, ſunt mutationi obnoxiæ: non eſt etiam univerſale, quia occupatur Theologia circa ſingularia, v. g. circa Adami ſtatum, originem &c. circa Chriſtum, circa beatam Virginem &c. ergo.

Reſp. Diſtinguo min. Actiones humanæ ſunt mutationi obnoxiæ, ex ſe ſe quoad exiſtentiam, concedo: quoad eſſentiam, & quatenus ſubſunt voluntati & revelationi divinæ, nego. Sunt enim certa & immota harum actionum principia; ſunt fixæ illarum regulæ, ad quas componi & conformari debent, ut rectæ ſint & laudem habeant. Porrò certitudo & immutabilitas illarum regularum ſufficit, ut Theologia veræ ſcientiæ titulum conſequatur. Verſatur equidem Theologia noſtra circa ſingularia, quæ ſuam habent neceſſitatem, quatenus ſcilicet ſubſunt voluntati & revelationi divinæ; qua parte mutari non poſſunt nec aliter ſe habere.

Dices.

Dices 3. Ad veram ſcientiam requiritur certitudo: atqui Theologia noſtra certa non eſt, ut patet ex tot diverſis opinionibus quæ Theologos variis in partes diſtrahunt; ergo non eſt vera ſcientia.

Reſp. Diſtinguo maj. Requiritur certitudo circa principia, & majorem concluſionum partem, concedo: certitudo omnimoda, quæ ſe extendat ad omnes omninò concluſiones, nego. Nequidem in Philoſophicis hanc certitudinem reperiri, probat manifeſtè ſententiarum diverſitas inter ipſos Philoſophos circa res naturales; & tamen ipſi Philoſophiæ titulum veræ ſcientiæ nemo jure recuſaverit. Concluſiones Theologicæ, de quibus in hanc vel illam partem liberè diſputant Theologi, liberas dumtaxat ſpectant Scholæ opiniones, non ipſum fidei dogma quod unum eſſe debet apud omnes. At longè multò plura ſunt de quibus communi ſuffragio inter ſe conſentiunt, & ex quibus certas diſcurrendo concluſiones eruunt: unde jure merito ſcientiæ nomen ac titulum obtinet noſtra Theologia.

ARTICULUS SECUNDUS.

De objecto Theologiæ.

REpeti hìc debet ex Philoſophis, quid & quotuplex ſit objectum alicujus diſciplinæ.

Objectum, quod alii ſubjectum vocant, non quidem inhæſionis, ſed conſiderationis, generatim eſt id circa quod occupatur potentia, actus aut habitus. Duplex vulgò diſtinguitur, materiale & formale.

Objectum materiale, eſt res ipſa circa quam diſciplina verſatur: formale, eſt ratio ſeu modus quo materiale objectum à diſciplina attingitur, v. g. Corpus naturale eſt objectum materiale Phyſicæ: quatenùs verò naturale; ſeu naturalitas ipſa ſub qua conſideratur, eſt ipſius objectum formale. Utrumque objectum ſive materiale ſive formale rurſus ſubdividitur, nempè.

Objectum materiale, in totale ſeu adæquatum; & partiale ſeu inadæquatum. Adæquatum dicitur, quod adæquat ſeu complectitur omnem ſcientiæ latitudinem: partiale & inadæquatum, quod ab una dumtaxat diſciplinæ parte conſideratur. Ita corpus cœleſte non à tota, qua latè patet, Phyſica conſideratur, ſed ab una dumtaxat ejus parte.

Rurſus objectum materiale adæquatum, vel eſt communitatis, vel, ut loquuntur, attributionis. Objectum communitatis ſeu prædicationis dicitur, quod commune eſt omnibus & ſingulis partibus alicujus diſciplinæ, & de illis prædicatur: tale eſt v.g. ens naturale reſpectu Phyſicæ. Objectum attributionis dicitur, ad quod omnia quæ pertinent ad aliquam diſciplinam referuntur, tanquam ad id quod eſt in diſciplina præcipuum; tametſi de ſingulis ejus partibus prædicari non poſſit: tale eſt corpus naturale in Phyſica.

Objectum verò formale, vel eſt formale *quod*, vel formale *quo*, vel formale *ſub quo*. Etſi acuta & ſubtilis, non tamen omninò ſuperflua videtur hæc diviſio, ad omnem declinandam terminorum æquivocationem. Objectum formale *quod*, eſt ea ipſa ratio quæ objectum materiale primò determinat ad talem ſcientiam ſeu diſciplinam: unde vocatur formale terminativum & ſpecifica-

ficativum. Sic v.g. sanabilitas corporis humani, est objectum formale *quod* medicinæ. Objectum formale *quo*, est illa ratio secundùm quam objectum materiale primò movet intellectum ad sui cognitionem, & sine qua ad illius cognitionem se non accingeret. Sic v.g. lux dici potest objectum formale motivum visus, ad percipiendum colorem; & præmissæ dici possunt movere intellectum, ad assensum præbendum conclusioni. Objectum formale *sub quo*, est conditio quædam sine qua objectum potentiam movere non potest ad sui cognitionem; ad quam etsi facultas cognoscitiva non attendat dum objectum considerat, attamen si hæc non adesset conditio, facultas objectum illud attingere non posset. Ita visibilitas est ratio sub qua oculus colorem deprehendit. His præmissis

PRIMA CONCLUSIO.

Objectum materiale Theologiæ, est omnis propositio quæ per discursum colligi potest ex revelatis à Deo.

Probatur. Quia quidquid ex se commune est pluribus habitibus, & ad aliquem per ejus objectum formale contrahitur, illud censetur esse objectum materiale: atqui propositiones Theologicæ quæ ex revelatis à Deo per discursum colliguntur, communes sunt Theologiæ & aliis scientiis vel naturalibus vel infusis; & ad scientiam Christianæ Theologiæ contrahuntur & determinantur, quatenus spectantur ut deducibiles ex rebus revelatis à Deo; ergo &c.

SECUNDA CONCLUSIO.

Objectum formale Theologiæ, est omnis propositio Theologica spectata quatenus deducibilis per discursum ex revelatis à Deo.

Probatur. Quia illud est objectum formale, quod est peculiaris ratio sub qua objectum materiale attingitur, & ad certam scientiam contrahitur: atqui deducibilitas est illa ipsa ratio sub quæ propositiones Theologicæ attinguntur, & determinantur ad eam scientiæ speciem, quam vocamus Theologiam; per illam etenim deducibilitatem ex revelatis tanquam rationem formalem, Theologia nostra distinguitur à fide, aliisque scientiis quæ revelatione divina non nituntur.

Inde colliges, objectum totale & adæquatum Theologiæ esse omnes propositiones quæ per discursum ex rebus à Deo revelatis deduci possunt.

TERTIA CONCLUSIO.

Objectum Theologiæ adæquatum & communitatis, ut vocant, est ens divinum quatenus per discursum cognoscibile ex revelatis à Deo.

Probat, quia objectum communitatis illud dicitur, quod in recto prædicari potest de omnibus quæ in scientia tractantur, & sub ea ratione sub

qua

qua tractantur: atqui tale est ens divinum, quatenus per discursum cognoscibile ex rebus à Deo revelatis, respectu nostræ Theologiæ; quia nempè quidquid in ea tractatur, aut Deus est, aut attributionem dicit ad Deum; ergo rectè exprimi potest per ens divinum, quod tanquam analogum primariò stat pro Deo tanquam principali analogato, & secundariò pro creaturis tanquam extrinsecè participantibus rationem entis divini.

QUARTA CONCLUSIO.

Objectum Theologiæ adæquatum attributionis, est Deus sub ratione deitatis.

Probatur, quia illud est objectum adæquatum attributionis alicujus scientiæ, quod est primarium ac præcipuum eorum omnium quæ considerantur à disciplina, & ad quod omnia quæ in ea tractantur, revocari possunt directè vel indirectè; seu partim in recto, partim in obliquo: atqui Deus est objectum primarium & præcipuum eorum omnium quæ tractantur in Theologia, & ad illum cetera omnia aliquo modo referuntur; ergo &c.

Dices. Theologia agit de peccatis: sed peccata non referuntur ad Deum, imò magis ab illo avertunt; ergo &c.

Resp. Distinguo min. Peccata non referuntur ad Deum tanquam principia, vel proprietates, vel effectus, concedo: tanquam objecta ab illo cognita & revelata; & quatenus subjacent divinæ providentiæ ac justitiæ: tùm ut ex malis bona eruat, tùm ut puniat malos, nego. Sub illa quippè ratione ad Deum referuntur, ac de iis tractare debet Theologus; quomodo Medicina agit de morbis & venenis, ut iis idonea remedia adhibeat.

Instabis. Ex dictis, objectum Theologiæ est ens divinum deducibile per discursum ex revelatis: atqui peccatum non est ens divinum; ergo &c.

Resp. Distinguo maj. Objectum per se est ens divinum, concedo: objectum per accidens, nego. Porrò peccata sunt dumtaxat objectum per accidens Theologiæ, de quibus agit tantùm ratione alterius, nempè oppositæ virtutis, quæ à Deo est, & ducit ad Deum.

Dices 2. Deus sub ratione deitatis non potest à nobis hac in vita cognosci; ergo &c.

Resp. Distinguo ant. Non potest à nobis cognosci hac in vita, perfectè & intuitivè: concedo: imperfectè & abstractivè per effectus, nego.

QUINTA CONCLUSIO.

Objectum formale *quod* Theologiæ adæquatum, Deus est sub ratione deitatis.

Probatur, quia ex dictis antea, objectum formale *quod*, est illa ratio quæ objectum materiale primò determinat ad aliquam scientiam seu disciplinam: atqui talis est deitas respectu nostræ Theologiæ. Cùm enim Deus pluribus modis considerari possit, vel ut est redemptor, auctor salutis & gloriæ; vel adæquatè secundùm omnes suas perfectiones & attributa, vel sal-

tem inadæquatè sub ratione essentiali divinitatis, ut illa distinguitur à suis attributis virtualiter per modum subjecti de quo plures propositiones affirmantur & probantur; divinitas hoc posteriori modo censetur præcipuum Theologiæ objectum. Tum quia sub hac ratione Deus est præcipuum fidei & visionis beatificæ objectum, atque ultimus finis noster: tùm quia ad rectum discursum & legitimam enunciationem, oportet conceptum subjecti distingui à conceptu proprietatum quæ illi subjecto per discursum tribuuntur: atqui sola deitas ut est virtualiter distincta à suis attributis, talis est; illorum enim sicuti est radix, ita est fundamentum & primum subjectum eorum omnium quæ in Theologia dicuntur & demonstrantur de Deo.

SEXTA CONCLUSIO.

Objectum formale *quo* seu motivum Theologiæ, est revelatio divina, seu veracitas divina & auctoritas prima veritatis revelantis, quatenus applicata per discursum.

Probatur, quia illud est objectum formale *quo* Theologiæ, in quod ultimò resolvitur motivum assensus qui datur conclusioni Theologicæ; atqui assensus ille resolvitur ultimò in revelationem seu veracitatem divinam. Idcircò enim credimus mysteria fidei, quia sunt revelata à Deo qui est prima veritas quæ nec falli potest nec fallere: revelatio autem illa debet per discursum applicari propositionibus Theologicis; quia per discursum distinguitur Theologia nostra à fide, ut sæpiùs dictum est. Unde in conclusione Theologica duplex distingui debet motivum assensus: unum remotum, nempè Dei revelantis auctoritas; alterum proximum, connexio scilicet conclusionis cum præmissis, quæ per discursum cognoscitur.

SEPTIMA CONCLUSIO.

Objectum formale *sub quo* Theologia movetur ad cognitionem sui objecti, est obscuritas & inevidentia.

Probatur 1. Quia per illam formalem rationem obscuritatis & inevidentiæ in objecto, Theologia nostra distinguitur à naturali Theologia viatorum & à scientia beata: utraquè enim evidentiam habet objecti. 2. Quia idem est, saltem remotè & mediatè, motivum formale *sub quo* conclusionis ac principiorum seu præmissarum ejus; si quidem conclusio scientifica tota virtute continetur in principiis seu præmissis; sed motivum formale *sub quo* propositionum fidei quæ sunt principia conclusionis Theologicæ, est obscuritas & inevidentia.

QUÆSTIO TERTIA.

De proprietatibus Theologiæ.

Quatuor Theologiæ proprietates totidem Articulis expendemus.

1. Ejus unitatem, nempè an sit una specieiscientia.

2. Ejus

2. Ejus dignitatem & certitudinem, an sit supernaturalis, & certitudine superet alias scientias naturales.
3. Ejus subalternationem, an subalternetur scientiæ Dei & Beatorum.
4. Denique, an sit discursiva.

ARTICULUS PRIMUS.

An Theologia sit una specie scientia.

NOn hìc quæstio est de unitate numerica seu individuali Theologiæ: certum enim est hoc sensu illam esse multiplicem, pro numero & multitudine eorum in quibus inest.

Neque etiam quæritur, utrum sit una unitate simplici; certum enim est eam ex multis habitibus partialibus coalescere, qui necessarii sunt ad varias quæ occurrunt difficultates superandas: unde certum pariter est apud omnes, Theologiam unam esse unitate ordinis & compositionis; quæcunque enim in ea tractantur, ad Deum referuntur tanquam ad objectum primarium ac principale. Non etiam quæritur, utrum una sit quoad modum tractandi res divinas: ex dictis etenim suprà, ubi de variis Theologiæ divisionibus, certum est varium esse non unum modum tractandi res divinas.

Quæstio igitur est de unitate specifica quoad substantiam; an nempè Theologia sit una specie scientia. Alii affirmant cum S. Thoma hìc art. 3. Negant alii cum Durando in prologo Sententiarum, quæst. 4. Alii distinguunt inter conclusiones quæ eruuntur ex duplici præmissa de fide, & alias quæ eruuntur ex una præmissa de fide, & altera naturali; & contendunt Theologiam respectu earum conclusionum quæ educuntur ex duabus præmissis de fide, unam esse specie scientiam: non ita verò respectu conclusionum quæ colliguntur ex præmissis quarum una est de fide, & altera lumine naturali cognita. Ratio ipsis est, quia unum & idem est motivum in conclusionibus quæ eruuntur ex duplici præmissa de fide, nempè revelatio; non verò in aliis ubi duplex occurrit motivum partiale, revelatio ex una parte, & lumen naturale ex altera.

CONCLUSIO.

Theologia est una specie scientia, tùm in conclusionibus quæ educuntur ex duplici præmissa de fide, tùm in aliis quæ educuntur ex una præmissa de fide, & altera naturali.

Probatur, quia unitas specifica alicujus scientiæ repetitur ex unitate motivi formalis quo scientia illa suum objectum materiale attingit: atqui unum est motivum formale conclusionum Theologicarum, sive sequantur ex duabus præmissis de fide, sive ex una de fide & altera naturali, nempè divina revelatio. Vera enim & proxima ratio assensus qui datur conclusioni Theologicæ, præcisè ut est Theologica, est quòd illa virtualiter & implicitè contineatur in propositione revelata; atqui hæc ipsa ratio una est & ejusdem speciei in omni conclusione & assensu Theologico; ergo Theologia est una specie scientia.

OBJECTIONES.

Dices 1. Illæ concluſiones non poſſunt ad unam ſpecie ſcientiam revocari, quæ variis ſpecie motivis nituntur: atqui concluſiones quæ eruuntur ex præmiſſis quarum una eſt de fide & altera naturalis, nituntur variis ſpecie motivis, una nempè lumine fidei; altera, lumine naturali: differre autem ſpecie utrumque iſtud lumen, nemo diffitetur; ergo concluſiones hujuſcemodi non poſſunt ad unam ſpecie Theologiam revocari. Quòd autem propoſitio naturalis influat in concluſionem, tanquam partiale motivum aſſenſus, videtur manifeſtum: quia tam illa propoſitio naturalis influit in concluſionem, quàm altera propoſitio quæ de fide eſt; ſed iſta influit, ergo & altera. Non enim potior eſt ratio unius, quàm alterius.

Reſp. Neg. min. Ad probationem diſtinguo. Propoſitio naturalis quatenus conjuncta eſt cum revelata in qua virtualiter continetur, influit in concluſionem, concedo: quatenus in ſe ſeorſim ſpectatur & naturalis eſt, nego. Patet manifeſtè ex eo quòd propoſitio illa naturalis quæ clara eſt & evidens, cùm in ſyllogiſmo Theologico profertur, non pariat concluſionem evidentem, ſed obſcuram: v. g. in iſto ſyllogiſmo: *Omnis homo eſt riſibilis; Chriſtus eſt homo; ergo Chriſtus eſt riſibilis.* Propoſitio iſta, *Omnis homo eſt riſibilis*, influit in dictam concluſionem, non quidem ut ſeorſim ſpectatur, ſed ut conjungitur & implicitè continetur in iſta propoſitione revelata, *Chriſtus eſt homo*. Qui enim revelavit Chriſtum eſſe verum hominem, revelavit etiam implicitè omnes appendices ſeu proprietates humanæ naturæ. Concluſio autem illa, quatenus implicitè continetur in præmiſſa revelata, per ſeſe non eſt evidens; licèt præmiſſa naturalis ſeorſim ſumpta, ſit evidenti naturæ lumine perſpecta.

Inſtabis 1. Si revelatio ſaltem mediata ſit in ſyllogiſmis mixtis unicum motivum aſſenſus Theologici qui datur concluſioni, ſequitur manifeſtè talem concluſionem non eſſe propriè Theologicam, ſed immediatè pertinere ad fidem; cùm nitatur unico fidei motivo, nempè divina revelatione.

Reſp. Diſtinguo ſequelam antecedentis. Sequitur concluſionem illam immediatè pertinere ad fidem, ſi in ſe nudè ac ſimpliciter ſpectetur, quatenus in propoſitione fidei revelata continetur, concedo: ſi ſpectetur ut concluſio eſt Theologica mediante diſcurſu ex præmiſſis educta, nego. In hoc enim diſtat fides à Theologia, quòd hæc diſcurſiva ſit, non illa.

Inſtabis 2. Inde ſequitur, diſcurſum eſſe partiale motivum aſſenſus concluſionis quæ eruitur ex una præmiſſa de fide, & altera naturali.

Reſp. Nego ant. Inde tantùm ſequitur, diſcurſum eſſe inſtrumentum ſeu organum quo Theologus commodè utitur, ut deprehendat connexionem concluſionis cum præmiſſis, non autem eſſe motivum aſſenſus. Deprehenſa enim per diſcurſum illa connexione, verum aſſenſus motivum eſt ipſa revelatio ſaltem mediata; quia nempè concluſio virtualiter & implicitè continetur in propoſitione immediatè revelata.

Inſtabis 3. Rurſus ſequitur ex hac noſtra reſponſione, nullum planè diſcrimen eſſe inter concluſiones Theologicas quæ ex duabus præmiſſis de fide, & eas quæ ex una tantùm de fide, & altera naturali colliguntur; ſiquidem unicum

cum eſt ac totale earum omnium motivum, nempè divina revelatio.

Reſp. Diſtinguo ant. Sequitur nullum eſſe diſcrimen, quoad motivum aſſenſus Theologici, concedo: quoad revelationem præmiſſarum, nego. Namque cùm in ſyllogiſmo duæ præmiſſæ ſunt de fide, ambæ ſunt à Deo immediatè revelatæ: cùm verò naturalis propoſitio jungitur cum altera de fide, cenſetur dumtaxat revelata implicitè, ſeu mediatè ac virtualiter.

Inſtabis 4. Quod eſt principium certitudinis alicujus concluſionis, eſt quoque motivum ſeu ratio aſſentiendi huic concluſioni; atqui ſola revelatio, ſeu propoſitio de fide, non eſt principium certitudinis concluſionis Theologicæ: patet ex eo quòd non eadem ſit certitudo concluſionis quæ ſequitur ex una præmiſſa de fide, & altera naturali, & illius quæ ſequitur ex duabus præmiſſis de fide; concluſio enim iſta longè majorem habet certitudinem quàm altera.

Reſp. Nego min. ad probationem diſtinguo. Non eſt eadem certitudo utriuſque concluſionis, intenſiva & accidentalis, concedo; ſpecifica & eſſentialis, nego. Eſt quidem minor intenſivè & quoad gradum accidentalem, certitudo concluſionis quæ ex una dumtaxat de fide, & altera naturali eruitur: quia talis concluſio magis diſtat à principio revelato, comparatè ad alias concluſiones quæ ſequuntur ex duabus præmiſſis de fide; ſed eadem eſt illarum omnium concluſionum ſpecifica & eſſentialis certitudo, quæ nempè ex revelatione ipſa naſcitur. Major autem vel minor habitus vel actus intenſio, ipſius naturam & eſſentiam non immutat.

Dices 2. Licèt lumen naturale ſit motivum generale & adæquatum quo nituntur omnes ſcientiæ naturalis ordinis, iſtæ tamen ſunt ſpecie diverſæ, nec omnes concluſiones ſcientificæ ad unam ſpecie ſcientiam revocantur; ergo ſimiliter, licèt revelatio ſeu lumen ſupernaturale fidei ſit motivum omnium concluſionum Theologicarum, non inde tamen ſequitur concluſiones illas ad unam ſpecie ſcientiam pertinere.

Reſp. Diſparem eſſe rationem utriuſque luminis quoad præſens inſtitutum. Lumen quippè naturale ita ſcientiis naturalibus comparandis inſervit, ut totum ſe teneat ex paſte potentiæ, tanquam medium ipſi neceſſarium, ut circa objecta naturalia verſari poſſit: at verò lumen fidei ſeu revelatio, proprie ſpectat objecta quæ revelata ſunt; & eſt medium formale quo mentis aſſenſus exprimitur. Porrò, ratio formalis & diſtinctiva habituum non ex potentiis, ſed ex objectis motivis & formalibus repetitur.

Reſp. 2. Diſparitatem ex iſto etiam capite repeti, quòd nempè in ſcientiis naturalibus, præter motivum ſeu medium generale quod eſt lumen rationis, reperiantur motiva ſingularia propria; at verò in rebus Theologicis, eſt unicum motivum formale aſſenſus, revelatio ſcilicet divina.

Inſtabis 1. Theologus diverſos habet conceptus, v. g. de Deo uno in eſſentia, & trino in perſonis; ac de Sacramentis, eorum natura, inſtitutione, efficacia &c. ergo Theologia non videtur eſſe una ſpecie ſcientia.

Reſp. Diſtinguo ant. Diverſos habet conceptus, ratione objecti, concedo: ratione motivi aſſenſus, nego: & nego conſequens.

Inſtabis 2. Objectum Theologiæ eſt partim practicum, & partim ſpeculativum: atqui hæc duo, in unum & idem objectum formale ſimul convenire non poſſunt, cùm ſint rationes primò diverſæ.

Resp. neg. min. Constat enim fidem sub uno formali motivo revelationis circa hæc objecta versari. Eadem quippè fide credimus Deum esse unum in natura, & trinum in personis, quod objectum speculativum est; & eum adorandum esse ac summè diligendum, quod pertinet ad objectum practicum.

Instabis 3. Theologus multas sæpissimè difficultates patitur circa Theologicas conclusiones; atque inde varietas opinionum: sed si unum ac simplex foret motivum illarum conclusionum, nempè divina revelatio, nullus daretur his difficultatibus locus; ergo non unum est sed varium ac multiplex motivum conclusionum Theologicarum; ac consequenter, Theologia non est una specie scientia.

Resp. Theologus varias difficultates patitur per accidens, & ex parte subjecti nempè hominis, qui vel terminos non satis intelligit, vel connexionem conclusionis cum præmissis minùs acute & clarè deprehendit, concedo: ex parte ipsius Theologiæ & motivi formalis assensus, nego. Vel in ipsa fide, quæ certè simplex & una est, apprehendenda, difficultates occurrunt: alii enim aliis faciliùs & promptiùs terminos, quibus fides proponitur, apprehendunt; quia nempe alii sunt acutioris, alii verò tardioris ingenii. Idem est videre in charitate, quæ etsi una sit, ac pariter amorem inimicorum & amicorum imperet, sæpissimè tamen contingit, ut majorem longè sentiamus difficultatem in diligendo inimico, quàm amico; non quidem ex parte charitatis, sed ex parte ipsius hominis, ob eam quæ per peccatum inducta est malitiam & depravationem.

Dices 3. Demus Deum alicui infundere scientiarum habitus, ut Adamo infudit; scientias illas revelaret haud dubiè, & tamen revelatio hæc non obstaret, quominus scientiæ illæ forent specie diversæ: pariter igitur, etsi revelatio sit motivum assensus conclusionum Theologicarum, nihil obstat quominus istæ ad varias specie scientias revocentur.

Resp. Distinguo ant. Scientias illas revelaret tanquam causa efficiens, & producens vel species impressas, vel qualitatem habitualem, concedo: tanquam causa formalis moveus ad assensum, nego. Neque Adamo, neque alii cuicunque in casu proposito, revelatio illa fuit causa movens ad eruendas conclusiones scientificas: si quidem non propter auctoritatem Dei loquentis conclusiones illæ admitterentur, sed propter evidentiam quam præ se ferrent.

Instabis 1. Deus in revelanda fide ac Theologia, se habet tanquam Doctor ac Præceptor: sed auctoritas præceptoris non est principium & ratio unitatis scientiarum quas Discipuli discunt ab ipso; ergo &c.

Resp. Distinguo maj. Deus se habet ut Doctor ac Præceptor, proponens revelata propter solam proponentis auctoritatem cognoscenda & credenda, concedo: credenda & cognoscenda sub proprio motivo ac ratione formali intrinseca ipsis rebus quæ credendæ proponuntur, nego.

Instabis 2. Objectum formale alicujus scientiæ, debet esse quid reale & intrinsecum objecto cognito: atqui talis non est divina revelatio; ergo &c.

Resp. Distinguo maj. Quando assensus datur per medium rei internum, concedo: quando datur per medium externum, sicuti fit in Theologia, nego.

Instabis 3. Si Deus alicui homini revelaret Mathematicam v. g. &

Me-

Metaphyſicam, revelatio eo in caſu eſſet formale motivum cognitionis earum ſcientiarum: attamen ſcientiæ illæ procul dubio adhuc differrent ſpecie; ergo &c.

Reſp. Diſtinguo maj. Si Deus revelatione ſua obſcuram dumtaxat earum ſcientiarum notitiam daret, qualem habemus in rebus fidei & Theologiæ, tunc una eſſet ſpecie ſcientia, concedo; quia unico niteretur formali revelationis divinæ motivo: ſi claram earum ſcientiarum Mathematicæ nimirum ac Metaphyſicæ cognitionem tribueret, nego. Eo enim caſu, Mathematica & Metaphyſica eſſent ſpecie diſtinctæ ſcientiæ, quia iiſdem niteretur motivis evidentibus quibus jam nititur; & Deus, ut diximus, ſe haberet tantùm ut cauſa efficiens, & producens ſpecies illarum ſcientiarum, non ut cauſa formaliter motiva.

ARTICULUS SECUNDUS.

An Theologia ſit ſupernaturalis & certior aliis quibuſcunque ſcientiis naturalibus.

DUO hìc certa ſunt ac ferè extra omnem controverſiam. Primum, Theologiam dignitate ac gradu ſuperare quaſcunque alias ſcientias naturales, tùm ex parte objecti, Dei ſcilicet, quo nihil melius; tùm ex parte motivi, nempè divinæ revelationis, qua nihil certius; tùm ex parte finis, gratiæ & gloriæ, qua nihil optabilius. Alterum, & iſtud certum eſt Theologiam aliquo ſenſu eſſe ac dici poſſe ſupernaturalem, & alio ſenſu non eſſe. Supernaturalis eſt præſuppoſitivè, hoc eſt, ratione principiorum quæ revelata ſupponit, & ex quibus diſcurrendo concluſiones eruit: non eſt verò ſupernaturalis quoad ſubſtantiam & entitatem; quia eſt habitus per actus naturales acquiſitus, non verò infuſus. Nec obſtat, quòd in ſyllogiſmis in quibus duæ præmiſſæ ſunt de fide, concluſio videatur ſupernaturalis, quemadmodum & aſſenſus mentis qui illi datur. Namque in hujuſmodi ſyllogiſmis, concluſio, propriè concluſio non eſt, ſed verum fidei decretum expreſsè ac formaliter revelatum: loquimur autem hìc de concluſione Theologica propriè ac ſtrictè ſumpta.

Gravior longè controverſia movetur inter Theologos, circa certitudinem Theologiæ comparatæ ſive ad alias ſcientias naturales, ſive ad ipſam fidem: an ſcilicet certitudine ſua ſuperet quamlibet naturalem cognitionem etiam primorum principiorum; aut etiam adæquet ipſam fidei ſupernaturalis certitudinem, ita ut concluſiones Theologicæ propriè ſint de fide. Cui graviſſimæ quæſtioni elucidandæ ut viam ſternamus, more noſtro nonnulla priùs obſervabimus.

Obſervandum igitur 1. Triplicem vulgò à Theologis certitudinem diſtingui, ſcilicet objecti, motivi, & ſubjecti ſeu cognoſcentis.

Certitudo objecti eſt neceſſitas ſive immutabilitas rei in ſe, quatenus aliter ſe habere non poteſt; ſive abſolutè, ut Deus, ſive ex hypotheſi: ſic ex hypotheſi quòd ſit homo, neceſſe eſt ut ſit animal rationale.

Certitudo motivi eſt connexio infallibilis & neceſſaria medii cognitionis cum re cognitâ, excludens omnem falſitatem ac dubitationem ſaltem deliberatam.

Certitudo ſubjecti eſt firma mentis adhæſio alicui objecto. Eaque duplex diſtinguitur: una fallibilis, altera infallibilis. Priorem habet, qui ab aſſenſu dejici poteſt; ſive quia propoſitio falſa putatur; ſive quia licèt vera ſit, non eſt tamen neceſſariò vera; ſive quia licèt ſit neceſſariò vera, non tamen ipſius veritas perfectè cognoſcitur & penetratur ab intellectu humano; ſive denique, quia mens humana ob innatam levitatem & inconſtantiam facilè mutatur. Certitudo verò infallibilis eſt omnimoda imperturbatio intellectus; ac talis alicui objecto adhæſio, ut ab ea dejici non poſſit: atque hæc maximè laudanda, cùm oritur ex certitudine objecti ſeu motivi formalis. Aliquando enim contingit, illam oriri ex imperio voluntatis mentem interdum excæcantis, eamque indebitè applicantis, qualis eſt adhæſio Hæreticorum ſuis erroribus, quæ pertinacia magis dicenda eſt; aut cum Tridentinis Patribus, *vana & inanis fiducia*; qua fit, ut Hæretici firmiùs atque tenaciùs aliquando adhæreant propoſitioni falſæ, quàm alii veræ.

Obſervandum 2. Concluſionum Theologicarum alias deduci ex duplici præmiſſa de fide, ut in iſto ſyllogiſmo:

Omnis homo habet animam immortalem:
Chriſtus eſt homo;
Ergo Chriſtus habet animam immortalem.

Alias, ex una præmiſſa de fide, & altera naturali, v.g. in iſto ſyllogiſmo:

Omnis homo eſt riſibilis:
Chriſtus eſt homo;
Ergo Chriſtus eſt riſibilis.

Obſervandum 3. Concluſionem Theologicam ſpectari poſſe, vel materialiter, quatenus in præmiſſis virtualiter continetur; vel formaliter, quatenus ex illis per diſcurſum educitur. Nota, concluſionem debere ex præmiſſis in quibus virtualiter continetur, per diſcurſum erui; quippè ſi concluſio foret immediatè ac in ſe revelata, quamquam ex aliis fidei capitibus etiam ratione poſſet colligi, propriè tamen loquendo non eſſet concluſio Theologica, ſed verum fidei decretum cæteris immediatè revelatis accenſendum.

Obſervandum 4. Et quidem diligenter; concluſionem Theologicam in alio contineri vel tanquam proprietatem in eſſentia, effectum in cauſa; vel tanquam partem in toto, ſingulare in univerſali; vel tanquam implicitum in explicito, verbis æquivalentibus expreſſum, v. g. cùm dico: *Omnis homo eſt riſibilis: Chriſtus eſt homo; ergo Chriſtus eſt riſibilis. Riſibilis* continetur in homine, velut proprietas in natura, aut effectus in cauſa ex qua diſcurrendo eruitur. Cùm verò dico: *Chriſtus pro omnibus hominibus mortuus eſt: Petrus eſt homo; ergo Chriſtus pro Petro mortuus eſt.* Vel: *Quicumque baptiſatus non fuerit, ſalvus non erit; atqui hic infans in utero materno extinctus, baptiſatus non fuit; ergo ſalvus non erit.* Concluſio utriuſque ſyllogiſmi continetur in præmiſſis tanquam pars in toto, ſingulare in univerſali. Unde ſtrictè & accuratè loquendo, non eſt vera concluſio quæ à notioribus ad minùs nota arte Dialectica debet procedere, ſed eſt potius expoſitio ſeu evolutio propoſitionis explicitè revelatæ. Pariter cùm dico: *Chriſtus eſt homo; ergo*

eſt.

est animal rationale. Vel *Christus unus est natura cum Patre; ergo est ei consubstantialis*. Certè conclusio, si conclusio dici possit, verbis æquivalentibus in præmissis exprimitur. Idem quippe est dicere, Christum esse Patri consubstantialem; & eum ejusdem esse cum Patre essentiæ: vel Christum esse animal rationale; ac eum esse hominem. Qui enim hominem dicit, apertè animal rationale significat. His observatis

Quæstio hic non movetur de certitudine vel objecti, vel subjecti, sed tantùm de certitudine medii.

Quæstio pariter non est de conclusione Theologica materialiter considerata, quatenus in præmissis & cum præmissis revelata est; hoc quippe modo ad fidem ipsam pertinet: sed de conclusione formaliter sumpta, quatenus ex præmissis tanquam notioribus, ex legitimis Dialecticæ regulis deducitur.

Quæstio etiam non est de conclusione, quæ tametsi per discursum ex aliis Scripturæ locis eruatur, in se tamen immediatè revelata est; certum enim est illam ad fidem pertinere: v. gr. cùm infertur duas esse in Christo Domino voluntates, quia duæ sunt in ipso naturæ; conclusio certè legitima est, ac rectè infertur ex præmissis; attamen cùm sit etiam in se revelata, & Ecclesiæ judicio definita, non eam tantùm habet certitudinem quæ competit Theologicæ conclusioni, sed & eam quæ propria est omnibus fidei nostræ decretis.

Neque etiam quæstio est de illis conclusionibus quæ in syllogismis expositoriis ex præmissis sequuntur; in quibus, vel tanquam proprietates in essentia, vel tanquam effectus in causa, vel tanquam singulare in universali, vel denique tanquam minùs explicitum in magis explicito necessariò continentur. Ut enim observatum modò fuit, hujusmodi conclusiones accuratè ac propriè loquendo conclusiones non sunt, sed expositiones dumtaxat; seu non sunt illativæ, sed expositivæ.

Igitur quæstio dumtaxat hic volvitur, de conclusionibus formaliter sumptis, quæ ex præmissis tanquam notioribus per veram ac syllogisticam illationem educuntur.

Sunt, maximè inter recentiores, qui existimant conclusionem Theologicam certitudine non superare scientias omnes naturales, præsertim verò notitiam primorum principiorum, quæ per se se evidentissima sunt ac certissima: aliter sensisse videntur antiquiores Scholæ Magistri. Sunt qui inter Theologicas conclusiones distingunt; ajuntque illas ad fidem pertinere, quæ sequuntur ex duabus præmissis de fide, non verò alias, quæ ex una de fide, & altera naturali deducuntur. His præmissis

PRIMA CONCLUSIO.

Conclusiones Theologicæ certitudine vincunt ac superant quascunque scientias naturales.

Probatur. Quia certitudo alicujus conclusionis maximè pendet & æstimanda est ex certitudine motivi formalis quo illa innititur: atqui longè major est certitudo motivi formalis Theologicæ conclusionis, quàm cujuscunque alterius scientiæ. Si quidem certitudo conclusionis Theologicæ profluit ex

ipsa

ipsa revelatione ac veracitate divina, cui impossibile est falsum subesse: certitudo verò scientiæ naturalis fundatur in lumine ipso naturali; quod etsi ratione materiæ seu objecti circa quod versatur, sit aliquando certissimum, ex se se tamen errori & falsitati obnoxium est, ob eas quæ per peccatum humanæ menti tenebras offusæ sunt.

OBJECTIONES.

Dices 1. In syllogismo cujus una præmissa est de fide & altera naturalis, conclusio non potest esse certior præmissa naturali. 1. Quia præmissa naturalis est causa certitudinis ipsius conclusioni; si quidem in ipsam conclusionem influit: quod autem causa est certitudinis alicujus conclusionis, haud dubiè certius est ipsa conclusione; aut saltem conclusio non est causa sua seu præmissa certior, juxta vulgare Scholæ effatum, *Propter quod unum, quodque tale, & illud magis.* 2. Quia ex altero vulgari axiomate, *Conclusio sequitur debiliorem partem*: atqui propositio naturalis debilior est seu imperfectior propositione revelata; ergo conclusio sequitur naturam propositionis naturalis, & consequenter illa certior non est. 3. Vis tota syllogistica in eo posita est, ut *quæ sunt eadem uni tertio, sint eadem inter se*; & quia majus & minus extremum uniuntur in præmissis cum medio termino, idcirco inter se uniuntur in conclusione: nexus quippe medii termini cum duobus extremis est mensura & regula nexus extremorum in conclusione; unde si in altera præmissarum nexus unius extremi cum medio, aut nullus fuerit, aut dubius, aut parum firmus; nexus pariter duorum extremorum in conclusione, aut nullus erit, aut dubius, aut parum firmus: ergo cùm in syllogismo constante una præmissa de fide, & altera naturali, nexus unius extremi, nempe naturalis cum medio termino, certior non sit quacunque alia scientifica conclusione; neque etiam nexus ille in conclusione cum alio extremo, certior esse potest præmissa naturali aut alia quacunque scientifica conclusione.

Resp. Nego antecedens. Ad primam ejus probationem distinguo majorem. Præmissa naturalis est causa certitudinis conclusionis, totalis & adæquata, nego: est causa partialis & inadæquata, iterum distinguo: quatenus conjungitur cum præmissa revelata & in ea virtualiter continetur, concedo: in se & seorsim à propositione revelata, nego. Pariter distinguo min. Quod est causa certitudinis conclusionis adæquata & totalis certius est conclusione, esto: quod est tantùm causa inadæquata & partialis, iterum distinguo: si talis sit ex se & prout cum propositione revelata non conjungitur, esto: si talis sit prout conjungitur cum propositione revelata, nego. Porrò præmissa naturalis neque causa est adæquata certitudinis conclusionis Theologicæ, neque etiam causa est partialis & inadæquata; nisi quatenus cum revelata copulatur, ex cujus consortio longè majorem certitudinem contrahit, quàm si sola foret; & consequenter, conclusio Theologica certior est quacunque scientia naturali. Istud axioma, *Propter quod unum, quodque tale, & illud magis*; locum habet, ubi agitur de causa formali: v. g. quia lumine solis omnia lucida & visibilia fiunt, nihil est solis lumine clarius ac lucidius; locum verò non habet in causa efficiente. Quàm multi enim sunt effectus ipsa causa efficiente nobiliores?

Ad

Ad ſecundam probationem una non eſt reſponſio. Axioma quippe iſtud ; *Concluſio ſequitur debiliorem partem*, multi non extendunt ultra quantitatem & qualitatem propoſitionum: v.g. ſi præmiſſarum una ſit univerſalis, alia particularis, una affirmans, altera negans, concluſio debet eſſe particularis & negans. Addunt alii, axioma illud verum dumtaxat eſſe, quando præmiſſa naturalis ſola influit in concluſionem, non verò quando ſociatur & conjungitur cum revelata ex qua majorem contrahit certitudinem. Alii dicunt, concluſionem ſequi debiliorem partem præmiſſarum, quando inter affectiones propoſitionum nullum datur medium: v.g. quia nullum medium eſt inter propoſitionem affirmantem & negantem, univerſalem & particularem, certam & incertam, idcirco fit ut ſi una ex præmiſſis ſit univerſalis & altera particularis, una negans, altera affirmans, una certa & altera incerta, concluſio debeat eſſe particularis, negans & incerta: at verò cùm inter propoſitiones quarum una eſt de fide & altera naturalis, detur aliquod medium, nempe certitudo minor quidem certitudine fidei, ſed major certitudine alterius cujuſcunque propoſitionis naturalis ſolitariè ſumptæ, & non conjunctæ cum propoſitione revelata; idcirco in hujuſmodi ſyllogiſmis mixtis, concluſio non ſequitur debiliorem partem, ſed certior eſt propoſitione ſimpliciter naturali. Addunt aliqui, etiam in ſyllogiſmis mixtis concluſionem aliquo ſenſu ſequi debiliorem partem, quia ſequitur propoſitionem mediatè ſaltem revelatam, quæ cùm ſit obſcura & inevidens, hoc ſenſu pars debilior dici poteſt. Denique reſpondent nonnulli, concluſionem ſyllogiſmi mixti hoc ſenſu debiliorem partem ſequi, quòd non adæquet eam omnem certitudinem quæ propria eſt præmiſſæ à Deo revelatæ: etſi enim certior ſit propoſitione naturali, non tamen æquè certa eſt, ac propoſitio de fide.

Ad tertiam probationem: fatemur iſtud axioma, *Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe*, fundamentum eſſe totius artis ſyllogiſticæ; atque duo extrema uniri inter ſe in concluſione, quia uniuntur in præmiſſis cum medio termino. Verùm negamus quod inde infertur; nempe ſi unum extremorum ſit naturale ac minùs certum, concluſionem eſſe pariter minùs certam, nec conſequenter certiorem quacunque alia ſcientia. Ratio eſt quia propoſitio naturalis, ut ſæpius dictum fuit, non influit in concluſionem, niſi quatenus copulatur & conjungitur cum altera præmiſſa revelata; adeoque longè majorem ex tali unione atque conſortio certitudinem conſequitur, quàm ſi ſola foret. Unde in ejuſmodi ſyllogiſmis mixtis, medius terminus non ſumitur à ratione, ſed à revelatione; nexus verò medii cum majore extremo, cùm ab adverſario negatur, per rationis principia oſtenditur, non quidem ad confirmandam medii veritatem, ſed tantum connexionis illius cum majore extremo. V. g. cùm dico: *Chriſtus eſt homo verus; ergo habet verum corpus*. Medius terminus eſt propoſitio de fide, nempe *Chriſtus eſt homo verus*. Major verò, *quòd omnis homo verus habeat verum corpus*, petitur à ratione. Unde in talibus argumentis, emergit concluſio Theologica à medio inferente; & Logica, à ratione quæ conſequentiam nectit, altera præmiſſarum, quæ eſt de fide, vim ſuam communicante concluſioni: eatenus ut quoad materiam & conſequens, ſola revelatione nitatur; licèt quoad formam & conſequentiæ modum, pendeat à ratione. Nec tamen

tamen hinc sequitur conclusionem esse de fide, quatenus formaliter conclusio est; quia discursu nititur, saltem tanquam organo & instrumento quo deducitur ex præmissis.

Dices 2. Conclusio Theologica certior esse non potest notitia primorum principiorum, qualia sunt v. g. ista. *Quodlibet est vel non est. Impossibile est idem simul esse & non esse. Totum est majus sua parte, &c.*

Probatur 1. Eo quod est in se certissimum, nihil dari potest certius: atqui prima hæc principia certissima sunt, quibus impossibile est falsum unquam subesse. 2. Longè firmiùs his principiis adhæret intellectus minùsque de iis dubitat, quàm de conclusionibus Theologicis de quibus quotidie in Scholis disputatur.

Resp. Distinguo ant. Conclusio Theologica certior esse non potest certitudine objecti, notitia primorum principiorum, concedo: certitudine motivi formalis, nego. In præsenti quæstione non comparatur res cum re, veritas cum veritate, sed motivum cum motivo. Ello ex parte objecti firmissima sit & maximè evidens primorum principiorum veritas; attamen ex parte motivi, de quo uno hic controversia est, major certitudo videtur esse & fidei & conclusionis Theologicæ, quàm notitiæ primorum principiorum: quia scilicèt ista oritur ex lumine naturali; illa verò ex lumine fidei: tantum autem distat certitudo formalis luminis fidei a certitudine luminis naturalis, quantum distat Deus à creatura; & tam præstat cuilibet intelligentiæ fides, ut si per impossibile ipsa deficeret intelligentia, fides tamen incolumis & salva remaneret.

Ad primam probationem distinguo ant. Eo quod est certissimum, tùm ex parte objecti tùm ex parte motivi formalis, nihil dari potest certius, concedo: quod est certissimum ex parte tantùm objecti, atqui prima principia certissima sunt ex parte objecti, concedo: ex parte motivi, comparatione facta ad motivum formale fidei, nego.

Ad secundam distinguo. Intellectus humanus longè firmiùs adhæret primis principiis quàm fidei & conclusioni Theologicæ, per accidens & propter obscuritatem objecti quod creditur, & imperfectionem hominis credentis, concedo: propter majorem certitudinem motivi formalis scientiæ naturalis, nego. Probaret hoc ipsum argumentum, si quid momenti haberet, etiam scientias naturales certitudine superare ipsam fidem, quia nempe aliquando fit, ut mens nostra firmiùs adhæreat evidenti rei naturalis cognitioni, quàm ipsi fidei: atqui hoc certè perabsurdum esse nemo negaverit. Ad alium momentum, nempe intellectum minùs dubitare de primis principiis quàm de conclusione Theologica, distinguo: dubitatione indeliberata, concedo: dubitatione deliberata, nego. E quidem intellectus plures indeliberatos dubitationis motus patitur circa conclusionem Theologicam, imò & circa fidem ipsam, quàm circa notitiam primorum principiorum, ob ineviden tiam scilicèt objecti; neque tam inferri inde potest, fidem minùs esse certam notitiam primorum principiorum. Nam que motus illi dubitationis indeliberati, vel transeunt in deliberatos & voluntarios, vel non: si non transeant in deliberatos & voluntarios, fidem magis augent ac roborant, quàm infirment: si autem transeant in deliberatos & voluntarios, sanè per accidens est, ex parte scilicèt subjecti cognoscentis, nempe intellectus, qui

cùm

cùm infirmus sit, fidei obscuræ & inevidentis jugum excutere nititur; non verò ex parte motivi formalis fidei, ad quod si tantisper mens attenderet, longè velociùs ac firmiùs inclinaretur ad credenda omnia quæ sunt à Deo revelata. *Neque enim*, ait appositè S. Chrysost. Hom. 21. in Epistolam ad Hebræos, *si de iis quæ non cadunt sub aspectum, non apertius fuerit quisquam persuasus, quam de iis quæ videntur, non potest esse fides.* Ed. ver. p. 1891.

Quod additur, in Scholis sæpissimè controversiam moveri de conclusionibus Theologicis, verum quidem est ac fatemur: verùm ut plurimum conclusiones illæ verè ac propriè non sunt Theologicæ, quæ deducantur ex duplici præmissa de fide, aut ex una revelata & altera naturali; certa quippe est & inconcussa hujusmodi conclusionum veritas: aut si de iis disputatur, non animo dubitandi, sed vel defectu penetrationis, vel ad majorem veritatis elucidationem, vel ad ingenii exercitium. Disputationes ergo illæ Scholasticæ, versantur circa conclusiones dumtaxat probabiles, quæ nituntur medio tantùm probabili, non fidei motivo.

Dices 3. Lumen rationis quo primorum principiorum veritatem apprehendimus, à Deo est auctore ac parente, perinde ac lumen ipsum fidei: ergo utrumque parem certitudinem habet; nec magis uni, quàm alteri falsum subesse posset: aliàs, Deus ipse auctor foret erroris, in quem induceremur.

Resp. Lumen rationis & fidei ab uno quidem & eodem auctore Deo dimanare, sed diversa prorsus ratione: lumen rationis est à Deo, utà prima causa exemplari & efficiente; lumen autem fidei, ut à prima veritate in dicendo, & objecto formali motivo. Porrò lumen quod à Deo est ut à prima veritate revelante, longè certius est & ab omni erroris umbra remotius, quàm lumen rationis naturalis. Istam quidem puram ac lucidam homo in ortu suo à Deo accepit; sed per peccatum maximè obscurata fuit & inclinata, multisque erroribus obnoxia, ad quos, si sola fuerit nec lumine superiori collustrata, ex se se precipitat ruit. Non ita certè lumen fidei, quod ad verum semper inclinat ac ducit: quapropter longè magis repugnat ac planè implicat, fidei falsum subesse, quàm cuilibet rerum naturalium scientiæ.

SECUNDA CONCLUSIO.

Conclusio Theologica præcisè, seu quatenus conclusio est ex præmissis per discursum deducta, ad fidem non pertinet, nec consequenter æqualis est cum fide certitudinis.

Probatur. Quia ea conclusio ad fidem non pertinet, nec paris est cum fide certitudinis, quæ solo fidei motivo non innititur: atqui talis est conclusio Theologica præcisè, seu quatenus conclusio est ex præmissis per discursum deducta; innititur enim partim in revelatione saltem mediata, partim in connexione quam mediante discursu deprehenditur habere cum præmissis. Porrò etsi connexio hæc, virtute formæ syllogisticæ necessaria sit, cùm tamen per humanum discursum illa deprehendatur, sive discursus verum sit medium ac motivum, sive tantùm organum & instrumentum conclusionis; (parùm enim interest quo nomine donetur) & aliunde discursus

curſus ille poſſit eſſe errori obnoxius, certè Theologica concluſio præcisè ut concluſio eſt, non eſt de fide, nec fidei certitudinem adæquat.

OBJECTIONES.

Dices 1. Talis eſt concluſio, quales ſunt præmiſſæ : ſed concluſionis Theologicæ præmiſſæ aliquando ſunt de fide, v. gr. in iſto ſyllogiſmo.

Omnis homo habet animam immortalem:
Chriſtus eſt homo;
Ergo Chriſtus habet animam immortalem. Ergo concluſio illa eſt de fide.

Reſp. Diſtinguo maj. Talis eſt concluſio, aliqua ex parte, quales ſunt præmiſſæ, concedo: quoad omnia, nego. Sic v. g. concluſio debet eſſe certa, evidens, aut obſcura, pro conditione præmiſſarum è quibus deducitur: non tamen eodem gradu certitudinis & evidentiæ, ut docent Dialectici; præmiſſæ quippe debent eſſe evidentiores. In omni etenim legitimo diſcurſu, fit progreſſus à notiori ad minùs notum.

Inſtabis 1. Quod continetur in præmiſſis ex quibus per evidentem ac neceſſariam connexionem educitur, paris eſt certitudinis cum illis: atqui concluſio in ſyllogiſmo mox adducto, per evidentem ac neceſſariam connexionem educitur ex præmiſſis. In hoc enim vis tota ſyllogiſtica poſita eſt, ut quæ ſunt eadem uni tertio ſint eadem inter ſe; & quia majus & minus extremum uniuntur in præmiſſis cum medio termino, in concluſione inter ſe conjunguntur.

Reſp. Diſtinguo. Paris eſt certitudinis cum præmiſſis, quatenus in illis continetur, & revelatùm eſt à Deo, concedo: quatenus per diſcurſum ex illis infertur, nego. Reſponſio patet ex prænotatis, ubi diximus concluſionem vel ſpectari materialiter, & quatenus revelata eſt in præmiſſis; vel formaliter, quatenus per diſcurſum ex præmiſſis deducitur: priori modo ſpectata, eſt de fide; non poſteriori, quia diſcurſu nititur, qui errori eſt obnoxius.

Inſtabis 2. Connexio concluſionis cum præmiſſis in ſyllogiſmo adducto, eſt neceſſaria & infallibilis vi formæ ſyllogiſticæ; ergo ejuſdem eſt certitudinis cum præmiſſis.

Reſp. Nego conſequentiam. Idcirco enim concluſio hæc non eſt ejuſdem certitudinis cum præmiſſis, quia ſpectatur quatenus vi formæ ſyllogiſticæ ex præmiſſis eruitur. Cùm enim forma illa ſyllogiſtica pendeat ex diſcurſu & humana Philoſophia, cui falſum poteſt ſubeſſe, conſequenter concluſio illa non poteſt eſſe de fide: fides etenim nunquam poteſt errori ſubjacere. Jam obſervatum fuit, in hujuſmodi ſyllogiſmis, in quibus duæ ſunt præmiſſæ expreſsè à Deo revelatæ; concluſiones quæ inferuntur, ſtrictè ac propriè loquendo non eſſe veras concluſiones, ſed potius propoſitiones à Deo expreſsè in præmiſſis revelatas, eaſque evolvi potius & exponi, quàm per veram illationem deduci.

Dices 2. Propoſitio iſta: *Chriſtus habet duas voluntates*, non niſi per diſcurſum infertur ex iſta, *Chriſtus conflat duplici natura, divina & humana*;

ergo duplicem habet voluntatem, unam divinam, alteram humanam: atqui concluſio hæc pertinet ad fidem, quam qui negarunt, velut hæretici ab Eccleſia proſcripti ſunt.

Reſp. Nego ant. Propoſitio enim iſta: *Chriſtus duas habet voluntates*: expreſsè in Scripturis revelata eſt & ab Eccleſia ſubinde definita: unde meritò tanquam Hæretici damnati ſunt Monothelitæ, quòd eam impugnarent. Fatemur equidem propoſitionem illam legitimè quoque inferri ex iſta, *Chriſtus duas habet naturas*; at prout infertur, & eſt; ut diximus, formaliter concluſio, ad fidem non pertinet.

Inſtabis 1. Ea propoſitio de fide eſt, quam qui negat, Hæreticus habetur: atqui talis eſt iſta propoſitio: *Chriſtus habet duas voluntates*.

Reſp. Diſtinguo maj. Si Hæreticus habeatur, eò quòd neget concluſionem per evidentem diſcurſum ex præmiſſis deductam, & quatenus formaliter concluſio eſt, concedo: Si Hæreticus habeatur, eo quòd neget propoſitionem expreſsè revelatam in Scripturis & ab Eccleſia definitam, nego. Porrò, qui negat concluſionem illam ex principio neceſſario nexu conſequentem; abſurdus quidem cenſetur & in errore verſari; ſed tanquam Hæreticus non traducitur ac damnatur, niſi quatenus negat propoſitionem revelatam à Deo & ab Eccleſia definitam.

Inſtabis 2. Qui negat concluſionem ex præmiſſis de fide, per neceſſariam connexionem deductam, ille præmiſſas ipſas negare cenſetur in quibus concluſio continetur; ergo formaliter Hæreticus eſt.

Reſp. Nego ant. Ille enim negare dumtaxat cenſetur connexionem concluſionis cum præmiſſis quam non ſatis intelligit, non verò ipſas præmiſſas: unde non eſt formaliter Hæreticus, ſed tantùm præſumitur talis eſſe; & arte Dialectica eò poteſt adduci, ut vel reducatur ad impoſſibile, vel ipſas præmiſſas apertè rejiciat.

Dices 3. In omni aſſenſu fidei, occurrit etiam diſcurſus humanus, ſaltem tanquam partiale motivum; idcirco enim credimus rem aliquam, quia eſt revelata; & idcirco rem revelatam credimus veram eſſe, quia à Deo falli & fallere neſcio revelata eſt: quo in ratiocinio particula iſta, *Quia*, cauſam ſeu motivum aſſenſus deſignat; ergo tametſi in concluſione Theologica diſcurſus interveniat tanquam partiale motivum, non obſtat quominus concluſio illa verè pertineat ad fidem. Adde Eccleſiam nonniſi prævio examine, ſtudio, labore, induſtria & diſcurſu, ſua circa fidem decreta condere: diſcurſus ergo non obſtat quominus concluſio Theologica ad fidem pertinere dicatur.

Reſp. Nego ant. Unicum enim motivum formale aſſenſus qui fidei datur, eſt divina revelatio; diſcurſus autem, ratiocinium, &c. eſt tantùm conditio prævia, ſeu organum & inſtrumentum quo mens humana utitur, ut quæ revelata ſunt deprehendat; Traditionis ſeriem non interruptam expendat; varia credibilitatis motiva diſcutiat; ſunt enim hæc ad fidem ſuſcipiendam prævia & præambula: ſed motivum formale aſſensûs, unica ſuppeditat divina revelatio, cui tanquam cauſa dirigens accedit auctoritas Eccleſiæ, quæ infallibili judicio proponit ad credendum, quæ ſunt à Deo revelata. Ad id quod addiſcurſu conduntur, eadem eſt reſponſio. Iſta quippe præſupponuntur, tanquam conditiones neceſſariæ detegendæ veritati, non tanquam motivum

quo

quo ducitur Ecclesia ut circa fidem supremo judicio pronunciet. Humano quidem studio ac labore, revelatio facta investigatur, detegitur; sed res revelata non creditur, nisi ex revelantis auctoritate. Ratio fidei præire debet, obices removendo; fides autem rationi, assensum mentis imperando. Definitio Ecclesiæ circa dogma, fidem spectat; argumenta verò, ratiocinia, concertationes & alia id genus quæ definitioni prævia esse solent, fidem quidem juvant & illustrant plurimùm, sed ad eam non pertinent. Unde sapienter omnino Patres Tridentini probationes, argumenta & momenta doctrinę, Capitibus; definitiones verò & decreta fidei, Canonibus concluserunt.

Instabis 1. Sicut in propositione de fide duplex occurrit assensus, unus humanus, quo credimus talem propositionem esse revelatam; alter infusus quo adhæremus tali propositioni quia est revelata: ita prorsus in conclusione Theologica duplex distingui debet assensus; unus humanus, quo talis conclusio ex præmissis evidenter educitur; alter divinus & infusus, quo illi assentimur quatenus mediatè saltem revelata est. Ergo sicut in propositione de fide, prior assensus humanus non impedit quominus propositio sit de fide; ita pariter quamvis in conclusione Theologica prior assensus sit humanus, conclusio tamen de fide est, quia per divinum fidei lumen inclinamur ad assensum ei præbendum.

Resp. Nego ant. in quo duo prorsus falsa supponuntur. 1. Nos humano assensu credere rem aliquam esse revelatam; non ita est: credimus eam esse revelatam, quia Ecclesia, quæ est columna & firmamentum veritatis ac sola verborum Christi infallibilis Interpres, eam nobis tanquam à Deo revelatam proponit ad credendum; & ea duce ac magistra, credimus eadem prorsus fide, & revelationem ipsam, & rem revelatam. 2. Et istud quoque falsò supponitur, nempe assensum quo conclusioni Theologicæ acquiescimus, esse supernaturalem: ei quippe assentimur, non propter fidei lumen immediatè, sed propter evidentem connexionem, quæ per discursum apprehenditur esse inter conclusionem & præmissas.

Instabis 2. Conclusio Theologica tametsi mediante discursu ex præmissis deducta, certior est alia quacunque scientia naturali: quid ni ergo & certitudinem fidei adæquabit? Ideo quippe certior est, quia sequitur saltem ex una præmissa de fide, in qua virtualiter continetur; sed ob eam ipsamcausam, videtur esse ejusdem certitudinis cum præmissa de fide in qua continetur.

Resp. Certitudinem conclusionis Theologicæ, & certitudinem fidei diversi esse ordinis: hæc supernaturalis est, illa naturalis. In certitudine autem naturali, varii sunt gradus. Conclusio Theologica in ordine naturali majorem consequitur certitudinem, propter unionem & consortium quod habet cum propositione revelata: non tamen adæquat totam fidei certitudinem, quia hæc oritur à revelatione immediata quæ discursu non innititur, sed auctoritate Dei; certitudo verò conclusionis Theologicæ, ex revelatione mediata quæ indiget discursu, ut ab illa propositione, in qua mediatè revelata est ac continetur, inferatur. Cùm autem discursus possit esse errori obnoxius, consequenter talis conclusio omnem fidei certitudinem assequi & obtinere non potest.

Instabis 3. Sicut in scientiis naturalibus major est certitudo propositionis immediatæ, quàm mediatæ, ita dici quoque non immeritò potest, eo-

dem

dem lumine fidei certiùs nos assentiri propositionibus immediatè revelatis, quàm aliis mediatè dumtaxat revelatis; tametsi omnes illæ propositiones ex æquo ad fidem pertineant.

Resp. Nego ant. Disparitas est, quia lumen naturale æquali certitudine & evidentia non fertur circa omnia objecta naturalia: è contra, fides æqualem & parem habet circa omnia quæ sunt à Deo revelata veritatem & certitudinem, quæ fundatur in veracitate Dei revelantis; & consequenter æqualiter inclinat intellectum ad assentiendum omnibus rebus à Deo revelatis, & ab Ecclesia ad credendum nobis propositis.

ARTICULUS TERTIUS.

An Theologia subalternetur scientiæ Dei & Beatorum.

SUbalternatio scientiæ, est specialis dependentia unius scientiæ ab altera.

Tres conditiones requiruntur, ut una scientia sit alteri subalternata.

1. Ut utriusque scientiæ, superioris & inferioris, idem sit objectum; sed contractum per aliquam differentiam accidentalem in scientia inferiori.

2. Ut subalternata suorum principiorum probationes à subalternante mutuetur: talis est v. g. Medicina respectu Physicæ.

3. Ut possint simul compati in eodem subjecto. His positis

CONCLUSIO.

Theologia nostra non est subalternata scientiæ Dei & Beatorum.

Probatur. Quia desunt conditiones mox expositæ. Prima quidem, quia etsi idem sit objectum Theologiæ nostræ ac Beatorum, nempe Deus, non contrahitur tamen per aliquam differentiam accidentalem à nostra Theologia, quæ differentia sit principium aliquarum conclusionum pertinentium ad solam nostram Theologiam: quia idem planè est objectum formale quod, scilicet deitas sub ratione deitatis. Evidentia enim vel obscuritas, non est differentia contrahens objectum ad certam scientiam.

Secunda etiam conditio deest: quia Theologia nostra planè independens est à scientia Beatorum.

Tertia denique conditio hìc desideratur: quia non potest simul in eodem subjecto compati Theologia obscura & inevidens, cum scientia clara & intuitiva.

ARTICULUS QUARTUS.

Utrum & quomodo Theologia sit argumentativa.

ARgumentari est unum ex alio inferre: illud verò ex quo aliquid infertur, vocatur principium. Habet autem disciplina quælibet quosdam fontes quos scientiæ principia dicimus: porrò, Theologiæ nostræ fontes

seu principia & fundamenta, sunt veritates à Deo ipso revelatæ, ex quibus Theologia suas conclusiones discurrendo derivat & elicit.

Quæstio est, an & quomodo Theologia sua probet principia.

Observa: duobus modis rem aliquam probari posse; positivè nimirum & negativè. Positivè, cùm probatur per medium positivum, quod evidentem & necessariam habet cum re probata connexionem. Negativè autem res aliqua probatur, cùm refelluntur argumenta quibus illa impugnatur; & ostenditur ea satis firma non esse, ut mysteria evertat, & mentem à suscepta fide dejiciat. Sit itaque

PRIMA CONCLUSIO.

Theologia nostra est argumentativa.

Probatur. Quia proprium Theologiæ officium est, ut ex rebus à Deo revelatis ea inferat quæ cum illis connexionem habent; ut reddat *nos paratos ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea quæ in nobis est spe*; ut fidei veritatem strenuè defendere, ac pervicaces Hæreticos redarguere possimus: at sine discursu & argumentatione hæc assequi Theologia non potest. Istud haud dubiè volebat Apost. cùm dixit 2. ad Timoth. 3. v. 16. *Omnis scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia.* Et ad Titum 1. v. 7. & 9. *Oportet Episcopum sine crimine esse . . . . amplectentem eum qui secundùm doctrinam est fidelem sermonem: ut potens sit exhortari in doctrina sana & eos qui contradicunt arguere.* Christum & Apostolos multiplici argumentatione usos esse, ut fidei mysteria comprobarent ac contradicentes redarguerent, suprà ostendimus, cùm de legitimo rationis ac humanæ Philosophiæ usu in rebus Theologicis, agebamus.

Ex auctoritate autem seu revelatione Dei, tanquam ex proprio ac nativo principio, potissimùm argumentatur nostra Theologia: *Utitur etiam*, ait hic S. Th. art. 8. ad 2. *humana ratione, non quidem ad probandum fidem, (quia per hoc tolleretur meritum fidei) sed ad manifestandum aliqua alia, quæ traduntur in hac doctrina . . . Inde est*, pergit S. Th. *quòd etiam auctoritatibus Philosophorum sacra doctrina utitur . . . . quasi extraneis argumentis & probabilibus. Auctoritatibus autem Canonicæ Scripturæ utitur propriè ex necessitate argumentando.*

SECUNDA CONCLUSIO.

Theologia quæ naturalis Philosophiæ opera & principis utitur, potest evidenter ac positivè ea principia demonstrare, quæ sunt lumine ipso naturali cognita atque perspecta. Ita potest demonstrare Deum esse, & quidem unum ac perfectissimum.

Conclusio ex se se clara est ac evidens, nec ulla indiget ulteriori probatione.

TER-

TERTIA CONCLUSIO.

Theologia positivè ea principia probare potest, quæ tametsi revelata sint & ad fidem pertineant, in alio tamen tanquam in fonte ac principio continentur, unde necessario consecutionis nexu inferuntur. V. g. positivè probat Theologus, duas esse in Christo voluntates, ex eo, quòd duæ sint in ipso naturæ perfectæ, divina scilicet & humana.

Probatur. Quia proprium est scientiæ alicujus, nosse causas, rationes seu fundamenta ex quibus consectaria quædam necessariò inferuntur: atqui ex isto dogmate immediatè revelato, duas esse in Christo naturas, necessariò sequitur duas quoque in ipso agnosci debere voluntates. Quo invicto argumento à SS. Ecclesiæ Doctoribus coarctabantur olim Monothelitæ, ut nempe vel unicam cum Eutychianis in Christo naturam agnoscerent, quod illi negabant; vel duas cum Catholicis voluntates. Alterutrum enim necessarium prorsus est, ut si unica sit in Christo natura, unica quoque sit voluntas; si verò duæ sint naturæ, sicut duas esse expressè revelatum fuit, duæ quoque sint voluntates: istud enim in altero mediatè revelatum à Deo fuit.

QUARTA CONCLUSIO.

Potest aliquando Theologus argumento, ut dicitur, ad hominem, positivè probare sua principia prima & immediata, quæ sola revelatione divina cognoscuntur.

Probatur. Quia Theologus qui v. g. contra Judæos disputat, potest ex veteri Testamento, quod Judæi admittunt, invictè demonstrare advenisse jam Messiam toties promissum; conferendo scilicet Prophetias cum eventu, & omnes temporis circumstantias quibus futurus ille Messiæ adventus consignatur.

QUINTA CONCLUSIO.

Theologia non potest evidenter ac positivè probare, sive à priori sive à posteriori, sua prima & immediata principia, quæ sola Dei revelatione immediata cognoscuntur.

1. Ea probari non posse à priori, res est per se clara. Cùm enim principia illa prima sint & immediata, nulla se priora, unde tanquam à causa demonstrari possint, supponunt.

2. Non possunt etiam demonstrari vel probari à posteriori. Tùm quia capita illa fidei à Deo revelata nullam habent evidentem ac necessariam cum rebus creatis connexionem: tùm quia omnis demonstratio fit à notiori ad minùs notum; sed quæ mediatè in alio tanquam in principio revelata sunt, non sunt eo principio notiora, imò non cognoscuntur, nisi quatenus in principio immediatè revelata continentur.

SEXTA CONCLUSIO.

Theologia saltem negativè probare potest omnia sua principia quæcumque illa sint.

Probatur. Quia negativè probare hìc nihil aliud est quàm dissolvere argumenta quæ contra fidem proponuntur; atque in eo potissimum versatur Theologorum industria, ut diluant quæcumque ab infidelibus, vel ab hæreticis contra fidei nostræ mysteria opponuntur: necesse enim est ea prorsus esse falsa, quæ veritati à Deo revelatæ contradicunt; verum enim verò non adversatur. Quòd si pro tenuitate nostra nonnulla satis liquidò extricare & enodare non valemus, non minùs firma & constans debet esse fides nostra, quæ est argumentum seu convictio rerum non apparentium; atque humani ingenii Deo obloquentis reprimenda temeritas ac superbia. *Etsi*, dicebat S. Augustinus L. 3. de peccat. mer. & remiss. c. 4. nu. 7. *refellere eorum argumenta non valeam; video tamen inhærendum esse iis quæ in Scripturis sunt apertissima, ut ex his revelentur obscura.* Quamvis autem non possit Theologus evidenter, evidentia, ut vocant, intrinseca, diluere omnia quibus fides impugnatur, argumenta, potest tamen evidentia extrinseca, ex splendidis motivis credibilitatis ducta, quæ tantam præ se ferunt lucem, ut nullus sanæ mentis consensum suum cohibere possit.

T. 10. p. 74. C.

QUÆSTIO QUARTA.

De Locis Theologicis.

Loci Theologici dicuntur promptuaria quædam seu domicilia, ex quibus Theologia sua depromit argumenta.

Duplex generatim affignari potest Locus Theologicus; auctoritas scilicet & ratio. Sic etenim comparata est humana mens, ut assensum ejus sola vel auctoritas dicentis, vel evidentia objecti exprimere possit. Ubi ergo deest evidentia objecti, & mentis assensus exigitur, necesse est eam supremæ cujusdam ac infallibilis auctoritatis motivo ad credendum determinari. In rebus autem ad religionem pertinentibus, auctoritatem dicentis primas partes habere, rationem verò secundas, quæ auctoritati subjici ac subservire debeat, non dominari, jam demonstratum à nobis fuit. *Cùm in reliquis disciplinis*, ait eleganter Canus, *primum locum ratio teneat, postremum auctoritas, Theologia una est, in qua, non tam rationis in disputando, quàm auctoritatis momenta quærenda sunt.* Quamquam enim fidei nostræ mysteria ex motivis credibilitatis extrinsecam quamdam, ut mox diximus, evidentiam & lucem mutuentur; *Testimonia tua*, ait Psaltes Regius Psal. 92. v. 5. *credibilia facta sunt nimis*: habent tamen semper innatam ac intrinsecam obscuritatem, qua fit, ut non nisi Dei revelantis, & Ecclesiæ, quæ sunt à Deo revelata, proponentis auctoritate credi possint. Evidentiam illam externam junctam cum interna obscuritate designasse videtur S. Petrus Ep. 2. c. 1. v. 19. ubi Prophetiam comparat lucernæ lucenti in caliginoso loco.

Decem

Decem vulgò numerantur Loci Theologici.

1. Eſt auctoritas Scripturæ ſacræ.
2. Auctoritas Traditionis.
3. Auctoritas Eccleſiæ.
4. Auctoritas Conciliorum.
5. Auctoritas Apoſtolicæ Sedis & SS. Pontificum.
6. Auctoritas SS. Patrum.
7. Theologorum Scholæ, quibus jungendi Juris Canonici Doctores.
8. Rationis.
9. Philoſophorum.
10. Hiſtoricorum.

De his omnibus Melchior Canus, inſignis ex familia Dominicanorum Theologus ac Epiſcopus Canarienſis, doctè ac copiosè diſſeruit in Opere quod inſcripſit, *De locis Theologicis*. Opus certè tùm ſingulari eruditione, tùm ſtyli nitore ac elegantia eximium ac præclarum, cujus lectio prædicari ſatis ac commendari non poteſt.

Non eſt autem præſentis noſtri inſtituti ſingulos illos Locos fuſiùs exponendò proſequi; copioſior etenim illorum tractatio, ſuis propriis locis reſervanda eſt. Sufficiat ergo nobis generalem quamdam eorum Locorum notionem ac ideam indicaſſe, ac ſummà dumtaxat eorum capita ſtrictim per quædam quæſita & reſponſa delibaſſe.

De Scriptura ſacra.

QUæres 1. Quid ſit Scriptura ſacra?

Reſp. Eſſe verbum Dei nobis à Deo revelatum, manifeſtatum per Eccleſiam ac litteris exaratum. 1. ad Theſſal. c. 2, v. 13. *Gratias agimus Deo ſine intermiſſione*, ait Apoſtolus, *quoniam cùm accepiſſetis à nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud, non ut verbum hominum, ſed ſicut eſt verè, verbum Dei, qui operatur in vobis qui credidiſtis*. 2. ad Timot. 3. v. 16. *Omnis Scriptura divinitùs inſpirata, utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad erudiendum in juſtitia*.

2. Petri 1. v. 19. Scriptura generatim appellatur, firmior Propheticus ſermo, & v. 20. ac 21. *Hoc primùm intelligentes*, ait Apoſtolorum Princeps, *quòd omnis Prophetia Scripturæ propria interpretatione non ſit. Non enim voluntate humana allata eſt aliquando Prophetia, ſed Spiritu ſanctò inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines*. Prophetiæ verò ac Prophetarum nomine, generatim intelliguntur tùm ipſæ Scripturæ, tùm Scriptores ſacri, non modò qui futura prænunciant, ſed qui præterita etiam narrant. *Sciendum eſt*, ait Theodoretus præfatione in Pſalmos, *Prophetiæ proprium eſſe, non ſolùm futura prædicere, verùm etiam & præterita & præſentia narrare. Quandoquidem divinus Moſes, quæcumque à prima origine à Deo univerſorum condita ſunt, & ab eo ut eſſent acceperunt, manifeſtiſſimè nobis aperuit, non ab hominibus hanc doctrinam, ſed à gratia Spiritus ſancti edoctus*. T. 1. p. 395. Edit. Sirm.

Atque ex illa divina origine fluit, quæ ſuprema eſt, verbi Dei veritas & auctoritas. Addimus, verbum Dei per Eccleſiam nobis manifeſtari; non tantùm quoad ſenſum & interpretationem, ſed etiam quantùm ad veritatem,

seu existentiam. Ad Ecclesiam quippe pertinet determinare qui sint libri Canonici, qui verò non sint. Unde celebre istud S. Augustini dictum, *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoveret auctoritas.*

Queres 2. An quidquid extat in Scripturis sit divinitus revelatum aut inspiratum? Et, quid discriminis statuendum sit, inter revelationem, inspirationem & directionem seu specialem assistentiam? Ut verò propositæ quæstioni respondeas,

Observa 1. Tria hæc in sacris Litteris distinguenda esse: nempe res, seu sententias; verba; & verborum seriem ac structuram seu stylum.

Res verbis expressæ, vel sunt dogmata quædam, seu sententiæ, quæ fidem vel mores spectant; vel præteritorum temporum historiæ; vel prædictiones futurorum; vel leges ac præcepta quibus homines ad virtutem informantur, & retrahuntur à vitiis.

Verba, sunt ipsæ voces, quibus sacri Contextus mens ac sensus exprimitur. Stylus denique, est verborum ordo, series, structura & compositio.

Observa 2. Triplicem in Scriptoribus sacris distinguendam Dei operationem: nempe revelationem, inspirationem, ac specialem directionem seu assistentiam.

Revelatio propriè ac strictè sumpta, est rei antea ignotæ facta divinitus declaratio seu manifestatio.

Inspiratio est motus quidam seu incitatio interior, qua Deus scriptorem movet & excitat ad scribendum, & ad delectum eorum quæ vult ut ab eo scribantur.

Assistentia verò seu specialis directio, est singulare divini Spiritus auxilium, quo fit ut auctor sacer nihil unquam falsi scribere possit. Inter revelationem & inspirationem discrimen esse patet, tùm ex ipsa utriusque mox adducta definitione; tùm maximè ex eo quod refertur Joan. 11. v. 50. Nempe dixisse Caiphan: *Expedit vobis ut unus homo moriatur pro populo.* Quod quidem ex secreto impulsu seu inspiratione protulit, non ex revelatione: neque enim revelatum ipsi fuerat; nec dum sciebat ille Jesum pro salute generis humani cruci esse affigendum, *Hoc autem*, ait Scriptura, *à semetipso non dixit, sed cùm esset Pontifex anni illius, prophetavit quòd Jesus moriturus erat pro gente, & non tantùm pro gente, sed ut filios Dei qui erant dispersi congregaret in unum.* *Ibid. v. 51. 52.*

Ex ambigua & æquivoca significatione vocis, *inspirationis*, orta videtur gravis illa discordia quæ inter Doctores Lovanienses ac Duacenses ex una parte, & nonnullos è Societate Jesu Theologos ex altera exarsit an. 1588. quæ nostro quidem judicio componi facilè potuisset, si fixa & determinata fuisset verborum significatio.

Ad propositam igitur quæstionem,

Resp. 1. Circa inspirationem sacræ Scripturæ quatuor circumferri opiniones.

Prima, non tantùm res & sententiasr sed etiam singula verba, imò & apices verborum, stylum ac sermonis texturam à Spiritu sancto inspirante ac movente esse contendit. Ita Theologi Lovanienses & Duacenses in Censura anni 1588.

Secunda priori è diametro contraria, nec verba, nec ipsas etiam res seu sen-

ſententias inſpirationi divinæ aſcribi debere, quòd nempe Prophetæ & Apoſtoli in multis ut homines plerumque locuti fuerint; memoria lapſi, ac humanis affectibus abrepti. Ita quondam Anomæi, referente S. Epiphanio Hæreſi 76. & inter recentiores Eraſmus, & auctor Anonymus cujuſdam Commonitorii, de quo in undecima & duodecima Epiſtola Scripti Gallici, cui titulus, *Sentimens de quelques Theologiens d'Hollande &c.* Quin & ipſe impius Spinoſa in Tractatu Theologico politico, contendunt revelationem & inſpirationem accommodari, tùm ad indolem, tùm ad vim imaginandi, tùm ad præconceptas opiniones Prophetarum etiam falſas, quibus Deum etiam uſum fuiſſe putant, ut voluntatem ſuam declararet.

Tertia ſententia inter duas extremas media, eorum eſt, qui exiſtimant neque verba, neque ſtylum, nec omnes omnino ſententias & hiſtorias eſſe à Spiritu ſancto ſpecialiter revelante ſeu inſpirante, ſed dirigente dumtaxat & aſſiſtente ne quis unquam irrepat error. Videtur hæc fuiſſe nonnullorum è Societate Jeſu Theologorum opinio, quæ Magiſtris Lovanienſibus ac Duacenſibus multùm diſplicuit, qui ſua cenſura anni 1588. tres iſtas Propoſitiones notarunt. 1. *Ut aliquid ſit Scriptura ſacra, non eſt neceſſarium ſingula ejus verba inſpirata eſſe à Spiritu ſancto.* 2. *Non eſt neceſſarium ut ſingulæ veritates & ſententiæ ſint immediatè à Spiritu ſancto ipſi ſcriptori inſpiratæ.* 3. Liber aliquis (*qualis fortè eſt 2. Machab.*) *humana induſtria ſine aſſiſtentia Spiritus ſancti ſcriptus, ſi Spiritus ſanctus poſtea teſtetur ibi nihil eſſe falſum, efficitur Scriptura ſacra.*

Quod ſpectat poſtremam iſtam Propoſitionem, faſſi ſunt Theologi Societatis Jeſu, parentheſim, quæ eſt de ſecundo Libro Machab. delendam eſſe; cùm fateantur Librum illum canonicum eſſe. Addebant quæſtionem à ſe proponi de poſſibili, non de facto; ac Librum, de quo in 3. Propoſitione, non fore inter ſacros computandum, ſi nempe humana dumtaxat induſtria conſcriptus foret.

Quantum verò ad duas priores Propoſitiones, diſcordia de nomine dumtaxat fuiſſe videtur. Quippe cùm Theologi Societatis Jeſu negabant, omnes & ſingulas, quæ in Scripturis referuntur, hiſtorias atque ſententias fuiſſe à Spiritu ſancto immediatè inſpiratas, nomine inſpirationis intelligebant veram & propriam revelationem rei antea incognitæ; non autem motum, ſeu interiorem illam incitationem, qua Scriptor facer ad ſcribendum, & inter multa ſibi cognita atque perſpecta, ad hæc potiùs, quàm iſta conſcribenda movebatur & incitabatur: quam quidem incitationem illi ultro admittebant. Ita ſeipſum exponit Leſſius in Reſponſione ad cenſuram Lovanienſem. *Dicimus*, inquiebat, *non fuiſſe neceſſarium, ut ad ſingulas ſententias & ſingula verba habuerint* (Scriptores ſacri) *novam & poſitivam inſpirationem ex parte illius; id eſt novam illuminationem* (hoc eſt revelationem) *qua novo modo cognoſcerent veritates quas ſcriberent; ſed ſufficiſſe ut Spiritus ſanctus peculiari modo illos excitaret ac impelleret ad ſcribendum.* Hac nominis æquivocatione ſublata, quieſcere debuiſſet ac conſopiri excitata controverſia.

Itaque tertia hæc ſententia docet

1. Prophetias, & omnia fidei myſteria immediatè à Spiritu ſanto Scriptoribus ſacris revelata fuiſſe. *Beatus es Simon Bar-Jona*, inquit Chriſtus Matth. 16. v. 17. *quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus qui in cœlis eſt.*

2. Historias & facta, quorum ipsi Scriptores testes fuerant, & quæ propriis usurpaverant oculis, sine speciali revelatione scribi ab illis potuisse, qua non indigebant in rebus sibi perspectis. *Quod fuit ab initio*, S. Joan. Epist. 1. c. 1. v. 1. & 2. *quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt . . . . testamur & annuntiamus vobis.* Pariter S. Luc. c. 1. v. 2. testatur ea quæ scribit, sibi ab illis tradita fuisse, *qui ab initio viderunt & ministri fuerunt sermonis*. Ad quid autem necessaria fuisset specialis revelatio, hoc est rei incognitæ manifestatio, ad ea scribenda quæ publica erant, & in conspectu ipso tùm Apostolorum, tùm aliorum gesta fuerant? Pariter necessaria non videtur fuisse specialis revelatio ut narraretur, quomodo Tobiæ canis blandiente cauda herum suum anteverterit. Quomodo auctor Lib. 2. Mac. ea quæ à Jasone Cyrenæo quinque libris fusiùs scripta & enarrata fuerant, ipse contraxerit, & uno breviore volumine collegerit. Quomodo S. Paulus moneat Timoth. ut penulam quam reliquerat Troadæ apud Carpum, veniens secum afferret, & ut fideles salutaret. Ad res hujuscemodi scribendas non revelatione propriè dicta opus fuit, sed tantùm inspiratione, ut scriberentur; & assistentia seu directione Spiritus sancti, ne quid falsi scriberetur.

Cap. 11. v. 9. Cap. 2. v. 24. Cap. 4. v. 13. 2. Tim. c. 4. v. 13.

3. Verba denique, ac verborum ordinem & compositionem seu stylum uniuscujusque Scriptoris ingenio & indoli permissum fuisse, & reipsa quidem diversus est & inæqualis scribendi modus, pro ingenio, educatione, peritia vel imperitia scriptoris. Grandis ac vehemens sermo Prophetarum, ad excitandos pios affectus opportunè comparatus. Vivida rerum apud ipsos imago & pictura. Legatur v. gr. descriptio resurrectionis corporum apud Ezechielem c. 37. nihil ad vivum melius expressum. Videas quasi oculis subjecta ossa commoveri: accedere ossa ad ossa, unumquodque ad junctu-ram suam: nervos extendi, carnes succrescere &c. Historiarum verò stylus, pura & æquabili brevitate profluit; non conquisitis ornamentis turgidus, sed in narratione rerum quæ plùs habent admirationis, simplex & apertus. Canticorum ac Psalmorum concitatior oratio. Lenis verò est ac placida perspicuaque Legum ac præceptorum expositio. Isaiæ viri nobilis & urbani orationem elegantem commendat S. Hieronymus. Ezechielis verò sermonem nec satis disertum, nec admodum rusticum, sed ex utroque temperatum esse pronunciat. Amos verò in lata eremi vastitate inter leones degentem, rusticitate quadam durum ac incultum, ait, *artis suæ usum esse sermonibus, ut vocem Domini terribilem atque metuendam, vugitum leonum & fremitum nominaret.* Pariter inter Scriptores novi Testamenti, sanctus Lucas, quia grecè peritus erat, elegantiùs scribit quàm S. Marcus & S. Joannes, sicut observat idem S. Hieronymus. Multò plura de præsenti argumento hìc dici possent, à quibus revocat nos susceptı operis compendiosa brevitas.

Prafat. in Isaiæ & Ezec. Comment. in cap. 1 Amos. To. 3. nov. ed. pag. 1172.

Quæres 3. Quibus Libris constet sacra Scriptura?

Resp. His omnibus quos enumerat Concilium Trid. Sess. 4. Decreto de Canonicis Scripturis ex quibus fidei & morum regula petenda est: qui quidem Librorum sacrorum Canon legitur & in Epistola 3. quam Innocentius I. S. P. scripsit ad Exuperium Tolosanum an. 400. & in Conc. Carthag. III. cui S. Augustinus interfuit; & apud ipsum S. Augustinum L. 2. de Doct. Christiana c. 8.

Inter

Inter illos autem Libros aliqui Protocanonici dicuntur, de quibus dubitatum nusquam fuit: quales sunt in veteri Testamento, quinque Libri Mosis, & in novo quatuor Evangelia: atque alii his similes. Aliqui verò Deuterocanonici appellantur, de quibus aliquando dubium fuit apud nonnullos Catholicos, quamquam & in Synagogis Judæorum, & in pluribus ac insignioribus Ecclesiis Christianis publicè legerentur; unde Ecclesiastici seu Agiographi & pii nuncupabantur; quales sunt in veteri Testamento Libri Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Ecclesiastici, & duo Machabæorum; & in novo S. Marci caput ultimum, S. Lucæ historia de sudore Christi sanguineo, Epistola ad Hebræos &c. quos omnes jam tanquam veros & Canonicos Ecclesia agnoscit & admittit.

At inquies, qui fieri potest ut Libri in Canone Judæorum (à quibus Libros veteris Testamenti nos accepimus) non contenti, subinde in Canonicos evaserint? An nova circa illos Ecclesiæ facta est revelatio?

Resp. 1. Nonnullos cum Serrario duplicem distinguere Canonem Hebræorum: Unum ab Esdra exaratum, in quo nonnulli Libri desiderantur: alterum post Esdram, a Concilio Synagogæ; vel cùm ad Regem Ptolomæum sacri Codices & septuaginta Interpretes missi fuere; vel cùm extorta est Pharisaicos inter & Sadducæos controversia; in quo posteremo Codice recensentur Libri supra dicti. Verùm isthæc duplicis apud Judæos Canonis distinctio, multis mera conjectura videtur nullo satis firmo nixa fundamento.

Respondent igitur mirum videri non debere, si Libri nonnulli v. g. Sapientiæ, Ecclesiastici, & duo Machab. non fuerint ab Esdra in Canone comprehensi, cùm illi nondum conscripti fuissent. Idem conjiciunt de Libris Tobiæ & Judith, quos incertum est scriptos fuisse ante Esdram. Illos igitur Libros vel græcè primùm scriptos, vel græcè redditos, à Judæis Hellenistis septuaginta Interpretum collectioni additos, & tanquam Canonicos in Synagogis lectos publicè fuisse contendunt. Inde apud Christianos jugi traditione promanarunt, à quibus etiam in publicis suis Conventibus legebantur, quamquam ab aliquibus Ecclesiis, quibus illa traditio perspecta non erat, pro Canonicis non admitterentur.

Resp. Igitur 2. Libros illos in se ipsis & origine sua Canonicos re ipsa fuisse; & quamquam ab omnibus ut tales admissi semper non fuerint, nihilominus ab Ecclesia Catholica tanquam verè Canonici declarati fuere: non quidem ex nova revelatione, sed ex antiqua & constanti, quam deprehendit, illustrium ac longè plurium Ecclesiarum traditione.

Quæres 4. Quæ præcipuæ sint Scripturæ sacræ versiones?

Resp. Duplicem potissimum. 1. Græcam septuaginta Interpretum, qui Libros sacros Hebraicè scriptos in græcum sermonem converterunt: qua versione usi sunt Apostoli, qua utuntur etiamnum Græci, & quæ velut authentica diu in Ecclesia obtinuit; ac nunc etiam obtineret, si ex Ecclesiæ judicio atque sententia constaret eam, quæ jam extat, autographo septuaginta Interpretum conformem esse.

2. Altera versio ea est, quam Augustinus Italam, Hieronymus vulgatam, Gregorius veterem, appellat, quæ simpliciter Vulgata nostra dicitur, quam Concilium Trid. Sess. 4. Authenticam declaravit, id est ab omni error contra fidem & mores immunem & liberam; *neque data opera corruptam* *Tom. 1. pa. 601.*

ruptam, ait Pallavicinus L.6.c. 17. *in quacumque parte quamtumvis minima, & ad præcipuam rei ſententiam non ſpectante : neque unquam planè ex inconſiderantia ab archetypo diſformem in iis quæ rem conſtituunt*. Quæ proindè fidem & auctoritatem habeat in fidei & morum controverſiis definiendis.

Quæres 5. An Conc. Trid. cùm Vulgatam noſtram declaravit authenticam, primigeniis textibus Hebraico & Græco vim omnem & auctoritatem detractam voluerit?

Reſp. Negativè. Synodus enim Vulgatam cum ipſis fontibus non comparat, ſed cum aliis dumtaxat, quæ circumferebantur Latinis verſionibus. Non prohibet igitur Synodus Trid. fontes ipſos adiri & conſuli, ſed hoc unum; ne Vulgata alicujus erroris incuſetur: quia in iis omnibus, quæ fidem & mores ſpectant, primigenio textui planè conformis eſt; tametſi aliunde à levioribus quibuſdam mendis omninò expurgata non ſit. Vide Cardinalem Pallavicinum L.6. Hiſtoriæ Conc. Trid. c.17. ubi fusè de hoc argumento differit; & Andream Vega, qui Concilio Trid. interfuit L.15. de Juſtificatione c.9. Bellarminum L.2. de verbo Dei c.10. & Epiſtola ad Lucam Brugenſem à quo libellum de correctione Vulgatæ acceperat. *De libello ad me miſſo*, ait Bellarminus, *gratias ago: ſed ſcias velim, Biblia vulgata non eſſe à nobis accuratiſſimè caſtigata; multa enim de induſtria, multis de cauſis pertranſivimus, quæ correctione indigere videbantur*.

Quæres 6. Qua ratione dividi ſoleant Libri ſacri?

Reſp. Eos dividi, ſeu revocari

1. Ad Libros Legales, quales ſunt in veteri Teſtamento, quinque Libri Moyſis: in novo, quatuor Evangelia.

2. Ad Libros hiſtoricos, quales ſunt in veteri Lege, Libri Joſue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, duo Eſdræ, Tobiæ, Judith, Eſter, Job, & duo Machabæorum: in nova autem Lege, Actus Apoſtolorum.

3. Ad Libros Sapientiales, quales ſunt in veteri Teſtamento, Pſalmi, Proverbia Salomonis, Eccleſiaſtes, Cantica Canticorum, Sapientia, Eccleſiaſticus; & in novo, quatuordecim Epiſtolæ S. Pauli, & aliorum Apoſtolorum ſeptem Canonicæ.

4. Ad Libros Propheticos, quales ſunt in veteri Teſtamento, quatuor majores Prophetæ, ſic dicti à majori Prophetiarum volumine, Iſaias, Jeremias cum Trenis & Baruch, Ezechiel, atque Daniel; & duodecim minores Oſee, &c. & in novo Teſtamento, Apocalypſis S. Joannis.

Quæres 7. Quotuplex ſoleat diſtingui ſenſus Scripturæ?

Reſp. Multiplicem.

1. Eſt ſenſus Litteralis, ſeu Hiſtoricus, quem verba ipſa per ſe primò ſignificant, ſive propriè verba ſumantur, ſive non. Unde ſenſus parabolicus ad litteralem refertur. Neque litteralis eſt ipſa figura, ſed id quod figuratum eſt, v.g. cùm dicitur brachium Dei, ſenſu litterali non intelligitur in Deo quædam humani corporis pars, ſed virtus atque potentia.

Ejuſdem textus multiplex poteſt eſſe ſenſus litteralis, ut docet S. Auguſtinus L.12. Confeſſ. c.18. & S. Thomas 1. p. q.1. ar.10. Patet manifeſtè ex Scripturis, Exodi 12. v.46. de Agno Paſchali ad litteram præſcribitur, ne os illius confringatur; quod quidem Chriſto applicat S. Joan. c.19. v. 36. Pa-

36. Pariter quod de populo Judaico legitur Oſee 7. v. 2. *Ex Ægypto vocavi Filium meum*, tanquam de Chriſto dictum refert S. Matth. c. 2. v. 15.

2. Myſticus ſenſus ille dicitur, quo res ſignificatæ per voces, iterum alias ſignificant; & triplex vulgò diſtinguitur. Allegoricus, Moralis ſeu Tropologicus, & Anagogicus.

Allegoricus eſt, cùm verba Scripturæ præter litteralem, quem habent, ſenſum, immediatè ſignificant aliquid gerendum in novo Teſtamento, quod ad Chriſtum præſertim & Eccleſiam pertineat, v. g. cùm Iſaac propriis humeris portavit lignum uſque ad locum ſacrificii, adumbrabat myſterium Paſſionis Chriſti.

Tropologicus ſeu moralis eſt, cùm verba aut facta referuntur ad ſignificandum aliquid quod pertinet ad mores: quo ſenſu verba iſta Deuteronomii 25. *Non alligabis os bovi trituranti*, idem ſignificant ac ſi diceretur, dignum eſſe operarium mercede ſua: ita exponit Apoſtolus 1. Cor. 9. v. 9.

Anagogicus eſt, cùm verba ſeu facta mentem erigunt ad cogitationem eorum quæ ſurſum ſunt, & ad vitam æternam referuntur. Hoc modo verba iſta Pſal. 94. *Quibus juravi in ira mea, ſi introibunt in requiem meam*, quæ ad litteram dicta ſunt de terra promiſſionis, ſpiritualiter referuntur ad vitam æternam; ſic ipſe interpretatur Apoſtolus Hebr. 4. Tres iſti ſenſus levandæ memoriæ cauſa duobus his verſibus exprimuntur.

Littera geſta docet, quid credas allegoria,
Moralis quid agas, quid ſperes, anagogia.

Ex triplici autem illo ſenſu, litteralis maximè proprius eſt ad vim argumentationis Theologicæ. Ceteri verò, niſi ſint ab ipſis Scriptoribus ſacris uſurpati, vim tantam non habent.

Quæres 8. Unde repetendus ſit Scripturæ ſenſus?

Reſp. Ex judicio ac declaratione Eccleſiæ. Ab eadem quippè auctoritate repeti debet quis verus ac genuinus ſit Scripturæ ſenſus, à qua ſola dignoſci poteſt qui ſint Libri verè Canonici: atqui ex ſola Eccleſiæ definitione cognoſci poſſunt Libri verè Canonici non ex privato uniuſcujuſque judicio; vel guſtu, quo divinam Libri alicujus originem veluti ſentit & experitur, ſicut Novatoribus noſtris viſum eſt. Quòd ſi nulla ſit fixa & certa regula, qua Librorum Canonicorum veritas & exiſtentia, eorumque ſenſus legitimus determinetur; unuſquiſque pro captu vel arbitrio hunc vel iſtum Librum admittet vel rejiciet, & quem voluerit ſenſum ipſi accommodabit: quod ſi ita foret, actum eſſet de Religione; ſumma rerum in ipſa confuſio ac perturbatio foret; nulla fixa definitio, interminabiles & æternæ circa doctrinam excitatæ contentiones.

Quæres 9. An Scripturæ lectio omnibus & ſingulis Chriſtianis indiſcriminatim ſit permittenda?

Reſp. Negativè. Quia tametſi lectio Scripturarum ex ſe ſe optima ſit ac plurimum laudanda, ex qua generatim fideles fructum ſpiritualem percipere poſſunt; nihilominus omnibus promiſcuè permitti non debet, ne fortè rudioribus ac imperitis plùs noceat, quàm profit ea lectio, cui ſuſtinendæ ac dirigendæ omninò impares ſunt & incapaces. Quis enim ignorat, multa eſſe in ſacris Codicibus ad intelligendum difficillima, *quæ indocti & inſtabiles* depra-

depravant ad suam perditionem? quod imprimis de Epistolis S.Pauli declaravit S.Petrus Epistolæ 2. c.3. v. 16. Discretione igitur ac prudenti æconomia opus est, ut ejusmodi licentia concedatur. Multa in hanc rem proferri hic possent testimonia, ex Scripturis ipsis, Conciliorum decretis, SS. Patribus, Episcoporum Documentis Pastoralibus, Censuris Academiarum, Parisiensis imprimis adversùs Erasmum; quibus prohibetur communis illa & promiscua licentia legendi Scripturas sacras. Ab illis hic referendis supersedere nos cogit Operis nostri brevitas; quæ omnia in unum collecta legere poteris in eximio Opere, cui Gallicè titulus, *Traité Theologique*, duobus Tomis distincto ac Parisiis apud Viduam Mazieres, Typis edito anno 1722. Tom.2. pag.476. & sequentibus. Quapropter proscriptæ meritò fuere à Clemente XI. Constitutione *Unigenitus*, Quenellii circa præsens argumentum Propositiones. 70. *Utile & necessarium est omni tempore, omni loco, & omni personarum generi studere & cognoscere spiritum, pietatem & mysteria Scripturæ*. Item & 80. *Lectio Scripturæ est pro omnibus*. Item 81. 82. 83. 84. & 85.

Egregia est ac plana sapientiæ regula, quæ jussu Concilii Trid. condita est, approbata à Pio IV. Sixto V. & Clemente VIII. SS. Pontificibus, & à Conciliis Aquensi an.1584. Tolosano an.1590. Avenionensi an. 1595. Narbonensi anno 1609. recepta & adoptata, circa lectionem Scripturæ. En verba: *Cum experimento manifestum sit, si sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plùs inde, ob hominum temeritatem, detrimenti quàm utilitatis oriri: hac in parte judicio Episcopi, aut Inquisitoris stetur; ut cum consilio Parochi, vel Confessarii, Bibliorum à Catholicis auctoribus versorum lectionem in lingua vulgari concedere possint, quos intellexerint ex hujusmodi lectione non damnum, sed fidei & pietatis augmentum capere posse: quam facultatem in scriptis habeant.*

T. 14. Conc. p. 953. D.

Nonnullæ regulæ in studio ac lectione Scripturarum observandæ.

Regulas illas passim tradunt SS. Ecclesiæ Doctores. Prima est, ut ad Scripturæ lectionem nullus accedat animo curioso, critico, superbo; sed docili, submisso, religioso, qui unius veritatis detegendæ, ac procurandæ salutis studio sit intentus.

Secunda: Intelligentia Scripturæ, quantùm fieri potest, ex ipsamet Scriptura repetenda est; loca cum locis, vetus Testamentum cum novo, obscura cum manifestis conferendo. *Facilius*, ait Origenes, *in Scriptura cognoscitur quod quæritur, si ex pluribus locis quæ de eadem re scripta sunt, exempla proferantur.* Et Hom. vigesima quinta in caput 31. Num. *Non solùm*, ait, *ad auditum sermonum, sed ad verum considerationem intendendus est animus. Recordare præterita, audi præsentia, quæ sequuntur adverte: confer priora posterioribus. & divinarum virtutum magnificentiam contemplare.* Eandem regulam de obscuris Scripturæ locis per apertiora exponendis tradit S.Augustinus L.3. de Doct. Christ. c.26. Et in Psal.67. n. 15. loquens de quadam obscura Scripturæ locutione sic ait: *In veteribus libris crebra est ista locutio; & ideo quando subobscurè fit, ex manifestis sui generis exemplis intelligenda est.*

T.1. p. 167. col. 2. E.

To.4. p. 671. E.

Tertiam præscribit jam citatus Origenes To.6. in Evang. S.Joan. his verbis:

bis: *Qui accuratè Scripturam legere voluerit, diligentiam is adhibeat oportet: observare necessarium cùm sit, quæ dicuntur, à quibus, & quando dicuntur; ut per totos sanctos Libros inveniamus personis aptè tributum sermonem.* To.2.p. 189.col. 2.F.

Ad hanc regulam accedit quod ait S. Augustinus L.1. de Gen. ad Litt. c.21. *Cùm*, inquit, *divinos libros legimus, in tanta multitudine verorum intellectuum qui de paucis verbis eruuntur, & sanitate Catholicæ fidei muniuntur, id potissimum deligamus, quod certum apparuerit eum sensisse quem legimus: si autem hoc latet, id certè quod circumstantia Scripturæ non impedit, & cum sana fide concordat.* To.3.p. 1. pag. 131.B.

Quarta: A litterali Scripturæ sensu non recedendum, nisi evidens cogat ratio & causa; alioqui de Scripturis actum foret; & unicuique liceret eas à proprio & naturali sensu ad figuratum & allegoricum deducere. Qua in re peccavit aliquando Origenes, adversùs quem V. Synodus ea de causa anathema decies pronunciavit.

Quinta: *In omni allegoria*, inquit S. Augustinus in Psal.8. nu.13. *hæc regula retinenda est; ut pro sententia præsentis loci consideretur quod per similitudinem dicitur.* T.4.pag. 45.F.

Sexta præscribitur ab eodem S. Doctore L.3. de Doctr. Christ. cap.10.n. 14. his verbis: *Quidquid in sermone divino neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem propriè referri potest, figuratum esse cognoscas.* To.3.p. 1. pag. 29.D.

Ibidem cap.11. n.17. sic pergit: *Quidquid ergo asperum & quasi sævum facilu dictuque in sanctis Scripturis legitur ex persona Dei vel Sanctorum ejus, ad cupiditatis regnum destruendum valet.* pag.50. C.

Et c.12. 18. *Quæ autem*, pergit, *quasi flagitiosa imperitis videntur, sive tantùm dicta, sive etiam facta sunt, vel ex Dei persona, vel ex hominum quo rum nobis sanctitas commendatur, tota figurata sunt.* Ibid.

Et c.16. n.24. *Si præceptiva locutio est*, ait, *aut flagitium aut facinus vetans, aut utilitatem aut beneficentiam jubens, non est figurata. Si autem flagitium aut facinus videtur jubere, aut utilitatem aut beneficentiam vetare, figurata est.* Ib. pag. 52.B.C.

Septima: *Si quid velut absurdum moverit*, ait idem S. Doctor L.11. contra Faustum c.5. *non licet dicere: Auctor hujus libri non tenuit veritatem: sed, aut codex mendosus est, aut interpres erravit, aut tu non intelligis.* Et verò si vel unus error in sacros Codices irrepsisset, ab omni planè auctoritate excideret apud nos. *In illa Canonica eminentia sacrarum Litterarum*, pergit S. Augustinus, *etiamsi unus Propheta, seu Apostolus, aut Evangelista aliquid in suis litteris posuisse ipsa Canonis confirmatione declaratur, non licet dubitare quòd verum sit: alioquin nulla erit pagina, qua humanæ imperitiæ regatur infirmitas, si Librorum Canonicorum saluberrima auctoritas, aut contempta penitus aboletur, aut interminata confunditur.* To.8.p. 222.A. Ibid.C.

Si quis igitur foret Scripturæ locus ita obscurus & implicatus, ut exponi à nobis non posset; non Scriptoris sacri fides & auctoritas, sed nostra potiùs, vel curiosa temeritas, vel ignorantia incusanda esset.

Octava: *Illud ante omnia retinete*, ait idem S. Doctor Serm.51. de concordia Matth. & Lucæ, *ut Scripturis sanctis nondum intellectis non perturbemini; intelligentes autem non inflemini: sed & quod non intelligitis, cum honore differatis; & quod intelligitis, cum charitate teneatis.* Et Epist. 190. ad Optat. To.5.p. 302.A.

To.2.p. 704.G. Optat. aliàs 157. sic ait: *Ubi res naturaliter obscura nostrum modulum vincit, & aperta divina Scriptura non subvenit, temerè hinc aliquid definire humana conjectura præsumit.*

Nona; Quæ gesta sunt, ordine præpostero in Scripturis interdum narrantur per anticipationem, quando posteriora priùs recensentur; vel per recapitulationem, quando priora posteriùs commemorantur. Quo sensu Matth.26. narratur, Christum post sumptionem sanguinis dixisse: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis.* A sancto verò Luca, hæc tanquam priùs dicta referuntur. Ad hanc regulam referri debet mos Scripturæ loquendi de futuro tanquam de præterito vel præsenti. *Non sine causa*, inquit S. Au-
To.5.f. 117.B. gustinus Serm.22. de tertio versu Psalmi 67. n.2. *quæ futura sunt, tanquam transacta dicuntur. Deo enim sic certa sunt, ut jam pro factis habeantur.* Hoc modo Isaiæ 9. v.6. dicitur: *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis.* Spiritu prophetico rem futuram, veluti præsentem Propheta describit, unde c.52.v.6. addit: *Propter hoc sciet populus meus nomen meum in illa die, quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum.* Tam certa scilicet est veritas Prophetiarum, ut quæ ventura sunt, velut facta vel præsentia narrentur.

Decima Regula hæc est: Cùm Scriptura ait omnes v.g. in populo malos
To.6.f. 601.D. esse vel bonos, per omnes, non omnes planè ac singuli intelliguntur, sed nonnulli. *More suo loquitur Scriptura*, inquit S.Augustinus L. ad Donatistas post collationem c.20. n.32. *quæ sic arguit malos, tanquam omnes in eo populo mali sint, & sic consolatur bonos, tanquam omnes ibi tales sint.* Et Epistola 93. ad Vincentium Rogatistam, aliàs 48. c.9. n.32. *Habent*, inquit,
To.2.p. 244.D. *Scripturæ Canonicæ hunc arguendi morem, ut tanquam omnibus dicatur, & ad quosdam verbum perveniat.*

Regula hæc exceptionem patitur: Vox enim ista, *omnes*, aliquando omnes & singulos designat, v.g. cùm dicuntur omnes in Adam peccasse; revera enim *omnes* in eo peccaverunt, (una excepta Beata Virgine.) Pariter cùm Apostolus ait, Deum velle *omnes* homines salvos fieri; & Christum pro *omnibus* esse mortuum; omnes & singuli denotantur, quæ quidem exceptio ex subjecta materia & circumstantiis loci debet æstimari. Pro omnibus vult Apostolus orationes in Ecclesia ad Deum fundi, quia vult Deus omnes homines salvos fieri; Christus pariter pro iis omnibus mortuus est, qui mortui sunt; omnes autem in Adamo mortui sunt; ergo pro omnibus Christus mortuus est.

Undecima: Diligenter attendendum qua ratione propositio Scripturæ distinguenda sit & pronuncianda, interjecta, vel sublata interpunctione. Notum est quantum Ariani veteres & novi ea in re peccent: sic enim illi distinguunt ista sancti Joannis verba, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat.* Punctum hic apponebant, subjiciendo, *Verbum hoc erat in principio apud Deum*: qua fraude illi usi sunt, ut Verbi divinitatem commodiùs impugnarent.

Duodecima: Cùm omnes Scriptores sacri tùm veteris tùm novi Testamenti, uno fortassis excepto S. Luca, Hebræi fuerint, frequenter hebraismis, id est formulis loquendi apud Hebræos consuetis utuntur: necesse est igitur ad plenam Scripturæ intelligentiam, illos Hebraismos advertere. Patet istud vel in ipso nomine *Fratris*: cùm enim Christo fratres tribuuntur in

Evan-

Evangelio, hebraiſmus eſt; namque nomine Fratris, conſanguineus ſignificatur. *Quatuor modis*, ait auctor Commentarii in c. 2. Epiſt. ad Galatas, *qui falsò S. Hieronymo tribuitur, Fratres appellantur. 1. Natura. 2. Cognatione. 3. Gente. 4. Affectu. Unde Jacobus ſecundùm cognationem Frater Domini dicitur: quoniam de Maria Cleophæ, ſorore Matris Domini, natus eſſe monſtratur.* T. 5. Or. S. Hier. p. 1037.

Decimatertia regula pro dignoſcendis Canonicis Scripturis hæc ab Auguſtino proponitur L. 2. de Doct. Chr. c. 8. n. 12. *In Canonicis*, inquit, *Scripturis Eccleſiarum Catholicarum quàm plurium auctoritatem ſequatur, inter quas ſanè illæ ſint, quæ Apoſtolicas ſedes habere, & Epiſtolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in Scripturis Canonicis, ut eas quæ ab omnibus Catholicis accipiuntur Eccleſiis, præponat eis quas quædam non accipiunt: in eis verò quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas quas plures graviores que accipiunt, eis quas pauciores minoriſque auctoritatis Eccleſiæ tenent. Si autem alias invenerit à pluribus, alias à gravioribus haberi, quamquam hoc facilè in venire non poſſit, æqualis tamen auctoritatis eas habendas puto.* To. 3. p. 1. p. 23. C.

Ultima denique regula nobis à Concilio Trid. Seſſ. 4. præſcripta eſt, tùm circa ſenſum, tùm circa verba & ſententias ſcripturæ. 1. Ex communi SS. Patrum ſenſu Scripturam interpretandam eſſe. 2. *Reprimendam illorum temeritatem, qui ad profana quæque convertuntur & torquentur verba & ſententiæ ſacræ Scripturæ; ad ſcurrilia ſcilicet, fabuloſa, vana, adulationes, detractiones, divinationes, ſortes, libellos etiam famoſos.* Jo. 14. Conc. p. 748. A.

De Traditionibus.

QUæres 1. Quid ſit Traditio?

Reſp. Eſſe Verbum Dei non ſcriptum, ſed vivæ vocis oraculo quaſi per manus ad nos uſque tranſmiſſum.

Quæres 2. Quanta ſit in Eccleſia Traditionis neceſſitas?

Reſp. Summam eſſe & prorſus eandem ac Verbi Dei ſcripti. Neque enim auctoritas Verbi Dei à charta & atramento pondus & momentum obtinet, ſed ab ipſo Deo cujus eſt verbum.

Quæres 3. An ante & poſt Chriſtum uſus Traditionis viguerit?

Reſp. Affirmativè. 1. Tempore legis naturæ ab Adamo ad Moiſem uſque cùm nihil ſcriptum foret, neceſſe fuit Religionem ac veri Dei cultum ex Traditione fluxiſſe. Unde Gen. 18. v. 19. de Abrahamo Deus dicit: *Scio quòd præcepturus ſit filiis ſuis, & domui ſuæ poſt ſe, ut cuſtodiant viam Domini, & faciant judicium & juſtitiam.* Ergo toto illo temporis intervallo (id eſt per duo annorum millia) quod fluxit ab Adamo ad Moiſem, vera Dei Religio ac cultus ſola Traditione ſtetit & conſervatus eſt.

In ipſa etiam lege Moſaica, quàm multa, quæ non niſi Traditione cognita fuere? v. g. animæ immortalitas; reſurrectio corporum; ſupremum judicium, quo bonis præmia, impiis ſupplicia decernenda ſunt; remedium peccati originalis in gratiam fœminarum, & maſculorum qui ante octavum à nativitate diem ex hac vita rapiebantur. Quin & ipſe legitimus Legis ſcriptæ ſenſus, non aliunde, quàm à certa & conſtanti Traditione haberi potuit; unde Deut. 32. v. 7. dicitur: *Interroga patrem tuum, & annuntiabit*

tiabit tibi ; majores tuos , & dicent tibi. Et Job 8. v. 8. *Interroga generationem priſtinam, & diligenter inveſtiga patrum memoriam.* Pſal. 23. v. 1. *Deus, auribus noſtris audivimus, patres noſtri annunciaverunt nobis.*

Non minor in lege Chriſti Traditionis neceſſitas. 1. Hanc commendat Apoſtolus 2. ad Theſſal. 2. v. 14. *Itaque fratres* , ait , *ſtate & tenete traditiones quas didiciſtis ſive per ſermonem , ſive per Epiſtolam noſtram.* Et S. Joan. Epiſt. 2. v. 12. *Plura* , inquit , *habens vobis ſcribere , nolui per chartam & atramentum : ſpero enim me futurum apud vos , & os ad os loqui* . Ergo Apoſtoli viva voce multa docuere , quæ litteris mandata non ſunt . Hinc S. Paulus 2. ad Timot. 1. v. 13. *Formam habe* , inquiebat, *ſanorum verborum quæ à me audiſti in fide .... bonum depoſitum cuſtodi* . Cap. autem 2. v. 2. *Quæ audiſti à me per multos teſtes , hæc commenda fidelibus hominibus , qui idonei erunt & alios docere* . S. Irenæus L. adversùs hæreſes 3. c. 4. ſcribit multas ſuo etiam tempore Eccleſias fuiſſe , quæ ſola Traditione ſine Scripturis , Chriſtianam amplexatæ fuerant Religionem ; atque ſi Apoſtoli doctrinam Chriſti ſcriptis non conſignaſſent, non idcircò minùs ſequendam eſſe Traditionem . *Quid autem* , inquit , *ſi neque Apoſtoli Scripturas reliquiſſent nobis , nonne oportebat ordinem ſequi Traditionis , quam tradiderunt iis quibus committebant Eccleſias? Cui ordinationi aſſentiunt multæ gentes barbarorum , eorum qui in Chriſtum credunt , ſine charta & atramento ſcriptam habentes per ſpiritum in cordibus ſuis ſalutem , & veterem Traditionem diligenter cuſtodientes.* P. 178. col. 1.

2. Multa certa fide credimus & obſervamus quorum nulla extat in Scripturis mentio. Ubi ſcriptum eſt infantes baptizandos eſſe ; baptiſmum ab Hæreticis collatum ratum & validum eſſe ; matrimonium ratum & non conſummatum, diſſolvi publico Religionis voto; Virginem Mariam perpetuò ac conſtanter Virginitatem ſervaſſe ; feſtum Paſchatis celebrandum eſſe die Dominica quæ proxima eſt lunæ 14. menſis Martii? Imò dicatur nobis, qua via ſine ope Traditionis, & Scripturas ipſas earumque legitimum ſenſum habere poſſimus , certum eſt ex veteribus Hæreticis fuiſſe , Manichæos imprimis , qui multas Scripturæ partes , quas nempè erroribus ſuis apertè contrarias ſentiebant, rejecerunt . Quin & inter Reformatores noſtros , none Lutherus Epiſtolam S. Jacobi reſpuit , quam ut Canonicam Calvinus admittit? Unde verò id habent? An ex privato ſpiritu ? At ſi divinus ille eſt , ut eſſe debet in eorum mente , ſibi profectò contrarius eſſe non poteſt ; nec uni affirmare , quod negabit alteri . Non minùs urget argumentum , ubi agitur de ſenſu Scripturæ ; ac neceſſe eſt Novatores noſtros varias ac contrarias in partes ſcindi , eodem afflante ſpiritu ſuo privato, v.g. iſta Chriſti Verba : *Hoc eſt corpus meum* ; Lutherus ad ſenſum realis & ſubſtantialis præſentiæ Corporis Chriſti in Euchariſtia interpretatur: Calvinus è contrà ad ſenſum virtutis & figuræ , excluſa præſentia reali & ſubſtantiali . Litem porrò hanc , quæſo , quis inter illos componet? Nemo certè, cùm illi nullum agnoſcant ſupremum hac in vita judicem controverſiarum . Neceſſe igitur eſt infinitis diſſentionibus ac rixis miſerè diſcerpi ac divexari Chriſtianos , ac interminabiles eſſe apud illos excitatas de Religione controverſias.

Quinimò nec ſatis intelligimus, quomodo Reformatores noſtri, ex quorum ſinu Sociniani prodiere , ſe ſe ab iſtorum laqueis certò expedire poſ-

poſſint: iiſdem quippè, quibus illi, principiis innutriti, illis multò longiùs progreſſi Sociniani, omnia penitus fidei noſtræ capita ex humana ratione metientes, funditùs ſubvertunt ac labefactant. Unde porrò iſtud? Niſi quia nulla certa & fixa regula diriguntur. Quæ enim illa foret apud illos? Litteralis & grammaticalis Scripturæ ſenſus? At ille ipſe eſt de quo controvertitur: aliunde verò notum eſt, grammaticis tricis & argutiis non alios magis ſtudere ac delectari, quàm Socinianos. An privatus ſpiritus, & interior uniuſcujuſque perſuaſio? Sed quiſque ſuam laudat ac ventitat, tametſi ab alia diſcordem. Imò & diſcordiam hanc Magiſtris ſuis Lutheranis & Calviniſtis objiciunt Sociniani circa interpretationem iſtorum verborum Chriſti, *Hoc eſt Corpus meum*. Adeo verum eſt, rupto ſemel Traditionis filo, & excuſſo Eccleſiæ jugo, nullo ampliùs vinculo in unitate fidei retineri homines poſſe; & ad omnem impietatem ac errorem projectam laxari humano ingenio licentiam.

3. Ex Traditione ac quotidiana fidelium praxi validiſſima ad rem fidei noſtræ argumenta ducebant SS. Patres; & quidem eò firmiora, quòd minùs paterent Criticorum argutiis ac diſtortis interpretationibus, quàm verbum ipſum ſcriptum. Ita divinitatem Chriſti, ex cultu & adoratione quæ toto terrarum orbe ipſi impenditur: gratiæ neceſſitatem, ex precibus quæ ubique funduntur ad Deum: peccatum originale, ex Baptiſmo & exorciſmis annexis qui apud omnes uſurpantur: Trinitatem perſonarum in una & eadem natura, inviſtè demonſtrabant ex forma Baptiſmi.

4. Denique Traditionis pondus & auctoritatem Hæreticis, velut invictum repagulum ſemper oppoſuere Scriptores Eccleſiaſtici.

Tertullianus L. de præſcript. c. 6. *Nobis*, inquit, *nihil ex noſtro arbitrio inducere licet, ſed nec eligere quod aliquis de arbitrio ſuo induxerit. Apoſtolos Domini habemus auctores, qui nec ipſi quidquam ex ſuo arbitrio, quod inducerent, elegerunt; ſed acceptam à Chriſto diſciplinam fideliter nationibus aſſignarunt*. Ibidem c. 36. dicit conſulendas eſſe ſingulas Eccleſias Apoſtolicas, ut quæ ſit vera Chriſti doctrina intelligatur. *Percurre*, inquiebat, *Eccleſias Apoſtolicas, apud quas ipſæ adhuc Cathedræ Apoſtolorum ſuis locis præſident; apud quas ipſæ authenticæ litteræ eorum recitantur, ſonantes vocem & repræſentantes faciem uniuſcujuſque. Proxima eſt tibi Achaja? Habes Corinthum. Si non longè es à Macedonia, habes Philippos, habes Theſſalonicenſes. Si potes in Aſiam tendere, habes Epheſum. Si autem Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præſto eſt*. Et L. de Corona militis c. 3. *Quæramus*, inquit, *an & Traditio niſi ſcripta non debeat recipi? Planè negabimus recipiendam, ſi nulla exempla præjudicent aliarum obſervationum, quas ſine ullius Scripturæ inſtrumento, ſolius Traditionis titulo, & exindè conſuetudinis patrocinio vindicamus*. Quarum quidem obſervationum poſtquam multa protulit exempla, ſic pergit c. 4. *Harum & aliarum ejuſmodi diſciplinarum ſi legem expoſtules Scripturarum, nullam invenies: traditio tibi prætendetur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſervatrix*.

Pagin. 204. B.

Ibid. p. 215. A.

Pagin. 101. D

Pagin. 102. B.

S. Irenæus idem argumentum verſat L. 3. adverſus hæreſes c. 4. cujus verba paulò antè laudata ſunt.

Pagin. 178.

S. Baſilius L. de Spiritu ſancto c. 27. *Dogmata*, inquit, *& inſtituta, quæ in Eccleſia prædicantur, quædam habemus è doctrina ſcripto prodita, quædam*

Ed. vet. To. 2. p. 210. C.

vnus ex Apostolorum Traditione in mysterio, id est, inocculto tradita recepimus: quorum utraque parem vim habent ad pietatem, nec his quisquam contradicit, quisquis sanè vel tenuiter expertus est quæ sint jura Ecclesiastica.

Denique Vincentius Lirinensis, ut alios omittam, in Commonitorio, ad hæc Apostoli verba, *Depositum custodi*, sic eleganter non minùs quàm verè loquitur c. 27. *Quid est depositum? Id est, quod tibi creditum est, non quod à te inventum; quod accepisti, non quod excogitasti: rem non ingenii, sed doctrinæ; non usurpationis privatæ, sed publicæ traditionis; rem ad te perductam, non à te prolatam; in qua non auctor esse debes, sed custos; non institutor, sed sectator; non ducens, sed sequens.*

Bibl. Pat. T. 7. pag. 158. D.

Quæres 4. Quotuplex sit Traditionis species?

Resp. Ab auctore, alias esse divinas; alias Apostolicas; alias Ecclesiasticas. A materia, alias fidem spectare; alias mores; alias verò disciplinam. A duratione, alias esse perpetuas, quæ tamdiu stabunt, quamdiu stabit militans Christi Ecclesia; alias temporales, id est, quæ ad certum dumtaxat tempus sunt institutæ. A locis, alias esse universales, ubique gentium receptas; alias locales seu particulares, certis locis addictas.

De Ecclesia.

GRaviſſimæ ſunt circa Eccleſiam Theologorum contentiones. Satis in præſentiarum nobis erit, ea delibare, quæ eandem Eccleſiam, ut locum Theologicum, illuſtrant.

Quæres igitur 1. Quid ſit Eccleſia, & quomodo definienda?

Reſp. Eccleſiam vulgò definiri, Cœtum hominum unius & ejuſdem fidei Chriſtianæ profeſſione, & eorumdem Sacramentorum Communione conjunctum, ſub regimine legitimorum Paſtorum, ac præcipuè Romani Pontificis.

Hæc definitio Launoii & aliorum nonnullorum impetus infringit. Duo ſcilicet in Eccleſia Chriſti eſſentialiter requiruntur: unio eorum qui illam conſtituunt; & ſubordinatio, ſeu dependentia eorumdem ab iis qui ſocietatem regunt & moderantur. At duo illa exprimit adducta definitio: præterea verò omnes Eccleſiæ partes complectitur, & ab ea removet quidquid removeri debet.

Tria nempè in ea definitione notantur, quorum ſi unum deſit, non poterit quis cenſeri de corpore & de gremio Eccleſiæ; ſcilicet profeſſio fidei Chriſtianæ, Sacramentorum Communio, ſubjectio legitimis Paſtoribus.

Defectu primæ conditionis, excluduntur omnes Infideles & Hæretici.

Defectu ſecundæ, excluduntur qui nunquam fuere ad Communionem Sacramentorum admiſſi, quales ſunt Catechumeni; vel qui per Eccleſiæ cenſuram, ab eorumdem Communione ſunt præciſi, quales ſunt excommunicati.

Defectu tertiæ conditionis, excluduntur Schiſmatici, qui tametſi fidem habeant & eadem Sacramenta, legitimo tamen Paſtori non obtemperant; atque idcircò foris extra Eccleſiam fidem profitentur & Sacramenta percipiunt.

Additur in adducta definitione, *& præcipuè Romani Pontificis*; ob eum ſcilicet honoris & juriſdictionis primatum, quem jure divino in cæteros

Epiſ-

Episcopos in tota Ecclesia obtinet. Hinc insignes illi dignitatis & auctoritatis tituli quibus à Veteribus exornatur.

Breviùs apud S. Cyprianum Epist. 69. ad Pupinian. Ecclesia definitur; *Plebs Sacerdoti adunata & Pastori suo grex adhærens*. Quibus verbis totam Ecclesiam S. Martyr complectitur; & populum fidelem, qui Pastori suo adhæret, à quo fidei & morum documenta excipit; & Pastores, qui gregem sibi commissum docent ac regunt. Neque enim auctoritas Ministerii in commune concredita est, ut Novatoribus placet, tùm plebi, tùm Pastoribus, ut tamen ab istis solis exerceatur; sed iis dumtaxat conceßa, *Quos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*. Unde idem S. Cyprianus ibidem ait, *Episcopum esse in Ecclesia, & Ecclesiam in Episcopo*: nempè tanquam in Capite & Duce. Inde quoque est, quòd Ecclesiæ nomine in Scripturis ac Scriptoribus, ut plurimùm soli intelligantur Superiores, seu Duces ac Rectores Ecclesiarum, ad quos pertinet mores emendare; exortas de Religione controversias dirimere; ligare, solvere, docere &c. Hoc sensu Matth. 18. v. 13. dicitur: *Si peccaverit in te frater tuus, vade, corripe eum inter te & ipsum solum... si te non audierit, dic Ecclesiæ*. Id est, Superioribus seu Ecclesiæ Prælatis, ait S. Chrysostomus. *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus*. Quo sensu dicimus Ecclesiam solvere, ligare, docere &c. id est, Ecclesiæ Pastores, non verò populum fidelem: illius quippè partes sunt obedire Præpositis, non docere, non imperare. Qua propter neque expressus, neque etiam præsumptus consensus populi necessarius est, ut Pastores ligandi ac solvendi, quam à Christo habent, potestatem exerceant. Unde meritò proscripta hæc n. 90. Quenellii propositio, *Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Pastores, de consensu saltem præsumpto totius corporis*; id est, de consensu plebis. *Act. 20. v. 28. Pagin. 118.*

Quæres 2. An & quæ sint Ecclesiæ notæ ac characteres?

Resp. Ecclesiam esse Unam, Sanctam, Catholicam, Apostolicam & Romanam.

1. Una est unitate fidei, ita ut prorsùs excludat quascunque alias societates & sectas, quarum fides diversa est ac erronea in articulis etiam non fundamentalibus; & extra ipsam nulla sit speranda salus: quod ex professo adversùs putidum Jurii Calvinistæ figmentum suo loco demonstraturi sumus.

2. Ecclesia Sancta est: Ephes. 5. v. 26. *Seipsum tradidit Christus, ut illam sanctificaret*. Sancta autem dicitur, non quòd omnia ejus membra sint sancta; sed quòd nulli sint sancti extra ipsam. Quæ quidem sanctitas elucet, tum in ejus auctore ac parente Christo, totius sanctitatis fonte; tùm in ejus fine, nempè divino cultu; tùm in ejus doctrina, moribus, præceptis, consiliis, Sacramentis; quæ omnia sanctitatem undequaque spirant ac referunt. Inde est, quòd S. Petrus Epist. 1. c. 2. v. 9. Fideles Christianos appellet, *Genus electum, gentem sanctam, populum acquisitionis*.

3. Est Catholica; id est ubique diffusa, & ubique veram doctrinam diffundens. *Catholica vocatur Ecclesia*, ait S. Cyrillus Jerosol. Catech. 18. *quia per universum orbem terrarum diffusa est, à finibus terræ usque ad extrema; & quia docet Catholicè, hoc est universaliter, & sine ullo defectu vel differentia, omnia dogmata*. Ut autem verè Catholica dicatur Ecclesia, necessaria non est actualis per omnes orbis plagas simul ipsius diffusio, sed succes-

ceſſiva ſufficit: nempè ut ſucceſſione temporis tandem obtineat. Neque etiam neceſſe eſt, ut diffuſione ſua & extenſione omnes ſimul ſumptas Hæreticorum ſectas ſuperet; ſed ſatis eſt, ut quacumque Hæretica ſocietate longè magis diffuſa ſit.

Non ignoramus adversùs iſtam Eccleſiæ diffuſionem, Novatores ſolitos opponere caliginoſa Arianiſmi, & Monotheliſmi tempora, quibus, ut putant, Eccleſia intra breves admodum limites coarctata fuit; & Nicæna fides à pauciſſimis dumtaxat Epiſcopis, cæteris longè majori numero reclamantibus, retenta. Verùm non ignoramus etiam, quàm ſolidè ac copiosè Theologi omnes Polemici, figmentum iſtud, quod Donatiſtæ primùm, tùm Lutherani ac Calviniſtæ tam avidè arripuerunt, exſufflaverint; imprimis Janſenius ipſe Iprenſis in Opere cui titulus, *Notarum ſpongia*, adversùs Voetium apud Sylvæducenſes Evangelii pſeudoadminiſtrum.

5. Additur, Romana: tùm quia Romana Eccleſia Mater eſt ac Magiſtra aliarum Eccleſiarum: ſic eam appellant Patres Trident. Seſſ. 7. de Baptiſmo, Can. 3. ac primum inter alias Eccleſias lôcum obtinet: tùm quia centrum eſt Catholicæ Communionis, unde unitas Sacerdotalis exorta eſt: tum denique quia Apoſtoli Petrus & Paulus eam fundarunt ac proprio ſanguine conſecrarunt.

Quæres 3. An Eccleſia ſit indefectibilis quoad durationem, ita ut nunquam extinguendum ſit, quod publicum eſt ac viſibile Eccleſiæ Miniſterium?

Reſp. Affirmativè, Matth. ultimo v. 20. *Ecce ego*, ait Chriſtus, *vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* Lucæ 1. v. 32. *Dabit illi Dominus Deus ſedem David Patris ejus & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis.* Quæ promiſſio, de ſpiritali Eccleſiæ regno, non de terreno intelligenda eſt; dicente ipſomet Chriſto, *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Et c. 21. v. 32. *Non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant, Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.* Eph. 4. v. 11. *Ipſe* (Jeſus) *dedit quoſdam Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Doctores, ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem Corporis Chriſti; donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis Filii Dei.*

Quæres 4. An Eccleſia in ſuis fidei & morum decretis errare aliquando poſſit?

Reſp. Non poſſe. Matth. 16. v. 18. *Tues Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Prævalerent autem ſi à fide deficere aliquando poſſet; ac falſa pro veris, aut mala pro bonis populo Chriſtiano proponere. Et c. ult. v. 20. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* 1. ad Timoth. 3. v. 15. *Ut ſcias quomodo oporteat te in domo Dei converſari, quæ eſt in Eccleſia Dei vivi columna & firmamentum veritatis.*

Et verò neceſſe eſt in omni ſocietate benè conſtituta, qualis profectò eſt Eccleſia Chriſti, eſſe Tribunal aliquod ſemper præſens ac ſubſiſtens, quo excitatæ de Religione controverſiæ judicio ſupremo definiri poſſint; ne fortè ſint æternæ, nihilque certum ac fixum habeatur: Tribunal autem illud in rebus ad Religionem pertinentibus, eſt Eccleſia; quæ niſi dono inerrantiæ inſtructa fuerit, mentis noſtræ aſſenſum certò non exprimet. Sunt etenim fidei noſtræ myſteria obſcura & inevidentiæ, quæ ſola dum-

taxat

taxat auctoritate Dei revelantis, & Eccleſiæ proponentis ſive Scripturas ipſas, ſive legitimum earum ſenſum, credi poſſunt. Unde ſcitum illud Auguſtini dictum Lib. contra Epiſtolam Fundamenti c. 5. *Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ Catholicæ commoveret auctoritas.* Et iſtud L. de utilitate credendi. *Nolle* (Eccleſiæ) *primas dare, vel ſummæ profectò impietatis eſt, vel præcipitis arrogantiæ.* To. 8. pa. 154. A. Ibid. p. 69. B.

Quæres 5. An illa Eccleſiæ inerrantia ſit activa & judicii, ut vocant; an tantùm paſſiva, in eo poſita, quòd errorem nunquam pati ſeu admittere poſſit univerſa Eccleſia?

Reſp. Non tantùm paſſiva, quam Novatores non rejiciunt, ſed etiam activa & judicii inerrantia Eccleſiam gaudere. Ad eam quippè pertinet docere, definire: *Euntes docete*, Matth. 28. v. 19. *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis.* Act. 15. v. 28. Et verò inerrantia paſſiva ſtare non poteſt ſine activa; alia etenim via & ratione ab errore recipiendo univerſa plebs avocari non poteſt, quàm infallibili primorum Paſtorum judicio atque ſententia.

Quæres 6. An illa judicii, ſeu activa inerrantia tribuenda ſit Eccleſiæ diſperſæ, perindè ac coactæ in Conciliis?

Reſp. Affirmativè. 1. Quia fieri non poteſt ut omnes per orbem diſperſi Epiſcopi ſuo judicio errorem approbent; aliàs, ut mox dictum eſt, & ipſamet paſſiva Eccleſiæ infallibilitas periret. Cùm enim populus Chriſtianus in his quæ fidem & mores ſpectant, teneatur jubente Chriſto Eccleſiæ Paſtoribus obſequi, *Obedite præpoſitis veſtris. Qui vos audit, me audit*; ſi fieri poſſet omnes à vero aberrare Paſtores, omnes pariter Laici in eumdem errorem abriperentur. *Quòd ſi*, ait Canus L. 4. de Locis c. 4. Concl. 4. *hinc Paſtores, inde oves in contrarias partes ſeparentur, corporis compacti ac per omnem juncturam connexi disjunctio, omnem Eccleſiæ diſtrahet unitatem, & non ſolùm inter optimates & populum conſtitutam à Chriſto ſocietatem evertet, ſed communem etiam integr ſe fidelium conſociationem dirimet, cujus conſociati omnis arctiſſimum vinculum fidei, eſt conſpiratio eadem & conſenſus partium non divulſus. Divulſus autem omnium erit, ſi populorum membra à ſuis capitibus divellantur. Atque ubi ſemel plebs rudis à Doctorum ſuorum communi ſententia declinaverit, quorum doctrinam poſteà ſecutura eſt?* Ed. col. 1605. pa. 203.

2. Privilegium inerrantiæ à Chriſto univerſim Eccleſiæ promiſſum fuit: *Vobiſcum ſum omnibus diebus.* Ergo Eccleſiæ diſperſæ non minùs quàm collectæ. Imò, ſi fas eſt dicere, potiori ratione diſperſæ, quàm collectæ in Conciliis: quia iſti eo dumtaxat nomine actitulo competit, quòd ſit Eccleſiæ totius imago, ſeu repræſentatio; Eccleſia verò diſperſa non tantùm imago ac repræſentatio, ſed eſt ipſamet Eccleſia. Et verò Chriſtus Paſtores in Eccleſia ſua inſtituit ut regant ſibi ſubditum gregem. *Poſuit vos Spiritus ſanctus Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Act. 20. v. 28. Dedit ipſis poteſtatem *ligandi atque ſolvendi.* Matth. 18. v. 18. Juſſit ut *omnes gentes docerent.* Matth. ult. *Dedit eos ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii, in ædificationem Corporis Chriſti.... ut non ſimus parvuli fluctuantes & circumferamur omni vento doctrinæ.* Epheſ. 4. v. 11. & 14. Juſſit ut fideles pronis animis illis obſequantur; *Obedite Præpoſitis veſtris.* Hebr. 13. v. 17. Hæc porrò omnia exequitur Eccleſia diſperſa, non minùs feliciter quàm collecta; eodem ſiquidem moderatore & aſſiſtente divino Spiritu ſemper regitur:

aliunde verò semper non patet nec facilis est ad Concilium recursus; rarò etenim congregantur; imò nec congregari facilè possunt. Et certè ante Nicænum Concilium, quod fuit Oecumenicorum primum anno 325. multæ hæreses damnatæ & attritæ fuere sine Conciliis. Fatetur istud S. Augustinus L. 4. ad Bonifacium c. ultimo n. 34. ubi Pelagianis tumultuantibus ac generale Concilium postulantibus respondet his verbis: *Aut verò congregatione Synodi opus erat ut aperta pernicies damnaretur: quasi nulla Hæresis aliquando nisi Synodi Congregatione damnata sit: cùm potius tarissimæ inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis extiterit; multòque sint atque incomparabiliter plures, quæ ubi extiterunt, illic improbari damnarique meruerunt, atque inde per cæteras terras devitandæ innotescere potuerunt. Verùm istorum superbia.... hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis & Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippè Catholicum, quoniam Domino eis resistente pervertere nequeunt, saltem commovere conantur.* T. 10. p. 492. F.

Quapropter idem S. Doctor Serm. 131. aliàs 2. de verbis Apostoli c. 10. de causa Pelagianorum dicebat: *Jam de hac causa duo Concilia missa sunt ad sedem Apostolicam: inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est: utinam aliquando finiatur error.* Et Li 3. contra Julianum c. 1. n. 5. *Vestra*, inquiebat, *apud competens judicium communium Episcoporum modò causa finita est: nec amplius vobiscum agendum est, quantùm ad jus examinis pertinet, nisi ut prolatam de hac re sententiam cum pace sequamini: quòd si nolueritis, à turbulenta vel insidiosa inquietudine cohibeamini.* Tom. 5. pa. 645. D. To. 10. pa. 555. B. C.

Porrò ut causa, quæ ad fidem pertinet, dici possit ultimo ac supremo judicio finita, necesse est, auctoritatem, qua finita est, supremam esse ac infallibilem: agnoscit ergo S. Augustinus in Ecclesia dispersa infallibilem activam seu judicii auctoritatem.

3. Sacra Parisiensis Facultas his ex Augustino imbuta documentis, Conclusione lata die 9. Febr. an. 1663. occasione Theseos M. Gabrielis Drouet de Villeneuve, declarat, *Necessarium non esse absolutè Concilium generale, ad extirpanda quælibet schismata & quaslibet hæreses, v. g. Pelagianam & Jansenianam, quas constat sufficienter extinctas absque Concilio generali, quod tantùm in aliquibus casibus dici potest absolutè necessarium.* Et in famosa contra Lutherum Censura anno 1542. art. 18. iidem Theologi Parisienses declarant. *Teneri quemlibet Christianum firmiter credere, unam esse in terris universalem Ecclesiam visibilem, quæ in fide & moribus errare non potest; cui omnes fideles, in his quæ sunt fidei & morum, obedire adstringuntur.* Et art. 19. *Quòd si quid*, pergunt, *in Scripturis sacris controversiæ aut dubii oriatur, ad præfatam Ecclesiam definire & determinare spectat.*

Rursus contra Vernantium anno 1664. die 24. Maji. *Hæ Propositiones*, inquiunt, *quatenus excludunt ab Ecclesia infallibilitatem activam seu auctoritatem, emergentia circa fidem dubia, infallibilis veritatis oraculo tollendi & explanandi, falsæ sunt, temerariæ, scandalosæ & hæreticæ.* Denique cùm anno 1644. prodiisset in lumen liber sub isto titulo Gallicè, *Le Pacifique veritable*, auctore D. de la Milletiere; atque auctor in eo asseruisset solis Conciliis Oecumenicis declarari unanimem Ecclesiæ consensum, eorumque Decreta sola firma esse ac secura; sacra Facultas doctrinam hanc censura sua confixit, his verbis: *Hæ Propositiones, in quantùm infallibilitatem*

tatem Ecclesiæ universalis, in nullo alio statu, quàm in solo Concilio Oecumenico congregatæ tribuunt; & ipsam aliquo tempore legitimè usus pœnitentiæ cognitione carnisse supponunt, temerariæ sunt, ipsi Ecclesiæ injuriosæ & hæreticæ. Status autem Ecclesiæ à Concilio distinctus, procul dubio est Ecclesiæ dispersæ, seu Episcoporum qui suis in sedibus resident..

4. Denique si Ecclesia dispersa privilegio inerrantiæ seu infallibilitatis non gaudeat in definiendis fidei controversiis, sed expectandum sit donec celebretur Concilium generale, quò tandem interim recident res Ecclesiæ? Evanescet regula illa vivens ac spirans, quam Christus constantem ac perpetuam esse voluit in sua Ecclesia ad componenda, quæ circa Religionem identidem exoriuntur, diffidia. Nullus proinde futurus est dissentionum finis: error impunè semper grassabitur, ac mentes fidelium miserè infestabit: rebelles ac contumaces nulla ratione poterunt in officio contineri & coerceri: quisque privatus pro captu & arbitrio judex & arbiter erit controversiarum fidei. Inde tot Religiones, quot hominum capita, inde summa in Religione Christi rerum confusio ac perturbatio. Quis verò sanæ mentis unquam crediderit, Christum, sapientiam incarnatam, Ecclesiæ suæ, quam proprio sanguine acquisivit, tam malè ac improvidè consuluisse?

Quæres 7. Quis Ecclesiæ dispersæ consensus necessarius sit?

Resp. In Ecclesiis, in quarum sinu controversia orta est, necessarium esse expressum; in aliis verò, tacitum consensum seu non reclamationem sufficere Episcoporum, aut multò majoris partis..

Prima responsionis pars patet, tùm ex ipso Ecclesiæ usu: tùm ex S. Augustino L. 4. ad Bonif. cap. ultimo paulò ante citato, ubi ait, *Multas extitisse hæreses, quæ sine Conciliis, ubi exstiterunt illic improbari damnarique meruerunt.* Tùm ex Conciliis Carthaginensibus, in quibus repressa Pelagii impietas, ab aliis subinde Ecclesiis, quibus illa innotuerat, communi consensu seu expresso seu tacito proscripta fuit. Tùm ex ipsa etiam Gallicana Ecclesia, quæ publico ac expresso judicio postulatam ab Innocent. X. contra quinque famosas Jansenii propositiones Constitutionem probavit..

Secunda verò pars, tacitum nempè aliarum Ecclesiarum ad quarum notitiam definitio perducta est, consensum sufficere, constat, tùm ex iis quæ in causa Jansenii peracta sunt: vix enim, excepta Gallia, unam reperias Ecclesiam, quæ expresso ac publico Instrumento Bullas Innocentii X. & Alexandri VII. receperit. Tùm maximè, ex ipsamet Ecclesiæ universalis conformatione; atque promissis à Christo ipsi factis, futurum ut cum ipsa sit omnibus diebus. Fieri etenim non potest, Deo ita dirigente & assistente, ut omnes per orbem dispersi Episcopi non reclament adversùs errorem, qui publico Decreto fidelibus ad credendum proponeretur: error quippè cui non resistitur, approbatur. Ergo cùm non reclamant Episcopi, hæc eorum non reclamatio, tacitus appellatur consensus, qui sufficit ad vim Decreti ineluctabilem. *Porrò Ecclesia Dei*, ait egregiè S. Augustinus Epist. 55. *Tom. 2. pa. 142.* ad Jan. aliàs 119. cap. 19. n. 35. ea quæ sunt *contra fidem vel bonam vitam non approbat, nec tacet, nec facit.*

Quæres 8. Quantum temporis spatium necessarium sit, ut certò possit innotescere tacitus ille Ecclesiarum consensus?

Resp. Id moraliter æstimandum ex locorum distantia; ita ut cùm mo-

raliter constare potest, exteris ac longè dissitis Ecclesiis notam ac perspectam esse dogmaticam sedis Apostolicæ definitionem, si nulla ex illis reclamet & contradicat, omnes tacitè saltem consentire censentur: certissimè autem reclamarent, si error ipsis proponeretur. Unum hic non prætermittendum; nempè cùm S. Aug. Serm. 131. aliàs 2. de Verbis Apostoli c. 10. dixit causam Pelagianorum finitam fuisse, postquam duo Concilia ad Sedem Apostolicam transmissa, probata fuissent; paucos dumtaxat effluxisse menses à lata definitione. Sermonem enim illum habuit S. Doctor mense Octobris anni 417. Decretum verò Pontificium, quo duo Concilia Carthaginensia confirmata fuere, latum fuerat mense Januario ejusdem anni 417. Ergo breve istud spatium temporis sufficiens Augustino visum fuit, ut meritò diceret causam esse finitam, propter consensum Episcoporum partim expressum, partim tacitum.

At, inquies, tacitus ille dispersæ Ecclesiæ consensus vim nullam habet ad confirmandam judicio certo & infallibili dogmaticam de Religione definitionem. Quare? quia nullam supponit præviam de re controversa disquisitionem, nullum examen satis accuratum; quæ tamen conditio una est, inter alias, necessaria, ut Spiritus sanctus Episcopis de fide pronunciantibus ope singulari adesse censeatur. Unde Act. 15. v. 7. in controversia de Legalibus observandis magna conquisitio facta memoratur.

Resp. Nego Ant. ad cujus probationem

Dico 1. Necessariam non videri operosam de re controversa Ecclesiæ disceptationem, quando res illa per se clara est ac manifesta; atque Episcopi per simplicem, ut ajunt, fidei suæ declarationem seu professionem pronunciant. Quo sensu dicebat S. Augustinus, *Concilii congregatione opus non fuisse ut tam apertè pernicies* (Pelagiana) *damnaretur*.

Dico 2. Re ipsa divinas promissiones de concedenda Ecclesiæ inerrantia in definiendis fidei & morum controversiis, à nonnullis prævias conditionibus quoad executionem suspensas esse: verùm nullo unquam satis firmo & valido argumento demonstrabitur, dispersos per orbem Episcopos his deesse conditionibus, quando communi consensu latum à Sede Apostolica dogmaticum Decretum acceptant. Non sine temeritate, ac læsa, quæ ipsis debetur, reverentia, supponi istud posset; imò nec sine injuria dispersæ Ecclesiæ, cujus inerrantia, si apertè non negatur, hac tamen via imperitur, ac inutilis omninò redditur quoad usum & exercitium suæ auctoritatis: quandoquidem si audiantur nostri adversarii, iis alligata est conditionibus, quas dispersi Episcopi observare & adimplere non possunt; rei scilicet controversæ disquisitionem & accuratum examen.

Dico 3. Apostolicis de fide ac moribus Decretis, quibus Ecclesia dispersa acquiescit, prompto animo obtemprandum esse ab omnibus Christianis; nec ulli licere amplius animo inquieto inquirere in motiva & conditiones latæ sententiæ. Pro certo enim habendum, aut conditiones illas certis in casibus necessarias non fuisse, aut ab Episcopis diligenter observatas, aut à Deo optimo provisore (qui in necessariis non deest) suppletas fuisse. Nisi ita fuerit, nullum futurum est tam firmum ac solemne Conciliorum etiam Oecumenicorum Decretum, quod Hæreticus pervicax pro arbitrio non convellat, sub obtentu, aut violatæ libertatis in suffragiis, aut neglecti examinis.

minis. An non Ariani, Concilii Nicæni; Pelagiani, Conciliorum Africæ; Lutherani, Concilii Tridentini fidem hoc vano prætextu arrodere & vellicare tentarunt? Actum est de omnibus Conciliis ac judiciis Ecclesiæ solemnioribus, si post latam sententiam, hæc discutere & in quæstionem vocare licitum fuerit. *Si semel Hæreticis hanc licentiam permittimus*, ait Melchior Canus L. 5. de Locis c. 5. q. 3. *ut in quæstionem vocent, num Ecclesiæ judices eam diligentiam & curam exhibuerint, quæ opus erat ut quæstio via & ratione finiretur; ecquis adeo cæcus est, qui non videat omnia mox Pontificum Conciliorumque judicia labefactari*? p. 258.

Quæres 9. An ut rata sit Ecclesiæ de fide vel moribus definitio, unanimis requiratur omnium Episcoporum, vel saltem multò majoris eorum partis consensus: num verò paucorum resistentia & dissensus, latam definitionem elevet & infirmet?

Resp. Unanimitatem aliam esse physicam; aliam verò moralem, quæ quasi unanimitas appellari solet. Fatentur ex utraque parte Theologi, Physicam unanimitatem, quæ omnium omnino sit Episcoporom, ne uno quidem excepto, necessariam non esse; ac fore impossibilem, quia longa multorum sæculorum experientia comprobatum habemus, vix aliquam emersisse hæresim, quæ aliquos patronos ac defensores inter Episcopos non habuerit. Sufficit ergo moralis unanimitas, quæ adesse censetur, quoties universitati seu multitudini pauci admodum reluctantur.

Nonnulli è recentioribus, studio partium longiùs abrepti, distinguunt duplicem unanimitatem etiam moralem: unam quam vocant priorem & antecedentem, quæ nempe definitionem antecedit, alteram posteriorem seu subsequentem, quæ illam sequitur. Fatentur illi quidem, unanimitatem antecedentem non esse necessariam, imò nec moraliter possibilem: subsequentem verò sic necessariam esse, ut qui definitioni reluctantur, nec sunt ab Ecclesia damnati & præcisi, ii sua resistentia unanimitatem abrumpant, & consequenter definitioni vim omnem & auctoritatem ad obligandum detrahunt. En novum & hactenus inauditum figmentum, quod recentiores nonnulli desperatæ causæ tuendæ necessitate compulsi excogitarunt: figmentum, si quod unquam fuit, rectæ rationi non minùs, quàm veteri Theologiæ repugnans.

1. Distinctio hæc nova est, gratis ficta, imò absurditatis & contradictionis plena. Namque si unanimitas antecedens non est necessaria ut definitio condatur, multò minùs consequens necessaria erit, ut lata definitio rata sit & firma. Non enim satis animo concipimus, qua ratione fieri possit, ut defectus unanimitatis non obstet condendæ definitioni; & tamen conditam suspendat & infirmet. Manifesta hìc videtur contradictio ac pugna: vel enim definitio, quæ fit sine unanimitate antecedente, rata est ac firma, vel non: si rata est; ergo infirmari non potest per subsequentem paucorum dissensum, seu non unanimitatem; sicut non potuit impediri per antecedentem: eadem enim auctoritate lex stat & confirmatur, qua primùm condita fuit. Sicut ergo Episcopi numero plures legem statuere seu condere potuerunt, non obstante paucorum dissensu; ita pariter eam conservare ac firmare possunt, tametsi nonnulli obloquantur & contradicant.

Si verò rata non est definitio cui nonnulli primùm dissentiunt; ergo antece-

antecedens unanimitas, velint, nolint, neceſſariò requiritur ut definitio condi poſſit. Iſtud tamen fateri non audent, quos hic impugnamus: quòd nempe ſatis intelligant futurum inde, ut omnia ferè dogmatica Decreta Eccleſiæ ſubvertantur, quæ adverſantes nonnullos Epiſcopos frequenter habuiſſe, Hiſtoriæ monumenta demonſtrant. Ergo diſtinctio illa unanimitatis prioris & poſterioris, antecedentis & conſequentis, ad hoc unum excogitata videtur, ut adverſarii fucum faciant apud incautum & imperitum vulgus; rem tenebris involvant, atque quoquo modo è manibus Catholicorum elabantur.

2. Iſtud quoque ea in opinione abſurdum ac ridiculum maximè videtur, paucos ſcilicet numero Epiſcopos qui latæ definitioni contumaciùs reſiſtunt, ſi ab Eccleſia per tempus aliquod benignè tolerentur, nec ſtatim damnati ejiciantur, vim omnem & auctoritatem latæ definitioni defectu unanimitatis ſubſequentis detrahere. Si ita eſt, juvat ergo & expedit, ut Eccleſia ad conſervandam unanimitatem & auctoritatem ſuam, omni depoſito clementiæ ac benignitatis ſenſu, Epiſcopos illos rebelles ac contumaces ſtatim ac ſine mora diſperdat, condemnet, ejiciat è ſinu ſuo, diris omnibus devoveat. Ni enim fecerit, peribit ſimul cum unanimitate, auctoritas latæ definitionis; & ipſamet Eccleſiæ clementia in præjudicium & ruinam auctoritatis ipſius tota convertetur. Quid abſurdius & ridiculum magis?

Prætereà vix in principiis adverſæ ſententiæ intelligitur, qui fieri poſſit, ut Epiſcopi numero plures ſatis quidem habeant auctoritatis ab alios paucos damnandos & ejiciendos; non autem ad conferendam ſuæ definitioni vim legis ſupremam & irrefragabilem. Imò non ſatis intelligitur quomodo Epiſcopi numero plures, alios paucos rebelles ac contumaces damnare & ejicere valeant, niſi priùs ſupremo Concilii generalis judicio res terminata & definita fuerit. Si quidem in adverſa ſententia, ſtante paucorum reſiſtentia tollitur unanimitas conſequens ſeu perfecta: iſta verò ſublata, quomodo remanet in aliis Epiſcopis, licèt numero ſuperioribus, ſatis auctoritatis, ut abſoluto & decretorio judicio juſtam pronuncient excommunicationis ſententiam? Malè iſta cohærent ſecum; niſi eò abſurditatis tandem deveniatur, ut dicant (quod dicere hactenus non auſi fuere) ſententiam excommunicationis eo in caſu non niſi à Concilio generali ferri poſſe.

3. Si defectus unanimitatis ſubſequentis irritam efficiat definitionem à multò majori Epiſcoporum numero latam; ergo pendebit ex nutu & arbitrio paucorum, qui ſuis occupantur præjudiciis, ſuo diſſenſu legem infringere aut ſaltem ſuſpendere? Quò igitur, eo in caſu, recidet Eccleſiæ auctoritas, cui fidelis quilibet, niſi pro ethnico & publicano haberi velit, obtemperare tenetur? Ad quos Epiſcopos tunc temporis ſe convertent fideles? Quos audient ac ſequentur duces & magiſtros in rebus fidei? An liberum erit unicuique quam voluerit, amplecti ſententiam, ac poſthabita Epiſcoporum multitudine paucitati adhærere? Quæ inde confuſio & recti ordinis perturbatio? Aut ergo tunc nulla agnoſcenda erit auctoritas in Eccleſia; aut in multitudine collocanda: nulla etenim major in his circumſtantiis aſſignari poteſt auctoritas, quàm quæ in multitudine reſidet; majori autem auctoritati cedendum eſſe, ipſa æquitas & recta dictat ratio.

4. Com-

4. Communis hæc ſemper fuit ac recepta omnium Tribunalium lex ac regula, ut ex plurali ſuffragiorum numero ſententia pronuncietur. Quòd ſi in cæteris; quantò magis in Tribunali ac judicio Eccleſiaſtico id obſervaſſe neceſſe eſt? Etenim multitudo Epiſcoporum qui Romanum ſequuntur Pontificem, eam ipſam Eccleſiam repræſentant, cui ſuprema doctrinæ ac Miniſterii auctoritas concredita eſt, ac divinitus conceſſum inerrantiæ privilegium: *Vobiſcum ſum omnibus diebus. Portæ inferi non prævalebunt.*

Scio equidem Melchiorem Canum L. 5. de Locis q. 2. docere res Theologicas ex plurali numero non ſemper æſtimandas eſſe ac dijudicandas: verùm adverſarii, qui hanc inſignis Theologi ſententiam nobis hìc opponunt, diſſimulare non deberent, quod eodem loco idem Theologus addit; nempe ubi diſcordes ſunt inter ſe Epiſcopi, ei parti ſemper adhærendum, pro qua ſtat Romanus Pontifex; quæ ſi non numero, pondere ſaltem & auctoritate vincere debet: eò quòd in mente Melchioris Cani, ſummi Pontificis auctoritas & gravitas pondus det ipſi Conciliis. *Non*, inquit, *hæc numero judicantur, ſed pondere. Pondus autem Conciliis dat ſummi Pontificis gravitas & auctoritas: quæ ſi adſit, centum Patres ſatis ſunt: ſin deſit, nulli ſunt ſatis, ſint quamlibet plurimi. Nec ſi major pars Patrum verè ſentiat, ſummus Eccleſiæ Pontifex repugnabit. Id enim ad peculiarem Chriſti procurationem pertinet ſemperque pertinuit, ne Eccleſia in factiones duas dividatur. Nec Romanus unquam Epiſcopus contra Patres Concilii verè ſentientes dixit.* Hæc Canus, quæ profectò adverſariis non placebunt: ſatius longè ipſis fuiſſet, aut de ſententia Cani ſilere omnino; aut eam, non dimidiatam ſed integram referre. *Pag. 263.*

Infinita ex conſtanti Eccleſiæ uſu ac traditione teſtimonia referre hìc promptum foret, quibus certiſſimè conſtat in iis quæ fidem & mores ſpectant, judicio multitudinis Epiſcoporum ſtandum eſſe, non paucorum. Catholica etenim Eccleſia (quod & ipſa nominis ratio ſignificat) non in paucitate, ſed in multitudine ſuo Capiti cohærente conſiſtit; ſicut egregiè demonſtrabat S. Auguſtinus Donatiſtas impugnans.

Unum hìc, aliorum inſtar, ſufficiet teſtimonium depromptum ex Epiſtola quam Carolus Magnus ſcripſit ad Elipandum & cæteros Epiſcopos Hiſpaniæ, adhortans eos, ut cùm pauci ſint, multitudini Epiſcoporum ſe adjungant, à qua recedere nemini liceat. *Nec pigeat Chriſtianum*, ait pius Imperator, *ubi hæſitet quærere, nec pudeat ubi neſciat diſcere: quoniam pia humilitas diſcendi ſapientiæ intrat ſecreta, & meliùs eſt diſcipulum eſſe veritatis, quàm Doctorem exiſtere falſitatis. Ille ad altiora ſemper provehitur, iſte ad inferiora ſemper dilabitur; & inde magiſter efficitur erroris, unde auditor contentempſit eſſe veritatis..... Meæ propriæ unanimitatis*, pergit Imperator, *cum his ſanctiſſimis prædictorum Patrum Decretis, & Catholicis ſtatutis conſenſum ſubnexui.... ne paucorum ſubdolis aſſertionibus conſentirem, ſed plurimorum teſtimoniis roboratam fidem firmiter tenerem.... Horum me ſanctiſſimæ multitudini & probatiſſimæ auctoritati in veræ fidei profeſſione firmiter aſſociani, nec veſtræ me paucitati in conſenſione hujus novæ aſſertionis ſocium admitto....* Et poſtea. *Vos igitur quia pauci eſtis, unde putatis vos aliquid verius invenire potuiſſe, quàm quod ſancta univerſalis toto orbe diffuſa tenet Eccleſia?... Vos iterum iterumque obteſtor, ut in pacifica unanimitate, & Catholicæ fidei profeſſione nobiſcum firmiter* *T. 7. Conc. p. 1047. N. 1048. C* P. 1049. E. P. 1049. B. P. 1051. B.

miter maneatis: nec vos doctiores æstimetis universali sanctæ Dei Ecclesiæ. Iſtis
P.1052. E. piis monitis & adhortationibus etiam comminationes adjungit: fideiſtrenuus defensor Carolus. *Poſt hanc verò*, inquit, *correptionem ſive admonitionem Apoſtolicæ auctoritatis & ſynodalis unanimitatis, ſi non reſipiſcitis ab errore veſtro, ſcitote omnino vos pro Hæreticis haberi, nec ullam vobiſcum Commu-*
P.1053. A. *nionem pro Deo audemus habere . . . Adhuc pia mater Eccleſia revocat vos ad gremium ſuæ miſericordiæ, volens vos Deo nutrire in filios. Tantùm nolite vos abſtrahere ab ejus pietate.* Ex quibus manifeſtum eſt, Epiſcopos illos numero paucos qui à multitudine diſſidebant, ab Eccleſia nondum damnatos & ejectos fuiſſe: attamen non idcirco cenſebantur unanimitati aliorum Præſulum, ac latæ definitionis auctoritati quidquam detrahere. Falsò igitur aſſerunt nonnulli, diſſenſum paucorum numero Epiſcoporum, qui nondum ſunt ab Eccleſia præciſi, obſtare unanimitati morali multitudinis; & impedire ne rata & firma ſit lata definitio: quod unum hic obiter demonſtrandum ſuſceperamus.

Clerus Gallicanus in cenſura lata an. 1715. adversùs Librum cui Gallicè titulus, *Temoignage de la Verité*, iſtam ex illo Libello refert ac damnat ſententiam. *Epiſcopatum unum eſſe confitetur, & eundem indiviſum: quem tamen quandoque conſtare ait paucorum Epiſcoporum numero, etiam à ſuo legitimo Capite, ſeu à Cathedra principali, unde unitas Sacerdotalis extorta eſt, diſſidentium; & abſque perfectâ illâ totius fraternitatis & unanimitatis Epiſcoporum cohærente concordiâ; quibus in ſolidum & regendam ſuam Eccleſiam, & ſervandum fidei integræ depoſitum Chriſtus commiſit.* Iſtam porrò ſententiam, ut & alias nonnullas tanquam pernicioſas proſcribit cenſura Cleri Gallicani.

Quæres 10. An Eccleſia errare poſſit in definiendis factis, ut vocant, doctrinalibus; id eſt, in ſenſu Librorum & Propoſitionum notando: ita ut textum aliquem, ſeu brevem, ſeu prolixum, tanquam Catholicum fidelibus proponere poſſit, qui tamen errorem contineat: aut vice verſâ, textum tanquam erroneum damnare, qui tamen Catholicus ſit. En præcisè ſtatus quæſtionis, quem multi involvunt & implicant. Neque enim quæſtio hic eſt de factis merè hiſtoricis ac perſonalibus, quorum cognitio ex hominum teſtimonio pendet: v. g. An Neſtorius damnatus ab Eccleſia fuerit tanquam Hæreticus; an Libros aliquos ſeu quaterniones evulgaverit; an his vel illis verbis ad mentem ſuam declarandam uſus fuerit; an in mente ſenſum illum præconceptum habuerit, quem verba ipſius præ ſe ferunt. Totidem hæc facta ſunt aut hiſtorica, aut perſonalia, de quibus certò & infallibili judicio Eccleſia non pronunciat. An verò hæc vel illa Propoſitio, quam Neſtorii eſſe conſtabat, Catholicum vel erroneum ſenſum haberet, res erat facti doctrinalis. Quod quidem factum à jure ipſo ſeu dogmate inſeparabile dicitur; non quidem abſolutè, ſimpliciter & antecedenter, ſicut individio ſè ac ridiculè nobis imponunt nonnulli, quaſi tam arcta & neceſſaria foret inter factum Neſtorii v. g. & dogma ab illo propugnatum connexio, ut unum ſine altero abſolutè eſſe non potuerit: quis tam ſtupidus, iſtud unquam excogitavit? Sed inſeparabile dicitur, conſequenter & ex hypotheſi, tùm ſcriptionis Neſtorii, & ſenſûs illius; tùm definitionis Eccleſiæ, quæ ſenſum illum in Neſtorio notavit ac proſcripſit.

Quæſtio

Quæstio hæc sanè gravis, singulari opus haberet disquisitione. Interim Resp. Ecclesiam in definiendis factis doctrinalibus, seu in notando Librorum & Propositionum sensu, errare omnino non posse. Inter multa autem, quibus hæc assertio demonstrari potest, argumenta, hæc pauca brevitatis studio hic proponemus.

Primum, Facta dogmatica quæ sunt ab Ecclesia definita, internum exigunt demissæ mentis assensum, nec sufficit obsequium quod silentii ac reverentiæ dicitur: ergo Ecclesia in factis hujusmodi errare non potest.

Consequens videtur certum. Namque interiorem mentis assensum, una dumtaxat vel loquentis auctoritas, vel evidentia objecti exprimere potest. In factis porrò dogmaticis evidentiam non occurrere, manifestè ostendunt discordiæ ac lites quæ circa illa excitantur: ergo sola auctoritas potest esse invictum motivum obedientiæ & assensus. Talis autem non est auctoritas quæ falli potest vel fallere, quia cum formidine erroris videtur semper conjuncta. Ergo sola auctoritas infallibilis, mentis nostræ obsequium, privata licet renitente ac reclamante conscientia, certò imperare ac exprimere potest. Tenemur re ipsa, Præpositis nostris, tametsi non sint infallibiles, obtemperare ex animo: quando scilicet vel quod imperant, non pugnat manifestè contra Legem Dei; vel Ecclesiæ nomine, cujus sunt Ministri, loquuntur: quo casu, non tam privata eorum, quàm publica Ecclesiæ totius auctoritate, tanquam motivo ad obsequendum impellimur; vel nulla tandem occurrit in speciem legitima causa, quæ nos ab obsequio retrahat. At non semper & in omni casu tenemur ipsis intimum mentis assensum exhibere, una nimirum est Ecclesia, cui loquenti & factum aliquod doctrinale proponenti, ex intimo mentis ac cordis affectu contra privatam quamlibet nostram conscientiam obtemperare tenemur.

Antecedens verò propositio, sine temeritatis ac erroris nota negari amplius non potest, postsolemnem Clementis XI. Constitutionem quæ incipit ab his verbis: *Vineam Domini Sabaoth*, datam an. 1705. die 15. Junii, tam publico ac solemni plausu ab Ecclesia Gallicana, primùm in Comitiis generalibus an. 1705. tùm ab omnibus per orbem universum dispersis Episcopis, ne uno quidem reclamante, receptam & approbatam, quæ proinde vim omnem & auctoritatem habet definitionis Ecclesiæ universæ. In hac porrò Constitutione, clarè & expressè declarat S. P. religiosum silentium non sufficere, sed interiorem mentis assensum necessarium esse, in acceptandis ac subscribendis, circa factum Jansenii, Ecclesiæ decretis: *Inquieti homines*, ait Clemens XI. *sparsis undequaque scriptionibus ac libellis exquisita ad fallendum arte compositis, non sine gravi Apostolicæ Sedis injuria, maximoque totius Ecclesiæ scandalo docere non sunt veriti, ad obedientiam præfatis Apostolicis Constitutionibus debitam non requiri, ut quis prædicti Jansenianì Libri sensum in antedictis quinque Propositionibus, sicut præmittitur, damnatum, interius, ut hæreticum damnet; sed satis esse, si ea de re obsequiosum (ut ipsi vocant) silentium teneatur. Quæ quidem assertio, quàm absurda sit, & animabus fidelium perniciosa, satis apparet, dum fallacis hujus doctrinæ pallio non deponitur error, sed absconditur; vulnus tegitur, non curatur; Ecclesiæ illuditur, non paretur; & lata demum filiis inobedientiæ via sternitur ad fovendam silentio hæresim ....* Et paulò post, *quin etiam eò impudentiæ nonnullos devenisse*

nisse compertum est, ut veluti naturalis honestatis, nedum Christianæ sinceritatis obliti, asserere non dubitaverint, præfatæ formulæ à memorato Alexandro prædecessore præscriptæ subscribi licitè posse, etiam ab iis qui interiùs non judicant, prædicto Jansenii Libro doctrinam hæreticam contineri, &c.

Jam anno 1704. die prima Septembris, Clementinæ definitioni præiverat sacra Parisiensis Facultas in sua Declaratione data occasione famosi casus conscientiæ, cujus hæc una erat Propositio. *Il lui suffit d'avoir une soumission de respect & de silence, pour ce que l'Eglise a decidé sur le fait de Jansenius.* Hanc verò Propositionem *damnandam* censet & damnat, *ut temerariam, scandalosam, injuriosam summis Pontificibus & Episcopis Galliæ; atque etiam ut præbentem occasionem renovandæ ex integro, post damnationem, Jansenii doctrinæ: & in quantùm eadem præfata Propositione dicitur, illud obsequium reverentiæ & silentii sufficere, etiam iis qui subscripsere formulæ fidei quæ adjunctum habet juramentum ex sanctione Alexandri VII. prædictis notis hanc esse addendam, ut & adjicis, nempe quòd faveat mendacio & perjurio.*

Secundum argumentum. Ecclesia, usu constanti ac perpetuo, pronunciavit circa sensum Librorum ac Propositionum; atque fideles obstrinxit, ut suo judicio subscriberent; & renuentes velut Hæreticos, aut fautores Hæreticorum damnavit. Multis id constat Historiæ Ecclesiasticæ exemplis, Arii, Nestorii, Pelagii, Eutychetis, trium Capitulorum &c. Atqui subscriptio quam exigebat Ecclesia, non tantùm erat exterior, sed junctum habere debebat interiorem mentis assensum; aliàs, ficta mendax ac dolosa fuisset, imò & verum perjurium, si forte cum juramento juncta fuisset: at quis putet talem subscriptionem Ecclesiæ placere usquam potuisse?

Tertium. Ex omnium Catholicorum sententia, Ecclesia judex est infallibilis doctrinæ: hæc porrò doctrina in Libris & Propositionibus exprimitur, neque enim est à verbis avulsa & abstracta; Ecclesia igitur certo & infallibili judicio pronunciat de doctrina in Libris vel Propositionibus contenta: aliàs, approbando Libri alicujus doctrinam falsam pro vera, vel damnando veram pro falsa, circa doctrinam ipsam errando peccaret.

Quartum. Sentiunt etiam omnes Theologi, Ecclesiam errare non posse in approbatione vel censura Propositionis, aut Propositionum aliquarum quæ sunt ex Libris extractæ, & in se ipsis absolutè spectantur: ergo nec errare pariter potest, circa judicium Librorum in quibus Propositiones illæ continentur. Tùm quia, juxta effatum Juris, ex antecedentibus & consequentibus media illustrantur: atque auctoris mens ac doctrina, longè meliùs dignoscitur ex tota serie ac textura Libri totius, quàm ex propositionibus quibusdam separatis & à Libro avulsis. Tùm quia, Propositio à toto contextu sejuncta, nonnullis potest obnoxia esse æquivocationibus, quibus fortè nullus est locus in totius Operis contextu.

Quintum. Nisi Ecclesia certò & absque ullo erroris periculo de genuino Librorum sensu judicium ferre possit, ne quidem de sensu SS. Patrum, adeoque nec de Traditione ipsa Libris consignata certò statuere poterit. Quamquam enim revelatum sit, eam doctrinam pro Catholica habendam esse, quæ universo SS. Patrum consensu traditur, non tamen revelatum est, doctrinam hanc Catholicam in Scriptis v. g. S. Hieronymi vel Augustini contineri. Traditionis tamen seriem ac filum texere non potest Ecclesia, nisi viderit.

viderit conſpirantes Doctorum Eccleſiæ ſententias; adeoque niſi ſingulorum ſenſum exploraverit ac certò aſſecuta fuerit. Si verò falli poteſt in ſenſu ſingulorum dignoſcendo, quomodo conſtantem Traditionem ex omnibus extundere ac elicere poterit? Judicium quippe quo Eccleſia pronunciat doctrinam v. g. præſentiæ realis Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia, ipſam eſſe doctrinam Traditionis totius Eccleſiæ, pendet ex particularibus judiciis, quibus poſt diſcuſſa ſingula SS. Patrum Opera, judicat talem doctrinam in Scriptis v. g. SS. Ignatii, Juſtini, Irenæi &c. contineri. Qui autem in hiſce particularibus judiciis falli poſſe Eccleſiam aſſeverant, ii & Eccleſiæ viam omnem præcludunt dignoſcendæ univerſalis Traditionis; & viam, ut vocant, diſcuſſionis & examinis, inutilem omnino reddunt contra Novatores noſtros.

Neque eſt quod dicas, falli quidem non poſſe Eccleſiam, in dignoſcenda generali Traditione, ſeu omnium ſimul ac collectivè SS. Patrum doctrina, licèt falli poſſit in ſenſu ſingulorum diſtributivè: quemadmodum omnes quidem Epiſcopi falli non poſſunt, licèt quilibet ſit errori obnoxius. Namque diſparitas manifeſta eſt, quia ſingulis Epiſcopis promiſſum non eſt inerrantiæ privilegium, ſed omnibus ſimul. Privilegium quippe iſtud, toti Eccleſiæ conceſſum eſt; privati autem Epiſcopi Eccleſiam docentem ſeu judicantem non repræſentant nec efficiunt; ſed omnes ſimul, ſive diſperſi, ſive in unum collecti: at eadem ſemper eſt Eccleſia, pari auctoritate inſtructa, ſive judicet de ſingulis ſejunctim, ſive de omnibus ſimul SS. Patrum Scriptis.

Sextum argumentum. Fatentur adverſarii noſtri, Eccleſiam certa & infallibili auctoritate judicaſſe veram & orthodoxam eſſe S. Auguſtini de gratia & prædeſtinatione doctrinam Libris ejus adverſus Pelagianos & Semipelagianos expreſſam; atque piaculi cujuſdam loco habent, ab illa diſcedere quam tot encomiis ac laudibus Eccleſia exornavit: ergo ſi conſtare ſibi ac cohærenter ſentire velint, neceſſe eſt agnoſcant, eadem prorſus certa & infallibili ſententia Eccleſiam pronunciaſſe, falſam & erroneam eſſe de gratia doctrinam in libro Janſenii contentam. Par omnino ex utraque parte videtur eſſe ratio: utrimque factum occurrit juri permixtum; nempe an S. Auguſtini verba rectè, Janſenii verò malè, doctrinam Eccleſiæ reddiderint & expreſſerint: aliunde verò certum eſt, ad eamdem Eccleſiæ auctoritatem pertinere, de vera & de falſa Librorum doctrina ferre judicium, ut hæc damnetur ac rejiciatur, illa verò probetur & retineatur.

Septimum & ultimum argumentum petitur ex juramento quod Eccleſia exigit in ſubſcriptione formulæ fidei Alexandri VII. cujus tam ſacra eſſe debet religio, ut nec violari unquam debeat, nec etiam emitti, niſi cùm omnino certa & explorata eſt rei, quæ juramento affirmatur, veritas. Inde ſacra Facultas cenſura lata in famoſum Caſum conſcientiæ an. 1704. pronunciat; doctrinam eo Caſu expreſſam, *favere mendacio & perjurio*. Qui ergo ſine ulla erroris formidine certus omninò non eſſet de veritate rei pro qua juramentum exigitur, jurare ille tuta conſcientia non poſſet. Porrò in factis hujuſmodi doctrinalibus cum juramento ſubſcribendis, vix ulla poteſt haberi certitudo ab omni erroris formidine immunis & libera, niſi ex judicio Eccleſiæ, quæ in iiſdem factis definiendis infallibilis ſupponatur. *Quotieſcumque*

cumque enim, ait S. Thomas, *intellectus movetur ab aliquo fallibili signo, est aliqua inordinatio in ipso, sive perfectè, sivè imperfectè moveatur.*

Dices, Ecclesia infallibilis non est in dignoscendo ac figendo Libri alicujus vel Propositionis sensu grammaticali; ergo nec in judicando sensu Theologico. Probatur: Quia sensus Theologicus supponit grammaticalem certum & exploratum, atque in ipso tanquam in aliquo prævio fundatur; si ergo infallibilis non est Ecclesia in sensu grammaticali dignoscendo, consequenter nec infallibilis est in sensu Theologico figendo ac determinando.

Resp. Nego consequens. Ecclesia enim de sensu grammaticali, seu verborum significatione, judicat ex communi ac recepto apud homines usu, & more prorsus humano, sicut & de aliis benè multis quæ Conciliorum subscribendis definitionibus prævia supponuntur. V.g. tale Concilium verè Oecumenicum esse; libera fuisse nec per vim extorta suffragia; serium & accuratum de re controversa habitum examen; omnes denique conditiones necessarias ad legitimam definitionem observatas fuisse: quæ omnia non dignoscit Ecclesia, aut ex revelatione, aut ex speciali Spiritus Dei assistentia, sed via & ratione hominibus communi & ordinaria; humana, seu historica fide: quamquam à posteriori, ut vocant, seu ex receptis ac ubique approbatis Concilii alicujus de fide & moribus Decretis, legitimè ac certò inferatur, tale Concilium legitimum fuisse, nec ullam ipsi conditionem deesse ut vim & auctoritatem irrefragabilem apud omnes obtineat. Ita ferè supposito semel & via consueta perspecto sensu grammaticali, Ecclesia, divino assistente spiritu, judicio supremo & infallibili de sensu Theologico Libri vel Propositionis pronunciat. *Vobiscum sum omnibus diebus. Portæ inferi non prævalebunt.*

Quæres II. Utrum Ecclesia falli possit in Canonizatione Sanctorum?

Respondet Melchior Canus L. 5. de Locis c. 5. concl. 3. Non esse quidem de fide, Ecclesiam ea in re falli non posse; *Sed temerarium & irreligiosum, Ecclesiæ hac in re fidem abrogare. Quia*, inquit, *multùm refert ad communes Ecclesiæ mores scire, quos debeas religione colere: quare si in illis erraret Ecclesia, in moribus quoque graviter falleretur . . . . Ne igitur tantus error in Ecclesia fit, Deus peculiariter providere censendus est, ne Ecclesia, quamlibet hominum testimonia sequatur, in Sanctorum Canonizatione erret. Cujus quidem peculiarissimæ providentiæ abundè magnum argumentum est, quòd nunquam infirmata est fides ab humanis testibus semel in hujusmodi judiciis suscepta.* P. 280. & 281.

Idem docent S. Thomas quodlibeto 9. q. 8. art. ultimo, S. Antoninus 3. part. tit. 12. c. 8. Bellarminus Lib. 1. de Sanctorum beatitudine cap. 9. Qui omnes ista generali ratione utuntur, Deum in necessariis nusquam Ecclesiæ suæ deesse.

Ecclesiam verò in quæstionibus meri facti, seu historicis ac purè personalibus decipi posse, communis ac per vulgata est Theologorum opinio, cujus veram & idoneam causam reddit Innoc. III. in c. *Anobis*; de Senten. excomm. in hæc verba; *Judicium Dei veritati quæ non fallit nec fallitur, semper innititur: Judicium autem Ecclesiæ nonnunquam opinionem sequitur, quam & fallere sæpè contingit & falli. Propter quod contingit interdum, ut qui ligatus est apud Deum, apud Ecclesiam sit solutus; & qui liber est apud Deum, Ecclesiastica sit* sen-

ſententia innodatus. Exemplum vulgò afferunt viri, qui occultè una uxore habita, alteram ducit publicè; cui viro jubet Eccleſia, ut priore relicta, poſteriorem accipiat: qua in re ſine dubio fallitur, & ex ignorantia facti id homini præcipit quod rationi & Evangelio adverſum eſt.

De Conciliis.

QUartus Locus Theologicus, eſt auctoritas Conciliorum præſertim Oecumenicorum, quibus univerſa repræſentatur Eccleſia. *Aguntur*, inquiebat Tertul. Lib. de Jejuniis cap. 13. *per Græcias illa certis in locis Concilia ex univerſis Eccleſiis, per quæ & altiora quæque in commune tractantur; & ipſa repræſentatio totius nominis Chriſtiani magna veneratione celebratur*. Et S. Ambr. loquens de Concilio generali Nicæno primo, Conciliorum Oecumenicorum Decreta vocat *hereditaria fignacula, nullius temeritate violanda*. Pag. 552. A.

Quæres itaque 1. Quid ſit Concilium verè Oecumenicum ſeu generale, cujus ſuprema eſt in Eccleſia auctoritas?

Reſp. Illud eſſe, quod convocatione, celebratione, & exitu verè Oecumenicum eſt.

1. Convocatione. Quia omnes per orbem diſperſi Epiſcopi vocari ad Concilium debent; omnes enim ſunt fidei judices à Chriſto Domino inſtituti, *quos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*: qua ex parte, patet diſcrimen Concilii generalis ſeu Oecumenici à Concilio Nationali, Procinciali aut Diœceſano.

A Conciliis repellendi non ſunt quotquot ex Hæreticis audiri voluerint. Ita in primo Concilio Jeroſolymitano, quod cæterorum forma fuit, adfuere Paulus & Barnabas, *& quidam alii ex aliis*; ait ſacer Contextus Act. 15. In Concilio Nicæno primo auditus eſt Arius. In Epheſino, Neſtorius &c.

2. Celebratione Oecumenicum dicitur Concilium in quo Epiſcopi conveniunt non quidem omnes ad unum, quod vix fieri poteſt, ſed eo numero, qui ſufficiat ut univerſam poſſint repræſentare Eccleſiam. Et verò, vel in ipſo Concilio Jeroſolimitano non omnes adfuere Apoſtoli, ſed tantùm Petrus, Joannes, Jacobus & Paulus, ut colligitur ex cap. 2. Epiſtolæ S. Pauli ad Galatas. Neque etiam abſolutè neceſſe eſt, ut in unum & eundem locum congregentur ſimul Orientis & Occidentis Epiſcopi: contigit enim aliquando, Orientales in una civitate, Occidentales verò in alia congregari: atque ex mutua illorum omnium conſenſione erumpit univerſalis Eccleſiæ definitio. Ita quo tempore Conſtantinopoli Orientales, Romæ Occidentales Epiſcopi ſub Damaſo congregabantur, ut contra Eunomium definirent Spiritum ſanctum verum eſſe Deum, ejuſdem cum Patre & Filio ſubſtantiæ.

3. Exitu ſeu eventu debet eſſe Oecumenicum. Fieri enim poteſt & contigit aliquando, Concilium aliquod Oecumenicum fuiſſe convocatione, non tamen celebratione vel exitu: cùm nempe, vel pauci adſint Epiſcopi ex multitudine convocatorum, vel congregati, ſuffragiorum libertate ſpoliantur: metu, violentia, ærumnis, calamitatibus, comminationibus vexantur; quale fuit Epheſinum, quod Latrocinii nomine ſolet infamari.

Quæres 2. Quibus conditionibus promiſit Chriſtus ſe Concilii adfuturum? Reſp. Iſta generali: *Si in nomine ſuo congregata fuerint*; hoc eſt ſervata ſuffragiorum libertate; invocato cœleſti auxilio; adhibita humana induſtria & diligentia in conquirenda veritate: quomodo legimus etiam in Concilio Apoſtolorum pro Legalibus, *magnam conquiſitionem factam eſſe*. Deus ſcilicet, qui omnia ſuaviter diſponit ac moderatur, via ſupernaturali aperta & manifeſta non adeſt Conciliis, ſed occulta Spiritus ſubminiſtratione. Unde permittit Epiſcopos omnibus humanæ infirmitatis periculis ſubjacere, & aliquando ſuccumbere: neque enim unquam promiſit, ſe à Concilis ejuſmodi pericula certò ſemper propulſaturum; ſed hoc unum, ſe iis ſemper adfuturum qui in ſuo nomine congregarentur. Congregari autem in ſuo nomine cenſentur, quoties eas obſervant leges & conditiones quas voluit obſervari. *Sancti Patres*, ait Concilium quintum generale Act. 8. *qui per tempora in Sanctis quatuor Conciliis convenerunt, antiquis exemplis utentes, communiter de exortis hæreſibus & quæſtionibus diſpoſuerunt, certo conſtituto quòd in communibus diſceptationibus cùm proponuntur quæ ex utraque parte diſcutienda ſunt, veritatis lumen tenebras expellit mendacii. Nec enim poteſt in communibus de Fide diſceptationibus aliter veritas manifeſtari, cùm unuſquiſque proximi adjutorio indiget.*

Tom. 5. pa. 563. A. B.

Neceſſe igitur eſt Epiſcopos in Conciliis omnia adhibere humana & ordinaria media induſtriæ, diligentiæ, ſtudii, collationis, diſputationis, ad veritatem detegendam & illuſtrandam, ad revincendos Hæreticos, & fideles in avita fide confirmandos. Neque enim illis nova fit revelatio, ſed quod in puriſſimis Scripturæ ac Traditionis fontibus detegunt, hoc fidelibus proponunt: atque in eò maximè virtus divina & providentia ſpecialis elucet, quòd medios inter altercationum ac diſputationum motus, ſemper victrix ac triumphans veritas erumpat; ſi eo, quo par eſt, modo, quæratur & conſulatur.

Quæres 3. Qua via certò conſtare nobis poſſit, Concilium aliquod verè Oecumenicum ac legitimum fuiſſe; omneſque conditiones neceſſarias, ut firma & rata ſit ejus definitio, obſervatas in eo fuiſſe? Niſi enim id certò nobis conſtiterit, nullum ex Concilio fructum percipere unquam poſſumus.

Reſpondet 1. Andræas Vega Franciſcanus qui Concilio Tridentino interfuit, L. 3. c. 39. in Concilium Tridentinum. *Fide catholica credi debere, tale Concilium v. g. Nicænum primum generale legitimum fuiſſe, non quia Hiſtorici hoc teſtantur, ſed quia Concilium hoc definivit: ſolent enim*, inquit, *Concilia initio ſtatim definire Conventum ſuum eſſe legitimum, & in Spiritu ſancto legitimè congregatum.*

To. 1. p. 23. col. 1. A.

Verùm hæc Reſponſio ſolida non videtur Bellarmino L. 2. de Conciliis c. 9. *Tum quia vetera Concilia non ſolebant initio teſtari, ſuum Conventum eſſe legitimè & in Spiritu ſancto congregatum.* (Unde obſervat Pallavicinus in Hiſtoria Conc. Trident. Legatos Apoſtolicæ Sedis interceſſiſſe, ne in Actis Tridentinæ Synodi formula hæc, *Synodus Tridentina univerſalem Eccleſiam repræſentans*, inſereretur: cauſatos eam eſſe novam, nec in antiquis Conciliis reperiri.) *Tum quia*, pergit Bellarminus, *aut conſtat nobis aliundè Concilium aliquod fuiſſe legitimum, dum definire vellet ſe eſſe legitimum, aut non conſtat. Si conſtat; ſiuſtra conditur tale Decretum: ſi non conſtat;*

Ibid. B.

jam

Jam de ipso Decreto dubitare incipiemus. Si enim ambigo, an fuerit legitimum Concilium antequam definiret se esse legitimum; ambigo etiam, an non erraverit in eo ipso Decreto, quo se legitimum esse pronunciavit.

Respondet itaque 2. Bellarminus loco mox citato, ex humana fide eaque certissima dignosci posse legitimum esse aliquod Concilium; sicut ex eadem fide humana cætera facta historica recipimus, quæ nemo cordatus in dubium revocare audeat. *Iis enim*, ait Bellarminus, *qui Concilio presentes adsunt, evidens esse potest sine alia probatione, Concilium istud esse legitimum. Vident enim convenisse in unum Episcopos, qui habentur ab omnibus veri Episcopi; & convenisse ex variis Provinciis; & vocatos ab eo qui habet auctoritatem; & si quid aliud requiratur ad legitimum Concilium, id etiam videre possunt ... Posteris autem, vel absentibus, id ipsum est notum ex humana fide, sed certissima, & quæ evidentiæ naturali aliquo modo comparari possit.*. *Ibid.*

Addit ibidem Bellarminus, *Necesse non esse ut sciamus Episcopos, qui ad Concilium conveniunt, habere veram fidem & veram Ordinationem; sed satis esse, si non constet contrarium. Nam etiamsi S. Pontifex*, pergit ille, *& omnes Episcopi qui ad aliquod generale Concilium à S. Pontifice convocantur, essent corde Hæretici, & sola externa professione Catholici, nec verè accepissent sacri Ordinis invisibilem characterem, sed nudam impositionem manuum; tamen certi sumus, Deum nunquam permissurum, ut ejusmodi Concilium in Decretis suis formandis erraret. Assistit enim Concilio Spiritus sanctus, non tam propter ipsum Concilium, quàm propter Ecclesiam universam, quæ divino præcepto tenetur Episcoporum sententiam non discutere, sed venerari. Itaque ne erraret Ecclesia universa, divina providentia fecit, ut etiam Concilium illud Episcoporum ficlorum, vellet, nollet, verissimam fidem Ecclesiæ sequendam proponeret.* Hæc Bellarminus, qui tamen fatetur ibidem, impossibilem sibi videri hanc hypothesim: *Quia Deus, cui Ecclesiæ suæ salus cura est, quique omnia suaviter disponit, nusquam permittet, ut in Concilio, quod ab Ecclesia legitimum creditur, conveniant Episcopi, aut omnes, aut pro majori parte non legitimi, aut non Catholici.* *Ibid. p. 22. col. 2. G.* *Ibi. H.*

Respondet 3. Melchior Canus L. 5. de Locis c. 5. q. 3. *Deum suaviter omnia disponere, simulque prospicere & finem & media ad finem necessaria .... Cùm ergo Ecclesiæ firmitatem fidei fuerit pollicitus, deesse non potest, quominus tribuat Ecclesiæ preces, cæteraque præsidia, quibus hæc firmitas conservatur: nec verò dubitari potest, quod in rebus naturalibus contingit, idem in supernaturalibus quoque usu venire; ut qui dat finem, det consequentia ad finem .... Quòd si semel Hæreticis*, pergit ibidem Canus, *licentiam permittimus, ut in quæstionem vocent, num Ecclesiæ Judices eam diligentiam & curam exhibuerint quæ opus erat, ut quæstio via & ratione finiretur; ecquis adeo cecus est, qui non videat, omnia mox Pontificum & Conciliorum judicia labefactari?* *P. 267.* *P. 268.*

Quæres 4. An quæcumque in Conciliis proferuntur ab Episcopis, ut condendis Decretis ac Canonibus viam præmuniant, ad fidem Catholicam pertineant; & qua certa regula discerni debeant ea quæ tanquam de fide tenenda proponuntur, ab aliis quæ non sunt de fide?

Respondet Melchior Canus L. 5. de Locis c. 5. *Ea quæ in Conciliorum vel Pontificum Decretis explicandi gratia inducuntur, vel ut objectioni respondeatur, vel etiam obiter & in transcursu, præter institutum præcipuum de quo erat potissimum* *P. 273.*

mum controversia, non pertinere ad fidem; nec esse Catholicæ fidei Judicia. Exempli causa ponamus aliquid, quod positum in una re transferri per multas possit. Quod in capite, Firmiter, De summa Trinitate, dicitur Angelos esse incorporeos, id non fidei Decretum est, cum post Decretalem illam, nonnulli & Philosophi & Theologi falsò quidem, sed citra hæreseos notam contrarium asseruerint.

Tom. 1. p. 148. col. 1. A.

Non omnia, inquit Estius in L. 2. Sent. dist. 17. parag. 6. *quæ quomodocumque dicuntur in Decretis Conciliorum, pro definitis habenda sunt; sed ea solùm, ad quæ propriè spectat intentio statuentium ac definientium. Id autem cognoscitur ex circumstantiis rerum, & causis vel occasionibus condendi Decreta.*

Quæ verò sint regulæ dignoscendi ea, quæ à Conciliis tanquam de fide statuuntur, ab aliis: exponit loco mox citato Canariensis Episcopus. 1. Si contrarium asserentes, pro Hæreticis habeantur. 2. Cùm in hanc formam Synodus Decreta præscribit: Siquis hoc aut illud senserit, anathema sit. 3. Si in eos qui contradixerint, excommunicationis sententia ipso jure feratur. 4. Si quidquam expresè & propriè à fidelibus firmiter tanquam dogma fidei Catholicæ accipiendum dicatur; vel aliis similibus verbis, aliquid esse Evangelio doctrinæve Apostolorum contrarium: dicatur autem non ex opinione, sed certo & firmo decreto. Hæc Canus.

P. 272.

Quæres 5. An Concilium generale errare possit in fidei & morum Decretis?

Resp. Non posse vi promissionum Divinarum quæ Ecclesiæ factæ sunt: *Vobiscum sum omnibus diebus*. Concilium etenim generale universam repræsentat Ecclesiam, quæ est columna & firmamentum veritatis, adversus quam portæ inferi non prævalebunt. Hinc definitio Concilii ipsimet Spiritui sancto tribuitur: *Visum est Spiritui sancto & nobis*, ajunt Apostoli in Concilio Hierosolymitano, Act. 15. v. 28. Quo uno certa & secura stant Conciliorum generalium de fide & moribus Decreta.

Accedit & censura sacræ Facultatis Parisiensis contra Lutherum, art. 22. ubi ait. *Certum est Concilium generale legitimè congregatum universalem repræsentans Ecclesiam, in fidei & morum determinationibus errare non posse.*

Quæres 6. An soli Episcopi sedeant in Conciliis, fidei testes ac judices: num verò simplices Presbyteri virtute suæ ordinationis, jus habeant suffragii decisivi in Conciliis, tanquam veri judices, quamquam Episcopis inferiores?

Resp. Solos Episcopos testes ac judices fidei sedere in Conciliis: simplices verò Presbyteros, ex gratia & concessione Ecclesiæ Conciliis aliquando interfuisse, non ut judices vi characteris seu ordinationis suæ, sed ut Consultores.

P. 555. col. 2. C.

Probatur. Quia de solis Episcopis dicitur Act. 20. v. 28. *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Conc. Trid. Sess. 23. cap. 4.* ait Estius in c. 20. Act. Apost. v. 12. *illud, In quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, de iis qui propriè Episcopi sunt intellexit.* Ad Episcopos igitur proprio jure pertinet auctoritas regendi Ecclesiam. Quid est autem regere, nisi docere, ligare, solvere, Sacramenta ministrare, jurisdictionem exercere, &c. Sedent ergo in Conciliis Episcopi, tanquam & testes necessarii, & judices fidei Ecclesiarum suarum, & Ecclesiæ ipsius universæ; atque tanquam veri judices pronunciant: *Visum est Spiritui sancto, & nobis.* Act. 15. v. 28.

Edit. Cotteler. T. 2. p. 896. D.

Hanc Episcoporum prærogativam ac præeminentiam agnoscunt S. Ignatius Martyr Epist. ad Trallianos. *Episcopus*, inquit, *omnem principatum & po-*

& poteſtatem ultra omnes obtinet. Jam anteà dixerat: *Subjecti Epiſcopo eſtote, ut Dei mandato . . . ab ipſo indivulſi . . . ſine ipſo nihil faciatis.* P. 865. D. 864. B.

Tertullianus L. de pudicitia c. 21. *Eccleſia*, inquit, *delicta donabit, ſed Eccleſia Spiritus per ſpiritalem hominem, non Eccleſia numerus Epiſcoporum.* Sugillat ibi Tertullianus factus Montaniſta, ſententiam Catholicorum, qui Eccleſiam in numero ſeu multitudine Epiſcoporum collocabant, quam Montaniſtæ in Trinitate, Patre, Filio & Spiritu ſancto poſitam arbitrabantur. Ergo vel ipſo teſte Tertulliano, Catholici tunc temporis agnoſcebant Eccleſiam, quæ docet ac miniſterium exercet, in Epiſcopis reſidere. 863. B. P. 574. C.

S. Cypr. Epiſt. ad Pupin. *Eccleſia eſt in Epiſcopo*, eminenter ſcilicet, tanquam in Capite. *Scire debes*, ait ibid. *ſiquis cum Epiſcopo non ſit, in Eccleſia non eſſe.* P. 118

S. Hieronymus Dial. adversùs Luciferianos: *Eccleſiæ ſalus*, inquit, *in ſummi Sacerdotis dignitate pendet, cui ſi non exors quædam & ab omnibus eminens detur poteſtas, tot in Eccleſiis efficientur ſchiſmata, quot Sacerdotes.* Tom. 4. par. 2. p. 295.

Hinc ſoli Epiſcopi jus habent quaſi innatum ex Ordinatione ſua, ut Conciliis intersint, ſententiam ac judicium ferant. *Synodus Epiſcoporum eſt, non Clericorum; ſuperfluos foras mittite . . . Imperator Epiſcopos vocavit*: ajunt Ægyptii in Conc. Calchedonengi. Tom. 4. Conc. . 111. C. & 115. D.

Simplices igitur Presbyteri ſub Epiſcopis, & cum ſubordinatione ac dependentia Parochias regunt, docendi munus exercent, adminiſtrant Sacramenta: ad Concilia vocati aliquando, non ex jure aut titulo ſuæ Ordinationis, ſed ex conceſſione; quomodo etiam Diaconos & inferiores Clericos, imò & Laicos nonnullos interfuiſſe Conciliis legimus; non ut Judices, ſed ut Conſultores.

S. P. Gregorius XIII. de hac re conſultus à Concilio Rothomagenſi anno 1581. reſpoſuit, *Abbates Commendatarios, Capitulorum Deputatos vocem dumtaxat conſultativam habere; Epiſcoporum Procuratores poſſe, ſi Concilio Provinciali placuerit, & deciſivam habere.* To. 15. Conc. p. 873. C.

Hinc Concilium Burdigalenſe an. 1583. *Capitula Cathedralium*, inquit, *ſciant ſe in Synodo tantùm conſulendi, non autem decernendi poteſtatem habere. Abbates tam Titulares quàm Commendatarii, Eccleſiarumque Collegiatarum Procuratores, pro more hujus Provinciæ, eidem Synodo poterunt intereſſe, atque cum aliis de propoſitis deliberare, non item judicare.* Ibid. pa. 989. B. C.

In altero verò Concilio Burdigal. an. 1624. dicitur: *Sacro approbante Concilio, Decretis ultimi Concilii Burdigalenſis inhærentes, opinionem quorundam, qui auſi ſunt aſſerere, præter Epiſcopos, quoſdam etiam alios habere vocem deciſivam in Concilio Provinciali, ut erroneam judicamus.* To. 15. Conc. p. 1703. B.

In Concilio Baſileenſi, ait Bellarminus L. 1. de Eccleſia c. 15. *Presbyteri admiſſi ſunt ad ſuffragium deciſivum, ſed perperam & contra morem omnis antiquitatis.* Tom. 2. p. 12. col. 2. G.

Revera quidem in Conc. Conſtantienſi, Doctoribus Theologis deciſivi ſuffragii jus conceſſum fuit; atque eam in rem duo Memorialia obtulere Cardinales Cameracenſis & ſancti Marci. Verùm jus illud, etiam Juriſconſultis, imò & Principibus, eorumque Miniſtris pro tempore conceſſum fuit, nempe ad extinguendum ſchiſma quo Eccleſia miſerè tunc vexabatur. Jus autem illud limitant & ſic explicant dicti Cardinales in ſuo Memoriali: *Quantùm ad materiam terminandi præſens ſchiſma*, inquiunt, *& dan-* T. 12. Conc. p. 1446. C.

di pacem Ecclesiæ, velle excludere Reges, Principes, aut Ambassiatores eorum. . . . à voce seu determinatione etiam conclusiva, non videtur justum, æquum aut rationi consonum.

Quin & ipsemet Cardinalis Cameracensis, initio sui Memorialis distinguit inter ea de quibus in Concilio agendum tunc erat, & res fidei seu dogmata; innuens, quòd in istis tractandis æquum non fuisset etiam Laicis jus suffragii concedere.

Narrat Pallavicinus, postulatum à Concilio Tridentino in gratiam Dominici Soto licentiam, ut cum Episcopis sententiam suam diceret; hanc verò denegatam ipsi fuisse: *Consiliaris solum munere functus est*, ait Historicus L. 6. c. 2.

Procès Verbal du Clergé ann. 1656. p. 922. Edit. Quesn. in 4. To. 2. p. 633.

In Comitiis generalibus Cleri Gallicani anno 1656. Pastores seu Parochi Parisienses scripto declararunt, agnoscere se *Episcopos solos esse Judices fidei.*

Denique, tanta est Presbyterorum ab Episcopis dependentia; Episcoporum tanta præeminentia, ut olim, Episcopo præsente, nullum sacrum Ministerium simplicibus Presbyteris obire seu exercere liceret. *Neque coram Episcopo*, ait S. Leo Epist. 88. seu juxta Quenellium Conc. Hispalense 2. Can. 7. *licet Presbyteris baptisterium instruere; nec, præsente Antistite, infantem tingere aut signare; nec pœnitentem sine præceptione Episcopi sui reconciliare; nec eo præsente, nisi illo jubente, Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi conficere; nec eo coram posito populum docere, vel benedicere.*

Pag. 230. C.

Jam antè dixerat Tertullianus L. de Baptismo c. 17. *Dandi quidem* (Baptismum) *habet jus Summus Sacerdos, qui est Episcopus: debinc Presbyteri & Diaconi; non tamen sine Episcopi auctoritate, propter Ecclesiæ honorem; quo salvo salva pax est.*

Pag. 348.

Hinc Morinus L. 2. Exercitat. Ecclesiast. Exercit. 7. *Presbyteris*, inquit, *ex natura sua officii dignitate aut caracteris virtute nullum unquam conceßum est Jurisdictionis exercitium. Id antiqua Lex Ecclesiæ Presbyteris adeò severè edixit, ne pœnitentibus publicam pœnitentiam imponant . . . atque ex hoc fonte hodierna disciplina manavit, quæ Paræciarum Rectoribus, nedum Presbyteris, omni jurisdictione, ut vulgò loquuntur, in foro exteriori interdicitur.*

Quòd si presbyteri simplices non sunt judices fidei, quantò minùs Laici, quibus nunquam dictum fuit, *Euntes docete &c.* Aliter sentientem Marcum Antonium de Dominis apostatam repressit sacra Facultas Parisiensis. *Consensus totius Ecclesiæ in aliquo articulo*, inquiebat Spalatensis, *non minùs intelligitur in Laicis, quàm etiam in Presbyteris & Prælatis. Sunt enim etiam Laici in Ecclesia, imò ex Ecclesia, ipsiusque solidam & majorem partem constituunt. Hæc propositio*, ait censura, *est Hæretica, & status Ecclesiæ perturbativa, quatenus ad fidei propositiones statuendas, consensum Laicorum requirit.*

Quæres 7. An Concilia generalia ex seipsis, virtute promissionum Christi, vel ex subsequente dumtaxat Ecclesiarum consensu & acceptatione, vim suam & auctoritatem supremam sortiantur?

Observa, Concilii Oecumenici Decreta, alia spectare fidem & mores, alia verò disciplinam; quæ disciplina, vel est universalis, pertinens nimirum ad universam Ecclesiam, divini cultus decentiam, publicam ubique Sacramentorum administrationem & cæremonias: vel est particularis, quæ scilicet

licèt modum regiminis ac jurisdictionis Ecclesiasticæ dumtaxat spectat.

Resp. itaque 1. In Decretis fidei & morum, ac disciplinæ universalis, Concilium Oecumenicum quod verè Oecumenicum est & æstimatur, tùm convocatione, tùm celebratione, tùm exitu, habere à se ipso, virtute promissionum divinarum, non verò à subsequente Ecclesiarum consensu & acceptatione, vim omnem suam & auctoritatem.

Probatur 1. Quia ex dictis, Concilio verè Oecumenico quod universam repræsentat Ecclesiam, promissa est à Christo inerrantia: ergo vi hujus promissionis, firma sunt & inconcussa ipsius de fide, moribus, ac disciplina universali statuta, quibus proinde omnes necessariò tenentur obsequi; ergo consensus subsequens Episcoporum qui Concilio non interfuerunt, vim & robur non confert Decretis, sed supponit. Confirmatur exemplo Conc. Hierosolymitani, cujus definitio ipso Spiritus sancti nomine inscribitur, *Visum est Spiritui sancto & nobis*; tametsi omnes Apostoli præsentes non interfuerint, nec absentium expectaverint consensum. At certus ille erat, inquies, quia omnes erant à Deo specialiter inspirati. Fateor; verùm licèt inspirati fuerint, coacto tamen Concilio, motam controversiam expendere ac definire voluerunt, eamque ultimo judicio definiere, antequam cæterorum Apostolorum consensus accessisset. *Assistit Concilio Spiritus sanctus*, ait Bellarm. L. 2. de Concil. c. 9. *non tam propter ipsum Concilium, quam propter Ecclesiam universam, quæ divino præcepto tenetur, Episcoporum sententiam non discutere, sed venerari.* To. 2. p. 32. col. 2. H.

2. Sub pœna anathematis præscribitur executio Decretorum Concilii generalis, statim ac illa publici juris facta, sufficienter cognita fuerunt, antequam accesserint singulorum, qui Concilio interesse non potuerunt, Episcoporum consensus & approbatio: ergo pro ratis & fixis habentur, eo ipso quo supponuntur à Concilio verè Oecumenico pronunciata. Et qui subinde accedit Præsulum consensus, signum est & argumentum dumtaxat à posteriori, ut vocant, quo declaratur Concilium verè Oecumenicum ac legitimum fuisse.

3. Si Concilii Oecumenici Decreta, ut rata sint ac firma, indigerent subsequente Præsulum consensu, majori privilegio ac prærogativa non gauderet Concilium generale, quàm quodlibet aliud particulare, sive Nationale, sive Provinciale. Certum enim est Concilii alicujus particularis definitionem circa fidem, in dogma Catholicorum transire ubi accedit omnium Ecclesiarum consensus & approbatio. Qua ratione, Canones Arausicani circa gratiam ab omnibus Episcopis recepti & approbati, Canones sunt totius Ecclesiæ; atqui tamen negari non potest, quin Concilium verè Oecumenicum singulari gaudeat privilegio ac prærogativa supra quodcumque aliud Concilium non Oecumenicum; repræsentat enim universam Ecclesiam, cui promissiones inerrantiæ à Christo factæ sunt.

At, inquies, si illustriores aliquæ Ecclesiæ Decretis alicujus Concilii, quod pro Oecumenico habetur, nollent acquiescere, quomodo Concilio quinto generali Ecclesiæ nonnullæ imprimis Gallicana, diu obstiterunt; nonne tunc subsequens Ecclesiarum illarum approbatio necessaria foret, ut definitio vim & auctoritatem assequeretur?

Resp. Vel certam & indubitatam esse apud Catholicos Concilii Oecumenicitatem ac legitimam auctoritatem, vel non. Si certa est: pro Hæreticis

ac Schismaticis habendæ sunt quotquot particulares Ecclesiæ fidei Decretis à Concilio Oecumenico statutis non acquiescunt. Ita quotquot in orbe Christiano fidei à Concilio Tridentino contra Novatores, sanctæ ac firmatæ non acquievere Ecclesiæ, ut vocant reformatæ, pro Hæreticis ac Schismaticis habitæ sunt & habentur. Si verò de Oecumenicitate Concilii dubium sit ac disputatio inter Catholicos, quomodo disputatum olim de quinto Concilio generali, tunc expectandum donec planè rata & confirmata sit apud omnes Concilii Oecumenicitas; ac prudenti dispensatione & œconomia agendum cum iis qui contradicunt. Ita olim factitatum occasione dicti Concilii quinti generalis, cujus auctoritas aliquando in dubium ac controversiam vocata fuit; non quidem ex dubio juris, sed facti: id est, non quòd tunc temporis dubium foret, an infallibilis esset auctoritas Concilii quod pro legitimo & verè Oecumenico haberetur, sed quòd dubium tunc foret, an quintum Concilium reverà foret Oecumenicum, propter variam ac diversam de illo Virgilii S. Pontificis & Occidentalium sententiam.

Diximus, non tantùm fidei, sed etiam disciplinæ universalis Decreta vim suam non habere ex consequente Præsulum consensu, sed ex ipsa Concilii verè Oecumenici propria auctoritate. Quia certum est id juris habere universalem Ecclesiam, ut generalem disciplinam ab omnibus observandam circa quædam capita statuat. Ita Concilium Jerosolymitanum legem tulit circa abstinentiam à sanguine & suffocato. Nicænum generale primum, circa diem quo celebritas Paschalis esset habenda; & tanquam Hæretici excepti Quarto-decimani, quòd huic statuto reluctarentur. Ita etiam Conc. Trid. circa Communionem sub utraque specie; cæremonias & ritus in administratione Sacramentorum observandos summo jure pronunciavit. Docet etenim hoc ipsum Concilium Sess. 21. c. 2. *Hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum administratione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum & locorum varietate magis expedire judicaret.* Unde Can. 13. Sess. 7. anathemate percelluntur *qui dixerint, receptos & approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus in administratione solemni Sacramentorum adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à Ministris prolibito omitti posse.*

To. 14. Conc. p. 864. D.

Ibid. 777. E.

Quæcumque autem varia & diversa pro temporum & locorum varietate, ab Ecclesia statuatur generalis Disciplina, hæc sedulò observanda: quia semper recta & æquissimis rationibus ac momentis temporis ac loco accommodatis subnixa est.

Resp. 2. In iis capitibus quæ particularem aliquam disciplinam, seu temporalem administrationem regiminis ac Jurisdictionis Ecclesiasticæ rationem & modum figunt ac determinant Concilii generalis Decreta, non videtur eisdem vis obligandi absoluta convenire ex ipsa Concilii auctoritate. Ratio est, quia unicuique Ecclesiæ sua jura, usus, consuetudines, privilegia, immunitates & libertates servari debent, cùm non pugnant contra communem fidem aut Ecclesiæ totius commodum & utilitatem. Ea de causa, multa sunt disciplinæ particularis capita in Concilio Tridentino quæ apud nos recepta non fuere. Eorum indicem legere poteris apud Bochellum, Decretorum Ecclesiæ Gallicanæ Lib. 5. pag. 916. 917. & 918.

Quæres

Quæres 8. An Concilia sint absolutè necessaria?

Resp. 1. Absolutè necessaria non esse. Quia ex dictis paulò antè, Ecclesia dispersa non minùs quàm in Concilium coacta, fruitur privilegio inerrantiæ; ac supremo Judicio res fidei controversas definiendi auctoritatem à Christo accepit: atque multò plures hæreses sine Concilio, quàm in Concilio proscriptas fuisse observabat ætate sua S. Augustinus. His adde quæ ex sacra Facultate Parisiensi suprà relata sunt. L. 4. ad Bonif. c. ult.

Resp. 2. Necessaria interdum esse Concilia, ex quibus utilitatis plurimum in Ecclesiam universam redundat. Probat Bellarminus L. 1. de Conc. c. 11. Tùm quia Concilium est medium ordinarium definiendis controversiis fidei accommodatum: tùm quia licèt Apostoli seorsim singuli potuissent definire controversias; tamen, ne viderentur negligere medium ordinarium à Christo ipso demonstratum, non sine Concilio controversiam de Legalibus Antiochiæ exortam definire voluerunt. Hac ratione usi sunt Patres Synodi V. generalis collatione 8. *Licèt*, inquiunt, *Spiritus sancti gratia & circa singulos Apostolos abundaret, ut non indigerent alieno consilio ad ea quæ agenda erant; non tamen aliter voluerunt de eo quod movebatur, si oporteret Gentes circumcidi, definire, priusquam communiter congregati, divinarum Scripturarum testimoniis unusquisque dicta sua confirmaverunt.* Tom. 5. Concil. pagina 562. E.

Tùm quia, pergit Bellarm. ita fert consuetudo totius Ecclesiæ atque omnium sæculorum. Semper enim fuit in Ecclesia ista consuetudo, ut ad res dubias explicandas Concilia Episcoporum haberentur: & ipsi etiam Romani Pontifices nullam unquam hæresim novam sine novo Concilio damnaverunt ... quod autem semper & ab omnibus factum est, quis negare audebit, ordinarium dici posse, & reverà esse? Hæc Bellarminus.

Hinc facile est inferre, Concilium generale aliquando necessarium esse. *Frequens Conciliorum generalium celebratio*, ait Conc. Constantiense Sess. 39. *agri Dominici cultura est præcipua, quæ vepres, spinas, & tribulos hæresum & errorum & schismatum extirpat, excessus corrigit, deformata reformat, & vineam Domini ad frugem uberrimæ fertilitatis adducit; illorum verò negligentia, præmissa disseminat atque fovet &c.* To. 12. Concil. pagina 238. C.

Nullibi meliùs, ait Illustrissimus de Marca, Concordiæ L. 5. c. 8. n. 3. *fides universalis Ecclesiæ solet apertiùs explicari vel splendidiùs eminere, aut seuriùs prædicari, quàm in compendio universalis Ecclesiæ, quæ Conciliis generalibus repræsentatur.* To. 2. p. 30. col. 2.

De Sede Apostolica, seu Romana Ecclesia, & Summo Pontifice.

Quintus locus Theologicus est Apostolica sedes, seu Romana Ecclesia, & qui in ea sedet ac præsidet Summus Pontifex.

Quæres 1. Unde dicta Ecclesia Romana & sedes Apostolica?

Resp. Ab Apostolis Petro & Paulo, qui Romanam fundaverunt ac sanguine suo consecraverunt Ecclesiam. Non inde tamen inferas duo esse Capita Ecclesiæ, quæ in unum confluunt. Fuit hic nonnullorum error à sancta Sede proscriptus. Unum ergo Caput est Ecclesiæ visibile, nempè S. Petrus Apostolici Collegii Caput ac princeps, & qui ipsi in Romana Sede succedunt Pontifices Romani.

Quæ-

Quæres 2. An Sedes Romana cæteris Eccleſiis dignitate ac auctoritate præmineat?

Reſp. Affirmativè. Ita conſtans ac perpetua docet Eccleſiæ Traditio.

S. Irenæus L. 3. adversùs hæreſes c. 3. *Maxima*, inquit, *& antiquiſſima, & omnibus cognita, à gloriosſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo Romæ fundata & conſtituta Eccleſia .... Ad hanc enim Eccleſiam propter potiorem principalitatem neceſſe eſt convenire Eccleſiam, hoc eſt, eos qui ſunt undique fideles, in qua ſemper ab his, qui ſunt undique, conſervata eſt ea quæ eſt ab Apoſtolis Traditio.*

Nov. Edit. p. 174.

Tertullianus de præſcript. c. 36. .... *Si Italiæ adjacès, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præſto eſt. Iſta quam felix Eccleſia! cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt.*

P. 225. A.

S. Cyprianus Epiſt. 55. ad Cornelium, Eccleſiam Romanam ait eſſe *Principalem Cathedram, unde unitas Sacerdotalis exorta eſt, ad quam perfidia non poteſt habere acceſſum.* Jam ſuprà dixerat: *Non aliunde abortas hæreſes aut nata ſchiſmata, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus judex vice Chriſti cogitatur.*

Pag. 84. Pag. 79.

S. Hieronymus Epiſt. ad Damaſum: *Ego*, inquiebat, *Beatitudini tuæ, id eſt, Cathedræ Petri, communione conſocior: ſuper illam petram, ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt .... Non novi Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum: quicumque tecum non colligit, ſpargit.*

Te. 4. p. 8. pag. 29. Ib. pag. 20.

S. Aug. Epiſt. 63. aliàs 162. c. 3. aſſerit, nihil eſſe quòd Cæcilianus quidquam à Donatiſtis timere poſſit, quia cum Eccleſia Romana communione conjunctus erat. *Cùm ſe*, ait, *Romanæ Eccleſiæ, in qua ſemper viguit Apoſtolicæ Cathedræ principatus ..... per communicatorias litteras videret eſſe conjunctum.*

To. 2. p. 91. n. 7. E.

S. Optatus Milevitanus L. 2. de Schiſmate Donatiſtarum adversùs Parmenianum n. 3. *Ergo Cathedram unicam*, inquit, *quæ eſt prima de dotibus, ſedit prior Petrus: cui ſucceſſit Linus, Lino ſucceſſit Clemens .... Damaſo Siricius, hodie qui noſter eſt ſocius; cum quo nobiſcum totus orbis commercio formatarum, in una communionis ſocietate concordat. Veſtræ Cathedræ vos originem reddite, qui vobis vultis ſanctam Eccleſiam vindicare.* Hinc patet communionem cum Petri Cathedra omninò neceſſariam eſſe, ut quis Catholicus ſit & habeatur.

Ed. nov. pag. 28.

S. Petrus Chryſologus Epiſt. ad Eutich. *Hortamur te, Frater honorabilis, ut iis quæ à Beatiſſimo Papa Romanæ civitatis ſcripta ſunt, obedienter attendas. Quia Beatus Petrus, qui in propria ſede vivit & præſidet, præſtat quærentibus fidei veritatem.*

Edit. Bonon. p. 25

Con. Conſtantinopolitanum IV. an. 869. *Sequentes in omnibus Apoſtolicam Sedem, & obſervantes ejus omnia conſtituta, ſperamus ut in una communione, quam Sedes Apoſtolica prædicat, eſſe mereamur, in qua eſt integra & vera Chriſtianæ Religionis ſoliditas: promittentes etiam ſequeſtratos à communione Eccleſiæ Catholicæ, id eſt, non conſentientes Sedi Apoſtolicæ, eorum nomina inter ſacra non recitanda eſſe myſteria.*

Tom. 7. Conclu. pagina 989. C.

S. Bernardus Epiſt. 190. *Oportet*, inquit, *ad veſtrum referri Apoſtolatum, pericula quæque & ſcandala emergentia in regno Dei, ea præſertim quæ de fide*

T. 1. pa. 643. E.

fide contingunt . Dignum namque arbitror , ibi potiſſimum reſarciri damna fidei , ubi non poſſit fides ſentire defectum . Hæc quippè hujus prærogativa Sedis . Cui enim alteri aliquando dictum eſt , ego pro te rogavi , ut non deficiat fides tua ?

Petrus de Alliaco Gerſonis Magiſter in Apol. Facultatis Pariſienſis circa damnationem Joan. de Montelono 1. Concluſione, *Ad ſanctam Sedem Apoſtolicam pertinet*, inquit, *auctoritate judiciali ſuprema circa ea quæ ſunt fidei judicialiter definire ....ſed ſanctæ Apoſtolicæ Sedis fides nunquam deficit .* *Oper. Gerſ. ad ult. To. 1. p. 710*

Conc. denique Trid. Seſſ. 7. de Baptiſmo can. 3. Romanam Eccleſiam *vocat matrem & Magiſtram aliarum Eccleſiarum.* *To. 14. Concil. pagina 779. B.*

Quæres 3. An Eccleſia Romana ſit indefectibilis?

Reſp. Indefectibilitatem ſpectari , vel quoad durationem temporis ſeu perpetuam exiſtentiam, vel quoad firmitatem in retinenda & definienda fide: utramque verò Romanæ Eccleſiæ tribuunt etiam è Scriptoribus Gallis, qui non adeò addicti infallibilitati Romani Pontificis videntur . Inter cæteros Simon Vigor , de infallibilitate pag. 49. Launoius parte 5. Epiſt. ad Jacobum Bevillaquam , & ad Antonium Varillaum . Elias Dupin , de antiqua Diſciplina, p. 347. P. Natalis Alexander Dominicanus Tom. 13. p. 340. Illuſtriſſimus Boſſuetius Epiſcopus Meldenſis , Oratione habita in Comitiis generalibus Cleri Gallicani an. 1682. pag. 17. & 18. Hi ferè omnes , non alia ratione ſolvunt argumenta quæ ex antiquis monumentis in gratiam infallibilitatis Pontificiæ proferre ſolent ejus defenſores , quàm ea in Eccleſiam ipſam Romanam derivando, non autem in Pontificem Romanum. Neceſſe porrò eſt ea in opinione, ut ſecernant Cathedram ipſam ſeu Romanam Sedem, à Pontifice in ea ſedente: atque iſtum errori obnoxium agnoſcant, non ejus Eccleſiam, ſeu Sedem Apoſtolicam ; & re ipſa ita ſentiunt qui mox appellati ſunt Theologi.

Tanta verò ſemper fuit Eccleſiæ Romanæ auctoritas, ut ejus fides ac traditio cæteris Eccleſiis velut forma & regula propoſita fuerit. Audiatur eam in rem Scriptor minimè ſuſpectus, Quenellius ipſe in opere Gallico cui titulus ; *Tradition de l'Egliſe Romaine* , ubi ſic loquitur. *La Tradition qui doit en juger* (des points de foi) *a ſon tribunal dans toutes les Egliſes Catholiques ..... Mais l'autorité de ce tribunal paroit d'une maniere bien plus claire & plus eclatante , plus ſure & plus inconteſtable dans l'Egliſe de Rome , que dans toutes les autres Egliſes Apoſtoliques, à cauſe de la primauté du ſaint Siege que que Dieu y a etablie; de ſa preeminence ſur toutes les Egliſes du monde; de la ſuperiorité du Chef de l'Epiſcopat ſu chacun de ceux que le S. Eſprit en a revetus pour regir ſon troupeau: & à cauſe de l'excellence des deux Apotres qu'il lui a donnes pour fondateurs, & qui l'ont eclairée par leur predication & conſacrée par leur ſang. C'eſt pourquoi on a toujeurs preferè la Tradition de cette auguſte Egliſe à celle de toutes les autres Egliſes particulieres: parce qu'on n'a pu douter , que les Apotres n'euſſent apportè à Rome la meme foi & la meme doctrine qu'ils avoient enſeignée aux Egliſes Orientales en les fondant; & que la foi s'etant depuis repandue de Rome dans l'Occident & ailleurs par leur miniſtere, ils n'y ayent elevè ſur les memes fondemens l'edifice de la maiſon de Dieu .... Dans la ſuite des ſiecles , & des que Pelage & Celeſtius eurent commence à dogmatiſer contre cette Doctrine Apoſtolique , les Eveques d'Afrique apres l'avoir condamnee dans les deux Conciles des Provinces* *To. 1. dans l'Averiſſem.*

vinces de Chartage & de Numidie, envoyerent au succeſſeur de S. Pierre leurs Relations Synodales, afin que leur Jugement fut appuye de l'autorite du Siege Apoſtolique; & que la Tradition de leur Egliſe particuliere etant conſrontee avec celle de Rome, on reconnut ſi ce petit ruiſſe au qui couloit dans l'Afrique, venoit de la meme ſource d'où etoit emane le ruiſſeau ſi plein & ſi abondant de l'Egliſe Romaine, comme parle S. Auguſtin en ecrivan au Pape Innocent I. Utrum noſter rivulus, licèt exiguus, ex eodem quo etiam tuus abundans emanet capite fluentorum, hoc à te probari volumus. *C'eſt pourquoi ce S. Docteur crut, qu'après avoir trouvé la Tradition de l'Egliſe univerſelle dans celle du S. Siege Apoſtolique, par cette eſpece de confrontation, l'affaire etoit finie:* cauſa finita eſt. *Et elle l'eut ete en effet, ſi l'oſtination des Heretiques ne leur eut facit eſperer de ſurprendre le Pape Zozime, qui ſucceda l'annee d'apres à Innocent.*

Trad. de P. Egl. Xo. T. 1. p. 21.

Rurſus idem auctor ſic pergit: *Si c'eſt dans le Concile d'un Pays particulier, comme de l'Afrique, cette Egliſe propoſe au S. Siege, & par lui à toutes les autres Egliſes, ce qu'elle a trouve dans ſa Tradition; & aucune n'y contrediſant, & temoignant au contraire par ſon conſentement ou expres ou tacite qu'elle a trouve la meme choſe dans la ſienne, on en demeure là.* Si in his principiis firmi ac conſtantes ſtare voluiſſent Quenellius ejuſque defenſores, jam diu cauſa ejus finita fuiſſet & reſtituta inter nos pax atque concordia.

Quæres 4. An Romanus Pontifex primatum habeat honoris & juriſdictionis ſupra cæteros Epiſcopos.

Reſp. Affirmativè. Eſt enim ſucceſſor S. Petri qui fuit Collegii Apoſtolici Caput ac Princeps; cui dictum à Chriſto Matth. 16. v. 18. & 19. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam .... Et tibi dabo claves regni Cælorum, & quodcunque ligaveris ſuper terram erit ligatum & in Cœlis &c.*

Pa. 18c. *Quamvis*, ait S. Cyprianus L. de unitate Eccleſiæ, *omnibus Apoſtolis poſt Reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat .... tamen ut unitatem manifeſtaret, unam Cathedram conſtituit, & unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem*

Tom. 4. p. 2. pa. 168. *ſua auctoritate diſpoſuit .... Primatus Petro datur, ut una Chriſti Eccleſia & Cathedra una monſtretur.* Et S. Hieronymus L. 1. adversùs Jovinianum. *Inter duodecim*, inquit, *unus eligitur, ut Capite conſtituto Schiſmatis tollatur occaſio.*

Concilium Conſtantienſe damnat iſtum VVicleſi Articulum n. quadrageſimum primum. *Non eſt de neceſſitate ſalutis credere Romanam Eccleſiam eſſe*

To. 12. Concil. Pagina 265. B. *ſupremam inter alias eccleſias. Error eſt*, ait Concilium, *ſi per Romanam Eccleſiam intelligat univerſalem eccleſiam, aut Concilium generale, aut pro quanto negaret primatum Summi Pontificis ſupra alias eccleſias particulares.*

Non eſt hujus loci ſuſiùs proſequi infinita penè ex antiquitate momenta quibus primatus honoris & juriſdictionis Romano Pontifici jure divino aſſeritur & confirmatur. Iſtud fidei caput, adversùs Reformatores noſtros, unanimi conſenſu ſtrenuè vindicant Orthodoxi omnes; etiam ii qui in Gallia præſertim, S. Pontificem in Decretis fidei & morum errare poſſe contendunt, nec irreformabile eſſe ipſius Judicium niſi Eccleſiæ conſenſus acceſſerit.

Gallicani Epiſcopi an. 1651. in ſolemni ad Innocentium X. Epiſtola, qua quinque famoſas Janſenii Propoſitiones ipſi denuntiant ejuſque circa illas

illas rogant Judicium, ſic loquuntur. *Majores cauſas ad Sedem Apoſtolicam referre ſolemnis mos eſt, quem fides Petri nunquam deficiens perpetuò retineri pro jure ſuo poſtulat. Æquiſſimæ hujus legi obſequentes, de graviſſimo circa Religionem negotio Sanctitati tuæ ſcribendum eſſe cenſuimus....: Obteſtamur ergo, ut has præſertim Propoſitiones, de quibus diſceptatio periculoſior ac contentio ardentior eſt, ſanctitas veſtra expendat, & perſpicuam ac certam de unaquaque ſententiam ferat.* Rec. des Bulles pa. 71.

Anno 1681. Iidem Gallicani Epiſcopi in Conventu Pariſienſi congregati declarant S. Pontificem *eſſe Caput Eccleſiæ ..... centrum unitatis: obtinere primatum auctoritatis & juriſdictionis ipſi à Chriſto in perſona S. Petri collatum; & eum qui ab hac veritate diſſentiret, Schiſmaticum imò & Hæreticum fore.*

Et in præfatione Declarationis de Eccleſiaſtica poteſtate, factæ an. 1682. ſic ajunt. *Eccleſiæ Gallicanæ Decreta & libertates, à Majoribus noſtris tanto ſtudio propugnatas, multi diruere moliuntur. Nec deſunt qui, earum obtentu, primatum B. Petri ejuſque ſucceſſorum R. Pontificum à Chriſto inſtitutum, iiſque debitam ab omnibus Chriſtianis obedientiam, ſedeſque Apoſtolicæ reverendam omnibus Gentibus majeſtatem, imminuere non vereantur.*

Quin & ipſamet Propoſitione 4. ubi declarant, *Irreformabile non eſſe S. Pontificis Judicium, niſi eccleſiæ conſenſus acceſſerit:* adjiciunt, *in fidei queſtionibus, præcipuas eſſe ipſius partes, ejuſque Decreta ad omnes & ſingulas eccleſias pertinere.*

Sacra etiam Facultas Pariſienſis, in celebri ſua contra Lutherum cenſura an. 1542. art. 23. doctrinali ſuo Judicio ita pronunciat: *Non minùs certum eſt unum eſſe jure divino ſummum in eccleſia Chriſti militante Pontificem, cui omnes Chriſtiani parere tenentur.* Et in cenſura contra Spalatenſem an. 1617. Propoſitionem qua ille aſſeruerat, *Romanam eccleſiam jure divino auctoritatem in alias eccleſias non habere, Hæreticam eſſe ac Schiſmaticam declarat.*

Anno 1657. inſurrexit in quemdam primi ordinis Baccalaureum, & ad revocandum coegit quod in æſtu diſputationis ipſi contra dignitatem & primatum R. Pontificis exciderat.

Denique, cùm an. 1683. juſſu ampliſſimi Senatus, de propoſitione Strigonienſi circa auctoritatem S. Pontificis ſententiam ſuam dixiſſet, ut omnem à malevolis obtrectandi occaſionem amoliretur, ſuam, in ipſo cenſuræ aditu, de S. Pontifice mentem ac doctrinam ſtatim aperiendam eſſe duxit, his verbis. *Cùm ipſa,* inquit, *Propoſitione, de R. Pontifice ſit ſermo, cujus jura non modò illæſa eſſe ubique voluit Facultas, ſed & quaque occaſione data religioſè venerata eſt, expoſuit copioſè, ſtrenuè defendit; antiquæ ſuæ in Sedem Apoſtolicam reverentiæ eſſe duxit, hic brevi de eâ præfari, diſerteque repetere quod olim non ſemel profeſſa eſt; Romanum epiſcopum eſſe jure divino Summum in eccleſia Pontificem, cui omnes Chriſtiani parere teneantur; & qui immediatè à Chriſto non honoris ſolùm, ſed poteſtatis ac juriſdictionis primatum habeat in tota eccleſia.*

Jam anno 1554. Congregata Facultas occaſione Bullarum Pauli III. & Julii III. ſtatim ſuam in Romanum Pontificem reverentiam his verbis proteſtata eſt. *Omnes & ſinguli Magiſtri palam profeſſi ſunt, nihil ſe adverſus.*

sùs Summorum Pontificum auctoritatem & poteſtatem, aut decernere, aut moliri, aut etiam cogitare velle: Imò verò omnes & ſinguli ut obedientiæ filii ipſum R. Pontificem ut Summum & univerſalem Chriſti Jeſu Vicarium, & univerſalem eccleſiæ Paſtorem, cui plenitudo poteſtatis à Chriſto data ſit; cui omnes utriuſque ſexus obedire; cuius Decreta venerari, & quiſque tueri & obſervare teneatur, ut ſemper agnoverunt & confeſſi ſunt, ita nunc quoque ſincerè, fideliter & libenter agnoſcunt & confitentur.

Prodiit in lucem anno 1723. Opus poſthumum cui Gallicè titulus, *Neuvieme diſcours de M. l'Abbé Fleury ſur les libertes de l'Egliſe Gallicane.* ubi auctor pag. 24. hæreticam appellat ſententiam quæ aſſerit R. Pontificem ex humana dumtaxat inſtitutione ac mera Politia Eccleſiaſtica primatum obtinere. Diſplicuit æquiſſima illa cenſura cuidam anonymo, qui dictum Opus publici juris fecit notis omninò hæreticis deformatum. Audaciam ac temeritatem non tulit pro ſua pietate & in Religionem ſtudio Rex Chriſtianiſſimus, ac Decreto ſupremi Conſiſtorii die 9. Sept. anno 1723. opus dictum cum notis ſuppreſſit ac prohibuit, juſſitque in Auctorem vel editorem libelli diligentius inquiri.

Quæres 5. An R. Pontifex in fidei & morum Decretis errare poſſit? Reſp. S. Pontificem ſpectari poſſe vel ut privatum Doctorem, ex propria & privata ſententia pronunciantem; vel ut Pontificem Summum, ex Cathedra, ut ajunt, quando ſcilicet virtute & auctoritate ſuæ Sedis, ſuſis ad Deum precibus, ac conſulta & ſedulò expenſa Eccleſiæ ſuæ Romanæ Traditione, publicum aliquod de fide vel moribus Decretum toti Eccleſiæ velut regulam ad obſervandum proponit.

To. 2. p. 311. col. 2. D. *Pontificem Romanum, ut privatum Doctorem errare poſſe, etiam in quæſtionibus juris univerſalibus tam fidei quàm morum, idque ex ignorantia, ut aliis Doctoribus interdum accidit, omnes Catholici conveniunt*, ait Bellarm. L. 4. de Romano Pontifice c. 2.

Pagina 281. *Qui Summi Pontificis omne, de re quacumque, judicium temerè ac ſine delectu defendunt*, ait Melchior Canus L. 5. de Locis Theologicis c. 5. Concl. 3. *ii Sedis Apoſtolicæ auctoritatem labefactant, non fovent: evertunt, non firmant.*

Ut autem de controverſiis fidei ritè ac ſecurè pronunciet S. Pontifex, *Non debet*, judice Bellarmino L. 1. de Conciliis c. 11. *ſolo ſuo judicio fidere,* To. 2. p. 8. col. 1. C. *aut expectare divinam revelationem; ſed adhibere diligentiam, quantam res tanta poſtulat, & ordinaria media: & tum demum expectare aſſiſtentiam Spiritus ſancti, & directionem divinam.*

An verò S. Pontifex definiens ex Cathedra poſſit à vero aberrare, non conſentiunt inter ſe omnes Theologi. Negant omnes ferè Itali & quamplures aliarum Regionum Doctores, affirmant verò præſertim Galli cum aliis nonnullis.

Sunt inter noſtros, qui Romanam Eccleſiam à R. Pontifice diſcernunt; ajuntque hunc in fide errare poſſe, illam non poſſe: ita Launoius aliique paulò antè memorati. Illi porrò Theologi, vel ſpectant S. Pontificem ſeorſim à ſua Eccleſia, aut etiam contra Eccleſiæ ſuæ fidem ac ſententiam judicantem; vel judicantem ſimul cum ea, ex ipſis fide ac Traditione, quam priùs, invocato cœleſti Spiritu, maturè ac diligenter diſcuſſiſſe præſumitur. Si priùs, Pontifex ut privatus Doctor habetur, qui omnium ferè

ferè Theologorum judicio, errori est obnoxius. Si posterius, Pontifex ex Cathedra pronunciare censetur, & quidem ad mentem & doctrinam Ecclesiæ suæ Romanæ, adeoque non est eo in Judicio à Sede sua secernendus; ac consequenter, ex sententia eorum Theologorum, (si cohærenter sentire velint & loqui) eadem ipsi Pontifici inerrantia tribuenda est, quæ ipsimet Ecclesiæ Romanæ, cujus fidem atque sententiam sequi & exprimere præsumitur, quoties non contradicit nec reclamat ipsa Romana Ecclesia. Si verò istud semel illi concesserint, ultrò acquiescent Itali omnes; nihil enim aliud exigere videntur; nullumque amplius, circa caput illud, serium remanet inter illos & nos dissidium. Inde est quòd istam Launoii & aliorum ex nostris interpretationem, opportunè ad rem suam convertant Pontificiæ inerrantiæ patroni: imprimis auctor Tractatus de Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ Leodii an. 1684. L. 7. c. 3. *Interpretatio illa*, inquit, *non excludit auctoritatem R. Pontificis, imò magis adstruit.*

Distinctionem porrò illam inter Sedem Romanam & in ea sedentem Pontificem, velut ablurdam fugillat Melchior Canus Lib. 6. de Locis cap. 8. & Auctor mox citatus de Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, tanquam Gallis inutilem rejicit. *Hoc discrimen*, inquit cap. 6. Lib. 7. *nihil Episcopos Gallicanos juvat, qui, ut Papæ judicium irreformabile sit, non solùm ecclesiæ Romanæ particularis, sed ecclesiæ universæ consensum requirunt.*

De SS. Patribus.

SExtus locus est auctoritas SS. Patrum, qui avitæ fidei testes ac defensores, puram ad nos transmisere doctrinam. Hinc quoties novi exortisunt Hæretici, ad eos confutandos Episcopi suorum Prædecessorum suffragia opponebant. *In ipsa enim Catholica Ecclesia*, inquit Vincentius Lirinensis in Commonitorio c. 3. *magnoperè curandum est, ut id teneamus quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est: hoc enim verè proprièque Catholicum, quod ipsa vis nominis ratioque declarat, quæ omnia ferè universaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fiet, si sequamur universitatem, antiquitatem, confessionem. Sequemur autem universitatem hoc modo: si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia. Antiquitatem verò ita, si ab iis sensibus nullatenus recedamus, quos sanctos majores ac Patres nostros celebrasse manifestum est: consensionem quoque itidem, si in ipsa vetustate, omnium vel certè penè omnium Sacerdotum pariter & Magistrorum definitiones sententiasque sectemur.* Hæc Vincentius Lirinensis, qui docet ibidem, non ex uno dumtaxat, aut altero, sed ex communi omnium, aut saltem majoris partis suffragio, validum deduci ad res Theologicas argumentum. *Operam dabit* (Christianus Catholicus,) ait c. 4. *ut collatas inter se majorum consulat interrogetque sententias, eorum dumtaxat, qui diversis licèt temporibus & locis, in unius tamen ecclesiæ Catholicæ Communione & fide permanentes, magistri probabiles extiterunt, & quidquid non unus aut duo tantùm, sed omnes pariter uno eodemque consensu apertè, frequenter, perseveranter tenuisse, scripsisse, docuisse cognoverit, id sibi quoque intelligat absque ulla dubitatione credendum.*

Bibl. PP. To. 7. Pag. 250. E.

ib. F. G.

Et certè, in aliquos errores pro humana fragilitate interdùm lapsos es-

te

nonnullos ex SS. Patribus, notius est, quàm ut negari possit. Quamquam ergo omnibus & singulis summa debeatur reverentia, non ideò tamen promiscuè tenenda quæcunque sunt ab aliquibus contra communem cæterorum sententiam tradita.

Hinc S. Aug. Epist. 148. aliàs 111. ad Fortunatianum Siccensem Episcopum c. 4. loquens de SS. Patrum Prædecessorum suorum lucubrationibus ait: *Neque quorumlibet disputationes, quamvis Catholicorum & laudatorum hominum, velut Scripturas Canonicas habere debemus, ut nobis non liceat salva honorificentia quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum Scriptis improbare atque respuere, si fortè invenerimus quòd aliter senserint quàm veritas habet, divino adjutorio vel ab aliis intellecta, vel à nobis. Talis ego sum in Scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meorum.* Et in Epistola 82. aliàs 19. ad S. Hieronymum c. 1. *Alios*, inquit, *ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque præpolleant, non ideò verum putem, quia ipsi ita senserunt; sed quia mihi vel per illos auctores Canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt.*

Tom. 2. pagina 502. B. Ib. pag. 190. G.

Septimus locus est auctoritas Theologorum Scholæ, quibus adjungi debent Juris Pontificii periti: namque Juris hujus doctrina, quasi ex altera parte, Scholasticæ Theologiæ respondet. Et verò ex quo desiit SS. Patrum series, nullibi melius Traditio Ecclesiæ conservatur quàm in Decretis seu Constitutionibus SS. Pontificum, in Libris, Ritualibus, Mandatis seu Documentis Pastoralibus Episcoporum, & Scholasticorum lucubrationibus.

Octavus, est ratio naturalis, quæ per omnes scientias naturali lumine inventas latissimè patet; quæque in rebus Theologicis, semper fidei subjicienda est.

Nonus, est auctoritas Philosophorum qui naturam ducem sequuntur: in quibus sine dubio sunt Cæsarei Jurisconsulti, qui veram & ipsi, ut Jurisconsultus ait, Philosophiam profitentur.

Decimus denique, est auctoritas humanæ Historiæ, seu per Auctores fide dignos scriptæ, sive de gente in gentem traditæ; non superstitiosè atque aniliter, sed gravi constantique ratione.

Hactenus quasi in ipso limine tractationis de Deo ac divinis Attributis prolusimus: juvat nunc interiores ejus aditus ac recessus, quantùm humana patitur tenuitas, Deo adjuvante penetrare.

QUÆ-

QUÆSTIO PRIMA
DE
EXISTENTIA DEI.

VEri Dei cognitio totius Theologiæ imò & Religionis primum fundamentum eſt. *Credere oportet accedentem ad Deum quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Heb. 11. v. 6.

Circa exiſtentiam Dei hæc quatuor inquirenda nobis ſunt. 1. An ſit à natura nobis intimè impreſſa & innata Dei cognitio. 2. An iſta propoſitio, Deus eſt, ſit per ſe nota quoad nos. 3. An & quibus argumentis exiſtentia Dei poſſit demonſtrari. 4. An Deus unus ſit.

ARTICULUS PRIMUS.

An ſit à natura nobis intimè impreſſa & innata Dei cognitio.

INgenita dicitur & à natura intimè impreſſa cognitio, quæ nec à ſenſibus hauſta eſt, nec ex diſcurſu comparatur, ſed ab uno naturæ auctore Deo animis noſtris indita eſt, tam clara, tam perſpicua & evidens, ut à nemine negari ſeriò poſſit. Talis eſt in Metaphyſicis cognitio hujus primi principii: *Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe*; & iſtius in Moralibus: *Alteri ne feceris quod tibi fieri non vis*; quibus mens noſtra ſtatim acquieſcit, ac termini ipſi pronunciati & auditi fuerunt.

Quæritur igitur, an cognitio exiſtentiæ Dei ſit hujuſmodi; an verò non niſi prævio quodam diſcurſu, facili quidem ac prompto, haberi illa poſſit.

Quæſtio porrò hic non eſt de actuali Dei cognitione, quaſi cum illa naſcamur omnes; ſed de facultate dumtaxat, ſeu de lumine ipſo naturali, quo ex ſola terminorum apprehenſione intelligimus Deum eſſe: eo ipſo modo quo ſtatim ac ſine prævio diſcurſu concipimus veritatem dictarum propoſitionum: *Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe. Alteri non feceris quod tibi fieri non vis.*

Neque etiam quæſtio eſt, utrum cognitio Dei rectè naturalis dici poſſit: Quis enim iſtud in dubium meritò revocet? Cùm natura ipſa undequaque auctorem ſuum prædicet & annunciet, atque ex uſu & inſtitutione Dei nomen audire à pueritia aſſueti ſimus: *Ex quo contingit*, ait S. Thomas L. 1. contra Gentiles c. 11. *ut ea quibus à pueritia animus imbuitur, ita firmiter tenentur, ac ſi eſſent naturaliter & per ſe nota.* *To. 13. pag. 24. col. 2. A*

Quæſtio igitur in eo unicè verſatur, utrum ſine prævio diſcurſu ac ratiocinio, tametſi facili & unicuique obvio, ex ſola ipſa terminorum apprehenſione intelligat mens ſana & attenta Deum eſſe. Fatentur multi, negant alii, pro data Scholæ libertate; neque enim præſens controverſia fidem ullatenus ſpectat. Quapropter Socinum etroris non arguimus, quòd partem negantem ſecutus hic fuerit Prælectionum Theologicarum c. 2. *T. 1. pa. 537.*

quandoquidem & nonnulli discipuli ipsius in oppositam planè sententiam abierunt, ut Crellius de Deo c.1. Smarcius Disp.8. & alii. Itaque sit

CONCLUSIO.

Est in unoquoque hominum à natura intimè impressa Existentiæ Dei cognitio.

Probatur 1. Ex Scripturis, unde facilè hæc nostra sententia eruitur: opposita verò, (quod notandum) nullo Scripturæ fulcitur testimonio.

Psal.4. v.7. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Hoc lumen*, ait S. Aug. in hunc locum n.8. *est totum hominis & verum bonum, quod non oculis, sed mente conspicitur. Signatum autem dixit in nobis, tanquam denarius signatur Regis imagine. Homo enim factus est ad imaginem & similitudinem Dei quam peccando corrupit.*

Ed.nov. To.4.p. 15.A.

Lucæ 17. v.21. *Regnum Dei intra vos est.* Quem textum de innata nobis Dei notione intelligit S. Athanasius, Oratione contra Gentes. *Quia*, inquit, *intus in nobismetipsis fidem regnumque Dei habemus, facilè possumus universitatis rectorem Patris salutare Verbum intelligere & contemplari.* Addit Gentiles excusari non posse: *Siquidem*, pergit S. Doctor, *omnes in eam viam sumus ingressi, omnes eam habemus, licèt non omnes illam sequi & pergere, sed plerique, externis vitæ voluptatibus allicientibus, deferere velint.*

To.1.n. Ed.p.29 n.30.

Joannis 1. v.9. Christus dicitur, *Lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Ex quo perspicuum fit*, ait S. Hieron. ad cap. 1. Epist. ad Galatas, *natura omnibus Dei ineste notitiam; nec quemquam sine Christo nasci, & non habere semina in se sapientiæ & justitiæ, reliquarumque virtutum.* Eò tendit quod dicebat Eliu apud Job c.36. v.25. *Omnes homines vident eum, unusquisque intuetur procul.* Eò quòd, ait auctor Commentariorum, in Job, sive Hieronymus sit, sive ejus discipulus Philippus Presbyter, *Notitia quòd Deus sit, inest in cordibus hominum per naturæ bonum.*

Ed.nov. T.4.p.1 pa.233. T.5.pa. 757.

Accedit lex illa naturalis scripta in cordibus, de qua sic scribit S.Paulus Rom.2.v.14. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt; ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus.*

Porrò, lex illa, *quam ex natura ipsa homines accipiunt, ad quam non docti sed facti, non instituti, sed imbuti sunt*, ut loquitur Theodoretus Orat. de Providentia, lex, inquam, illa ab ipso naturæ auctore Deo in cordibus nostris inscripta, inditam quoque ac nobis ingenitam ab eodem naturæ auctore sui notitiam supponit & arguit. Sunt enim hæc duo inter se intimè annexa, iisdemque pariter momentis aut stant aut convelluntur, cùm sit utriusque par ratio, & eadem prorsus origo. Ita ferè arguit Origenes Lib.1. contra Celsum. *Non est*, inquit, *mirandum .... Deum, eorum quæ per Prophetas & servatorem docuit, semina indidisse omnium mortalium animis, ut in divino judicio omnis homo sit inexcusabilis, habens legem mentis scriptam in corde suo.*

Edit. Paris. 1619.p. 2. pag. 415. E.

Probatur 2. Ex constanti SS. Patrum tùm Græcæ, tùm Latinæ Ecclesiæ sententia.

Ex

Ex Græcis.

SAnctus Juſtinus Apol. 2. quæ prima falsò inſcribitur, *Dei*, inquit, *appellatio, nomen non eſt, ſed rei inenarrabilis naturæ hominum inſita opinio.* Pag. 44.

Idem S. Doctor ac Martyr teſtatur, ſe *Librum de Monarchia Dei*, cujus ſolùm nobis ſupereſt fragmentum, eo conſilio ſcripſiſſe, *ut inſitam à natura, ſed à prava conſuetudine obliteratam de Deo uno ſententiam, reſuſcitet ex Poetarum Scriptis.*

S. Clemens Alexandrinus in Protreptico ſeu Admonitione ad gentes, *Omnibus*, inquit, *ſimpliciter hominibus, maximè autem iis qui verſantur in doctrina & litteris, inſtillatus eſt quidam divinus influxus: qua de cauſa, vel inviti quidem, fatentur unum eſſe Deum, ab interitu alienum, & ingenitum.* Ed. Baſil. 1616. pagina 33. E.

Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus L. 2. Præparationis Evangelicæ c. 9. *Eximium illud*, ait, *ac ſalutare imprimis, quod Dei nomen eſſentiamque ſignificat, ipſius naturæ ductu, impreſſiſque animo per ſeſe notionibus, vel divinitùs potiùs inſpiratis, nemo non intelligit. Hoc enim omnes populi communi quodam rationis ſenſu præcepere, cùm id omni animo ratione & intelligentia prædito, idem hujus univerſitatis artifex naturalibus quibuſdam cogitationibus inſeverit.* Ed. Viger. c. 6. p. 72. D.

S. Athanaſius Orat. contra Gentes, *Neque*, inquit, *ut eſt ipſe Deus ſupra omnia, ita via quæ ad illum ducit, foris & procul à nobis eſt: verùm in nobis ipſis eſt, ejuſque initium haud eſt difficile à nobis reperire, ut & Moyſes his verbis docuit*: Verbum fidei intra cor tuum eſt. *Quod idem Salvator declaravit, & confirmavit dicens*: Regnum Dei intra vos eſt. To. 1. m. Edit. p. 29. nu. 30.

S. Gregorius Nazianzenus Orat. 24. *De patre*, inquit, *quid dicere neceſſe eſt, cui uno conſenſu omnes naturalibus animi notionibus edocti atque imbuti parcunt?* T. 1. pa. 428. D.

S. Gregorius Nyſſenus Orat. 5. quæ eſt de Beatitudinibus, *Quemadmodum*, ait, *opinio de numine divino naturaliter quidem inſita eſt omnibus hominibus, ſed ignorantia veri Dei peccatur circa id quod colitur.* Ed. Morel. 1615 To. 1. p. 801. D.

Ex Latinis.

TErtullianus in Africa, Apologetici c. 17. ſic loquitur: *Hæc eſt ſumma delicti nolentium recognoſcere, quem ignorare non poſſunt . . . . Vultis ex animæ ipſius teſtimonio comprobemus? Quæ licèt carcere corporis preſſa, licèt inſtitutionibus pravis circumſcripta, licèt libidinibus ac concupiſcentiis evigorata, licèt falſis diis exanclata, cùm tamen reſipiſcit, ut ex crapula, ut ex ſomno, ut ex aliqua valetudine, & ſanitatem ſuam potitur, Deum nominat, hoc ſolo nomine, quia proprio Dei veri. Deus magnus, Deus bonus; &, Quod Deus dederit, omnium vox eſt . . . . O teſtimonium animæ naturaliter Chriſtianæ!* Pagina 17. A.

Idem Tert. L. 1. contra Marcionem c. 10. *Antè anima, quàm prophetia*, inquit: *Animæ enim à primordio conſcientia Dei dos eſt.* Et L. de teſtimonio animæ c. 5. *Magiſtra natura*, inquit, *anima diſcipula. Quidquid aut illa edocuit, aut iſta perdidicit, à Deo traditum eſt, magiſtro ſcilicet ipſius magiſtræ . . . . Etiam circumventa ab adverſario meminit ſui auctoris . . . . Sed qui ejuſmodi eruptiones animæ non putavit eſſe doctrinam naturæ congenitæ, & ingenitæ conſcientiæ tacita commiſſa, dicet potiùs &c.* Pagina 370. C. Pagina 67. C.

S.Cyprianus Tract. de vanitate Idolorum. *Vulgus in multis Deum naturaliter confitetur, cùm mens & anima sui auctoris & principis admonetur. Dici frequenter audimus, ò Deus! &, Deus videt, &, Deo commendo; &, Deus mihi reddet; &, Quod vult Deus; &, Si Deus dederit. Atque hæc est summa delicti, nolle agnoscere quem ignorare non possis.* Verba ipsa Tertulliani exscribit, quem ut Magistrum ac præceptorem assidua lectione terebat.

Pa.207.

Arnobius L. 1. contra Gentes. *Quisquamne est hominum*, inquit, *qui non cum istius principis notione diem primæ nativitatis intraverit? Cui non sit ingenitum, non affixum, imò ipsi penè in genitalibus matris non impressum, non insitum, esse Regem ac Dominum, cunctorum quæcunque sunt moderatorem?* Et L. 2. *Deum esse*, inquit, *omnes naturaliter scimus, sive cùm exclamamus, ò Deus! sive cùm illum testem constituimus improborum; & quasi nos cernat, faciem sublevamus in cælum.*

Ed. Rigalt. pa. 9.

Pag.20.

Lactantius Arnobii in Africa discipulus Lib. 2. Institut. c. 1. *Cùm jurant*, inquit, *& cùm optant, & cùm gratias agunt, non Jovem aut deos multos, sed Deum nominant: adeò ipsa veritas, cogente natura, etiam ab invitis pectoribus erumpit, quod quidem non faciunt in prosperis rebus: nam tum maximè Deus è memoria hominum elabitur, cùm beneficiis ejus fruentes, honorem debitæ divinæ indulgentiæ deberent.*

Edit. Basil. pag.85.

To.3.p. 2. pag. 765. F.

S. Aug. Tract.106. in Joan. n. 4. *Hæc est*, inquit, *vis veræ divinitatis, ut creaturæ rationali jam ratione utenti non omninò ac penitùs possit abscondi.* Et in Psal. L.4. n.9. *Deus ubique secretus est, ubique publicus; quem nulli licet ut est cognoscere, & quem nemo permittitur ignorare.*

T.4.pa. 788. F.

S. Joannes Damascenus L. 1. Orthodoxæ fidei c.1. *Non nos tamen in omnigena prorsus ignorantia versari passus est Deus. Nemo quippè mortalium est, cui non hoc ab eo naturaliter insitum sit, ut Deum esse cognoscat.*

Ob an. 750, T.1. n. Edit. pa.123. D.

Probatur 3. Ex ipsis Philosophis Gentilibus.

Plato L.10. de Legibus. *Nullus ab adolescentia usque ad senectam in ea opinione quòd dii non sint perseveravit.*

Plotinus Philosophus è secta Platonica lib.5. Enneadum. *Unum quiddam*, inquit, *idemque numero esse simul ubique totum, communis indicat mentis humanæ conceptio; quando omnes naturali quodam instinctu clamant, in unoquoque nostrum esse Deum: adeò ut unus in omnibus idemque sit Deus.*

Jamblicus Porphirii discipulus L. 1. de Mysteriis c. 3. *Cohæret*, inquit, *nostræ ipsi substantiæ, de diis innata cognitio.* Ibidem ostendit, existentiam Dei per demonstrationem non cognosci, quia ejus cognitio omni demonstratione prior est. *Humanus animus*, inquit, *conjectura aut opinione, aut syllogismo quopiam temporaneis rebus accommodato, minimè divinorum essentiam tempore superiorem assequitur; sed puris & incorruptis intelligentiis quas hausit ab æterno, divinitùs per has notiones divinas divinis copulatur.*

Tullius L. 1. de nat. Deorum. *Quæ gens*, inquit, *aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quamdam Deorum, quam Epicurus appellat πρόληψιν, id est anteceptam animo quamdam informationem?* Et L. 1. Tusculanarum quæstionum: *Quòd si*, ait, *omnium consensus, naturæ vox est .... ut deos esse natura opinamur, qualesque sint ratione cognoscimus; sic permanere animos arbitramur consensu nationum omnium.* Ibidem: *Nulla*, inquit, *est gens tam barbara, quæ non fateatur esse aliquem Deum;*

adeò.

adeò quidem ut homines falsum Deum habere malint, quàm nullum omninò.

Quæ hactenus relata sunt testimonia, multis placet exponere, non de ingenita, sed de facili & unicuique obvia ex creatis, Dei notitia. Verùm etsi hæc interpretatio non sit improbanda, altera tamen, quæ ad mentem & normam loquendi SS. Patrum accedere propiùs videtur, præferenda est. Ea quippè Theologis lex imponitur, ut ex multis, quæ liberè in Scholis agitantur opinionibus, ea præ cæteris seligatur, quæ SS. Patrum dictis magis videtur accommodata; qualis certè est quæ Conclusione nostra exprimitur. Ea quippè notio à natura ipsa nobis intimè impressa censeri debet, quæ à Scriptoribus tùm Christianis, tùm Gentilibus dicitur naturæ hominum insita, instillata, indita; animo per sese impressa, cogenita, prima rationalis animæ dos, ac quasi vox naturalis & publica; anticipata, antecepta, prævia cognitio seu animæ informatio, omni demonstratione prior; quam communi consensu & instinctu naturali omnes admittunt; quam gentes maximè barbaræ etiam invitæ fatentur; ita ut falsum potiùs, quàm nullum Deum habere velint: uno verbo, cui ex animo nullus contradicit ac reluctatur. Atqui talis est existentiæ supremi Numinis notitia; ergo à natura nobis intimè impressa dicenda est.

Præterea, ut nulla gens unquam fuit tam barbara & inculta, cui non insederit sensus aliquis Religionis & cultus erga Numen aliquod superius, quod ex intimis conscientiæ terroribus, criminum vindicem & ultorem pertimescebat; ita, nulla unquam fuit sine præconcepta Dei alicujus naturali notitia: & quamquam in assignandis, quos colebant ac venerabantur, diis, insanis commentis multæ aberraverint, erat hoc tamen divinitatis ac religionis, quamquam in contrarium detortum vestigium: *Adeò sanè ut*, judice Tullio, *falsum Deum habere maluerint, quàm nullum omninò.*

Solvuntur Objectiones.

OBjicies 1. Cognitioni à natura ipsa ingenitæ nemo dissentit ac reluctatur. *Omnium consensus*, ait Tullius, *communis naturæ vox est.* Atqui talis non est cognitio existentiæ Dei: omni quippè ætate extitere Athei, qui omni excusso divinitatis sensu, demonstrarunt nullam dari omnium animis à natura intimè impressam Dei notitiam.

Major certa videtur. Probatur verò minor propositio, auctoritate 1. Scripturæ. Psal. 13. & 52. v. 1. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. Ideò dixit in corde suo*, ait S. Aug. in hunc locum, *quia hoc nemo audet dicere, etiamsi ausus fuerit cogitare.* T. 4. p. 67. n. 2.

Sapientiæ 13. v. 1. *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei: & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes agnoverunt, quis esset artifex: sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aerem, aut gyrum Stellarum, aut nimiam aquam, aut Solem & Lunam rectores orbis terrarum deos putaverunt.* Quibus verbis Athei describuntur, qui non tantùm corde ac depravatis moribus, sed etiam animo & opinione veri sunt Athei, divinationem ad creaturas transferentes.

Ephes. 2. v. 12. *Eratis illo in tempore*, (nempè infidelitatis) *sine Christo . . . . . & sine Deo in hoc mundo.* 1. ad Thessal. 4. v. 5. *Sicut & Gentes quæ*

ignorant Deum. Et 2. ad eosdem c. 1. v. 8. *In flamma ignis dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum*. Igitur Apostolo teste, multi sunt qui Deum non agnoscunt.

2. Hoc ipsum testantur Scriptores tùm Christiani, tùm Gentiles ac profani. S. Aug. L. 3. contra litteras Petiliani c. 21. n. 25. *Quid hic facit*, inquit, *Athens Diagoras, qui esse Deum negavit, ut de illo videatur prædixisse Propheta: Dixit insipiens in corde suo non est Deus?* Et Tractatu 106. in Joan. n. 4. agnoscit esse quosdam, tametsi paucos Atheos. *Exceptis paucis*, inquit, *in quibus natura nimium depravata est, universum genus humanum Deum fatetur*.

T. 9. pa. 309. E.

T. 2. p. 2. pag. 765. F.

Theodoretus Oratione 1. de providentia, multos Philosophorum errores recensens: *Alii*, inquit, *pro uno plures mundos esse stulta quadam imaginatione somniarunt: alii item Deum omninò nullum esse: alii verò esse quidem Deum, sed nullam eorum quæ in rerum natura sunt curam gerere.... dixerunt*.

T. 4. pa. 322. A.

Lactantius L. 1. divinarum Institutionum c. 2. inter Atheos recenset Democritum, Epicurum, Protagoram & Diagoram. Et L. de ira Dei c. 9. Cyrenæum Theodorum.

Tullius L. 1. de natura Deorum, veros Atheos fuisse ait, Protagoram, Diagoram, Melium, Theodorum Cyrenaicum: *Dubitare se Protagoras ait; nullos omninò Diagoras, Melius & Theodorus Cyrenaicus putaverunt non esse deos*. Item, *Epicurus qui invidiæ detestandæ gratia re tollit, oratione relinquit deos*. De Protagora Abderitano refert Laertius in ejus vita, illum dicere solitum: *De diis quidem, neque utrum sint, neque utrum non sint, habeo dicere*.

Quin & nonnullos etiam post Christum veros extitisse Atheos, affirmant qui de rebus Orientalibus Historiam scripsere: & non longè ab hac ætate nostra, pro veris Atheis habiti sunt, Vaninus, vivus ob impietatem flammis Tolosæ traditus an. 1619. & Spinosa, qui nullum alium agnoscit Deum, quàm mundum universum.

Resp. 1. Ad Majorem distinguo. Cognitioni à natura ipsa ingenitæ, nemo sanæ & attentæ mentis dissentit ac reluctatur, concedo: nemo corruptæ ac plurimùm depravatæ mentis, nego. Si enim ex depravatis affectibus eò interdum nonnulli deveniunt, ut ipsum legis naturalis ac conscientiæ dictamen aliquando in se præfocent, ne importunis stimulis exagitentur, quidni poterunt & ingenitam supremi rerum omnium Domini notitiam, si non delere penitùs, saltem obscurare; ne cogantur etiam inviti agnoscere, quem non possent impietatis suæ severum vindicem ac ultorem non reformidare? Nec obstat, quòd ad mortem usque nonnulli in eo impietatis furore obstinatè permanere visi fuerint: ut enim profundum est ac desperatum cor impii, potuerunt forsan hoc profiteri contra interiorem sensum, ad ostentationem & laudem vanæ cujusdam constantiæ ac fortitudinis reportandam: porrò, quæ ex impietate ac cordis depravatione negantur, non idcircò tanquam non essent, neganda sunt.

Resp. 2. Ad minorem, distinguo. Multi extitere & etiamnum existunt Athei: aliquo sensu, practicè nimirum & externè, concedo: omni sensu, speculativè & internè, subdistinguo: indirectè saltem, concedo: directè & expressè, nego. Explico.

Itaque multiplici modo ac sensu, Athei esse ac dici possunt.

1. Alius.

1. Alius est Atheus speculativè & internè; alius practicè & externè. Speculativè Atheus est, qui Deum ex animo penitus negat: practicè, qui ita perditè vivit ac si Deus non esset; quem vellet ex animo non esse, quòd eum suorum criminum justum vindicem intimo conscientiæ sensu reformidet. 2. Atheus speculativè, vel directus est & expressus; vel indirectus & interpretativus. Directus, qui omnem divinitatis & religionis sensum exuit ac deponit: indirectus verò, qui Deo ea tribuit aut denegat, quæ ipsi nec tribui possunt nec denegari; vel idolis ac puris creaturis ea concedit, quæ soli vero Deo competunt ac propria sunt. Hoc sensu, qui Deo providentiam, vel justitiam detrahit, aut qui eum peccati auctorem facit; vel qui idolis ac meris creaturis ea tribuit quæ solius Dei veri propria sunt, Athei nominantur saltem indirectè. 3. Atheus directus, vel solùm externè & contra intimum conscientiæ sensum, Dei existentiam in controversiam adducit; vel internè & ex animo. His expositis

Dico nullos esse aut fuisse unquam Atheos speculativè, directè, expressè & internè; sed tantùm practicè, in directè vel externè: atque hoc postremo dumtaxat sensu intelligenda esse, quæ in objectionis confirmationem adducta sunt, tùm ex Scripturis, tùm ex Auctoribus Christianis aut Gentilibus testimonia.

Atheus est practicè & externè impius ille de quo Psaltes Regius; *Dixit insipiens in corde suo non est Deus*: cujus nimirum vita dissoluta ac mores perditi perstringuntur. Statim enim v. 2. eodem Psalmo additur: *Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studiis suis. Id est*, ait S. Aug. in hunc locum Psalmi 13. n. 2. *Dum amant hoc sæculum, & non amant Deum. Ipse sunt affectiones, quæ corrumpunt animam, & sic excæcant, ut possit etiam dicere imprudens in corde suo: Non est Deus. Ausus quidem est cogitare*, inquit ibid. S. Doctor, nempè ex pravo affectu, non esse Deum, quia vellet eum non esse; sed *non ausus est dicere*, hoc est affirmare, aut voce exteriùs, aut interiùs ex animo atque sententia. T. 4. pa. 67. F.

Tales practicè seu vita & moribus Atheos designat & insequitur Apost. Rom. 1. v. 18. his verbis: *Revelatur ira Dei de cælo, super omnem impietatem & injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent: quia quod notum est Dei, manifestum est illis ..... ita ut sint inexcusabiles. Quia cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt: . . . . & mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis & volucrum, & quadrupedum, & serpentium. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum &c.* Et ad Titum 1. v. 16. de iisdem ait: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.*

Atheus est indirectè, (ut jam dictum est) vel qui Deo perfectionem aliquam detrahit, vel creaturæ eum religionis cultum impendit, qui soli Deo debitus est, v.gr. qui Dei providentiam negat, consequenter & indirectè Deum ipsum negare censetur. Ita impius ille, de quo Psal. 10. v. 4. juxta Hebræos, dicitur: *Secundùm altitudinem iræ suæ non requiret, nec est Deus in omnibus cogitationibus ejus*. Impius, inquam, ille, Deum ipsum non negat, sed ejus dumtaxat providentiam: *Dixit in corde suo, oblitus est Deus; abscondit faciem suam, non respiciet in perpetuum*. Ibidem v. 11.

Pariter, quotquot ex Gentibus Idola coluerunt, Athei dicuntur: *Sine Deo*

in hoc mundo: qui Deum ignorant &c. non quòd nullum omninò Deum esse sibi persuadeant; sed quòd verum Deum non agnoscant nec colant. Quapropter S. Paulus Act. 17. v. 23. Athenienſibus dicebat: *Prætereins & videns simulachra vestra, inveni & aram in qua scriptum erat: Ignoto Deo. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis.* Idololatria igitur Deum omninò non negat, sed falsos Deos admittit & colit: & est, ut antea diximus, divinitatis ac religionis quoddam distortum vestigium. Ut enim quod obliquum est, rectum; quod finitum, infinitum; quod fabulosum & erroneum, verum supponit; sic idololatria intimum divinitatis sensum animis nostris impressum arguit, ac demonstrat; *Tametsi*, ait S. Aug. L. de unico Baptismo c. 4. n. 5. *multis falsitatibus permixtum ac confusum*. Eò ferè recidit sententia eorum veterum Philosophorum, quam S. Augustinus refert L. 4. de Civit. Dei c. 11. aitque *magnorum multumque Doctorum esse*, qui nempè multos deos unum esse Jovem contendebant, cui varia nomina pro diversis officiis tribuebantur: *In æthere Jupiter, in aere Juno, in mari Neptunus, in terra Pluto* dicebatur. Adeò verum est, unius supremi Numinis notionem à primordio animis nostris ingenitam esse, quam subinde error ac corruptela plurimùm obscuravit, & ad vana putidaque simulachra miserè detorsit. *Opinio de Deo*, ait S. Greg. Nyss. antea laudatus, *naturaliter quidem insita est omnibus hominibus, sed ignorantia veri Dei peccatur circa id quod colitur.*

Tom. 9. pagina 530. A.

To. 7. p. 57. E.

Ib. p. 56. F.

Tom. 1. pagina D.

Admonitione ad Gentes.

Quicunque igitur verum Deum non agnoscunt, ii sine Deo, seu Athei post S. Paulum à S. Clemente Alexandrino aliisque dicuntur: quemadmodum & ipsimet Christiani à Gentilibus Athei vocabantur, ut observat S. Justinus Apol. 2. eò quòd falsos eorum deos colere recusarent; & qui inter Philosophos veteres, à populari deorum cultu recedebant, ii velut Athei habebantur & plectebantur. Notum est ea ipsa de causa damnatum ab Athenienſibus Socratem, tanquam impietatis rerum, quòd vulgares deos non veneraretur. Ipse quoque Anaxagoras, ab iisdem Athenienſibus idcircò impietatis postulatus est & exilio mulctatus, quòd Solem, quem illi ut Deum habebant, nihil aliud esse quàm ferrum candens & ignitum globum affirmasset.

Quamquam, etsi certò constaret fuisse olim, aut etiamnum esse aliquos verè, speculativè & internè Atheos, nihil aut ferè nihil inde consequerentur quinobis hic adversantur: tùm quia, ut jam observatum fuit, nihil est tam certum ac splendidè verum, quod à viris perditæ mentis non possit interdum in dubium vocari; an idcircò minùs verum ac certum dici illud deberet? non puto. Tùm quia si tam facilè est unicuique ex rebus creatis Dei existentiam inferre, (qua de causa naturalis dumtaxat Dei cognitio ab adversariis appellatur) qui fieri potest ut aliqui veri sint Athei? Nodus ergo iste adversariis, non minùs quàm nobis solvendus est.

Objicies 2. Quæ laudata sunt in confirmationem nostræ sententiæ SS. Patrum testimonia, nihil omninò efficiunt adversùs Atheos quos SS. illi Doctores impugnabant, si exponantur de notitia Dei nobis à natura impressa; namque infirmum ac planè nullum est argumentum, quo supponitur id quod negatur: atqui Athei negant hanc sibi ineſse à natura Dei notionem; ergo &c.

Resp.

Resp. Nego ant. Ad cujus probationem distinguo. Infirmum est ac planè nullum argumentum quo supponitur & non probatur id quod est in quæstione positum, concedo: Si probatur; & si id quod negatur, immeritò & contra communem omnium sensum negatur, nego. Porrò S. Patres omnibus inditam esse Dei cognitionem probant; ex communi omnium Nationum voce atque suffragio; ex innato religionis sensu erga supremum aliquod Numen; ex ipsomet cultu Idolorum, qui primævum quoddam est ex natura ipsa, Dei testimonium, sed humano errore ac vitio distortum ac malè inflexum; ex instinctu naturali quo in periculis, in angustis, in subitis ac miris rerum eventibus, Deum nominamus & inclamamus; ex lege ipsa naturali, quæ, ut ait S. Aug. in Psal. 57. n. 1. *Manu formatoris nostri in ipsis cordibus nostris scripta est*; ac uniculque sine Magistro ac Præceptore dictat, *alteri faciendum non esse quod tibi fieri non vis*. To. 4. p. 540. E.

At, inquies, hæc omnia negat Atheus; esto: nonne etiam probationes & argumenta quibus ex rebus creatis invictè demonstratur Dei existentia, ille præfractè negat & eludit? An idcirco omittenda illa sunt, aut minùs certa & infirma habenda? Absit. Immeritò igitur & contra communem omnium sensum negant Athei, inesse sibi à natura cogenitam Dei notionem, quam profectò non negarent, si paulò attentiùs ad eam attendere vellent; si redire ad cor, si interiorem magistrum ac conscientiam ipsam audire; si mentem à præjudiciis & erroribus quibus tota obscuratur, revocare, & voluntatem ab horrenda illa vitiorum colluvie quibus tota immersa est, adjuvante Deo retrahere conarentur. Neque enim alia est Atheismi, Idololatriæ & impietatis vera origo & causa, quàm depravati cordis perversitas & malitia.

Instabis 1. cum recentiore Theologo: Qui laudatis SS. Patrum testimoniis Conclusionem nostram confirmant, ii nequidem præsentis quæstionis statum attingere videntur. *Probant etenim solummodò innatam esse homini ideam entis perfectissimi; vel ideam summi boni; vel ideam alicujus Dei, qualiscumque tandem ille sit.* At certè in præsenti controversia, *non agitur de idea Dei qualiscunque veri aut ficti; neque de idea summi boni universè, neque tandem de idea entis perfectissimi præcisè.* 1. *Non agitur de idea Dei qualiscunque veri aut ficti: nam agitur de idea illius Dei cujus existentia hic nobis demonstranda est: atqui ex idea alicujus Dei in genere veri vel falsi, minimè demonstratur existentia veri Dei qui solus est conditor Cœli & Terræ. Ex eo quòd nonnulli Idolatræ vel Solem vel Lunam, vel aliquod metallum adorant tanquam Deum, rectè non colligeretur eos habere ideam veri Dei; neque ex ejusmodi idea quæ in eis est, non nisi existentiam ejusdem Dei nempe Solis, vel Lunæ, vel metalli inferri posset.* 2. *Non agitur quoque in ista quæstione, de idea summi boni universè, quasi nimirum is ideam Dei habere censeatur, cui ineste idea summi boni: Si enim hæc duo promiscuè sumerentur; quisquis ageret propter bonum universè, censeretur agere propter Deum; sed quisquis agit propter summum bonum in genere, is non idcirco censetur agere propter Deum, nam quivis homo vel etiam Ethnicus ageret semper propter Deum, & idcirco nunquam peccaret. Unde & falsò supponeret S. Paulus Gentes non cognoscere Deum, aut saltem illum non glorificare; continuò enim agunt propter summum bonum in genere, quod idem foret ac propter suam felicitatem agere. Denique, non agitur de idea entis perfectissimi præcisè; qui-*

sc: quicunque enim fatentur se habere ideam entis perfectissimi, non admittunt propterea existentiam Dei, quia Epicurei, Spinosa, & alii passim Athei qui ens aliud nullum agnoscunt præter mundum universum, fatentur se habere ideam entis perfectissimi, puta mundi; & tamen negant existentiam Dei. Agitur ergo de idea veri Dei, qui saltem cogitetur ut mundi auctor & rector; sed hujusmodi idea nulli homini innata est. Ea quippe idea non est innata sed adventitia, quæ secum importat leve saltem aliquod ratiocinium: atqui idea Dei speciati ut auctoris naturæ leve saltem aliquod ratiocinium postulat, quo nempe causa inferatur ex effectu; ergo &c.

Resp. Nego ant. Ad cujus probationem Dico. 1. Quæstionem hic unicè moveri de idea seu notione veri Dei, non qualiscunque & in genere, sicut fingit objectio. Agitur etenim de notione Dei à natura, hoc est ab ipsomet Deo naturæ auctore, nobis indita: at quis tam absurdus & impius, qui unquam cogitaverit falsi numinis notitiam à Deo ipso nobis impressam esse? Agitur de idea & notione illius Dei cujus existentiam demonstrant ex officio Theologi: at unius & veri Dei existentiam, non qualiscunque in genere Dei existentiam demonstrant. Sophistica igitur est prima hæc Objectionis probatio; nata, ut ajunt Dialectici, ex ignorantia elenchi, hoc est argumenti.

Dices 2. Falsò pariter supponi in præsenti quæstione, non agi de idea summi boni universè. Agitur etenim de notione veri Dei, qui summum bonum est, totius boni fons & origo: habet ergo ille ideam Dei, cui inest recta & sana summi boni notio; & reipsa hæc duo connectuntur ac promiscuè sumuntur. Quod verò inde colligit Objectio, nempe omnes homines, ne Atheis quidem exceptis, agere propter bonum universè, hoc est propter suam felicitatem, unde sequeretur eos agere propter Deum, nec unquam peccare; falsum omnino est, verumque sophisma quod Dialectici vocant, à dicto secundùm quid, ad dictum simpliciter. Tùm quia ille dumtaxat agere propter Deum censetur, cujus actio bona est ac recta, non tantùm ex officio & generali motivo felicitatis; sed etiam ex fine proximo, ex motivo speciali, recto & laudabili, aliisque circumstantiis quæ ad opus moraliter bonum concurrere debent. Porrò quicunque agunt universè propter bonum, hoc est propter suam felicitatem, non propterea semper legitimum habent actionis suæ finem proximum, aut speciale motivum rectum, nec consequenter dicendi sunt semper agere propter Deum, aut numquam peccare. Tùm quia, rectum illum summi universè boni ac felicitatis sensum, quem natura nobis indidit, multi aliò quàm oporteat, ex errore & malitia detorquent, quando summum illud bonum, suamque felicitatem in eo collocant, in quo collocari reipsa nec potest nec debet; peccant ergo, quando sensum illum naturalem summi boni ac felicitatis, in se rectum quidem ac sanum, usu perverso malè in praxi applicant.

Dico 3. Falsò non minùs supponi, quæstionem hic non esse de idea entis perfectissimi. Agitur quippe de idea Dei, qui reipsa & quidem solus est ens perfectissimum. At, inquies, Epicurei, Spinosa &c. habent ideam entis perfectissimi, nempe mundi, nec tamen Deum confitentur? Sophisma est ac putida æquivocatio. Distingui hic apprimè debet idea entis perfectissimi, qualis à natura nobis indita est, ab applicatione seu usu illius per-

perverſo. Habent quidem Epicurei &c. ideam entis perfectiſſimi, qualem unicuique natura ipſa dedit, atque ea ex parte, natura ipſa duce, vel inviti Deum eſſe confitentur; ſed quia ideam illam ad mundum ſenſerum univerſitatem transferunt, turpiter aberrant, ſibique manifeſtè contradicunt.

Quod addit Objectio, hic ſermonem eſſe de idea Dei, *Quæ Deus concipitur ut mundi auctor & rector*, adeoque ſaltem leve aliquod ex creaturis ratiocinium hic occurrere, facilè ſolvitur. Nomine quippe Dei, intelligitur generatim ens perfectiſſimum, ſumma & infinita virtute ac poteſtate præditum; at non continuò concipitur ut creans. V. g. quia creatio eſt actio Dei libera quæ poteſt eſſe vel non eſſe; concipitur quidem in ente perfectiſſimo ſumma & infinita potentia, in actu primo ut vocant: at non continuò clarè & explicitè cognoſcitur uſus ſeu exercitium illius virtutis & potentiæ in actu; ut ajunt, ſecundo.

Inſtabis 2. Exponi liquidò non poteſt qualis ſit illa naturalis Dei notio ſeu idea: ſit ne in mente hominis per modum habitus infuſi, vel per modum actus: ſitne abſtractiva, ſitne intuitiva. 1. Dici non poteſt eam in nobis eſſe per modum actus: tùm quia, actus ſeu actio non dicitur infundi, ſeu menti humanæ imprimi: tùm quia, nulla actio nobiſcum naſcitur. 2. Dici non poteſt eam eſſe in nobis per modum habitus: nullum quippe aliud lumen nobis infuſum eſt per modum habitus, præter naturale illud rationis; ſeu naturalem illam facultatem & potentiam, qua cognitionis & ratiocinii capaces ſumus. 3. Idea illa ſeu cognitio dici non poteſt intuitiva: cognitio enim Dei intuitiva, eſt beatifica per quam Deum videmus ſicuti eſt: nec etiam abſtractiva eſt aut dici debet; quia cognitio abſtrativa fit per medium, talis eſt cognitio qua nunc videmus Deum per creaturas. Innata autem Dei notio non fieret per medium, quia præverteret omnem aliam cognitionem, & omnem diſcurſum.

Reſp. Nego ant. In ipſo hujus quæſtionis limine præmonuimus, quæſtionem hic non eſſe de actuali Dei cognitione, quaſi cum illa naſcamur omnes; ſed de facultate, ſeu lumine ipſo naturali, quo ex ſola terminorum apprehenſione intelligimus Deum eſſe: eo ipſo modo, quo ſtatim ac ſine prævio diſcurſu concipimus veritatem iſtarum propoſitionum: *Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe. Alteri ne feceris quod tibi fieri non vis.* Fatemur ultrò, naturalem illam Dei notionem intuitivam non eſſe, ſed tantùm abſtractivam; nec obſtat ratio in contrarium adducta. 1. Quia cognitionem abſtractivam dicimus, non tantùm eam qua unum in alio, vel per aliud cognoſcitur; ſed etiam eam, quæ obſcura quodammodo eſt, & cognitioni intuitivæ opponitur: de qua duplici cognitione dixit Apoſt. 1. Cor. 13. v. 12. *Videmus nunc per ſpeculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* 2. Cognitio etiam abſtractiva dicitur, qua rei alicujus exiſtentiam clarè quidem cognoſcimus, non autem ejus eſſentiam adæquatè ſumptam. Quamquam dici non immeritò poteſt, illam Dei notitiam, de qua hic loquimur, mediam eſſe inter abſtractivam & intuitivam, & naturalem appellari: eo ferè modo quo S. Thomas 1. p. q. 56. ar. 3. in corpore & ad tertium docet, cognitionem quam Angeli habent naturaliter de Deo, mediam eſſe inter abſtractivam & intuitivam, & ſimilem eſſe *cognitioni qua videtur res per ſpeciem ab ea acceptam.*

Objicies:

Objicies 3. Illius notio & idea nobis à natura ingenita non est, cujus existentia ex creaturis manifestè demonstratur; atqui talis est existentia Dei. Rom. 1. v. 20. *Invisibilia (Dei) à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque virtus ejus & divinitas.*

Resp. Nego majorem. Non enim repugnat via & medio multiplici Dei existentiam demonstrari, tùm ex idea nobis innata, tùm ex creaturis, tùm etiam ex fide ipsa & revelatione. Neque varia hæc argumenta & probationes se se mutuò excludunt aut impediunt; imò mutuam sibi opem & lucem subministrant, ut quod nonnisi subobscurè ex uno colligitur, ex altero certiùs teneatur. Iis omnibus argumentis appositè utuntur SS. Patres, adversùs Infideles & falsorum deorum cultores.

Instabis 1. Si existentia Dei evidenter probatur ex idea nobis ingenita, non potest esse fidei objectum, quod certè repugnat primo Symboli articulo: *Credo in Deum*, & Apostolo affirmanti, *accedentem ad Deum credere oportere, quia est.* Hebr. 11. v. 6. Probatur sequela. Quia non potest esse simul in eodem intellectu, evidentia & inevidentia de eodem objecto naturali, etiam per diversa media: alioquin posset aliquis videre simul & cæcus esse sub diverso respectu; posset de eodem objecto simul esse certus & incertus. Cur enim potiùs simul compati posset evidentia & inevidentia circa idem; quàm certitudo & incertitudo seu formido?

Resp. Nego sequelam antecedentis. Ad cujus probationem, dico posse simul cohærere in eodem intellectu circa idem objectum, evidentiam & inevidentiam, per diversa scilicet media seu motiva; sicut potest aliquid intuivè simul & abstractivè cognosci; adductæ comparationes aptæ non videntur, nec præsenti argumento satis accommodatæ. Disparitas igitur est, quòd cæcitas & visio privativè opponuntur, & una excludit aliam: evidentia verò, licèt in uno & eodem actu stare non possit cum inevidentia, quia unus & idem actus non potest simul evidens esse & inevidens, evidentia tamen non excludit inevidentiam ab eodem subjecto; quia per actus diversos & per diversa media, idem objectum modo evidenti & inevidenti cognosci potest. Certitudo & formido potentialis possunt quidem esse simul, non autem formido actualis; quia contradictorie opponuntur; quia formido actualis rem saltem sub dubio negat, quam certitudo affirmat: unde de uno & eodem dici posset, est & non est, quod implicat. Evidentia verò & inevidentia respectu duorum mediorum, non sic opponuntur, sed utraque rem eandem affirmat esse, una per medium evidens, altera verò per obscurum.

Instabis 2. Si nobis à natura indita foret Dei notio, esset illa prima & anticipata, ac velut quoddam primum principium, quod probari ab alio non posset; sicut probari ab alio non potest istud Metaphysicæ principium, *Impossibile est idem simul esse & non esse*: atqui falsum istud est; si quidem existentia Dei per creaturas rectè demonstratur.

Resp. Nego sequelam majoris. Licèt enim in nobis naturalis sit prima & anticipata existentiæ Dei notio, non sequitur eam per aliud, tanquam per effectum, & à posteriori, ut vocant, probari non posse; sed tantùm, absolutè necessariam non esse petitam ex creaturis existentiæ Dei demonstrationem, utpote quæ ex intima perceptione animi haberi possit ab iis

qui

qui attenti sunt & conscientiæ vocem audiunt: quia verò multi sunt qui vocem illam naturæ & conscientiæ pravis suis affectibus comprimunt ac præfocant, idcirco utilissima est ex creaturis demonstratio Dei, ad eorum cæcitatem ac pervicaciam confundendam. Dispar autem ratio est istius principii, *Impossibile est idem simul esse & non esse*; & innatæ existentiæ Dei notionis: quia illud principium Metaphysicum est ac purè speculativum, quod nullos effectus supponit, unde probari possit: Deus verò, cùm sit rerum omnium auctor, ex iis, tanquam causa ex effectibus, invictè potest demonstrari.

Instabis 3. Omnis cognitio ex sensibus hausta est & discursu quodam nititur; ita fert vulgare effatum: *Nihil est in intellectu quod prius non fuerit in sensu*. Ergo Dei cognitio ex sensibus oriri necessariò debuit, & consequenter ex creatis effectibus; adeoque ingenita & à natura ipsa nobis impressa dici non potest.

Resp. 1. Nego ant. Quàm multa enim cognoscimus immediatè & sine ullo sensuum exteriorum ministerio? Qualia sunt ista v. g. *Impossibile est idem simul esse & non esse. Alteri ne feceris quod tibi fieri non vis. Virtus amanda est. Parentes honorandi*. Quales sunt generales & abstractæ rerum notiones & ideæ entis, virtutis, sapientiæ &c. Audiatur S. Aug. in Psal. 41. n. 7. *Deus meus*, ait, *qui fecit hæc quæ oculis video, non istis oculis est inquirendus. Aliquid etiam per se ipsum animus ipse conspiciat . . . . . aliquid est intùs quod videam, quod neque color sit, neque sonus, neque odor, neque sapor, neque calor, aut frigus, aut duritia, aut mollitudo. Dicatur ergo mihi quem calorem habeat sapientia. Cùm cogitamus iustitiam, eiusque intus in ipsa cogitatione pulchritudine fruimur, quid sonat ad aures? quid tanquam vaporem surgit ad nares? quid ori infertur? quid manu tractatur & delectat? . . . Est ergo aliquid, quod animus ipse corporis dominator, rector, habitator videt; quod non per oculos corporis sentit, non per aures, non per nares . . . . sed per seipsum: & utique melius quod per seipsum, quàm quod per servum suum. Est prorsus, seipsum enim per seipsum videt, & animus ipse ut norit se, videt se.* To. 4. p. 358. B. C.

Vulgare axioma, *Nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu*; commodè exponi potest, vel de rebus corporeis, vel de cognitione acquisita; non de ingenita & naturali.

Instabis 4. Illa notio nobis ingenita non est, sed à sensibus hausta, quæ ex consideratione rerum sensibilium excitatur; atqui talis est notio existentiæ Dei; ergo &c.

Resp. Distinguo ant. Quæ ex sola consideratione rerum sensibilium unicè excitatur, excluſa innata cognitione, concedo: quæ non modò ex consideratione rerum sensibilium excitatur, sed etiam ab ipsa natura animis nostris imprimitur, nego. Porrò, ut dictum est, notio Dei non una via & medio nobis ineſt, sed multiplici; naturæ instinctu, ratiocinio, & ipsa fide seu revelatione.

Instabis 5. Ideam entis perfecti & entis necessarii habere non possumus, nisi ex comparatione ad ens imperfectum & ens contingens; perfectum enim ens non cogitamus, nisi ab eo removendo imperfectiones quas in rebus creatis deprehendimus; unde necesse est, ideam entis imperfecti priorem in nobis esse idea entis perfecti; ista enim occasione alterius

rius in nobis naſcitur, ergo Deum non cognoſcimus, niſi ex rebus creatis, diſcurrendo & comparando.

Reſp. Nego ant. Imò potiùs non cognoſcimus ens aliquod imperfectum eſſe, niſi ex comparatione ad ens perfectius quod ſit menſura & regula perfectionis: ergo priùs cognoſcimus ens perfectum & neceſſarium, quàm imperfectum & contingens. *Animæ enim*, ait Tertull. L. 1. contra Marcion. c. 10. *à primordio conſcientia Dei dos eſt*. Via qua ad Deum anima tendit, ait S. Athanaſius Orat. contra Gentes loco ſuprà citato, extra nos non conſiſtit, ſed in nobis ſita eſt. . . . . Ex ſe ipſa, addit ibidem, Verbi divini ſcientiam & apprehenſionem haurit ac percipit. Neceſſe ergo non eſt abſolutè hominem ſe ad creaturas convertere, ut intelligat Deum eſſe. *Omne quod imperfectum eſſe dicitur*, ait appoſitè ad propoſitam objectionem Boetius, *id diminutione perfecti imperfectum eſſe perhibetur. Quo fit ut, ſi in quolibet genere imperfectum quid eſſe videatur, in eo perfectum quoque aliquid eſſe neceſſe ſit.* Ergo idea entis perfecti prior eſt idea & notione entis imperfecti: ut enim obliquum ex recto, malum ex bono, vitium ex oppoſita virtute dignoſcimus; ita finitum ex infinito, contingens ex neceſſario.

P. 370. C.

L. 3. de Conſol. Philoſophiæ proſa 10.

Inſtabis 6. Videtur longè magis rationi conſentaneum, ut infinitum ex finito colligamus, quàm finitum ex infinito: quia longè clariùs concipimus finitum quàm infinitum.

Reſp. Nego ant. Quia infinitum tale eſt ex ſeſe, abſolutè & ex propria natura, ſine ulla ad finitum comparatione: è contra finitum quid non eſt nec dicitur niſi comparatè, id eſt quia entis infiniti perfectiones non adæquat. Eò enim perfectior eſt creatura, quò magis ad illas perfectiones accedit; eò imperfectior, quò ad illis recedit longiùs.

Inſtabis 7. Cognitio propriæ noſtræ exiſtentiæ haud dubiè prior in nobis eſt ipſa cognitione Dei: ut enim neceſſe eſt priùs nos exiſtere quàm cognoſcamus, ita priùs eſt ut nos ipſos cognoſcamus, quàm Deum. Ergo cognitio Dei in nobis prima non eſt, non prævia, non anticipata, non ingenita, ſed per diſcurſum ex rebus creatis comparatur.

Reſp. Diſtinguo ant. Cognitio propriæ noſtræ exiſtentiæ prior eſt in nobis prioritate temporis & præſuppoſitivè, eſto: prioritate ordinis & cauſalitatis, quaſi non niſi ex prævia cognitione noſtræ exiſtentiæ, & per diſcurſum ex creaturis Deum eſſe inferamus, nego. Sola enim duce ac magiſtra natura, ſtatim ac Dei nomen audimus & concipimus, illum exiſtere intelligimus.

Objicies 4. Si non poteſt à nobis concipi Deus tanquam ens perfectiſſimum quo nihil melius cogitari poteſt, quin ſtatim exiſtens intelligatur; non poteſt etiam concipi, quin omnes ejus perfectiones ſtatim animo cognoſcantur: adeoque, quin adæquatè cognoſcatur ejus natura & eſſentia. Probatur, quia ratio & idea entis perfectiſſimi utrumque involvit; non enim conciperetur ut ens perfectiſſimum, ſi aliqua perfectione careret.

Reſp. Diſtinguo ſequelam antecedentis. Non poteſt etiam concipi, quin omnes ejus perfectiones cognoſcantur, ſaltem in genere, confusè & implicitè, concedo: diſtinctè & expreſsè, nego. Non poteſt quidem concipi à nobis Deus ut ens perfectiſſimum, quin ut exiſtens intelligatur; quia exiſtentia primum eſt totius boni & omnium perfectionum fundamentum: nec etiam poteſt ut ens perfectiſſimum concipi, quin ſaltem in genere ac con-

confusè genus omne perfectionum in eo esse intelligatur. Sed cùm multæ sint re ipsa perfectiones, quæ tamen nonnullis male sanis & corruptis hominibus veræ non videntur perfectiones, qualis est v. gr. providentia & immensitas: quia Deo indignum illi arbitrantur, quòd se se ad res vilissimas curandas demittat, & obscenissima loca præsentia sua occupet; idcirco perfectiones illas à Deo excludunt ac removent, hoc falso & erroneo præjudicio occupati, eas re ipsa imperfectiones esse, non veras perfectiones. Ad hunc sensum dicebat S. Aug. L. 1. de doct. Christiana c. 7. *Quòd etsi omnes certatim dimicent pro excellentia Dei, nec quemquam inveniri qui hoc Deum credat esse quo melius aliquid est, multos tamen arbitrari Deum corpus esse, vel cælum, vel quod in cælo est fulgentissimum, vel mundum ipsum, &c.* Quòd nempe quisque pro affectu suo his rebus nihil melius atque perfectius cogitabat. To. 3. 1. p. pa. 7. F.

Quod autem additur, cognosci non posse Deum tanquam ens perfectissimum, quin ejus natura & essentia simul adæquatè cognoscatur, falsum est ac negandum: cognoscitur quippe inadæquatè dumtaxat, ratione existentiæ quæ Deo essentialis est; non verò adæquatè, ratione omnium distinctè perfectionum quæ Deo propriæ sunt: illæ etenim generatim dumtaxat ac confusè percipiuntur, non figillatim nec distinctè.

ARTICULUS SECUNDUS.

An ista propositio, Deus est, *sit per se nota quoad nos.*

S. Thomas 1. p. q. 2. ar. 1. distinguit propositionem notam quoad se, & notam quoad nos. Priorem ait illam esse, cujus prædicatum est de natura seu essentia subjecti, qualis est ista. *Homo est animal. Deus existit.* Quia animalitas homini essentialis est, sicut existentia Deo. Propositio verò nota per se quoad nos dicitur ea, cujus veritas, auditis & intellectis terminis, statim per se se innotescit. Divisionem hanc propositionis notæ quoad se & notæ quoad nos explodit Scotus cum aliis nonnullis, qui contendunt nullam dari propositionem notam per se quoad se, quin simul etiam nota sit quoad nos: quia nulla propositio nota denominari potest, nisi respectivè ad cognoscentem. In 1. dist. 2. q. 2.

Verùm, mera hic videtur esse nominis æquivocatio. Certum quidem est, propositionem generatim denominari notam, per ordinem ad cognoscentem: ille verò, vel cognoscit statim & sine ullo medio connexionem prædicati cum subjecto, vel non cognoscit: si cognoscit, propositio dicitur nota & quoad se & quoad cognoscentem: si verò non cognoscit, ut in multis contingit, propositio nota dicitur tantùm quoad se, & non quoad cognoscentem, quin alio medio, seu alia probatione indiget ut propositionis veritatem cognoscat.

Verum, missa ista de nomine controversia, duæ sunt circa quæstionem propositam Scholæ opiniones.

Prima quæ est S. Thomæ hic, negat propositionem istam, Deus est, notam esse per se quoad nos, licèt omnium consensu, nota sit per se quoad se.

Secunda verò affirmat dictam propositionem notam esse non tantùm quoad

quoad se, sed etiam quoad nos. Ad hanc verò sententiam tuendam astringuntur, si cohærenter sentire velint, quotquot pugnant pro innata nobis existentiæ Dei notione. Itaque sit

CONCLUSIO.

Propositio hæc, *Deus est*, nota est per se quoad nos.

Probatur. Quia illa propositio est per se nota quoad nos, cui auditis ac intellectis terminis, statim sine ullo medio mens acquiescit; quam nullus seriò negat aut negare potest: atqui talis est ista propositio, *Deus est*. Quid enim nomine Dei intelligimus? Ens perfectissimum quo nihil melius est aut cogitari potest. Atqui fieri non potest ut animo apprehendatur ens perfectissimum, quin statim existens intelligatur; aliàs perfectissimum conciperetur, & non perfectissimum: perfectissimum ex hypothesi; re ipsa non perfectissimum, quia careret existentia, quæ omnium perfectionum prima est, ac fundamentum aliarum; & illo perfectius aliquid cogitari posset.

Non nostrum est, sed S. Anselmi istud argumentum in Proslogio, id est Alloquio c. 2. *Ergo Domine* . . . . inquit, *credimus te esse aliquid, quo nihil majus cogitari possit. An ergo non est aliqua talis natura, quia dixit insipiens in corde suo: Non est Deus? Sed certè idem ipse insipiens, cùm audit hoc ipsum quod dico, aliquid quo majus nihil cogitari potest, intelligit quod audit, & quod intelligit in intellectu ejus est, etiamsi non intelligat illud esse. . . . . Et certè id, quo majus cogitari nequit, non potest esse in intellectu solo. Si enim vel in solo intellectu est, potest cogitari esse & in re, quod majus est. Si ergo id, quo majus cogitari non potest, est in solo intellectu; idipsum, quo majus cogitari non potest, est quo majus cogitari potest, sed certè hoc esse non potest. Existit ergo proculdubio aliquid, quo majus cogitari non valet & in intellectu & in re.* Et c. 4. *Nullus intelligens id quod Deus est, potest cogitare quia Deus non est, licèt hæc verba dicat in corde, aut sine ulla, aut cum aliqua extranea significatione. Deus enim est id quo majus cogitari non potest. Quod qui benè intelligit, utique intelligit id ipsum sic esse, ut nec cogitatione queat non esse.*

Ed. nov. p. 30. col. 2. B.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Illud S. Anselmi argumentum id ipsum supponit quod est in quæstione positum, & ab atheis negatur. Supponit enim 1. Nomine Dei, ens perfectissimum apprehendi. Supponit 2. Ens illud quod perfectissimum cogitatur, eo ipso existere. At hæc duo negat Atheus. Negat se ullam Dei habere ideam & notitiam. Negat ens illud re ipsa existere, tametsi ut ens perfectissimum mente concipiatur: quia, inquit, ens illud perfectissimum est dumtaxat in mente, & ex hypothesi quod existeret; id est, si existeret Deus, re vera esset ens perfectissimum: at re ipsa non existit; nec ex idea illa rectè ejus existentia probatur.

Resp. Nihil in eo S. Doctoris argumento supponi, quod invictè non probetur. Probatur enim 1. Ex communi & innato omnium consensu, nomine Dei hoc intelligi, quo nihil melius est ac cogitari potest. Quod quidem

dem Atheus, niſi perditæ mentis fuerit, negare ſeriò non poteſt: vel ſi negaverit, in hoc ipſum vitium recidet, quod argumento S. Anſelmi hìc exprobratur; nempe illum ſupponere tanquam certum, id de quo controvertitur inter nos, ſcilicet nullam in nobis eſſe Dei notitiam à natura impreſſam; ſed hoc ipſum eſt de quo diſputatur, & cujus veritas invictis argumentis demonſtrata ſuperiùs à nobis fuit. 2. Hoc ſemel ſtatuto ac ſuppoſito, nomine Dei ens intelligi perfectiſſimum quo nihil melius, vim ſuam omnem ſortitur argumentum S. Anſelmi. Implicat enim manifeſtam contradictionem, cogitare ens perfectiſſimum, quod re vera non exiſtat: ſi enim conciperetur perfectiſſimum dumtaxat in mente & ex hypotheſi, non autem in re ipſa, eo ipſo perfectiſſimum non eſſet.

Inſtabis. Poteſt homo ſibi effingere ideam creaturæ alicujus perfectiſſimæ, quæ tamen idcirco non concipiatur neceſſariò exiſtens: ergo &c.

Reſp. Nego conſequens. Diſparitas eſt, quòd exiſtentia non ſit eſſentialis creaturæ, nec in ejus conceptu includatur: è contra, concipi non poteſt Deus, quin concipiatur exiſtens; quòd nempe exiſtentia illi planè eſſentialis ſit ac neceſſaria. *Ego ſum qui ſum*, ait Deus Exodi 3. v. 14.

Objicies 2. Non poſſumus hac in mortali vita, immediatè cognoſcere Dei naturam & eſſentiam; *Videmus enim nunc per ſpeculum & in ænigmate*. Atqui ſi propoſitio iſta, *Deus eſt*, nota eſſet per ſe quoad nos ſine ullo medio, immediatè Dei naturam & eſſentiam cognoſceremus; cognita nimirum connexione illa eſſentiali & neceſſaria, quæ eſt inter prædicatum & ſubjectum hujus propoſitionis, *Deus eſt*. Probatur. Quia quoties ratio immediata propter quam prædicatum conjungitur ſubjecto, eſt ipſa immediata quidditas ſeu natura ſubjecti, non poteſt attingi connexio prædicati & ſubjecti, quin cognoſcatur hæc quidditas in ſe ipſa. Si enim hæc quidditas in ſe ipſa non attingatur, non cognoſcetur ratio connexionis immediatè in ſe ipſa: ſed in propoſitione iſta, *Deus eſt*, ratio propter quam prædicatum ſubjecto conjungitur, eſt ipſa propria quidditas ſeu natura ſubjecti; ergo ut hæc propoſitio ſit per ſe nota quoad nos, requiritur ut prædicatum & ſubjectum cognoſcantur in ſe ipſis, ſecundùm propriam quidditatem: alioqui per aliud cogoſcentur; & ita interveniet diſcurſus, nec propoſitio erit nota per ſe immediatè, ſed per aliud.

Reſp. Diſtinguo majorem. Non poſſumus hìc in vita immediatè cognoſcere Dei eſſentiam, adæquatè & quantùm ad omnes ejus perfectiones explicitè & expreſsè conſideratas, concedo: inadæquatè ſaltem & quantùm ad exiſtentiam Deo eſſentialem ac neceſſariam, nego. Diſtinguo min. ad ſenſum majoris. Solutio patet ex dictis articulo ſuperiori.

Inſtabis. Iſta propoſitio, *Deus eſt*, non poteſt nobis per ſeſe nota eſſe, niſi ſupponatur in nobis idea entis infiniti qualis Deus eſt: atqui nulla ſupponi poteſt eſſe in nobis idea entis infiniti: tùm quia talis idea deberet eſſe infinita, ut nempe ens infinitum repræſentare poſſet; ſed cùm finita ſit & limitata mens noſtra, non eſt capax ideæ infinitæ: tùm quia ſi eſſet in nobis idea entis infiniti, Deum ipſum adæquatè quantus quantus eſt, comprehenderemus, quod certè implicat.

Reſp. Nego minorem. Ad primam ejus probationem diſtinguo. Talis idea deberet eſſe infinita objectivè, hoc eſt, repræſentare objectum infini-

tùm saltem negativè, id est rem sine ulla limitatione, concedo: infinitã subjectivè & quoad entitatem, repræsentans objectum positivè infinitum, nego. Ad secundam, distinguo pariter. Deum adæquatè quantus quantus est, comprehenderemus, si illum positivè infinitum omnesque ejus perfectiones sigillatim ac distinctè cognosceremus, concedo: si negativè tantùm infinitum, & aliquas dumtaxat, non omnes sigillatim ac distinctè ejus perfectiones mente assequamur, nego. Itaque distinguendum est inter rationem formalem infiniti, seu infinitatem, & rem quæ est infinita. Quantùm enim ad infinitatem, etiam si illam intelligamus esse quid positivum, non nisi tamen negativo quodam modo eam apprehendimus, nullam in re limitationem advertendo: ipsam verò rem, quæ est infinita, positivè quidem intelligimus, sed non adæquatè; hoc est, non totum id quod in ea intelligibile est, comprehendimus: quemadmodum cùm oculos in mare convertimus, licèt non totum visu attingamus, nec immensam ejus vastitatem oculis metiamur, illud tamen videre dicimur.

Objicies 3. Impossibile est Deum à nobis concipi, nisi relativè ad creaturas: ergo fieri non potest ut per se, non autem per alia nobis innotescat. Antecedens probatur. Quia Deus semper cognoscitur ut prima causa: ergo relativè ad creaturas: *Invisibilia enim Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur*. Rom. 1. v. 20.

Resp. Nego antecedens. Ad probat. nego necesse esse ut Deus clarè & explicitè semper à nobis cognoscatur ut prima causa: cognoscitur enim in se absolutè tanquam ens perfectissimum, quo nihil melius est aut cogitari potest. Revera non potest Deus à nobis cognosci ut prima causa, sine respectu seu relatione ad creaturas; sed necesse non videtur, ut sub ea ratione formali & expressa primæ causæ à nobis semper cognoscatur.

Objicies 4. Ex laudato S. Anselmi testimonio, hoc unum jure colligi potest, nempe ex rebus creatis tam evidenter constare Deum esse, ut non sit in nostra potestate illud negare. *Hæc ergo universi machina*, inquit Vasques; *hæc cœlorum moles & amplitudo, subito quodam discursu nos ducit in cognitionem alicuius omnium Imperatoris & Gubernatoris. Unde per hyperbolem dixit S. Ansel. à nemine negari posse Deum, nisi ab eo, qui solùm vocem, non autem significatum nominis percipit.*

In 1. p. Disp. 19. c. 3. & 4.

Resp. Nego antecedens. Sola lectione opus est, ut intelligas S. Anselmum, loco citato, non ex creaturis aut ex subito quodam discursu probare Deum esse, sed ex ipsamet cogitatione seu idea qua Deus apprehenditur ut ens *perfectissimum, quo nihil melius* est ut cogitari potest. Quapropter, gratis omnino & contra proprium & obvium verborum sensum à Vasquesio exponitur S. Anselmus, cujus profectò sensus simplex est & apertus non hyperbolicus.

ARTICULUS TERTIUS.

An & quibus argumentis existentia Dei demonstrari possit.

DUo proponit articulus, separatim ac distinctè inquirenda. Primum an demonstrari possit existentia Dei. Alterum, quibus argumentis demonstretur.

An

An demonstrari possit existentia Dei.

NEgant Athei, si qui sint adeo mente perditi qui vel nullum omnino habeant in se divinitatis sensum, vel saltem perversitate morum ita obscuratum, ut nulla vi naturæ, nulla argumentorum efficacia moveri possint ad Deum agnoscendum. Divisi hic sunt Sociniani. Socinus, Prælectionum c. 2. & Ostorodus in Institut. c. 1. negant; alii verò affirmant Deum ex creaturis rectè demonstrari posse.

Nonnulli Philosophi, de quibus S. Thomas L. 1. contra Gent. c. 12. dixerunt non posse per rationem, sed per solam revelationem demonstrari Deum esse, his rationibus inducti: 1. Propter debilitatem rationum quas aliqui inducebant ad probandum Deum esse. 2. Quia essentia & existentia in Deo non distinguuntur; ergo cùm per rationem cognosci non possit Dei essentia, nec etiam ejus existentia. 3. Quia non potest cognosci an sit Deus, quin priùs ejus definitio perspecta sit: at non potest illa nobis esse perspecta; *Nulla ergo remanebit via ad demonstrandum Deum esse, remota divinæ essentiæ & quiditatis cognitione.* 4. Quia omnis cognitio ex sensibus oritur: at Deum esse per sensus non cognoscimus; Deus enim omnem sensum & omnia sensibilia excedit. Ita Philosophi de quibus S. Thomas.

Ex nostris Scholasticis, Petrus de Alliaco quæstione 3. art. 2. docet nullam Dei notitiam posse naturaliter ad evidentiam demonstrationis pervenire.

Duplex autem hic distinguenda demonstratio: una à priori per causam, altera verò à posteriori per effectum. Addunt nonnulli tertium quoddam genus demonstrationis quod appellant à simultaneo; cùm nempe ex visceribus rei, ut vocant, seu ex rei natura & essentia aliquid demonstratur.

PRIMA CONCLUSIO.

Existentia Dei non potest demonstrari à priori.

Probatur. Quia demonstratio à priori fit per causam: atqui Deus nullam habet suæ existentiæ causam, sed necessitate suæ naturæ existit, ita ut ne cogitatione quidem ab ejus natura existentia possit separari. *Ego sum qui sum*, ait Deus ad Moysem Exod. c. 3. v. 14. Unde creaturæ, comparatione Dei, qui est entis plenitudo ac necessitas, nihil esse dicuntur Psal. 38. v. 6. *Substantia mea tanquam nihilum ante te.*

Dices. Demonstratio quæ fit ex internis rei principiis, vera est ac dici potest demonstratio à priori: atqui demonstratur existentia Dei ex internis principiis Dei ipsius, nempe ex eo quòd sit ens perfectissimum, ens necessarium, quod ne quidem cogitatione ipsa apprehendi potest nisi existens.

Resp. Nego majorem. Omnis enim demonstratio fit per aliquod medium ab ipsa rei natura & essentia distinctum: fit enim in omni syllogismo progressus à notiori ad minùs notum. Porrò, in adducta demonstratione nullum est medium distinctum ab ipso Deo, & idem prorsus per idem probatur: ens quippe necessarium seu perfectissimum, & ens existens, idem

omnino est, nec unum est altero notius. Perinde est, ac si quis probare vellet hominem esse animal rationale, quia homo est: Homo quippe & animal rationale idem omnino est. Quapropter, omnino fictitium videtur tertium genus demonstrationis quod à simultaneo vocant; quia in eo progressus non fit à notiori ad minùs notum; nec unum ex alio, sed simul cum alio probatur.

Instabis. Demonstratio quæ petitur ex idea Dei nobis à natura impressa, verè est à priori; est enim illa cognitio prima & anticipata, ut anteà diximus, atqui rectè demonstratur existentia Dei ex ipsius idea nobis à natura impressa; ergo rectè demonstratur à priori existentia Dei.

Resp. Nego majorem. Imò, demonstratio ex idea seu notitia Dei naturali, à posteriori est seu ab effectu; quia idea hæc à Deo profluit tanquam à causa efficiente. Idcirco autem prima & anticipata dicitur, quia omnem rationis discursum antecedit; nec oritur ex creaturis, sed à Deo ipso sui vestigium in opere suo imprimente.

SECUNDA CONCLUSIO.

Existentia Dei certò ex creaturis demonstratur.

Probatur 1. Auctoritate Scripturæ. Job 12. v. 7. 8. & 9. *Interroga jumenta, & docebunt te: & volatilia cæli, & indicabunt tibi. Loquere terræ, & respondebit tibi: & narrabunt pisces maris. Quis ignorat quòd omnia hæc manus Domini fecerit?* Psal. 18. v. 2. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum.* Et Psal. 99. v. 3. Omnes creaturæ clamant: *Scitote quoniam Dominus ipse est Deus: ipse fecit nos & non ipsi nos.* Sap. 13. v. 5. *A magnitudine speciei & creaturæ, cognoscibiliter poterit creator horum videri.* Act. 14. v. 14. 15. & 16. *Qui fecit cœlum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt. Qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas. Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de cœlo, dans pluvias & tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda nostra.* Denique Rom. 1. v. 20. *Invisibilia ipsius à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus & divinitas, ita ut sint inexcusabiles: quia cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt.*

Vasq. in 1. p. q. 2. a. 3. dis. 20. c. 3.

Sunt quibus videtur infirmum quod ex his testimoniis argumentum ducitur, quia dubium est, *Utrum Scriptura loquatur de notitia evidenti, an solùm probabilissima.* Verùm non audiendi illi sunt; quasi probabile dumtaxat foret, & non evidenter verum, Deum existere. Quasi Spiritus sanctus eam ipsam non designasset de Deo notitiam, qualis re vera extat, qualem habemus, & natura ipsa universa tam clarè omnibus ingerit, per quam invisibilia Dei intellecta conspiciuntur, & inexcusabiles fiunt qui Deum non agnovere: at reipsa non modò probabilem, sed etiam evidenter veram & certam habemus supremi Numinis notitiam; de illa igitur Scripturam loqui citatis testimoniis, pro certo & indubitato ab omnibus haberi debet.

Probatur 2. Auctoritate SS. Patrum quorum testimonia superiùs articulo primo describimus, quibus certè plura hic addere superfluum foret in re tam

re tam facili & aperta, quæ ſine inſania manifeſta negari non poteſt. *Dixit inſipiens in corde ſuo non eſt Deus.* Cur? ait S. Anſelmus Proſolog. c. 3. *niſi quia ſtultus eſt & inſipiens.* Univerſum enim genus humanum, Deum mundi hujus fatetur auctorem. *Hæc eſt vis veræ divinitatis*, inquit S. Augu. Tract. 106. in Joan. n. 4. *ut creaturæ rationali jam ratione utenti, non omnino ac penitus poſſit abſcondi.* Jam diu antè dixerat Tertull. L. 1. contra Marcion. c. 10. *Deum habere teſtimonia totum hoc quod ſumus & in quo ſumus.*

Pa. 30. col. 2. E. To. 3. part. 2. p. 765. E. P. 370. D.

Solvuntur Objectiones.

OBjicies 1. Sap. 14. v. 11. Creaturæ dicuntur factæ *in odium Dei, & in tentationem animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium*: quomodo igitur ex illis certò poterit demonſtrari ſupremi Numinis exiſtentia?

Reſp. Creaturæ dicuntur factæ in odium Dei &c. per accidens, ex abuſu & vitio hominum, concedo: per ſe & ex intentione Creatoris; nego. Dicuntur factæ in odium Dei, eo fere modo quo Chriſtus dicitur Lucæ 2. v. 34. *Poſitus in ruinam & in reſurrectionem multorum.* Et Rom. 9. v. 33. *In lapidem offenſionis & petram ſcandali.* Unde meritò Sap. 13. v. 1. *Vani dicuntur homines, qui ex his quæ videntur non potuerunt intelligere eum qui eſt; neque operibus attendentes agnoverunt quis eſſet artifex.*

Objicies 2. Exiſtentia Dei eſt objectum fidei ſupernaturalis: *Accedentem ad Deum credere oportet, quia eſt.* Hebr. 11. v. 6. ſed objectum fidei demonſtrari non poteſt.

Reſp. Diſtinguo minorem. Objectum fidei quatenus fidei objectum eſt, ac ſola Dei revelantis auctoritate nititur, non poteſt demonſtrari, concedo: quatenus alio motivo, humanæ nimirum demonſtrationis, evidenter cognoſcitur, nego. Porrò jam monuimus, non repugnare rem eandem diverſis motivis attingi & cognoſci.

Objicies. 3. Medium demonſtrationis debet eſſe neceſſarium: atqui creaturæ non ſunt neceſſariæ; ergo.

Reſp. Diſtinguo majorem. Medium demonſtrationis debet eſſe neceſſarium, neceſſitate connexionis & habitudinis, qualis eſt inter effectum & cauſam, objectum & potentiam, concedo: neceſſitate exiſtentiæ, nego. Porrò, eſt inter creaturas & Creatorem neceſſitas illa connexionis & habitudinis, qua fit ut certò ac neceſſariò viſis creaturis, cognoſcitur eſſe primam cauſam ac ſupremam intelligentiam à qua illæ productæ fuerint.

Inſtabis 1. Omnis demonſtratio fit ex prioribus, ut docent Dialectici: atqui creaturæ non ſunt Deo priores: imò potiùs prior eſt Deus creaturis, cùm ſit earum cauſa.

Reſp. Diſtinguo majorem. Demonſtratio fit ex prioribus cognitione, id eſt, ex iis quorum cognitio præcedit, concedo: ex prioribus exiſtentia, nego. Porrò in demonſtratione exiſtentiæ Dei ex creaturis neceſſe eſt priùs à nobis cognoſci creaturas tanquam effectus, quàm Deum ipſum tanquam cauſam creaturarum effectricem.

Inſtabis 2. Infinitum probari non poteſt ex finito: imò potiùs, ex dictis anteà, finitum non agnoſcimus, niſi comparatione ad infinitum. Vox

quippe ista, finitum, privationem quamdam vel negationem importat alicujus perfectionis quæ sit in alio; privationes autem per id quod positivum est, & cujus privationes sunt, melius innotescunt: ita morbus ex sanitate, malum ex bono, obliquum ex recto, tenebræ ex luce dignoscuntur & secernuntur. Infinitum quippe regula est ac mensura finiti: atqui Deus est infinitus, creaturæ verò finitæ; ergo non potest Deus ex creaturis demonstrari.

Resp. Nego majorem. Non repugnat enim infinitum ex finito, & vice versa, finitum ex infinito probari, diverso genere causæ & probationis. Infinitum probatur ex finito, tanquam causa ex effectu: rectè quippe infertur esse aliquod ens supremum infinitæ virtutis à quo conditæ sint creaturæ, quæ quidquid perfectionis habent, à prima illa causa infinita mutuantur. Rectè etiam probatur finitum ex infinito, sicut effectus ex causa tùm efficiente tùm exemplari: reipsa enim ens infinitum causa est tùm effectrix tùm exemplaris finiti. Infinitum ergo & finitum sese mutuò probant, diverso genere causæ & probationis.

Instabis 3. Nullatenus potest Creator ex creaturis cognosci: quia Creator & creatura sunt inter se correlata, quæ, ut vulgare fert axioma, simul sunt natura & cognitione. Creatura igitur non potest priùs cognosci quàm Creator.

Resp. Distinguo antecedens. Non potest Creator ex creaturis, sub ratione præcisa & formali creaturæ, probari, concedo: quia sub illo respectu formali correlata sunt simul natura & cognitione. Ex creaturis materialiter sumptis, & in se prout eas primo aspectu cognoscimus, nego. Porrò cùm ex creaturis Deum esse demonstramus, creaturas ut in se sunt primo aspectu consideramus, & intelligimus eas à se ipsis non habere ut sint; nihil quippe sui ipsius causa est: necesse igitur est, eas ab alio creatas esse; inde rectè concluditur existere Creatorem qui verus & unus Deus est.

Instabis 4. Ex probatis anteà, est in nobis à natura ingenita Dei notio & idea; ergo ex creaturis rectè Deus probari non potest. Probatur consequentia, quia idea illa præcedit in nobis omnem rationis discursum, cùm sit innata.

Resp. Nego utramque consecutionem. Hoc unum ad summum potest inde inferri, nempe absolutè necessariam non esse petitam ex creaturis existentiæ Dei demonstrationem, cùm ex innata nobis notitia sufficienter innoteseat; sed non repugnat duplici hac via demonstrari Deum, tùm ex idea nobis à natura impressa, tùm ex effectibus creatis: universa quippe natura, auctorem suum undequaque clamat & prædicat.

Instabis 5. Non potest ex creaturis rectè demonstrari existentia Dei, nisi ex illis claram & distinctam Dei notionem habeamus; demonstratio enim debet esse clara & evidens; atqui ex creaturis habere non possumus claram & distinctam Dei notionem; ad hoc enim necesse foret, ut clarè & distinctè omnes Dei perfectiones hac in vita nobis perspectæ forent: sed constat ita non esse, ergo &c.

Resp. Distinguo majorem. Nisi ex illis claram & distinctam notionem habeamus, quantùm ad existentiam, concedo: quantùm ad essentiam, subdistinguo: inadæquatè sumptam, seu ratione existentiæ quæ Deo est essentialis, concedo: adæquatè sumptam, pro omnibus omnino divinis perfectioni-

sectionibus, nego. Distinguo minorem ad sensum majoris. Aberrant haud dubiè, qui rem aliquam distinctè cognosci non posse arbitrantur, nisi cùm omnia ejus attributa, omnes rationes, causæ, respectus, modificationes, clarè & distinctè perspectæ sunt ac manifestæ. Si ita esset, nihil ferè hac in vita certò cognosceremus, nihil certum esset ac indubitatum: quàm multa enim sunt, quorum causas omnes & intimas rationes ignoramus?

Objicies 4. Primum principium non probatur, v. g. istud *Impossibile est idem esse & non esse. Quodlibet est vel non est, &c.* atqui Deus est primum principium; ergo &c.

Resp. Distinguo majorem. Primum principium Metaphysicum & cognitionis, quod prius & notius non supponit, nec aliquos habet effectus, unde probari possit, concedo: primum principium existendi, unde cætera existunt, nego. Distinguo minorem. Deus est primum principium existendi unde cætera existunt, & ex quibus tanquam ab effectibus rectè probatur, concedo: primum principium cognoscendi, nego. Priùs enim cognoscuntur creaturæ ut effectus, deinde verò Deus ut creaturæ vera causa effectrix. Atque ex his facili negotio diluuntur momenta illa superiùs memorata, quibus moti sunt nonnulli Philosophi, ut dicerent Deum solâ revelatione aut institutione, non autem demonstratione probari posse.

Quibus argumentis demonstretur Deum existere.

SAnctus Thomas hìc articulo tertio quinque proponit argumenta, quibus Deum esse demonstrat. Ad tria universim capita ea revocabimus, nempe ad demonstrationes Metaphysicas, Physicas, & Morales.

Prima demonstratio Metaphysica ex ente necessario.

EXistit ens necessarium: sed Deus est illud ens necessarium; ergo existit Deus.

Major propositio probatur. Quia vel existit ens necessarium, vel omnia sunt contingentia: sed omnia non sunt contingentia; quia si omnia forent contingentia, supponi possent non esse, quod enim contingens est, potest esse vel non esse. At si supponerentur non esse, impossibile foret ea esse: quod enim est, vel est à se, vel ab alio: sed illa entia, neque ab alio, neque à se ipsis esse possent. Non ab alio; quia in hypothesi Atheorum, nihil est à quo entia illa possint esse: non à se ipsis; quia nihil potest sibi metipsi existentiam dare, aliàs esset se ipso prius & posterius, quod manifestè implicat; ergo illa entia esse non possent, ergo non essent contingentia; ergo admittendum est aliquod ens supremum, increatum, necessarium, à quo cætera omnia tanquam à prima causa dependeant ac deriventur.

Probatur minor propositio, quæ sola potest difficultatem aliquam pati: admittunt enim Athei ens aliquod necessarium, nempe materiam increatam & æternam; sed negant ens illud necessarium Deum esse.

Probatur itaque hoc argumento. Nomine Dei, intelligimus ens infinitum, intelligens, summè perfectum, quo nihil melius est aut cogitari potest: atqui tale est ens necessarium, quod necessitate suæ naturæ existit; ergo ens

necessarium, seu quod necessitate suæ naturæ existit, Deus est.

Major propositio ipsammet Dei ideam ac notionem continet, de qua consentiunt quotquot sanam mentem habent & ratione utuntur. *Nec quisquam inveniri potest*, ait S. Aug. Lib. 1. de Doctrina Christana c. 7. *qui hoc Deum credat esse, quo melius aliquid est. Itaque hoc omnes Deum consentiunt esse, quod ceteris rebus omnibus anteponunt.*

Ante S. Aug. Tertullianus L. 1. adversùs Marcionem c. 3. *Nemo negabit*, inquit, *Deum summum magnum quid esse*. Paulò antè dixerat. *Quantum humana conditio de Deo definire potest, id definio, quod & omnium conscientia agnoscet: Deum summum esse magnum, in æternitate constitutum, innatum, infectum, sine initio, sine fine.* Quæ verba istis planè æquivalent: Deus est ens infinitum, perfectissimum, quo nihil melius est aut cogitari potest. Ita S. Anselm. in Prosologio c. 2. *Credimus*, ait, *Deum esse aliquid, quo nihil majus cogitari potest.*

Tom. 3. part. 1. pag. 367. A. pag. 366. pag. 30. col. 2. B.

Neque movere quemquam debet temeritas & audacia, seu potius insania eorum qui hanc Dei notionem & ideam rejiciunt. An quæso nutaret istarum propositionum veritas, *Quodlibet est vel non est. Totum est majus sua parte. Homo naturali instinctu beatitudinem desiderat, &c.* si quis eò furoris ac dementiæ deveniret, ut eas negaret? Hujuscemodi homines, si qui sint, perversitati suæ dimittendi sunt, ac magis pœnis coercendi, quàm seriò confutandi.

Probatur itaque minor propositio, nempe ens illud quod necessitate suæ naturæ existit, esse infinitum ac perfectissimum, adeoque Deum ipsum. Quia scilicèt, ens quod à nullo ad certas quasdam perfectiones limitari potest, ex sese infinitum est in omni genere perfectionis: atqui tale est ens necessarium quod ex naturæ suæ necessitate existit. A quo enim limitari posset? Non à se, sui enim causa non est: quòd si esset, haud dubiè eam omnem perfectionem sibi conferret quæ potest excogitari possibilis. Non ab alio, quia nullam agnoscit se superiorem causam: ergo coarctari & ad certas quasdam perfectiones limitari non potest: ergo eas omnes in se continet quæ possibiles sunt. Quemadmodum enim si corpus aliquod in spatio infinito, in quo nullum aliud corpus esse supponitur, moveretur, in infinitum moveretur, quòd nullo alio corpore retineri & retardari posset: ita, servata proportione, ens necessarium quod à nulla causa neque interna neque externa limitatur, tantum est in omni genere perfectissimum quantùm esse potest.

Porrò materiam, quam Athei necessariam seu æternam & increatam esse supponunt, omnes in se, quæ possibiles sunt, perfectiones non continere facilè agnoscet, quisquis seriò attenderit, eam ex se esse inertem esse & otiosam: solam in ejus notione & idea involvi extensionem, & capacitatem quamdam ad varias formas, seu varias modificationes recipiendas; nullam verò ipsi essentialem esse ac prorsus necessariam: illam prorsus capacem esse intelligentiæ, sapientiæ, providentiæ, consilii, uno verbo cogitationis. Quamcumque enim supponas mechanicam materiæ dispositionem, nunquam ex illa vim cogitandi elicies, adeo sunt inter se duo hæc diversa & disparata, materia extensa & spiritus cogitans. Imò nequidem ex se ipsa moveri potest materia. Quidquid enim movetur, (loquor de corpore) ab alio movetur; & corpus æternum quiescere necesse est, nisi ab alio, sive

corpus

corpus sit, sive spiritus, moveatur. Hæc omnibus pervulgata sunt, & quotidiana experientia comprobantur: absurdum igitur est fingere materiam increatam, seu necessariò ex se existentem; & tamen his omnibus perfectionibus destitutam.

Respõsio Epicuri discipuli.

At, inquiet Epicuri discipulus, atomi nostræ æternæ & increatæ, & moventur, & perfectissimæ sunt. Moventur, & quidem motu duplici: uno directo, obliquo altero; nempè ut atomi in sese irruentes, invicem implicatæ & irretitæ varia in corpora coalescere possint: duplex verò ille motus in omnibus atomis æqualis est ac summè velox. Perfectissima quoque est congeries illa infinita atomorum, ex quarum fortuita concursione, tot emergunt entia tuo in genere omnibus numeris perfecta. Immeritò igitur supponit adducta nostra demonstratio, materiam increatam ac necessariò existentem finitam esse ac limitatam.

Si ita est, Epicurei suo modo Deum concipiunt, ens scilicet necessarium ac perfectum: quamquam in eo turpiter aberrent, quòd divinitatis attributa & perfectiones materiæ accommodent.

Refellitur hypothesis Epicuri.

Verùm, immane quantùm ab omni specie rationis aliena sit Epicuri hypothesis, quæ tot insanis figmentis & manifestis contradictionibus scatet.

1. Nullum assignari potest principium illius motus, quem Epicurei in suis atomis fingunt. Quod enim esset? externa aliqua causa? At nulla est in ea hypothesi. Ergo interna. Quæ verò ista est? ratio quædam & intelligentia superior? Nullam agnoscit Epicurus. Gravitas atomis innata, dicet Epicureus: verùm, quid sit illa gravitas liquidò non exponunt. Ajunt esse qualitatem aliquam; quantò rectiùs dicerent se ignorare? Idem enim est dicere, corpus deorsum moveri per suam gravitatem: ac dicere, deorsum moveri quia deorsum movetur.

2. Motus materiæ essentialis non est: sine illo enim rectè concipi & stare potest substantia extensa; ergo est accidentalis & ab extrinseco; quidquid enim movetur, ab alio movetur: at nihil est in hypothesi Epicuri, ex quo impellente atomi moveri possint.

3. Ea in hypothesi, omnes atomi sunt inæqualiter graves; & tamen ipsomet pronunciante Epicuro, æquali motu deorsum rapiuntur; quod certè repugnat naturæ gravium corporum, & experientiæ, qua constat corpus eò celeriùs moveri & ruere ad centrum, quò gravius est.

4. Omnes illæ atomi, propter innatam gravitatem, linea recta moveri deberent; nec ulla causa est, cur aliquæ declinent ab illa linea, & obliquè moveantur: quippè, si suo pondere ad lineam moveantur, à se declinare non possunt: si verò declinent, gravitate naturali ferri non possunt ad perpendiculum. Nec dicas, minùs graves à gravioribus protrudi & cogi ad declinandum. Unde enim major illa vel minor gravitas, cùm nulla supponatur hujus discriminis interna aliqua causa? Deinde omnes atomi vel levissimæ ac maximè tenues, in infinito illo spatio motu æquali & quidem velocissimo agitantur & moventur; ergo omnes motu recto, nullæ obliquo. Quamquam nec minùs istud insulsè fingitur, exilem ac tenuissimam atomum maximâ celeritate deorsum rapi; nec minùs etiam absurdè in ea hypothesi distinguitur deorsum & sursum: in spatio enim seu inani infinito, neque deorsum, neque sursum, neque centrum distingui potest.

poteſt. Ita nos quidem ſolemus loqui, ut quæ ad centrum ferri intuemur, deorſum moveri dicimus: quæ à centro recedere, ſurſum; quia nempè finitum ſpatium agnoſcimus; at non ita eſt in hypotheſi Epicuri.

5. Nihil inſulſius & à recta ratione alienum magis fingi poteſt, quàm conſtantem iſtam ac ſibi perpetuò cohærentem hujus univerſi fabricam, in fortuitum atomorum concurſum refundere. Quid enim caſui incerto ac fortunæ magis oppoſitum, quàm rei alicujus in eodem ſtatu perpetua fixaque ſtabilitas? Quòd ſi ex fortuita atomorum concurſione naſcantur omnia, cur non ex omnibus? Cur non è mari homines, è terra piſces, è cœlo pecudes? Quis facilè intelligat, ex atomorum certo concurſu erupiſſe Solem, Lunam, Aſtra omnia, quæ conſtanti ac perpetuo motu lucem diffundunt; nec hactenus contraria atomorum commotione, interruptum unquam fuiſſe illum ſyderum influxum; Solem ab Oriente ad Occidentem conſtantiſſimè moveri, numquam ab Occidente ad Orientem? Nemo ſanæ mentis id unquam tribuat fortuito corpuſculorum concurſui, ſed ſupremæ cuidam Intelligentiæ, quæ virtute ac ſapienti conſilio omnia regit ac moderatur.

6. Denique, abſurdè omninò dicitur perfectam idcircò materiam eſſe, quòd ex fortuito illius motu erumpant entia perfecta. Ex dictis etenim materia ex ſeſe iners eſt & otioſa, nec plùs perfectionis dare poteſt quàm ipſa habeat. Ex ſe nec motum nec formam ullam habet, nec erit unquam aliquis, qui rectè intelligat qua ratione fieri poſſit, ut ex ſolo materiæ motu erumpat animal, vel ſenſu tantùm, vel ſenſu & mente præditum. Ad hoc enim neceſſarius foret, certus quidam ac determinatus motus ad effectum producendum aptus & idoneus: talis autem motus non à fortuna & à caſu eſſe poteſt, ſed à ſuprema cauſa intelligente, quæ omnia ad ſuos fines aptè & ſapienter movet ac dirigit.

Dices 1. Adducta demonſtratio ex ente neceſſario, vitioſa eſt ac merè ſophiſtica. Supponit enim 1. Ens neceſſarium Deum eſſe. 2. Fieri poſſe totam entium contingentium collectionem, quod implicat, cùm ſit infinita. 3. Totam collectionem eſſe contingentem, quod negat Atheus: licèt enim ſingulæ collectionis partes contingentes ſint, tota nihilominus collectio neceſſaria eſt. Neque enim valet argumentatio à diſtributivo ad collectivum, à partibus ad totum: v. g. ſi quis diceret: unaquæque gutta aquæ parvam habet extenſionem, ergo collectio guttarum aquæ parvam quoque extenſionem habet, profectò malè ille argueret: ergo ſimiliter & ille qui concludit, totam entium collectionem eſſe contingentem, ex eo quòd unumquodque ens diſtributivè & ſigillatim ſumptum ſit contingens.

Reſp. Nego antecedens. Ad primam probationem: non tantùm ſupponimus, ſed & invictis argumentis demonſtramus, ens illud neceſſarium reipſa Deum eſſe; ergo ex illa parte non eſt vitioſa noſtra demonſtratio.

Ad ſecundam: fieri quidem non poteſt à parte rei, ut ajunt; tota entium contingentium collectio; at fieri ſaltem poteſt per mentem, ac de illa judicium ferri poteſt, ſitne contingens, an neceſſaria. Nos contingentem dicimus, quòd ſingulæ partes ſint contingentes; non diſſentientibus adverſariis, qui nullum ens ſingulare, neceſſarium & infinitum agnoſcunt.

Ad tertiam: pugnaciter hic cum Atheo non contendemus totam illam entium congeriem eſſe contingentem, adeoque agnoſcendum aliquod ens pla-

planè neceſſarium : neque enim in hoc præcisè verſatur vis noſtræ demonſtrationis, ſiquidem ipſimet Athei ultrò fatentur & admittunt ens neceſſarium & increatum, materiam ſcilicet ex qua omnia ſubindè fiunt : ſed quæſtionis nodus in eo eſt, utrum ens neceſſarium ſit ſummus ille ac ſupremus Deus cujus exiſtentiam demonſtrandam ſuſcepimus. Hoc negant Athei, nos invictè probamus. Hæc itaque tertia probatio tanquam inutilis & extra controverſiam prætermitri poſſet ; verùm , ut Scholæ ſerviamus

Diſtinguo iſtam propoſitionem, à diſtributivo ad collectivum, à partibus ad totum non valet conſecutio; in prædicatis accidentalibus quæ quantitatem aut continuam aut diſcretam ſpectant, concedo : in prædicatis eſſentialibus quæ naturam & eſſentiam attingunt, nego. Valet enim iſta illatio: quilibet lapis eſt ens materiale & corporeum ; ergo tota lapidum moles eſt materialis & corporea. Pariter : quilibet homo eſt rationalis ; ergo tota hominum collectio eſt rationalis. Ratio eſt, quia prædicata accidentalia & quantitativa partibus conveniunt præcisè, ut partes ſunt, ſeu quatenus diſtributivè ſumuntur & ſeorſim à ſe invicem ſeparantur : unde nihil mirum, ſi ab illis ita ſpectatis ad totum ipſum conſecutio non ſit legitima: è contra verò, prædicata eſſentialia conveniunt & partibus & toti, ſive diſtributivè, ſive collectivè ſumantur.

Inſtabis 1. In prædicatis eſſentialibus non licet arguere à diſtributivo ad collectivum: v.g. non valet iſta illatio : quælibet creatura poſſibilis eſſentialiter producibilis eſt; ergo tota collectio creaturarum poſſibilium eſſentialiter producibilis eſt.

Reſp. Nego antecedens. Ad probationem, dico producibilitatem eo ipſo modo convenire collectioni, quo convenit partibus collectionis : at ſicut partes collectionis ſunt eſſentialiter producibiles diſtributivè tantùm , id eſt, non totquin plures, non verò collectivè; ita tota collectio eſſentialiter producibilis eſt diſtributivè, non autem collectivè. Neque enim exhauriri poteſt divina potentia & fœcunditas, cùm ſit infinita.

Inſtabis 2. Vitioſa eſt & identica, ut vocant, demonſtratio, in qua idem per idem probatur: atqui vitium iſtud occurrit in iſta demonſtratione : Deus eſt ens neceſſarium; ergo exiſtit. Deus enim & ens neceſſarium idem planè eſt.

Reſp. Neg. minorem. Probamus enim Deum eſſe ens neceſſarium & exiſtens, ex eo quòd omnia non poſſint eſſe contingentia, ac neceſſe ſit agnoſcere aliquod ens primum ſuperius & infinitum, à quo cætera entia producantur, & quidquid perfectionis habent, mutuentur. Hujuſmodi ergo probatio, verè eſt à poſteriori ſeu ab effectibus creatis, qui cùm non ſint neceſſarii ſed contingentes, debent ſupponere ens neceſſarium à quo ſint.

Dices 2. Ex eo quòd ſupponatur ens neceſſarium , non rectè infertur illud infinitum eſſe in omni genere perfectionis: ſi quidem rerum eſſentiæ ſunt neceſſariæ, & tamen finitæ ac limitatæ.

Reſp. Nego antecedens. Ad probationem diſtinguo : rerum eſſentiæ ſunt neceſſariæ, quantùm ad exiſtentiam, nego: quantùm ad eſſentiam, iterum diſtinguo: ſunt neceſſariæ, neceſſitate hypothetica, dependente à libera Dei voluntate, plures vel minores creaturis perfectionis gradus communicantis, concedo: neceſſitate abſoluta & independenter à voluntate Dei, nego.

nego. Porrò hic sermo est de ente necessario quoad existentiam, & contendimus ens hujusmodi perfectissimum esse; quia omninò independens est, nec ab ullo alio potest ad certos perfectionis limites coarctari.

Aliæ demonstrationes Metaphysicæ ab innata Dei notitia, à necessitate entis summè veri & summè boni.

PRimò. Illud ens existit, cujus existentiæ à natura impressa nobis est cognitio. Natura etenim id est naturæ auctor in errorem inducere non potest: *Naturam naturaliter & universaliter mentiri impossibile est*, ait Guillemus Parisiensis de virtute c.2. Atqui ex dictis antea & probatis, à natura impressa nobis est Dei cognitio: ergo existit Deus.

Naturalem hanc Dei notitiam solus ille inficiatur, qui naturæ vocem interiùs clamantem ac conscientiæ dictamen in se præfocare nititur, qui interiorem magistrum Deum ipsum audire recusat. *Omnibus enim loquitur*, ait S. Aug. L. 10. Confess. c.6. *sed illi intelligunt qui eius vocem acceptam foris, intus cum veritate conferunt*. Nec eorum in re tam certa & clara contrarium testimonium, quidquam momenti habere potest. Negavit Heraclitus hujus principii veritatem: *Quodlibet est vel non est*. An idcircò, ut jam antea observavimus, minùs firmum ac constans ab omnibus sanæ mentis hominibus habetur?

T.1.pa. 174.nu. 10. D.

Demonstrationem hanc confirmat & illustrat, quod suprà exposuimus S. Anselmi ratiocinium, ductum ex ipsa Dei notione seu idea, quæ necessariò existentiam involvit; cùm Deus sit ens perfectissimum quo nihil melius cogitari potest: si autem cogitari posset non existens, eo ipso non esset ens perfectissimum quo nempè melius concipi posset.

Secundò. Agnosci necessariò debet suprema quædam & incommutabilis veritas, supremum quoddam & absolutum bonum: atqui suprema veritas, supremum bonum Deus est; ergo necessariò existit Deus.

Major propositio probatur 1. Quia vel admittenda est suprema quædam & incommutabilis veritas, quæ sit norma & regula cujuscunque veri, vel mens humana ex se sese regula est veritatis: atqui postremum istud planè absurdum est; cùm experientia quotidiana unicuique nostrum compertum sit, humanam mentem tenebris obscuratam sæpissimè à vero aberrare. 2. Dantur bona alia aliis majora aut minora; sunt creaturæ aliæ aliis perfectiores; sed illa majoris vel minoris bonitatis participatio, majores illi perfectionis gradus aliundè non æstimantur, nisi pro majori vel minori accessu ad ens summè bonum & summè perfectum. Creaturæ quippè à se ipsis perfectiones illas non habent; aliàs, omnes omninò haberent cùm supponerentur esse à se ipsis, adeoque à nulla causa limitatæ, & ad certum perfectionis gradum restrictæ; ergo necesse est agnoscere ens supremum, infinitè bonum ac perfectum, à quo & sint, & suam, qualiscunque sit, perfectionem mutuentur. *Veritas mihi dicit*, ait S. Aug. L. 10. Confess. c.6. *non est Deus tuus cœlum & terra, neque omne corpus. Hoc dicit eorum natura videnti: Moles est, moles minor est in parte quàm in toto. Jam tu melior es, tibi dico anima, quoniam tu vegetas molem corporis tui, præbens ei vitam, quod nullum corpus præstat corpori. Deus autem tuus etiam tibi vitæ vita est.*

T.1.pa. 174. n. 10. D. E.

Deni-

Denique, est in homine naturalis ad felicitatem inclinatio & propensio : sed illa in bono creato, fluxo, caduco & mutabili sistere non potest, cùm bonum hujusmodi, totam capacitatem seu extensionem desiderii hominis implere & satiare non possit; ergo admitti debet supremum aliquod, infinitum & incommutabile bonum, ad quod homo pondere suo ac naturali propensione inclinatur.

Demonstrationes Physicæ ex subordinatione causarum ad unam primam: Ex temporanea mundi productione : Ex ordinata mundi structura, & constanti rerum omnium visibilium compage: Ex ipso denique homine.

PRimò. Ex subordinatione causarum ad unam primam, sic arguimus : Admittenda est aliqua causa prima, cui cæteræ omnes subordinentur. Nam, vel existit causa illa prima; vel admitti debet aut progressus in infinitum in causis producentibus, aut saltem mutuus quidam circulus inter causas sese invicem producentes. Atqui nec progressus ille in infinitum defendi potest; nec circulus: non circulus qui absurdus est; quandoquidem res eadem suimetipsius causa foret saltem mediata, quod implicat: non progressus in infinitum; namque in causis necessariò debet admitti ordo secundùm prius & posterius, ac progressus ille hunc ordinem tolleret. Si enim nulla supponatur causa prima, omnes causæ mediæ forent, quæ semper causam aliquam se superiorem agnoscerent. Imò, & nulla esset causa, quæ infinitas ante se causas non supponeret, quod certè perabsurdum est. Si enim ante omnes & singulas causas infinitæ causæ forent, sequeretur 1. Ante totam causarum multitudinem & collectionem, esse infinitas causas; & ita collectionem ullam totam non esse, quod implicat: qui enim totam collectionem dicit, nihil supponit extra illam, quod sit ejusdem ordinis. Sequeretur 2. Effectum nunquam produci posse, quia produci non posset nisi percurratur infinita causarum series ac multitudo; at quod infinitum est percurri non potest. Prima demonstratio, ex subordinatione causarum.

Præterea: Esto, demus hoc Atheorum pervicaciæ, fingi posse progressum in infinitum in causis univocis, nec ullum v.g. primum hominem posse assignari, à quo cæteri via generationis procreati sint: at saltem in causis æquivocis ac diversi generis, quæ nullam ad se invicem dependentiam ac subordinationem habeant, quales sunt v.g. cœli, qualia sunt astra, &c. necessariò recurrendum est ad aliquam primam & universalem causam, à qua sint. Neque enim sunt à seipsis, cùm nulla res sibi existentiam dare possit; ergo sunt ab aliqua causa superiori, intelligente, eaque infinita. Causa illa Deus est; ergo existit Deus.

Dices: Si supponatur materia improducta & æterna, qualem supponunt Hermogenes, Epicurus & alii, probari non potest existentia primæ & universalis cujusdam causæ: atqui supponi potest materia improducta & æterna; ergo, &c.

Resp. 1. Nego majorem. Namque supponi debet aliqua causa intelligens ac superior quæ ex materia ipsa eliciat entia omnia quæ sua varietate ac pulchritudine mundum hunc aspectabilem exornant; quæ materiæ motum ac varias motus modificationes imprimat: materia enim, ut antea

jam

jam diximus, ex ſeſe iners eſt & otioſa, motus omnis expers, quem ab alio neceſſe eſt accipiat. Igitur, etiam data & non conceſſa illa materiæ æternitate, neceſſe adhuc foret agnoſcere agens ſuperius & infinitæ virtutis, à quo materia ex ſe indifferens ad varias formas induendas determinaretur: aut ſaltem caſui ac fortunæ tam conſtans & ordinata rerum ſeries tribuenda eſt; quod certò tam inſulſum eſt, ut refelli ſeriò non debeat.

Reſp. 2. Nego minorem. Cujus falſitas mox patebit.

Secunda demóſtratio ex temporanea productione mundi.

Secundò. Ex temporanea mundi creatione ſic colligimus. Aut productus eſt à Deo mundus, aut eſt æternus: atqui æternum eſſe non poſſe, duo maximè demonſtrant. 1. Si mundus æternus eſſet, tempus æternum foret: at iſtud implicat: tùm quia in tempore neceſſariò datur prius & poſterius: tùm quia ab æterno noctis & diei viciſſitudo eſſe non potuit. Nam vel ſimul fuiſſet, vel ſucceſſivè: non ſimul, quod repugnat: non ſucceſſivè, quod æternitatem tollit: tùm denique, quia ſi tempus æternum fuit, fuerunt ergo infiniti anni, infiniti menſes, dies & horæ: ſed numerus menſium, annorum & dierum vel erit æqualis vel non: Si æqualis, ſequitur partem toti æqualem, & totum non eſſe majus ſua parte: ſi inæqualis, ergo dabitur magis & minus in infinito. 2. Si æternus mundus foret & homines fuiſſent ab æterno, infinitæ darentur hominum generationes ſibi invicem ſuccedentium, & numerus hominum qui hactenus vixerunt, eſſet infinitus: at numerus ille non poteſt eſſe infinitus, cùm quotidie augeatur. Neque etiam poſſibilis videtur progreſſus in infinitum in generationibus: quia cùm hæc ſit naturalis gignendi conditio, ut non ſtatim atque editum eſt animal in lucem, generet aliud, ſed paulatim confirmet ſeſe, ac vires acquirat; qui ab æterno vixerunt non alia lege alios procrearunt, niſi interjecto aliquo tempore: at hoc ſuppoſito, perit æterna generantium ſucceſſio in qua neceſſe eſt agnoſcere prius & poſterius: priùs enim confirmatas quis vires habere debet, quàm alium producat: at in æternitate non poteſt aſſignari prius & poſterius.

Deinde, ſi mundus eſſet ab æterno, materia eſſet improducta & ab æterno: atqui prorſus id repugnat, non tantùm fidei quæ docet, *In principio Deum creaſſe cælum & terram*, ſed etiam rationi. Tum quia, quod eſt æternum & improductum, debet eſſe infinitum, cùm à nulla cauſa limitari poſſit: at materia finita eſt, limitata, loco circumſcripta, ex ſeſe formæ ac cujuslibet motus expers. Tùm quia ex materia nunquam fieri poteſt ſpiritus; & major eſt, ut ita dicam, diſtantia inter materiam & ſpiritum, quàm inter ſpiritum & nihilum: ex nihilo quippè creari poteſt ſpiritus, nunquàm verò poterit ſpiritus è materia educi. Atqui extant ſpirituales aliquæ ſubſtantiæ, animæ ſcilicet rationales, quæ operationum ſpiritualium ſunt capaces: cognoſcunt enim, cogitant, volunt, rerum ideas generales & abſtractas ſibi efformant &c. Ergo cùm illæ ſpirituales ſubſtantiæ non poſſint eſſe à materia, neque etiam illæ ſint à ſe ipſis, neceſſe eſt ut ſint à ſupremo rerum omnium principio, Deo nempè, à quo omnia infinita virtute condita ſunt, ac ſupremo conſilio reguntur ac gubernantur.

Præterea: qui fieri poteſt ut Athei Deum idcircò rejiciant, quòd nempè ens infinitum concipere non poſſint, cùm ipſimet materiam æternam & infinitam admittant, ſicut de Hermogene teſtatur Tertullianus L. adver-

sùs

sùs ipsum c.43. An, quæso, faciliùs intelligitur materia æterna, improducta & infinita, quàm ens spiritale, æternum & infinitum? Nonne in eosdem planè scopulos allidunt Athei, quos declinare voluerant?

Dices 1. Ex nihilo nihil fieri potest: ergo admittenda est materia æterna & increata, ex qua præjacente omnia fiant.

Resp. Distinguo antecedens. Ex nihilo nihil fieri potest, ab homine cujus virtus finita est ac limitata, concedo: à Deo infinitæ potentiæ & virtutis, qui omnia quæcunque voluit, fecit, nego. *Existimarunt stolidi*, ait Theodoretus L.5. Hæretic. fabul. de materia. V. *Deum sine materia creare non posse; nec intellexerunt quantum Dei & hominum sit discrimen, & quòd fieri non possit ut omnia habeat imago quæ archetypus; & quòd homo quidem velut imago, ex iis quæ extant creet; Deus verò & ex iis quæ extant & ex non extantibus; quod apertè nos docet Scriptura.* Quicunque igitur Deo denegant vim creandi ex nihilo, ii supremo Numini suam invident ac detrahunt omnipotentiam: *Negare*, ait idem Theodoretus, *Deum potuisse creare mundum sine materia, est irridere Creatoris potentiam.* T.4.pa. 263. B. C.

Dices 2. Non magis repugnat supponere entia quæ nullum habeant initium, quàm quæ nullum sint habitura finem: atqui reipsa sunt aliqua entia, v.g. Angeli, animæ rationales, quæ nullum sunt habitura finem; ergo supponi non immeritò potest, quòd nullum pariter habuerint initium: par quippè videtur esse ratio æternitatis à parte ante, & æternitatis à parte post.

Resp. Nego majorem & paritatem. Disparitas est, quia ens quod nullum habet sui initium, est à se ac planè independens, quod repugnat creaturæ: at non ita est de creatura spirituali quæ nullum habitura est finem; hæc enim à Deo, tanquam à primo & universali principio semper dependet, à quo si vellet, in nihilum posset redigi; ut enim liberè Deus eam condidit, ita & liberè conservat. Licèt enim subsistantia spiritualis nullum in se habeat internum corruptionis & interitus principium, cùm tamen è nihilo sit educta, in nihilum absolutè redire posset si Deo ita placeret: at reipsa voluit Deus subsistantias hujusmodi æternùm manere, sive ad præmium, sive ad supplicium pro conditione meritorum.

Tertiò, demonstratur supremi Numinis existentia ex ordinata mundi structura, & constanti rerum omnium compage. Stupidus sit oportet, quem in admirationem etiam invitum non rapiat eximia mundi pulchritudo; summa rerum, quæ in eo sunt, multitudo & varietas; æquabilis temporum series; fixa tempestatum vicissitudo; immensa cœlorum moles; syderum definitæ conversiones; constans denique naturæ totius ordo. Si quis tam claram & perspectam veritatem in dubium revocaret, *Cœlum ipsum videat*, ait Minutius Fœlix in Octavio, *quàm latè tenditur quàm rapide volvitur, vel quod in noctem astris distinguitur, vel quod in diem sole lustratur.* Videat *& annum ut Solis ambitus faciat, & mensem Lunæ aucta, senio labore circumagat. Inspiciat, tenebrarum & luminis recursantes vices, ut sit nobis operis & quietis alterna reparatio. Contempletur ver cum suis floribus, Æstatem cum suis messibus, gratam Autumni maturitatem, & olivitatem Hiemis necessariam. Mari intendat, lege litoris stringitur: aspiciat Oceanum, refluit reciprocis æstibus. Videat fontes, manant venis perennibus; fluvios intueatur, eunt semper exercitis lapsibus.* Quis porrò sanæ mentis unquam cogitaverit hæc omnia casu ac fortuitò contin- Tertia demonstratio, ex ordine mundi. Edit. Rigalt. pag. 13. B.

contingere ; non autem ſuprema quadam intelligentia, ac ſapientiſſimo Dei conſilio regi ac ordinari? Perinde eſt, ac ſi quis ordinatiſſimam, ſuiſque legibus benè temperatam Rempublicam cogiret, ſine Rectore ac Moderatore: vel Exercitum ad pugnam aptè diſpoſitum, ſine Duce: vel ædificium ad gratam & commodam habitationem, ſine Architecto: vel denique orationem ad perſuadendum rectè elaboratam & concinnatam, ſine Magiſtro. *Si mundum efficere poteſt concurſus atomorum*, ait Baldus apud Tullium L. 2. de natura Deorum, *cur porticum, cur templum, cur domum, cur urbem non poteſt, quæ ſunt minùs operoſa & multò quidem faciliora? Si eſſent*, pergit ibid. ex Ariſtotele, *quiſub terra ſemper habitaviſſent bonis & illuſtribus domiciliis, nec tamen exiſſent unquam ſupra terram, accepiſſent à fama eſſe quoddam numen & vim deorum: deinde aliquo tempore, pateſactis terræ faucibus, evadere in hæc loca quæ nos incolimus, atque exire potuiſſent: cùm repente terram & maria, cœlumque vidiſſent, aſpexiſſentque Solem, ejuſque tum magnitudinem pulcherrimam, tùm etiam efficientiam cognoviſſent, tùm cœlum totum cernerent aſtris diſtinctum, eorumque omnium ortus & occaſus, atque in omni æternitate ratos immutabileſque curſus, hæc cùm viderent, profectò & eſſe deos, & hæc tanta opera Deorum eſſe arbitrarentur*. Denique ibid. *Quis*, inquit, *hunc hominem dixerit, qui cùm certos cœli motus, tam ratos aſtrorum ordines, tamque omnia inter ſe connexa & apta viderit; neque in his ullam ineſſe rationem, eaque caſu fieri dicat, quæ quanto conſilio geruntur nullo conſilio aſſequi poſſumus?* Hæc Tullius. Quàm verè igitur Pſal. 99. v. 3. omnes creaturæ clamant: *Scitote quoniam Dominus ipſe eſt Deus, ipſe fecit nos, & non ipſi nos?*

Quartò denique, homo ipſe ſolus, etſi cætera deeſſent, invictum ſuppediteret exiſtentis ſupremi Numinis teſtimonium & argumentum: qua de cauſa, *magnum*, à S. Aug. L. 10. de Civitate Dei c. 12. *miraculum* appellatur. Unde enim corpus tam admirabili ac planè ſtupendo extructum artificio? Unde tot diſparia membra, mutuo intextu concreta, & tam aptè ad propria cuique munia diſpoſita, niſi ab immenſo ſpiritu?

Quis oſſa, velut trabes quibus carnes ſuſtentarentur, conſolidavit? Nervos ac muſculos flexiles fecit ad motum? Venas, arterias velut tubos excavavit ad continendum ſanguinem, ne impotentiùs diffluat? Sanguinem ac ſpiritus animales occultis canalibus per univerſum corporis habitum diffudit, & circuire voluit ad vitam & animationem? Humores tam varios ac pugnantes tam amicè temperavit, ad oris venuſtatem & totius corporis ſanitatem? Quis pellem, tanquam molle quoddam tegumentum, ſupra omnes artus extendit, ad ornatum & defenſionem membrorum? Cerebrum, nec durum, nec omninò fluidum, ſed molle conſtruxit ad memoriam rerumque ſpecies conſervandas? Quis in vultu tam diverſa lineamenta depinxit, ut ſimul & univerſi ſimiles videamur, & ſinguli tamen inter ſe diſſimiles inveniantur? Quis denique tot organa tam mirè ad nutritionem hominis diſpoſuit, niſi ſupremus ac infinitæ virtutis artifex Deus? Mens verò hominis, tot facultatibus inſtructa ad intelligendum & cognoſcendum, tot dotibus ornata ad benè beatèque vivendum, unde? Niſi à ſuprema intelligentia? *Neſcio qualiter in utero meo apparuiſtis*, dicebat ſeptem Machabæorum mater, *neque enim ego ſpiritum & animam donavi vobis & vitam; & ſingulorum membra, non ego ipſa compegi*. Ergo neceſſe omninò

L. 2. Mac. c. 7. v. 22.

ninò est agnoscere supremam aliquam mentem & intelligentiam : hæc autem Deus ipse est.

Demonstrationes morales ex populorum omnium consensu, ac stimulis conscientiæ ex patrato scelere.

ILlud ens summum & infinitum existit, quod communi naturæ voce Gentes omnes, etsi immanitate maximè agrestes ac barbaræ, existere fatentur; quod conscientia, stimulis malè actæ vitæ exagitata, etiam invita declarat. Omnium scilicet consensus, naturæ ipsius vox est: atque fieri non potest ut universa natura aberret: atqui omnibus Gentibus inditum esse Dei sensum aliquem qui sit velut artificis in opere suo impressus caracter, suprà demonstratum est. Quin & ipsimet conscientiæ stimuli, quibus ob patratum scelus exagitatur, tacitè Deum aliquem criminis vindicem & ultorem esse produnt: neque enim conscientiæ sensus obtundi, neque accusatio eludi, nec testimonium corrumpi, nec tribunal declinari unquam potest. Hinc S. Paulus Rom. 2. v. 15. de Gentibus ait. *Legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium illis reddente conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus.*

Hoc ipsum & Poetæ & Gentiles Philosophi agnovere.

Primus in orbe deos fecit timor: (ait Poeta,) Juvenalis.
Tacita sudant præcordia culpa;
Has patitur pœnas peccandi sola voluntas:
Nam scelus intra se tacitum qui cogitat ullum,
Facti crimen habet.

Epicurus ipse dicebat : *Posse nocenti contingere ut lateat, latendi fiduciam non posse: multos quippè fortuna liberat à pœna, à metu verò neminem.* Et sanè, nisi supremi Numinis timor ac reverentia homines in officio contineret, nullus vel per momentum quidem securus ac tutus esse posset à vi, à fraude, à perjurio, à cæde, à sanguine: omnia confundi ac perturbari necesse foret; ergo vel uno ipsius animæ testimonio demonstratur esse aliquod ens superius & infinitum, à quo, qui rei sunt, criminum suorum pœnas meritò reportant. Istud animæ naturaliter Christianæ testimonium egregiè describit Tertullianus Apolog. c. 17. verba superiùs relata sunt, ubi de idea Dei nobis ingenita disputavimus.

ARTICULUS QUARTUS.

An Deus unus sit.

UNum dicitur duobus potissimùm modis : affirmativè scilicet, & negativè seu exclusivè. Priori sensu, unum dicitur, quod est indivisum in se, & divisum à quolibet alio ; sed præter quod alia dari possunt ejusdem ordinis ac naturæ: sic homo quilibet unus est. Talis unitas, specifica so-

let appellari, quæ scilicet plura infra se individua continet, ejusdem quidem specie naturæ, sed numero distinctæ. Unum verò negativè seu exclusivè dicitur, quod est unicum, & cujuslibet sibi æqualis consortium excludit. Hoc sensu, solus unus dicitur, quia unicus; & est hujusmodi unitas numerica & individualis. Hoc posteriori sensu quæritur, sit ne unus seu unicus natura & essentia Deus?

Unitatis Dei impugnatores.

Unitatem Dei aperta fronte impugnavere & Gentiles idololatræ, & inter Christianos Hæretici nonnulli.

1. Gnostici, quorum dux ac magister fuit Carpocrates, ut ait S. Irenæus L. 1. c. 24. duos deos esse putaverunt, unum bonum & alterum malum, teste S. Augustino L. de Hæresibus c. 6. & Epiphanio, Hæresi 33. & 36.

Idem sensit Appelles, à quo dicti Appellitæ, teste Eusebio L. 5. Hist. c. 13. & S. Augustino L. de Hæresibus c. 23.

Marcion, à quo Marcionitæ, vel duos deos admisit, referente Tertulliano L. 1. contra Marcionem; vel tres, ut censet S. Epiphanius L. 1. contra Hæreses c. 42. Unum nempè invisibilem, rerum invisibilium; alterum verò visibilem, mundi hujus aspectabilis parentem; tertium diabolum, medium inter utrumque.

Manes, à quo dicti & propagati Manichæi, duo rerum prima principia, seu duos deos admisit ingenitos, per se naturales, sempiternos; alterum alteri oppositum; & alterum quidem bonum, rerum invisibilium auctorem; alterum verò malum, rerum sensibilium & materialium causam. Alteri Lucis, alteri verò Tenebrarum nomen tribuit. Malum, veteris legis; bonum autem novæ parentem constituit: lege S. Aug. L. de Hæresibus c. 46. & S. Epiph. Hæresi 66.

Valentinus, à quo Valentiniani, censuit pariter plura esse rerum principia, ac duos potissimum deos, quorum unum vocavit *Profundum*, alterum *Silentium:* unum masculum, alterum fœminam, ex quibus triginta Æones processisse dixit, aliaque innumera ferè vixque intelligibilia figmenta confinxit, testibus Irenæo L. 1. c. 1. Epiphanio Hæresi 31. Theodoreto L. 1. Hæretic. fabul. Cyrillo Jerosolymitano Cath. 6. qui eum vocat triginta deorum prædicatorem; & Augustino L. de Hæresibus c. 11.

Valentinum secutus est Secundus. Iste quosdam alios Æones commentus est, teste Tertulliano in libro de præscriptionibus: S. verò Augustinus Lib. de Hæresibus, Hæresi XI. ait, Secundianos à Valentinianis distare, *quòd addunt opera turpitudinis.*

Vix credi potest, extitisse inter recentiores Scriptores aliquem ita temerarium, ut Valentinum non tantùm ab errore circa Trinitatem purgare tentaverit, sed etiam ausus fuerit asserere, hominem illum longè accuratiùs & digniùs de Verbi divinitate locutum fuisse, quàm Hilarios & Athanasios. Atqui tamen Irenæus, Tertullianus, & alii qui propiùs cum Valentinianis congressi sunt, ad eorum nefandos errores ac putida figmenta exhorrescunt.

Patina 251. C. *Qui ex alia conscientia venerit fidei*, ait Tertull. L. adversùs Valentinianos c. 3. *si flatim inveniat tot nomina Æonum, tot conjugia, tot genimina, tot exitus, tot eventus, felicitates, infelicitates, dispersæ atque concisæ divinitatis, du-*

P. 253. B *bitabitne ibidem pronunciare, has esse fabulas & genealogias indeterminatas, quas damnat Apostolus?* Etc. 7. *Non solus*, inquit, *agnoscitur Pater, nam cum illo*

P. 504. B *processit & fœmina veritas.* Et L. adversùs Praxeam c. 8. *Valentinus probola suas.*

suas discernit & separat ab auctore: & ita longè ab eo ponit, ut Æon patrem nesciat. Denique, desiderat nosse, nec potest; imò & penè devoratur, & dissolvitur in reliquam substantiam. Egregiè verò divinitatis sors & conditio! velle aliquid, & non posse illud assequi: *devorari ac dissolvi.* S. Irenæus L. 1. adversùs Hæreses c. 1. asserit unumquemque *Æonum, esse masculo fœminam.* Quapropter Valentiniani inter baptizandum hac utebantur forma verborum: *In nomine ignoti omnium Patris, in veritate omnium Matre, in eo qui descendit in Jesum.* N. Ed. p. 6.

Cui hæc omnia castigata & ad legem fidei exacta videri possunt, is procul dubio absurdissima quæque facilè deglutiet ac devorabit: v. g. tres esse in Deo numero essentias & naturas; unde tres dii non immeritò dici possint. Ita esse scribit Auctor recentior, in libro cui Gallicè titulum fecit: *Alteration du dogme Theologique per la Philosophie d'Aristote.* Euseb. Kist. li. 4. c. 11. Ed. Vales. pag. 124.

2. Unitatis Dei insensissimi hostes extitere omnes Pagani ac Gentiles, Idolorum cultui addicti; quos Apostolus Rom. 1. v. 23. *Atheos & sine Deo*, appellat: *Qui mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium.* Idololatræ.

Originem ac progressum Idololatriæ graphicè depingit Salomon Sap. c. 13. & 14. Primus Idoli artifex vulgò Belus existimatur, ad quem respexisse ajunt Salomonem, cùm dixit c. 14. Sap. v. 15. & sequen. *Acerbo luctu dolens pater, citò sibi rapti filii fecit imaginem: & illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, & constituit inter servos suos sacra & sacrificia.* Idololatriæ origo & causæ.

Multiplex Idololatriæ assignatur causa. Prima, est generalis hominis corruptio ac perversitas ex primæva labe contracta, unde veri Dei oblivio. Secunda, infirmitas & indigentia hominis, qui cùm multis premuntur malis, undequaque patronos & auxiliatores sibi quærit, eosque pro diis colendos proposuit, à quibus commodi aliquid ac beneficii reportasset. *Suscepit vita hominum & consuetudo communis*, ait Tullius L. 2. de natura Deorum, *ut beneficiis excellentes, in cœlum fama & voluntate tollerent: hinc Hercules, hinc Castor & Pollux, hinc Æsculapius, hinc Liber.* Unde Tertull. Apolog. c. 5. festivè paganos irridens dicebat: *Apud vos de humano arbitratu divinitas pensitatur: nisi homini Deus placuerit, Deus non erit: homo jam Deo propitius esse debebit . . . .* Quin non tantùm hominibus mortuis, sed etiam rebus inanimatis, quas sibi commodas sentiebant, divinitatis cultum impendebant, maximè verò Ægyptii, in quorum hortis, ut dicebatur, nascebantur dii. Prima, hominis corruptio. Secunda hominis infirmitas & indigentia. Ps. 6. B.

Tertia Idololatriæ causa & origo fuit quæsita ex deorum exemplo in patrandis sceleribus securitas & auctoritas: proclive quippè est eos veneremur quorum imitamur facta. Porrò nullum tam immane criminis genus est, cujus rei non fuerint Gentilium dii, quod ipsis audaciter ac strenuè objicit & exprobrat Tertullianus in Apologetico. Tertia, in patrandis scelerib. ab exp. securitas & auctoritas.

Atque hinc stupenda illa Deorum apud Gentiles multitudo. Triginta millia numerat Hesiodus; inter quos, ait Tertull. Apol. c. 10. *Novi sunt ac veteres, Barbari, Græci, Romani, peregrini, captivi, adoptivi, proprii, communes, masculi, fœminæ, rustici, urbani, nautici, militares &c.* De Romanis, tametsi sapientiores haberentur, dicebat S. Leo: *Cùm penè omnibus dominaretur Gentibus, nonne omnium Gentium serviebant erroribus, & magnam arbitrabantur assumpsisse religionem, quia nullam respuebant falsitatem?* P. 11. B.

Idololatriæ variæ species.

Idololatriæ variæ sunt species. Prima, eaque ubique ferè terrarum diffusa, qua nempè plures dii colebantur, quos tamen homines fuisse constabat, Jupiter, Saturnus, Mars, Venus &c. Secunda, mortuorum animabus singularem cultum deferebat. Tertia, viris eximiis dum viverent adorationem impendebat. Quarta, multos deos unum esse Jovem asserebat, cui plura officia & attributa tribuebantur: *Quæ sententia velut magnorum multumque doctorum est*, ait S. Aug. L. 4. de Civit. Dei c. 11. Quod si ita sit, aptè reponit S. Doctor, *quid perderent, si unum Deum colerent prudentiore compendio?* Quinta denique eorum fuit, qui rebus aut animatis, ut volucribus serpentibus &c. aut sensu & anima carentibus, ut soli, syderibus, aut simulacris seu statuis quibusdam, sive putarent in iis occultam quamdam vim ac virtutem latere, sive non, religiosum adorationis cultum impendebant.

Tom. 7. p. 97. E.

Adversùs tam putidos & crassos errores, sit

CONCLUSIO.

Deus unicus est.

Probatur 1. clarissimis Scripturæ testimoniis. Deuter. 6. v. 4. *Audi Israel: Dominus Deus noster Dominus unus est.* Ibid. c. 32. v. 39. *Videte quòd ego sim solus, & non sit alius Deus præter me.*

Psal. 17. v. 32. *Quis Deus præter Deum nostrum?* Et Psal. 82. v. 19. *Tu solus altissimus in omni terra.* Marci 12. v. 29. *Primum omnium mandatum est: Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est.* Et v. 32. Scriba Christo dicit: *Benè Magister, in veritate dixisti, quia unus est Deus, & non est alius præter eum.* Joan. 17. v. 3. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum.* Denique S. Paulus 1. ad Corinth. 8. v. 4. *Scimus quia nihil est Idolum in mundo, & quòd nullus est Deus, nisi unus.* Et v. 5. *Nam etsi sunt qui dicantur dii, sive in cœlo sive in terra .... nobis tamen unus est Deus.*

Fuit hæc Christianorum omnium animis semper impressa veritas, quæ in primo Symboli articulo consignatur his verbis: *Credo in unum Deum.* Frustra ad id probandum SS. Patrum testimonia hic colligerentur, cùm omnibus sint obvia, & jam magna ex parte superiùs à nobis, ubi de existentia Dei, relata fuerint: *Deus, si unus non est*, ait Tertull. L. 1. contra Marc. c. 3. *non est: quia dignius credimus non esse, quodcunque non ita fuerit ut esse debebit.*

Pagina 366. D.

Probatur 2. Vel ipsis priscorum Philosophorum ac Poetarum testimoniis. Ilietenim, tametsi exteriùs plures deos colerent, ne si fortè à populari Religione recessisse visi fuissent, publicam in se concitassent invidiam, unum tamen esse Deum deorum ac supremum ens, persuasum habebant. Eorum testimonia refert S. Justinus Libro de Monarchia Dei: nempè Eschili, Sophoclis, Philemonis, Orphei, Pithagoræ, Platonis, Menandri. Athenagoras verò in Apologia illis addit Euripidem, Pitolaum, Pythagoricos, Aristotelem, &c.

Ed. Vigor. c. 11. par. 527. D.

Omitti hic non debet celebris illa syllaba, *Ei Es*, Delphico Templo inscripta, de qua Plutarchus referente Eusebio L. 11. c. 7. Præpar. Evang. quæ quidem inscriptione, quasi à foribus Templi Deus unus salutabatur, interpretè ipsomet Plutarcho qui totus Platonicorum Theologiæ de unitate Dei adhæ-

hærebat: ii etenim unum dumtaxat Deum agnoscebant, quem per excellentiam unum Ens, unam Mentem, quin & ipsammet unitatem appellabant.

Probatur denique manifestis rationum momentis.

1. Quia natura cui singularitas est omninò essentialis, multiplicari numero non potest; hoc quippè importat singularitas: atqui singularitas omninò essentialis est naturæ divinæ, quia existentia ipsi adeò est essentialis, ut nequidem per mentem separari ab illa possit; Deus enim ens est planè necessarium: porrò existentia rei est singularis; igitur singularitas Deo essentialis est.

2. Deus est ens perfectissimum, ens summum quo nihil melius. Omnes consentiunt, ait S. Aug. Deum esse, quod cæteris omnibus anteponunt: at quod perfectissimum est, quod summum, unicum est, nec parem habere potest: summum quippè non est, cui aliquid adæquatur; & si duo essent summa & perfectissima, neutrum summum esset ac perfectissimum, quia neutrum altero majus esset: Deus autem, ex dictis, est id quo nihil majus, nihil melius dari & excogitari potest. *Lib. 1. de Doct. christia. na c. 7.*

Deinde si duo essent Dii æquales, utroque meliusaliquid cogitari posset, adeoque non essent illi veri nominis Dii. Probatur. Quia melius quidquam est non habere parem, quàm habere: melius est alia omnia infra se, quàm juxta se habere: melius denique est solum imperare, quàm consortem habere. Ita ferè Tertullianus L. adversùs Hermogenem c. 4. *Si Deus est*, inquit, *unicum sit necesse est. Aut quid erit unicum & singulare, nisi cui nihil adæquabitur? Quid principale, nisi quod super omnia? nisi quod ante omnia? & ex quo omnia? Hæc Deus solus habendo est, & solus habendo, unus est. Si & alius habuerit; tot jam erunt Dii, quot habuerint quæ Dei sunt. Ita Hermogenes duos deos infert; materiam parem Deo infert. Deum autem unum esse oportet: quia quod summum sit, Deus est: summum autem non erit, nisi quod unicum fuerit. Unicum autem esse non poterit, cui aliquid adæquabitur.* Idem argumentum urget adversùs Marcionem. L. 1. c. 3. *Deus*, inquit, *si non unus est, non est: quia digniùs credimus non esse quodcunque non ita fuerit ut esse debebit . . . . De isto convenit apud omnes, ut Deus sit summum magnum & forma & ratione, & vi & potestate . . . . Quæ erit jam conditio ipsius summi magni? nempè ut nihil illi adæquetur, id est, ut non sit aliud summum magnum: quia si fuerit, adæquabitur; & si adæquabitur, non erit summum magnum, everſa conditione, & ut ita dixerim, lege, quæ summo magno nihil finit adæquari.* *p. 134. D.* *Pagina 366. D.* *Pagina 367. A.*

3. Si plures essent Dii, procul dubio à se invicem distinguerentur; aliàs, plures non essent: at id per quod distinguerentur, haud dubiè perfectio quædam foret; in Deo enim nulla prorsus imperfectio fingi potest. Hoc autem supposito, illi Dii aliqua vicissim carerent perfectione, ea scilicet per quam à se invicem differrent ac distinguerentur; atque ita perfectissimi non essent, nec consequenter veri Dii: verus enim Deus perfectissimus est, quo nihil melius cogitari potest. Ita S. Thom. L. 1. contra Gentiles c. 42. *Ostensum est*, inquit, *Deum omninò perfectum esse, cui nulla perfectio desit: si igitur sunt plures Dii; oportet esse plura hujusmodi perfecta: hoc autem est impossibile. Nam si nulli eorum deest aliqua perfectio; neque aliqua imperfectio ei admiscetur, quod requiritur ad hoc quòd aliquid sit simpliciter perfectum; non erit in quo ad invicem distinguantur. Impossibile est igitur plures Deos ponere.* *T. 13. p. 132. A.*

4. Denique exordinata rerum omnium dispositione, ac totius mundi harmonia tam constanti, unum dumtaxat esse Rectorem ac supremum Moderatorem Deum colligit S. Athanasius L. contra Gentiles. *Si quidem*, in-
Nov. Edi. T. 1. p. 37. B. 5 & B. quit, *ipse dispositionis ordo, omniumque partium concors conspiratio, non multos sed unum mundi ducem & moderatorem Verbum esse manifestè ostendit. Nam si plures mundo præessent, ordo ille servari non posset, sed omnia confusione & perturbatione plena essent, dum unusquisque omnia ad suum arbitrium traheret, & adversùs alium pugnaret.*

P. 460. *Non possunt*, ait Lactantius in Lib. de ira Dei, *in hoc mundo multi esse rectores, nec in una domo multi domini, nec in navi una multi gubernatores, nec in armento aut grege duces multi, nec in uno examine multi Reges: sed nec in cœlo quidem multi soles esse poterunt, sicut nec animæ plures in uno corpore, adeo in unitate natura universa consentit.*

Atque his momentis, præter alia penè infinita quæ adversùs Idolorum cultum usurpavere Religionis nostræ Apologistæ, invictè confutantur tot insana & putida Idololatrarum figmenta, variisque prætextus quibus in sui excusationem usi aliquando fuerunt.

Nihil profectò ad cultum illum falsorum Deorum irridendum & explodendum aptius ac verius proferri potest, quàm quod ait Salomon Sap. 13. ubi fusè de hoc argumento disserit. *Non erubescit* (Idololatra) inquit v. 17. *loqui cum illo, qui sine anima est: & pro sanitate quidem infirmum deprecatur, & pro vita rogat mortuum, & in adjutorium inutilem invocat: & pro itinere petit ab eo, qui ambulare non potest: & de acquirendo, & de operando & de omnium rerum eventu petit ab eo, qui in omnibus est inutilis.*

S. Augustinus in Psal. 96. refellit Idololatram, qui ad se excusandum profitebatur se Idolum non colere, sed Deum in Idolo: audiatur S. Doctor.
To. 4. p. 1047. D. *Exiit*, inquit, *nescio quis disputator, qui doctus sibi videbatur, & ait: Non ego illum lapidem colo, nec illud simulachrum quod est sine sensu.... Sed adoro quod video; & servio ei quem non video. Quis est iste? Numen quoddam, inquit, invisibile quod præsidet illi simulachro. Hoc modo reddendo rationem de simulachris suis, diserti sibi videntur, quia non colunt idola, & colunt dæmonia. Etenim, fratres, sicut dicit Apostolus: Quæ immolant Gentes dæmoniis immolant,*
1. Cor. 10. v. 20. *& non Deo. Nolo vos, inquit, socios fieri dæmoniorum. Non ergo hinc se excusent, quia quasi idolis insensatis dediti non sunt: dæmoniis magis dediti sunt, quod est periculosius. Nam si tantùm idola colerent, sicut eos adjuvarent, ita illis nihil nocerent: si autem adores & servias dæmonibus, erunt Domini tui. Et qui erunt Domini tui? Invidi tui: libertatis tuæ necesse est invideant, semper te velint possidere, semper talem facere, qualem possint secum trahere.* Et postea: *Quæ*
Pagina 1049. C. *numina colis? Dic mihi: dæmonia colis, an spiritus bonos, quales sunt Angeli? sunt enim Angeli sancti, & sunt spiritus maligni. Ego dico quia in templis tuis non coluntur nisi spiritus maligni: qui sibi exigunt superbè sacrificium, & volunt se coli tanquam deos, maligni sunt, superbi sunt.... Respondent, non colimus mala dæmonia: Angelos quos dicitis, ipsos & nos colimus; virtutes Dei magni*
Pagina 1049. A. *& ministeria Dei magni. Utinam*, pergit Aug. *ipsos colere velletis: facilè ab ipsis disceretis non illos colere.* Deinde probat S. Doctor, bonos Angelos adorationem longè à se propulsare, exemplo illius Angeli de quo fit mentio,
Ibid. B. Apocal. 19. v. 10. .... *Nemo dicat, timeo ne irascatur mihi Angelus, si non*

illum

illum colo pro Deo meo. Tunc tibi irascitur, quando ipsum colere volueris : bonus est enim, & Deum amat. Quomodo dæmones irascuntur, si non colantur : sic Angeli indignantur, si pro Deo colantur. Sic Augustinus varios illos prætextus evertebat, quos nonnulli Pagani obtendebant, ut crassioris Idololatriæ invidiam & criminationem à se propulsarent.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Multi in Scripturis appellantur Dii : Psal. 81. v. *6. Ego dixi : Dii estis, & filii Excelsi omnes.* Et v. 1. *Deus stetit in Synagoga Deorum.* Exodi 7. v. 1. *Dixit Dominus ad Moysen : Ecce constitui te Deum Pharaonis.* 1. Corinth. 8. v. 5. *Sunt qui dicuntur Dii, sive in cælo sive in terra (Si quidem sunt Dii multi & Domini multi.)*

Resp. Distinguo antecedens. Multi appellantur Dii, nomine dumtaxat & improprio quodam sensu, concedo : re, natura & proprio sensu, nego. Judices de quibus Psal. 81. Dii appellantur, propter auctoritatem vitæ & necis quam à Deo acceperunt ; non propter naturam & substantiam : Statim enim v. 7. additur, *Vos autem sicut homines moriemini, & sicut unus de principibus cadetis.*

Hoc ipso sensu v. 1. Deus dicitur *stare in Synagoga Deorum*, id est, Judicum ; nempè ut eorum Judicia ipse dijudicet : statim enim additur : *In medio autem Deos dijudicat* : id est, Judicum sententias ponderat ad legem æquitatis, ac severè in eos animadvertit, si fortè malè judicaverint. *Cùm accepero tempus*, ait Deus per Regium Prophetam, Psal. 74. v. 2. *ego Justitias judicabo.* Unde Sap. 6. v. 5. & 6. dicitur : *Cùm esse tis Ministri regni illius, non rectè judicastis, nec custodistis legem justitiæ, neque secundùm unitatem Dei ambulastis. Horrendè & citò apparebit vobis : quoniam judicium durissimum his, qui præsunt, fiet.*

Exodi c. 7. Moyses constituitur Deus Pharaonis ; propter singularem auctoritatem ac potestatem quam à Deo in Pharaonem acceperat, ac specialem virtutem patrandi miracula quibus flecti debuisset Rex ille impius ut populum Dei dimitteret. Deus autem Israel ipse erat qui per Moysen ministrum suum stupenda illa operabatur : v. enim 5. ibidem dicitur ; *Scient Ægyptii quia ego sum Dominus qui extenderim manum meam super Ægyptum, & eduxerim filios Israel de medio eorum.*

1. Corinth. 8. v. 5. ex falsa Gentilium opinione Apostolus ait, *Multos esse Deos & multos Dominos* : non autem ex propria sententia reique veritate, statim enim addit, v. 6. *Nobis tamen unus Deus.*

Responsionem eleganter ac solidè confirmat Catechismus Romanus parte 1. n. 9. *Unus Dominus*, inquit, *una fides, unum Baptisma. Neque verò nos moveat, quòd interdum sacræ litteræ Dei nomen creatis etiam naturis imponunt : nam quòd Prophetas & Judices Deos appellarunt, non Gentium more factum est, quæ sibi plures Deos stultè & impiè finxerunt : sed quadam loquendi consuetudine significare voluerunt excellentem aliquam virtutem vel functionem, quæ Dei munere illis concessa sit.*

Dii ergo appellantur Prophetæ, propter futurorum notitiam à Deo ipsis revelatam : Judices, propter auctoritatem vitæ & necis : Justi seu sancti, pro-

pter habitantem in ipsis Spiritum sanctum, qui eos efficit divinæ consortes naturæ. Moyses Deus Pharaonis constituitur, propter specialem potestatem ac virtutem quam in Regem illum exercuit. Angelus aliquando in veteri Testamento Deus etiam appellatur, quòd nempè nomine & auctoritate Dei loqueretur, ejusque personam sustineret.

Instabis. Eo ipso modo Judices dicuntur Dii, quo ipsemet Christus: atqui Christus verè, natura & substantia Deus est; ergo &c.

Antecedens probatur ex c. 10. S. Joan. v 35. ubi Christus contra Judæos se Deum esse probat hoc argumento: *Nonne scriptum est in Lege vestra, quia dixi, Dii estis? Si illos dixit Deos ad quos sermo Dei factus est, & non potest solvi Scriptura: quem Pater sanctificavit, & misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemat?* Ex quo testimonio, unum ex his duobus sequi videtur, aut Judices veri nominis Deos esse, sicut Christus Deus est, aut Christum non aliter Deum esse, quàm Judices; hoc est, participatione quadam divinæ virtutis ac potentiæ, non autem natura atque substantia.

Resp. Nego antecedens. Ad probationem, nego pariter ex argumento Christi sequi id quod infertur. Namque eò loci non tam de natura & substantia, quàm de nomine & appellatione Dei agitur: neque enim Christus exemplo Judicum & Justorum, qui Dii appellantur, se natura & substantiæ Deum esse ostendit; sed hoc unum, potuisse meritò sibi nomen Dei arrogare, nec propterea blasphemiæ reum esse, ut falsò Judæi calumniabantur: quia in Lege ipsa homines nonnulli Dii appellantur. Arguit igitur Judæos argumento, ut dicitur, ad hominem, & à minori ad majus. Nempè si multi in Lege vestra Dii appellantur, & quidem sine blasphemia, quare me blasphemiæ accusatis, quòd me Deum dixerim? Si qui Justi sunt & sancti, objustitiam illam & sanctitatem Dii nuncupantur: *Quare quem Pater sanctificavit & misit in mundum*, Deus non appellabitur? Deinde directè probat se Deum esse, ex operibus & miraculis quæ quotidie apud ipsos & in eorum gratiam operabatur. *Si non facio opera Patris mei*, ait v. 37. *nolite credere mihi*. Et v. 38. *Si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre.*

Objicies 2. Sunt in Deo plures personæ realiter distinctæ; ergo & plures Dii. Consequens probatur, quia unaquæque persona Deus est.

Resp. Nego consequens. Ad probationem distinguo. Unaquæque persona Deus est, unus & indistinctus, quia nempè una est numero in tribus divinis personis natura & essentia divina, concedo: unaquæque persona Deus est distinctus ac divisus, nego.

Instabis 1. Personæ divinæ à se invicem distinguuntur; ergo si quælibet Deus est, sunt tres Dii.

Resp. Distinguo antecedens. Personæ divinæ à se invicem distinguuntur, personalitate, concedo: substantia & natura, nego. Unde negatur consequens: pluralitas enim Deorum, ex pluralitate saltem numerica & individuali naturæ & substantiæ divinæ nasci deberet. Cùm ergo in divinis unica sit numero natura & substantia, tres personæ non nisi unum numero Deum efficiunt: è contra, cùm ratio personalitatis in Deo multiplicetur, idcircò sunt tres personæ.

Instabis 2. Ex communi definitione, persona est rationalis naturæ indi-

vidua

vidua ſubſtantia; ergo cùm ſint tres in Deo perſonæ, ſunt etiam tres individuæ ſubſtantiæ, adeoque tres Dii.

Reſp. Diſtinguo antecedens. Perſona definitur rationalis naturæ individua ſubſtantia, ita ut nomine ſubſtantiæ directè ac expreſsè intelligatur modus & terminatio ſubſtantiæ ſeu naturæ, hoc eſt, ipſa ſubſiſtentia & perſonalitas, concedo: ita ut nomine ſubſtantiæ intelligatur natura & eſſentia, nego. Igitur in definitione perſonæ, vox *ſubſtantia* primariò, directè & expreſsè ſignificat ſubſiſtentiam & perſonalitatem, unde dicitur individua ſubſtantia, hoc eſt, incommunicabilis alteri tanquam ſuppoſito: non verò ſignificat niſi indirectè ac ſecundariò ipſam naturam & eſſentiam. Ex quo quidem rectè colligitur, tres eſſe in Deo diſtinctas perſonas, quia tres ſunt diſtincti ſubſiſtendi modi, ſeu tres ſubſiſtentiæ & perſonalitates; ſed non ſequitur tres eſſe Deos, quia una eſt numero in tribus perſonis natura & eſſentia.

Inſtabis 3. Subſiſtentiæ ſeu perſonalitates in Deo, non ſunt haud dubiè quid negativum, ſed poſitivum aliquid ſonant, adeoque veras perfectiones; ergò cùm tres ſint hujuſmodi ſubſiſtentiæ, & quidem realiter diſtinctæ, tres quoque ſunt perfectiones, adeoque & entitates diſtinctæ, & conſequenter tres naturæ numero diſtinctæ; & ita tres Dii.

Reſp. Subſiſtentiam & perſonalitatem in Deo expreſsè ac directè exprimere dumtaxat reſpectum ſeu relationem ad aliam perſonam; & quidquid in tribus divinis perſonis perfectionis ineſt, totum illud planè ab eſſentia ſeu natura divina profluere, & ab ea indiſtinctum eſſe: quapropter tres ſubſiſtentiæ tres in Deo diſtinctas numero perfectiones & entitates non efficiunt, ſed unam dumtaxat entitatem ſeu naturam & eſſentiam divinam quæ perfectiſſima eſt, fons & origo omnium perfectionum. *Omnia quæ habet Pater*, ait eximiè S. Joan. Damaſc. L. 1. Orthodoxæ fidei c. 8. *Filii ſunt, hoc uno excepto quòd ingenitus non eſt; quæ quidem vox, nec naturæ diſcrimen, nec dignitatem, ſed ſubſiſtendi modum indicat.* *Ed. no. To. 1. p. 135. b.*

Inſtabis 4. Etſi quælibet perſona divina ſit infinitè perfecta, ſunt tamen numero plures: quidni pariter plures Dii eſſe poſſunt, tametſi natura divina ſit infinitè perfecta?

Reſp. Nego conſequentiam & paritatem. Diſparitas eſt, quia, ut jam dictum fuit, nomen perſonæ in divinis non importat perfectionem ſimpliciter ſimplicem & infinitam in omni genere, niſi per identitatem realem cum eſſentia divina, quæ ſola eſt ens ſimpliciter perfectum; ſed tantùm reſpectum ſeu relationem ad aliam perſonam aut productam aut producentem, ſeu ut loquitur S. Joan. Damaſcenus mox laudatus: *exiſtentiæ modum*. Nulla ergo perſonalitas divina ſecundùm ſe conſiderata, eſt infinitè perfecta ſimpliciter, ſed tantùm ſecundùm quid, videlicet in ſuo genere: puta paternitas eſt infinitè perfecta in genere paternitatis; filiatio in genere filiationis; ſpiratio paſſiva, in genere ſpirationis paſſivæ. Neque una eſt, aut dici poteſt altera nobilior & perfectior, v. g. paternitas, filiatione aut ſpiratione paſſiva, ſed omnes æqualiter ſunt in ſuo genere perfectæ. Non enim ex defectu virtutis & potentiæ fit quòd Filius v. g. alterum Filium non generet, & Spiritus ſanctus alterum Spiritum ſanctum non producat; imò potius ex ſummâ & infinita Dei perfectione, quia ſcilicèt duplici illa proceſſione & Filii & Spiritus ſancti, utpotè infinita, tota exhauritur divinæ naturæ infi-

nita

nita fœcunditas. Porrò Deus non eſt infinitè perfectus ſecundùm quid & in aliquo dumtaxat genere, ſed ſimpliciter & in omni genere; ideoque neceſſe eſt, ut vel formaliter, vel eminenter contineat omnes perfectiones poſſibiles: ex quo fit, ut neque ſuperiorem habere poſſit, neque parem, ſed unicus eſſe debeat & ſingularis ſecundùm naturam.

Inſtabis 5. Infinitudo perfectionis non tollitur niſi per defectum perfectionis ſimpliciter ſimplicis; ita ut ens illud ſit infinitè perfectum, quod in ſe adunat omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem: atqui tametſi plures eſſent Dii, nullus tamen illorum careret ulla perfectione ſimpliciter ſimplici; ergo tametſi eſſent plures Dei, adhuc tamen quilibet eſſe ſummè perfectus.

Minor probatur. Si eſſent plures Dii ſolo numero diverſi, unus careret tantùm perfectione individuali quam haberet alter, & viciſſim: at differentiæ illæ individuales non ſunt perfectiones ſimpliciter ſimplices, ſed tantùm perfectiones ſecundùm quid, quemadmodum & ipſæ divinæ perſonalitates. Sicut enim iſtæ ſunt tantùm perfectiones ſecundùm quid, eò quòd una non ſit altera ipſi oppoſita melior, & cum ipſa ſit incompoſſibilis; ita differentia individualis cujuſcunque Dei eſſet perfectio ſecundùm quid, quia una non eſſet melior alia ipſi oppoſita & cum illa foret incompoſſibilis; ergo quamvis eſſent plures Dii ſolo numero diverſi, nullus tamen careret aliqua perfectione ſimpliciter ſimplici; ergo ratio infinitudinis ſecundùm perfectionem, non obſtat Deorum pluralitati.

Reſp. Nego majorem. Ad hoc enim ut res aliqua ſit infinitè ſeu ſummè perfecta ſimpliciter, non ſufficit ut habeat omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem; ſed requiritur inſuper, ut in ſe contineat aut formaliter, aut eminenter omnem perfectionem poſſibilem, tam ſimpliciter ſimplicem, quàm ſecundùm quid. Nam ſi poſſibilis eſt aliqua perfectio ſive ſimpliciter ſimplex, ſive ſecundùm quid, quam res illa nullo modo contineat, non poteſt dici ſimpliciter & abſolutè ſummè perfecta, cùm poſſit adhuc perfectior excogitari; illa nimirum, quæ vel formaliter, vel eminenter omnem perfectionem poſſibilem comprehendit: atqui ſi forent plures Dii, nullus eſſet inter illos qui aut formaliter, aut eminenter contineret omnem perfectionem poſſibilem; nullus enim foret qui contineret formaliter in ſe perfectiones illas per quas alii Dii ab ipſo diſtinguuntur, alioqui non eſſet ab illis diverſus: neque contineret eas eminenter; nam ut res aliqua dicatur continere eminenter aliquam perfectionem, requiritur ut ſit ea nobilior atque ſublimior, & ratione hujus majoris perfectionis illam poſſit efficere: atqui nullus eſſet inter Deos illos, qui foret cæteris perfectior, quique eoſdem poſſet producere, alioqui ſolus ille Deus eſſet, reliqui verò ad conditionem creaturarum dejicerentur; ergo nullus eſſet inter Deos illos ſummè perfectus, ac proinde nullus illorum foret verus & per extellentiam Deus.

Inſtabis 6. Nullius planè momenti eſſe videtur ad probandam Dei unitatem, ratio quam ex ſingularitate Dei inter probationes noſtras deduximus: quia nempe datur aliquid ſingulare ac neceſſariò exiſtens, quod tamen ex ſe multiplicari poteſt & reipſa multiplicatur, ſcilicèt ratio perſonalitatis in Deo: perſonalitas enim divina ſecundùm ſe non eſt ens potentiale ſeu contingens; ergo eſt eſſentialiter ens actuale ſeu neceſſariò exiſtens, & tamen in tribus perſonis divinis multiplicatur.

Reſp.

Resp. Nego antecedens. Ad cujus probationem dico rationem communem personalitatis in Deo secundùm se spectatæ & præcisæ à personalitatibus divinis particularibus, neque esse ens potentiale, neque ens actuale; sicut ratio substantiæ secundùm se, ut præcisa à differentiis particularibus, neque est ens actuale, neque ens potentiale, sed ab utroque præscindit. Est igitur essentialiter divina personalitas, ens ultimò complens & terminans naturam divinam in ratione substantiæ, abstrahendo an sit ens potentiale vel actuale. Quòd verò realiter & physicè sumpta, sit ens necessariò existens, non autem ens contingens, id non tam repetitur ex ipso conceptu personalitatis, quàm ex ipsa natura divina, quam ultimò complet in ratione substantiæ. Modus enim sequitur naturam rei cujus est modus; ideoque si res, cujus est modus, necessariò existit, modus pariter qui eam necessariò afficit, debet necessario existere; si existit contingenter, modus qui eam afficit, est realiter ens contingens. Quocirca, cùm personalitas divina sit veluti modus afficiens naturam divinam, hinc fitut realiter nec essariò existat: quia natura divina, quam afficit, necessariò existit: ergo necessitas existendi in divina personalitate, non petitur ex conceptu illius essentiali, sed ex ipsa natura divina quam afficit, quæ est ens essentialiter existens: ergo falsum est, dari posse rationem aliquam multis communem cum sui multiplicatione, quæ secundùm se & in conceptu suo proprio & essentiali sit ens necessariò existens.

Objicies 3. Tot admittendi sunt Dii, quot prima rerum principia: atqui duo saltem admitti debent rerum principia, unum bonum, alterum verò malum: quia tot admittenda sunt principia, quot sunt effectus varii & oppositi; quot leges contrariæ & inter se pugnantes; quot creaturæ rationalis fines diversi: atqui multi sunt effectus varii & oppositi, qui ab uno & eodem principio esse non possunt. Sunt enim effectus quidam mali v. gr. in physicis, serpentes, feræ humani sanguinis avidæ, venena &c. in moralibus peccata, enormia facinora in perniciem reipublicæ nata; quæ certè omnia ab uno bono principio esse non possunt. Sunt etiam effectus oppositi, v. g. corpus & anima: continua quippe est carnis adversùs spiritum rebellio; perpetua & intestina inter utramque illam hominis partem pugna & dissentio. Sunt etiam leges contrariæ: Vetus tota erroris est ac vindictæ, Nova autem mansuetudinis & misericordiæ: Vetus occidit, Nova vivificat: Vetus continet *præcepta non bona*, Nova autem optima amoris & dilectionis Dei mandata, quæ efficiunt jugum Christi suave, & onus illius leve. Denique diversi sunt creaturæ rationalis fines: felicitas ex una parte, ex altera verò gehenna; nec satis intelligi potest, qua ratione Deus, cujus natura bonitas, homines ad sempiternum interitum & nusquam finienda supplicia creare potuerit. *Ezech. c. 20. v. 25.*

Resp. Nego minorem. Unicum enim est rerum omnium principium, & consequenter unus Deus. Effectus varii & oppositi possunt esse ab eadem causa universali.

Ad probationem nego majorem.

1. Effectus varii & oppositi esse possunt ab eadem causa, si non secunda, saltem prima & universali, qualis Deus est, qui ad manifestandas omnipotentiæ suæ divitias inexhaustas, ad mundi ornatum, plura dissimilia & diversa producit, inter quæ profectò nihil est absolutè & in se malum. *Vidit enim*

enim Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona. Gen. 1. v. 31.

In phyſicis ergo nihil eſt abſolutè malum. Serpentes enim, feræ, venena &c. ſi aliquibus nocent, aliis non nocent, ſed potius remedia ſunt: quòd autem aliquibus noceant, in pœnam peccati eſt; quæ pœna nonnihil etiam fructus habet & utilitatis. Per illam enim Juſtitia Dei declaratur; induſtria hominis excitari, patientia exerceri, peccati gravitas oſtendi, dolor ac pœnitentia peccantis commoveri poteſt.

In moralibus quidquid boni eſt ac recti, à Deo eſt, quidquid verò mali ab homine. *Deus etenim intentator malorum eſt.* Jacobi 1. v. 13. Neque enim malum formaliter ſumptum, veram habet efficientem cauſam, ſed deficientem potius, cùm ſit mera rectitudinis privatio.

Cùm igitur Iſaiæ 45. v. 7. Deus dicitur, *Faciens pacem & creans malum.* Et Amos 3. v. 6. *Si erit malum in civitate quod Dominus non fecerit.* Malum illud, non naturæ, multò minùs culpæ malum eſt, ſed tantùm pœnæ, in vindictam & ultionem criminis à Deo juſto inflictæ; quæ ſic conſiderata, boni rationem induit: bonum quippe eſt ac juſtum puniri malos, vel ut convertantur, vel ut eorum exemplo alii in officio ſeſe contineant.

Objectio. At, inquies, malum iſtud pœnæ ſupponit malum culpæ ſeu peccatum, quod quidem à Deo bono ac clemente ne quidem permiſſivè eſſe poteſt: quippe divinam non decet benignitatem ac potentiam illud malum non avertere, ut poteſt, ex quo prænovit homines in tantam miſeriarum ac calamitatum voraginem pertrahendos fore.

Reſpõſio. Hæc quidem prævidit Deus, & tamen permiſit: 1. Quia proviſor eſt generalis, ad quem pertinet & boni productio, & permiſſio mali. 2. Quia ex malo etiam bona novit eruere; imprimis ex permiſſione peccati, Filii ſui Incarnationem, quæ omnium bonorum præſtantiſſimum eſt. 3. Quia certas & univerſales leges ſtatuit, quas infringere & immutare non tenetur. 4. Quia hominem liberum creavit, & dimiſit in manu conſilii ſui: ante ipſum enim appoſuit ignem & aquam, id eſt bonum & malum, ut quod vellet eligeret, oblata ipſi gratia ab bonum proſequendum & fugiendum malum neceſſaria; atque etiam propoſito æternæ felicitatis præmio ſi benè, æterno vero ſupplicio, ſi malè ageret. Quid verò ſapientius? quid æquius & ad laudem ſupremi proviſoris opportunius? Culpa igitur hominis eſt, ſi miſerè pereat; beneficium verò Creatoris & Redemptoris, ſi æternùm vivat. 5. Denique, quia in diſpenſatione donorum ſuorum Deus occultas habet, atſemper juſtas providentiæ ſuæ cauſas & rationes, quas homo vilis adorare pronus debet, nuſquam curioſiùs rimari ac ſcrutari.

Altera objectio. Dices iterum, Si rerum viſibilium Creator Deus eſſet bonus, non admiſiſſet procul dubio ad mulierem, diabolum à quo deluſa illa fuit, & ad peccandum inducta. Iſtudne mihi alienum omnino videtur à bonitate & clementia Dei, qui quod inde futurum erat malum certiſſimè prævidebat: à malo itaque principio fuit, quòd à diabolo tentata fuerit omnium mulierum prima.

Magis adhuc urget argumentum, ab exemplo malorum Angelorum, qui in ſumma felicitate temporali conſtituti, & nulla exteriùs premente tentatione peccaverunt: unde porrò tale peccatum? Non à bono certè principio; ergo à malo.

Reſp. Deum permiſiſſe diabolo ut mulierem tentaret, non ea quidem inten-

intentione, nec eo fine ut illa peccaret, abſit; ſed ut recto ſuæ libertatis uſu Dei mandato obtemperans, & obedientiæ meritum, & æternæ felicitatis præmium ex tentatione reportaret. At libertate ſua malè utendo, ſe ipſam ac virum ſuum, quem ſeduxit, & cum ipſo totum genus humanum in ruinam perduxit. Verùm, fœlix ſaltem in eo culpa, quæ Chriſtum meruit habere Redemptorem. Ita certè nullum malum eſt, ex quo præpotens Deus bonum aliquod non eliciat: ſic impii qui divinæ clementiæ ac miſericordiæ ſe ſubducunt, in ejus incidunt juſtitiam, quam proprio ſuo damno commendant & illuſtrant. Angeli mali nulla quidem externa tentatione, imò nec etiam concupiſcentia, aut alio quodam pravo affectu naturali, inducti ſunt ad peccandum, cùm à Deo in juſtitia originali conditi fuerint omnibus naturæ & gratiæ donis abundè cumulati. Unde ergo ſtupendus eorum lapſus? Ex libero eorum arbitrio: Ex nativa ipſa conditione creaturæ, quæ cùm ſit ex ſe defectibilis, utpote ex nihilo educta, deficere poteſt, & reipſa defecit & in Angelis quibuſdam, & in Adamo; tametſi in ſtatu perfectæ juſtitiæ & innocentiæ à Deo creati fuiſſent.

Pugna corporis & animæ.

2. Pugna illa & diſſenſio quæ eſt corpus inter & animam, non à Deo venit, ſed à peccato. *Deus enim ab initio fecit hominem rectum*, qui ſi in acceptа juſtitia perſeveraſſet, ut poterat, rebellionem illam carnis adversùs ſpiritum nunquam expertus fuiſſet. Hæc quippe erat juſtitiæ originalis ratio & natura, ut quamdiu anima Deo ſubjecta remaneret, corpus ipſum animæ ſubjectum ac mancipatum quieſceret.

Leges contrariæ.

3. Falſum eſt pugnare inter ſe utramque Legem Veterem & Novam; tametſi Nova ſit Veteri perfectior: Vetus umbra & figura fuit; Nova, veritas ipſa. In utraque occurrunt comminationes & pœnæ: in Veteri quidem frequentiores, pro indole priſci populi; in Nova minùs frequentes, aliquando tamen ſeveræ, ut patet in Anania & Saphira ſubita morte, ob mendacium correptis. In utraque optima ſunt præcepta moralia: quale iſtud eſt in veteri Lege, *Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo, &c.* & alia in Decalogo contenta: unde lex ſancta & immaculata dicitur, quam Chriſtus non venit ſolvere, ſed adimplere. *Act. 5.*

Cùm igitur præcepta Veteris Legis dicuntur *non bona*: cùm Vetus Teſtamentum dicitur, *culpa non vacaſſe*: *& occaſionem peccato dediſſe*, ſenſus non eſt, ea præcepta mala in ſe abſolutè fuiſſe; ſed comparatè dumtaxat non ita bona, ac præcepta Evangelica: multa quippe in Veteri Lege fuere præcepta cæremonialia gravia & oneroſa. Vel dicuntur *non bona*: tùm quia Lex Vetus ex ſeſe gratiam non conferebat: tùm quia tunc temporis parcior erat gratia, ſine qua, ut par eſt, præcepta obſervari non poſſunt. *Lex enim per Moyſen data eſt; gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt.* Unde vetera Sacramenta, *infirma & egena elementa dicuntur* ab Apoſtolo. Nihil enim ad *perfectum adduxit Lex*; nempe ex ſe ipſa, & à Chriſto ſejuncta. Per gratiam enim Chriſti, quæ Judeis omnino non defuit, multos ad perfectam Juſtitiam & ſanctitatem perveniſſe conſtat. Hoc ipſo ſenſu, Vetus Teſtamentum dicitur *culpa non vacaſſe*; id eſt, non ita perfectum fuiſſe ac Novum: aliàs, ut rectè infert Apoſtolus, *Non utique ſecundi locus inquireretur.* At longè diſtant hæc duo, nempe aliquid malum eſſe in ſe, aut eſſe minùs perfectum comparatè ad aliud. Mali quidem nuſquam auctor eſt Deus,

Exech. 20. 25. *Heb. 8. 7.* *Rom. 7. 8.* *Joan. 1. v. 17.* *Galat. 4. v. 9.* *Heb. 7. v. 19.*

Deus, tametsi unicuique rei non omnem perfectionis gradum impertiatur; sed eum dumtaxat qui ad finem quem sibi Deus constituit, consentaneus est: ita Vetus Testamentum minùs quidem perfectum est, at non in se absolutè malum. Pariter Lex Vetus peccato occasionem dedit: *Occasione accepta*, ait Apostolus Rom. 7. v. 8. & 9. *peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat.* Verùm non ex se, propriaque natura Lex peccato dedit occasionem, sed per accidens tantùm, propter infirmitatem & malitiam hominis *qui nititur in vetitum*: aliàs, Lex peccatum foret, quod negat Apostolus ibid. v. 7. *Quid ergo dicemus?* ait, *Lex peccatum est? absit. Sed peccatum non cognovi nisi per legem: nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, non concupisces.* Sed de hoc argumento fusiùs ubi de legibus.

4. Deus non alium homini finem ultimum in creatione præfixit, quàm æternam felicitatem, si nempe in accepta justitia perseverare voluisset. Quòd si peccato provocatus Deus, hominem contumacem & in peccato suo morientem æternis addicat suppliciis, ad ejus justitiam pertinet; nec inde meritò inferri potest duo esse principia, unum bonum, felicitatis; alterum verò malum, suppliciiauctorem. Idem quippe Deus, ut bonus dona sua coronat; ut justus, peccata ulciscitur ac punit.

Objicies denique. Multa leguntur à diis Gentilium patrata miracula: multi depulsi ac sanati graviores & insanabiles morbi: multa quæ futura erant, spiritu prophetico præcognita; ergo dii veri illi erant.

Resp. Hæc omnia aut ficta esse, aut si aliqua ex parte vera, summæ dæmonum industriæ & perspicaciæ adscribenda esse, *qui cùm nocere desinunt*, ut ait Tertull. *sanare videntur*.

QUÆSTIO SECUNDA.

De natura Dei.

VEl ipsa præsentis Quæstionis inscriptio foret omittenda, si quis perfectam & accuratam naturæ Dei descriptionem hic à nobis expectaret. Periculosa certè ac laboris plena quæstio est, *quid sit Deus?* ait S. Aug. L. 1. de Trin. c. 3. *Neque periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius invenitur.* T. 8. p. 752. A. Quantum enim facile est & obvium nosse quòd sit Deus, tantum difficile est dicere quid sit. *Deus enim est qui cùm dicitur, non potest dici: cùm æstimatur, non potest æstimari: cùm definitur, ipsa sua definitione crescit. . . quem totum omnia nescunt, & metuendo sciunt,* Ed. no. App. p. 352. E. ait S. Ambrosius, aut quisquis auctor est Libri de fide orthodoxa, in Appendicem Operum S. Ambrosii rejecti.

Dementia fuit in Aetio ejusque discipulo Eunomio planè singularis, affirmare tam sibi perfectè cognitam esse Dei naturam, quàm vel ipsi Deo cognita sit. Adversùs impietatem hanc & dementiam, stylum ex professo exacuere SS. Basilius, Gregorius uterque Nyssenus & Nazianzenus. Huic errori confutando hic non immorabimur, adeo per se ruit & absurdus est. *Quæ enim Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei*, ait Apostolus 1. Cor. 2. v. 11. Nonnulla autem hic ad Quæstionis nostræ elucidationem præmittenda.

Observan-

Observandum primò: imperfectam saltem aliquam divinæ naturæ cognitionem nos hac in vita consequi posse, & quidem via, ut ajunt, triplici; scilicèt negationis, affirmationis, & excellentiæ.

Via negationis, per quam longè faciliùs dicitur quid non sit Deus, quàm quid sit. *Intendat charitas vestra*, inquiebat S. Augustinus in Psal. 85. nu. 12. *Deus ineffabilis est, facilius dicimus quid non sit, quàm quid sit. Tertam cogitas? non est hoc Deus. Mare cogitas? non est hoc Deus .... Hæc solùm potui dicere; quid non sit. Queris quid sit? Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.* T. 4. p. 907. n. 12. B.

Via affirmationis, cùm de Deo aliquid affirmamus, detractis etiam imperfectionibus quibuscumque. Ita cum eodem S. Aug. L. 5. de Trinit. c. 1. dicimus: *Deum sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia Createrem, sine situ præsidentem, sine habitu omnia continentem, sine loco ubique totum, sine tempore sempiternum, sine ulla sui mutatione mutabilia facientem utilque patientem.* T. 8. p. 833. n. 2. B. C.

Via excellentiæ Deum concipimus, cùm creatas omnes perfectiones in ipso longè nobiliori & excellentiori modo ineśse affirmamus. *Omnem enim creaturam suam excedit*, ait idem S. Aug. Serm. 384. de Trinit. aliàs 1. de verbis Apostoli, *omnem facturam præterit, universa præcellit: si enim quæras magnitudinem, major est; si pulchritudinem, pulchrior; si dulcedinem, dulcior; si splendorem, fulgidior; si justitiam, justior; si fortitudinem, fortior; si pietatem, clementior. Nulla enim ratio patitur, ut vel facturа factori suo æquetur, vel opus artifici comparetur: sicut legitur in Propheta. Qui fecit fortia, fortior est; & qui fecit pulchra, pulchrior illis est.* T. 5. p. 1485. n. 1. E. F. Sap. 13.

Observandum secundò: Quòd etsi simplicissimus sit Deus, & quidquid in eo deprehenditur, sit ipsamet realiter & identicè divina essentia, nihilominus Theologi ad sublevandam humani ingenii, ubi de Deo disserit, infirmitatem, nonnihil distinguunt inter naturam ejusque proprietates seu attributa: atque etiam inter ista, dicunt alia essentialia esse & quidditativa prædicata, quæ, ut loquuntur Dialectici, prædicantur in quid; qualia sunt ista v. g. esse subsantiam, esse vivens, esse spiritum: alia verò qualificativa, quæ nimirum prædicantur in quale, & per modum adjacentis; cujusmodi sunt omnia attributa quæ per modum proprietatis ab essentia tanquam à radice fluere seu dimanare intelliguntur, v. g. simplicitas, immensitas, æternitas, &c.

Quæstio igitur præsens, quæ mera est Scholæ exercitatio ad fidem minimè pertinens, in eo unicè versatur: scilicèt quænam nobis de Deo cogitantibus prima occurrat perfectio, quæ, secundùm nostrum concipiendi modum, naturam ipsius constituere intelligatur: seu quis sit gradus constitutivus, vel differentia essentialis & specifica divinæ naturæ?

Tres autem conditiones requiruntur in gradu constitutivo, seu differentia essentiali rei alicujus: nempe ut sit propria rei quam constituit & à qualibet alia distinguit: ut sit prima & radix aliarum proprietatum seu perfectionum: denique ut sit adæquata, totumque id complectatur quod est de conceptu rei quidditativo.

ARTI-

ARTICULUS UNICUS.

Quisnam sit gradus constitutivus, seu differentia essentialis divinæ naturæ?

TRes sunt pervulgatæ circa rem præsentem opiniones Scholæ.

Prima assignat pro gradu constitutivo divinæ naturæ intellectionem; quæ quidem duplex excogitari potest: nempe vel radicalis, seu vis ipsa, hoc est potentia intelligendi; vel ipsamet actualis & quidem purissima intellectio, considerata non quidem sub conceptu operationis, ait Gonetus, sed sub conceptu formali ultimæ actualitatis completæ, & per se subsistentis in genere intellectuali. Postrema hæc opinio communior videtur esse inter Thomistas, tametsi obscura illa & implicata Goneti loquendi ratione vulgò non utantur: quibus sufficit asserere intellectionem in actu purissimo gradum esse specificativum divinæ essentiæ. Ab ista communi Thomistarum sententia hic recedit Vincentius Contensonius Tom. 1. Dissertatione 2. c. 2. Speculatione 1.

Secunda sententia statuit infinitatem gradum esse quo divina natura constituitur & ab alio quolibet distinguitur. Triplex autem vulgò distinguitur infinitas, nempe materialis, formalis & radicalis. Infinitas materialis est complexio seu collectio omnium perfectionum in Deo. Infinitas formalis, est carentia omnimoda termini & limitationis: seu modus est qui omnes Dei perfectiones afficit; quælibet enim illarum in ordine suo infinita est. Infinitas denique radicalis, est radix, aut, si malueris, est exigentia omnium planè perfectionum. Hæc verò infinitas, si propiùs inspicatur, non est quid distinctum à necessitate essendi, seu ab independentia, & aseitate omnimoda, quæ importat entis plenitudinem, totalitatem & universalitatem.

Tertia denique opinio assignat pro gradu constitutivo & distinctivo divinæ naturæ, aseitatem omnimodam, seu independentiam, quæ triplex quoque distinguitur; nimirum independentia ab alio, tanquam à causa; ab alio, tanquam à principio producente; & ab alio, tanquam à radice seu fundamento. His præmissis, sit

PRIMA CONCLUSIO.

Nec intelligendi vis & facultas, nec ipsa intellectio actualis, videtur esse gradus constitutivus, seu differentia essentialis divinæ naturæ.

Probatur. Quia desunt tres conditiones mox enumeratæ ac necessariæ ad gradum rei alicujus constitutivum.

I. Nec vis intelligendi, nec actualis intellectio ita Deo propria est, ut creaturæ intellectuali, Angelo nempe & homini, communicari non possit: reipsa enim Angelus & homo pollent vi seu facultate intellectiva, & actuali intellectione.

II. Vis intelligendi & actualis intellectio non est in Deo prima perfectio, nec radix aliarum. 1. Quia aliquid se prius, nostro concipiendi modo, supponunt: facultas scilicet, naturam, cujus facultas est; & operatio, ipsam

& fa-

& facultatem & naturam. Priùs enim concipitur natura, quàm ejus facultas & priùs facultas, quàm ejus exercitium seu operatio. Deinde omnis cognitio suum objectum præsupponit: ergo actualis Dei cognitio suum præsupponit objectum, ipsam nimirum divinam essentiam: ergo actualis illa Dei intellectio qua se ipsum cognoscit, supponit essentiam divinam nostro concipiendi modo jam constitutam.

2. Vis intelligendi & actualis intellectio non est radix aliarum Dei perfectionum. Quæ enim est ista consecutio? Deus actu intelligit, & quidem intellectione purissima: ergo bonus est, justus, æternus, immensus &c.

Nec dicas intellectionem, præcisè ac formaliter ut est intellectio seu Dei operatio, habere ut sit prima in Deo perfectio ac radix aliarum, sed quatenus est intellectio in actu purissimo posita; seu ut loquitur Gonetus, *Intellectio actualis sub conceptu operationis, non est gradus constitutivus divinæ essentiæ, sed sub conceptu formali ultimæ actualitatis completæ & per se subsistentis in genere intellectuali.*

Namque 1. Intellectio actualis non habet ex sua ratione formali, quòd sit maximè actualis, purissima, & infinita, sed id habet ex natura ipsa Dei; seu, ut ajunt, identicè, quia est intellectio Dei: supponit ergo Dei naturam jam constitutam, seu gradum aliquem primum ex quo fluat illa summa actualitas & perfectio divinæ intellectionis.

2. Vix intelligitur quod ait Gonetus, intellectionem actualem, prout est operatio, non constituere divinam essentiam, sed prout est formalis ultima, completa, & per se subsistens in genere intellectuali: quasi actualis intellectio non foret formaliter & explicitè operatio; aut ab intellectione actuali, etiam per mentem separari posset operatio. Deinde, intellectio ut est ultimus actus naturæ intelligentis, vel distinguitur formaliter à ratione operationis, vel non: si non distinguitur, ergo ab ea non præscindit: si distinguitur, ergo intellectio non est perfectissima & actualissima; si quidem concipitur carere ratione operationis sibi propria.

III. Denique: vis intelligendi & actualis intellectio non est perfectio adæquata, quæ totum id complectatur quod est de conceptu divinæ naturæ: etenim in suo conceptu nec voluntatem, nec volitionem includit, quæ tamen Deo æquè essentialis est ac ipsa intellectio.

Dices 1. Substantiæ viventis & intelligentis, qualis Deus est, differentia essentialis debet esse gradus vitæ & intellectionis perfectissimus: atqui talis est intellectio actualis purissima; ergo &c.

Resp. Distinguo antecedens. Si gradus ille primus sit, & radix aliarum perfectionum Dei, si adæquatus, concedo: secus, nego. Porrò gradus ille actualis intellectionis, neque primus est, nec radix aliarum perfectionum Dei, nec adæquatus.

Dices 2. S. Thomas 1. p. q. 14. ar. 4. docet intellectionem esse ipsammet Dei essentiam.

Resp. Distinguo antecedens. S. Thomas docet intellectionem esse ipsammet Dei essentiam, identicè & realiter; quia nempe operatio Dei immanens, non est aliquid Deo adventitium & accidentale, sed ipsamet Dei substantia & essentia, concedo: docet intellectionem esse ipsamet Dei essentiam formaliter, prout essentiæ nomine intelligitur perfectio quæ sit

prima, propria, adæquata, & radix aliarum, nego. De hac enim quæstione non agit S. Thomas loco citato; sed tantùm de operatione Dei, quam ab ejus natura & essentia distinctam non esse rectè demonstrat.

Dices 3. Sententia quam hic oppugnamus longè opportunior & commodior videtur explicando mysterio SS. Trinitatis, præsertim verò discrimini quod statui debet inter generationem Filii, & processionem Spiritus sancti. Facilè quippe exponitur discrimen illud, si dicatur idcirco Verbum divinum esse Filium, quia vi suæ processionis formaliter habet ipsam divinam essentiam, nempe intellectionem; Verbum quippe terminus est intellectionis paternæ: quod quidem in Spiritu sancto non occurrit, qui terminus est dumtaxat volitionis, non autem intellectionis.

Resp. Nego antecedens. Imò potiùs, sententia quam hìc impugnamus, adversatur communi Theologorum doctrinæ circa mysterium SS. Trinitatis. Docent enim 1. Duplicem esse in Deo processionem, cujus duplex distinguunt principium: unum remotum & commune, nempe naturam: aliud verò proximum & proprium, nempe intellectum & voluntatem. Docent 2. Processionem Verbi fieri per intellectum, adeoque veram esse ac dici debere generationem, quia fit per facultatem quæ formaliter est assimilativa: processionem verò Spiritus sancti fieri per voluntatem, quæ simpliciter dicitur processio, non generatio, quia voluntas vi suæ propria atque formali non assimilat sibi terminum, sed tantùm unit ac copulat. Porrò si vel intelligendi vis, vel actualis intellectio assignetur pro gradu qui constituat divinam essentiam; hæc duo corruunt: 1. Nulla erit amplius distinctio principii processionum in Deo remoti ac proximi, ut per se patet. 2. Intellectus aut intellectio erit principium processionis Spiritus sancti, non minùs quàm Verbi; quia scilicet utriusque processionis principium est ipsa Dei natura, quæ in opinione eorum, quos refellimus, consistit formaliter vel in ipsa intelligendi facultate, vel in ipsa intellectione actuali. Verùm de hoc argumento fusiùs & ex professo, ubi de SS. Trinitatis mysterio.

SECUNDA CONCLUSIO.

Infinitas sive materialis, sive formalis non videtur esse gradus formaliter constitutivus divinæ essentiæ.

Probatur 1. de infinitate materiali. Tum quia gradus ille divinæ naturæ constitutivus, est specialis aliqua perfectio; & quidem, nostro concipiendi modo, prima & radix cæterarum: atqui talis non est infinitas materialis, quæ magis dici debet omnium perfectionum divinarum complexio, quàm singularis aliqua perfectio ex qua cæteræ defluant seu dimanent.

Probatur 2. de infinitate formali, Tùm quia hæc modus quidam est afficiens omnes divinas perfectiones, quarum quælibet in ordine suo est infinita: at modus hujusmodi non videtur assignari posse pro gradu constitutivo divinæ naturæ, siquidem supponit naturam jam constitutam: tùm quia ipsamet essentiæ divinæ infinitas rectè probatur ex ipsius independentia seu existendi necessitate. Idcirco enim Deus infinitus est in omni perfectionis genere, quia est ens necessarium & independens: Ens quippe necessarium & prorsus independens, limitari non potest nec restringi ad certas

quasdam

quasdam perfectiones. A quo enim restringeretur? an à se? Sed illud absurdè diceretur. Ens quippe necessarium & independens tantum est quantum esse potest; ac eo ipso imperfectum censeri deberet, quòd se ipsum aliqua perfectione aut exueret, aut privaret. An ab alio? Sed nullum agnoscit ens se superius. Igitur idcirco Deus est ens infinitum ac perfectissimum, quia independens ac necessarium. Infinitas ergo rectè probatur per independentiam: adeoque non est prima in Deo perfectio, quæ ipsius naturam & essentiam constituat.

Infinitas autem radicalis & exigitiva per quam divina essentia genus omne perfectionum exigit, non distinguitur ab ipsa aseitate seu independentia: hujusmodi enim infinitas nihil aliud esse concipitur, quàm entis necessitas, plenitudo, totalitas, universalitas: sed hoc ipsum importat & involvit aseitas seu independentia.

TERTIA CONCLUSIO.

Independentia seu aseitas omnimoda, videtur esse proprius divinæ essentiæ caracter ac gradus constitutivus.

Probatur 1. Quia sententia hæc videtur esse magis ad mentem & loquendi modum Scripturæ ac SS. Patrum. Ut enim ait S. Hilar. L. 5. de Trinit. *Nobis loquendum non aliter de Deo, quàm ut ipse ad intelligentiam nostram de se locutus est.* Per independentiam autem seu aseitatem omnimodam, intelligimus existendi necessitatem, entis plenitudinem, totalitatem & universalitatem: atqui & Scriptura, & SS. Patres assignant tanquam proprium essentiæ divinæ caracterem, illam existendi necessitatem, entis plenitudinem, &c. Ed. no. p. 866. C.

Scriptura quidem Exodi 3. v. 14. Deus Moysi interroganti quis esset, respondet: *Ego sum qui sum. Sic dices filiis Israel: Qui est misit me ad vos.* Inde est quòd Job ad designandam in Deo summam hanc entis necessitatem & plenitudinem c. 23. v. 13. ait, illum solum esse. *Ipse*, inquit, *solus est*, cujus comparatione creaturæ tanquam nihilum habentur. Psal. 38. v. 6. *Substantia mea*, inquit David, *tanquàm nihilum ante te.*

Eadem est SS. Patrum mens atque sententia.

S. Justinus in Exhortatione ad Græcos, *Deus*, inquit, *opus esse non duxit, ut se aliquo nomine designaret unus & solus existens.* Pag. 19. C.

S. Hilarius L. 1. de Trinit. ad hæc verba Exodi: *Ego sum qui sum. Admiratus sum*, inquit, *planè tam absolutam de Deo significationem, quæ naturæ divinæ incomprehensibilem cognitionem aptissimo ad intelligentiam humanam sermone loqueretur. Non enim aliud proprium magis Deo, quàm esse, intelligitur; quia idipsum quod est, neque definentis est aliquando, neque cepti.* Et in Psal. 2. *Ipse est*, ait, *qui quod est non aliunde est: in se se est, secum est, ad se est, suus sibi est, & ipse sibi omnia est.* Ed. no. p. 768. n. 5. C. D. Ibid. p. 33. nu. 13. E.

S. Hieronymus in Epistola ad Damasum 57. nunc 14. *Una est Dei & sola natura, quæ verè est*, inquit. *Id enim quod subsistit, non habet aliunde, sed suum est. Cætera quæ creata sunt, etiamsi videntur esse, non sunt: quia aliquando non fuerunt; & potest rursum non esse, quod non fuit. Deus solus qui æternus est, hoc est, qui exordium non habet, essentiæ nomen verè tenet. Idcirco & ad Moysen de rubo loquitur: Ego sum qui sum.* Ed. no. T. 4. p. 2. p. 20.

S. Ambrosius in Psal. 43. exponens citata verba Exodi: *Cognoscens*, inquit, *mentem eius Deus, non respondit nomen, sed negotium: hoc est, rem expressit, non appellationem, dicens; Ego sum qui sum; quia nihil tam proprium Dei, quàm semper esse.*

Tom. 1. p. 896. n. 19. B.

S. Augustinus in Psal. 134. *Tanquam solus sit, dixit, Ego sum qui sum. Et dices filiis Israel: Qui est, misit ad vos. Non dixit, Dominus Deus ille omnipotens, misericors, justus: quæ si diceret, utique vera diceret. Sublatis de medio omnibus, quibus appellari poßet & dici Deus, ipsum esse se vocari respondit: & tanquam hoc eßet ei nomen; Hoc dices eis, inquit, qui est, misit me.*

Tom. 4. p. 1494. n. 4. G.

S. Joannes Damascenus L. 1. orthodoxæ fidei c. 12. *Ex omnibus*, inquit, *nominibus quæ Deo tribuuntur, nullum æquè proprium videtur, atque Entis nomen: quemadmodum ipsemet, cùm Moysi in monte oracula ederet, ait: Dic filiis Israel, Qui est, misit me. Universum enim id quod est, tanquam immensum quoddam & infinitum essentiæ pelagus complexu suo continet.*

Ed. Bil. p. 275. A.

Denique S. Bernardus, ut alios omittamus, L. 5. de Consider. c. 6. *Quis est?* inquit, *non sanè occurrit melius, quàm Qui est. Hoc ipse de se voluit ponderi, hoc docuit, dicente Moyse ad populum, ipso quidem insungente: Qui est, misit me ad vos. Meritò quidem . . . . si bonum, si magnum, si beatum, si sapientem, vel quidquid tale de Deo dixeris, in hoc verbo instauratur, quod est, Est. Nempe hoc est ei eße, quòd hæc omnia eße, si & centum talia addas, non necessisti ab esse. Si ea dixeris, nihil addidisti: si non dixeris, nihil minuisti.*

Ed. Mabill. p. 450. G. D.

Probatur 2. argumento ducto ex ratione. Nempe gradus ille in Deo specificus est, constitutivus & ab alio quolibet distinctivus, qui est proprius divinæ essentiæ, qui est primus, ac cæterarum Dei proprietatum seu perfectionum radix, fons & origo: atqui talis est independentia seu aseitas perfecta & omnimoda.

1. Independentia & aseitas omnimoda divinæ essentiæ omnino propria est, quia nec competit creaturis, quæ sunt ab alio tanquam à causa efficiente; nec divinis attributis, quæ sunt ab essentia per emanationem, tanquam à radice & causa virtuali Metaphysica; nec denique divinis relationibus & personis, quæ sunt ab alio tanquam ab origine & principio: Filius nempe à Patre, Spiritus sanctus à Patre & Filio.

2. Independentia seu aseitas perfecta, est prima perfectio quæ nobis de Deo cogitantibus statim occurrit. Nomine quippe Dei, concipimus ens necessarium quo nihil melius: sed independentia seu aseitas, & necessitas entis idem omnino est; independentia igitur prima est perfectio quæ Deum, nostro concipiendi modo, in suo esse constituit & ab alio quocunque distinguit. Si enim prima non esset, eo ipso desineret esse independentia perfecta & omnimoda; quandoquidem ab alia priori perfectione tanquam à radice fluere conciperetur. Nulla quippe ratio reddi potest, cur Deus sit ens necessarium, ens à se ac planè independens: necessitas etenim existendi ita imbibitur in formali conceptu divinitatis, ut nequidem per mentem possit ab ea præscindi. E contra verò, ratio reddi potest cur Deus sit v. g. infinitus, immensus, æternus &c. quia scilicèt ens independens ac necessarium, necessariò perfectissimum esse debet, & infinitum in omni genere perfectionis; cùm à nullo possit ad certos perfectionis limites restringi, ut jam dictum fuit.

3. Deni-

3. Denique, independentia seu existendi necessitas cæterarum omnium Dei perfectionum radix est & origo, ut mox ostendimus: igitur independentia, seu perfecta & omnimoda aseitas, est proprius character & gradus specificus divinæ essentiæ.

Solvuntur Objectiones.

OBjicies 1. Gradus constitutivus divinæ essentiæ debet esse quid reale ac positivum: atqui independentia seu aseitas est quid negativum: neque enim Deus à se dicitur hoc sensu, quòd sui ipsius causa sit, ut per se manifestum est; ergo independentia seu aseitas non potest assignari pro gradu constitutivo divinæ essentiæ. Major propositio videtur manifesta: tùm quia ens reale ac positivum constitui non potest per aliquid merè negativum: tùm quia negativum illud supponit aliquid positivum, adeoque non est quid primum.

Resp. Distinguo minorem. Independentia seu aseitas est quid negativum, ratione nominis, concedo: ratione rei significatæ, nego. Res quippe significata per independentiam, est quid maximè reale ac positivum, nempe entis necessitas, plenitudo, totalitas, universalitas; uno verbo, ens perfectissimum quo nihil melius est ac cogitari potest. Licitum autem est Theologis terminis uti negativis, imò expedit magis, ut anteà dictum est, ad exprimendam divinæ naturæ magnitudinem & excellentiam, de qua longè meliùs dicitur quid non sit, quàm quid sit.

Instabis 1. Si nomine independentiæ aut aseitatis, intelligatur entis necessitas, plenitudo, totalitas &c. independentia illa non amplius à nobis consideratur ut specialis aliqua & prima in Deo perfectio, sed ut est omnis perfectio; adeoque non benè assignatur pro gradu specifico & constitutivo divinæ naturæ.

Resp. Distinguo antecedens. Si nomine independentiæ intelligatur entis necessitas, plenitudo, seu omnis perfectio, explicitè, independentia non erit amplius specialis aliqua perfectio, concedo: si nomine independentiæ intelligatur omnis perfectio, implicitè dumtaxat & in radice, nego.

Porrò, cùm Deum ut ens à se, ens necessarium ac independens concipimus, eo ipso implicitè ac conceptu quodam confuso & generali, genus omne perfectionum in eo esse intelligimus; non verò clarè & explicitè omnes & singulas cognoscimus: independentia ergo implicitè dumtaxat ac in radice, nostro concipiendi modo, est omnis in Deo perfectio; tametsi ipsamet independentia clarè & explicitè nobis videatur prima Dei perfectio, ac cæterarum radix. Quòd autem clarè & explicitè alias omnes & quaslibet divinas perfectiones non apprehendamus, in causa est, tùm ex parte Dei, summa & infinita ejus perfectio; tùm ex parte nostri, tenuitas & finita capacitas humanæ mentis.

Instabis 2. Gradus constitutivus divinæ essentiæ in eo collocandus est, quod nostro concipiendi modo perfectius videtur; Deus enim est ens perfectissimum quo nihil melius: atqui videtur quid perfectius esse, Dei naturam reponere in omni perfectione, potiùs quàm in aliqua speciali seorsim ab aliis, qualis est independentia; ergo gradus constitutivus divinæ essentiæ

non est reponendus in aseitate seu independentia, sed in omni perfectione.

Resp. Distinguo minorem. Atqui videtur perfectius esse, Deinaturam reponere in omni perfectione, potius quàm in aliqua speciali, nempe independentia, si in illa independentia tanquam in fonte ac radice, aliæ omnes Dei perfectiones implicitè saltem non contineantur, concedo: si contineantur, ut de facto contineri contendimus, nego. Diximus non semel, independentiam in suo conceptu involvere & importare, saltem implicitè ac confusè, omnem & quamlibet perfectionem possibilem.

Instabis 3. At nonne quid perfectius foret, naturam Dei in omni explicitè perfectione reponere, potius quàm in aliqua speciali?

Resp. Id pugnare in terminis: qui enim omnem dicit perfectionem, eò ipso implicitè tantùm, generatim ac confusè omnes concipit, non verò singulas explicitè, ac distinctè. Neque verò, ut jam observavimus, fieri potest, ut in hac mortali vita, ubi per speculum & in ænigmate ambulamus, clarè, explicitè ac distinctè omnes & singulas Dei perfectiones perspectas habeamus. Præterea, vel ipse Quæstionis præsentis status postulat, ut specialis aliqua Dei perfectio assignetur, ex qua tanquam ex radice aliæ omnes fluant & sequantur: specialis autem perfectio explicitè non est omnis & quælibet perfectio; igitur satis est, si assignetur aseitas seu independentia tanquam prima perfectio quæ sit radix, fons & origo aliarum.

Objicies 2. Ille gradus non est specificus divinæ essentiæ, qui ipsi proprius non est, sed attributis & personis divinis communis: atqui talis est independentia, unumquodque enim attributum est ens à se, nullamque sui causam agnoscit, quemadmodum & personæ divinæ, ergo &c.

Resp. Distinguo minorem. Atqui talis est independentia, inadæquatè sumpta, prout importat negationem veræ causæ effectricis, concedo: adæquatè sumpta, pro negatione non tantùm causæ effectricis, sed pro negatione radicis aut principii, nego. Diximus anteà, independentiam quæ gradus est divinæ naturæ constituti vus, triplicem negationem includere: nempe causæ realis & effectricis; causæ virtualis seu radicis; & principii seu originis. Fatemur independentiam illam inadæquatè sumptam pro negatione causæ effectricis, propriam esse attributis ac personis divinis: at negamus eam independentiam illi competere, quæ sumitur pro negatione vel radicis seu causæ virtualis metaphysicæ, vel principii & originis. Attributa quippe fluunt ab independentia tanquam à radice; & relationes ac personæ divinæ sunt ab alio, tanquam à principio & origine.

Instabis 1. Aseitas illa omnimoda & perfecta convenit etiam gradibus genericis qui sunt in Deo, puta gradibus entis, substantiæ: illi enim sunt à se non ab alio; ergo aseitas illa omnimoda non est gradus differentialis seu specificus divinæ naturæ.

Resp. Nego consequens. Gradus enim entis & substantiæ, sunt ipsamet formaliter divina essentia, à qua nequidem per mentem distingui possunt. Deus enim est ens seu substantia à se, independens, ac necessariò existens; adeoque independentia ipsa perfecta imbibitur etiam formaliter & explicitè in gradu entis & substantiæ: non ita verò in aliis divinis perfectionibus, quæ ab essentia tanquam à radice dimanare concipiuntur.

Instabis 2. Aseitas illa omnimoda & perfecta quæ triplicem negationem involu-

involvit, vel eſt perfectio quædam, vel imperfectio: non imperfectio, cùm nulla prorſus in Deo eſſe poſſit: ſi autem perfectio; ſequitur attributa, & divinas Filii & Spiritus ſancti perſonas carere aliqua perfectione, nempe aſeitate illa, prout excludit cauſam virtualem, originem & principium. Attributa enim ſunt ab eſſentia, tanquam à radice & cauſa virtuali; perſonæ verò Filii & Spiritus ſancti, ab alio tanquam ab origine & principio.

Reſp. Nego ſequelam antecedentis & dico 1. Aſeitatem, prout negat cauſam realem, eſſe quidem ſummam in Deo perfectionem, cùm ſit neceſſitas, totalitas & univerſalitas entis. 2. Aſeitatem prout negat radicem, originem & principium ab alio, formaliter perfectionem non eſſe; ſicut nec ipſas relationes & perſonalitates divinas, quæ ex ſeſe reſpectum dumtaxat ſeu originem dicunt unius perſonæ ad aliam. Conſule quæ de hoc ipſo argumento ſuperiùs à nobis dicta ſunt in ſolutione Objectionum contra unitatem Dei.

Objicies 3. Gradus conſtitutivus divinæ eſſentiæ ei omni competere debet qui verè Deus eſt: atqui aſeitas omnimoda non competit ei omni qui Deus eſt; Filius enim & Spiritus ſanctus ſunt verus Deus, & tamen non habent perfectam illam aſeitatem, cùm Filius ſit à Patre, & Spiritus ſanctus à Patre & Filio, tanquam ab origine & principio producente.

Reſp. Diſtinguo minorem. Aſeitas omnimoda non competit Filio & Spiritui ſancto, ratione perſonalitatis, concedo: ratione eſſentiæ, nego. Eſſentia enim in divinis nec producit, nec producitur; nec generat, nec generatur. Ratio eſt, quia inter rem productam & producentem intercedit diſtinctio realis; ſed inter eſſentiam & divinas perſonas, omnis exulat realis diſtinctio, cùm ſit una & eadem numero in tribus perſonis natura; unde tres perſonæ non ſunt tres Dii, ſed unus Deus.

Inſtabis 1. Eſſentia ſeu natura divina quæ eſt in Filio, eſt à Patre tanquam à principio & fonte totius divinitatis; ſicut eſſentia ſeu natura divina quæ eſt in Spiritu ſancto, eſt à Patre & Filio; ergo eſſentia divina perfectam non habet in Filio & Spiritu ſancto aſeitatem ſeu independentiam, prout negat originem ſeu principium ab alio.

Reſp. Diſtinguo antec. Eſſentia ſeu natura divina Filii eſt à Patre, per communicationem & quidem neceſſariam, concedo: per veram productionem, nego. In divinis enim ſola perſona producitur, ſicut ſola perſona producit.

Inſtabis 2. Quare igitur Pater divinus vocatur à Theologis fons & origo totius divinitatis, & per excellentiam Deus à ſe? Non alia certè de cauſa, quàm quòd eſſentia ſeu natura Filii ſit à Patre; & eſſentia Spiritus ſancti ſit à Patre & Filio, tanquam ab origine & principio.

Reſp. Patrem divinum à Theologis vocari fontem & originem totius divinitatis, non quòd eſſentiam Filii & Spiritus ſancti producat; (eſt enim improducta Dei natura) ſed quòd perſonas Filii & Spiritus ſancti verè producat, ipſe verò à nullo producatur: unde dicitur fons & origo totius divinitatis, & Deus à ſe, id eſt principium ſine principio.

Ex natura ſeu eſſentia divina, noſtro concipiendi modo, fluunt ac dimanant per modum proprietatum, divina Attributa, quæ vel in communi & generatim ſpectari poſſunt, vel ſigillatim & in particulari. De iis ſub utroque reſpectu conſideratis agendum, ac primò de divinis Attributis generatim & in communi conſideratis.

QUÆSTIO TERTIA.

De divinis Attributis generatim & in communi ſpectatis.

DUo ſunt hìc à nobis duobus articulis expendenda: Primum, an & quomodo perfectiones omnes & divina Attributa in eſſentia Dei includantur: Secundum, an & quomodo Attributa divina tùm ab eſſentia, tùm à ſe invicem diſtinguantur.

ARTICULUS PRIMUS.

An & quomodo perfectiones omnes & divina Attributa in eſſentia Dei includantur.

UT terminos ipſos, quibus Schola utitur, ac quæſtionis ſtatum intelligatis

Obſervandum 1. Non ſine conſilio duo in articulo proponi; perfectiones nempe & Attributa: nonnihil enim eſt inter iſta duo diſcriminis. Omne ſcilicèt attributum, perfectio eſt: ſed vice verſa, non omnis perfectio eſt attributum, ea nempe quæ dicitur perfectio ſimplex, attributum enim eſt perfectio ſimpliciter ſimplex.

Obſervandum 2. Inter perfectiones, alias creatas eſſe quæ creaturis communicantur, ut intelligere, velle, &c. alias planè divinas quæ ſoli Deo conveniunt, ut eſſe æternum, immenſum, immutabilem, &c.

Obſervandum 3. Inter creatas perfectiones alias eſſe, ut vocant, ſimpliciter ſimplices, alias verò ſimplices ſecundùm quid.

Perfectio ſimpliciter ſimplex definiri ſolet à Theologis poſt S. Anſelmum, Monologii c. 15. Ea quæ melior eſt ipſa quàm non ipſa: hoc eſt, quam enti cuilibet quatenus eſt ens, melius eſt habere, quàm non habere, duaſque conditiones exigit: prima eſt, ut in ſua ratione formali ac ſpecifica nullam includat imperfectionem: ſecunda, ut non ſit incompoſſibilis cum alia perfectione majori vel æquali. Defectu primæ conditionis, materia v. gr. non poteſt dici perfectio ſimpliciter ſimplex: defectu ſecundæ conditionis, relationes divinæ perfectiones ſimpliciter ſimplices non dicuntur: tùm quia non meliores ſunt ipſæ quàm non ipſæ; non enim melius eſt in Deo habere paternitatem quàm filiationem: tùm quia cohærere non poſſunt ſimul, ſeu incompoſſibiles ſunt in eodem ſubjecto.

Perfectio ſimplex ſeu ſecundùm quid, ea dicitur, quæ non eſt melior ipſa quàm non ipſa: ſeu quæ vel imperfectionem aliquam includit in ſuo conceptu formali, ut eſſe corpus, eſſe plantam, &c. vel quæ cum majori aut æquali perfectione ſtare non poteſt: tales ſunt relationes divinæ.

Obſervandum 4. Aliquid in alio includi & contineri poſſe tribus modis; ſcilicèt, formaliter, eminenter, & virtualiter. Formaliter, ſecundùm rationem formalem & ſpecificam: ita rationalitas formaliter eſt in homine. Eminenter, ſecundùm rationem ſeu modum perfectiorem & eminentiorem: hoc modo anima ſenſitiva & vegetans, in rationali eminenter continetur. Virtualiter

tualiter denique secundùm causalitatem ; ita omnis effectus virtualiter in causa sua continetur.

Observandum denique, nomine essentiæ Dei, vel intelligi adæquatè totum id quod in Deo est, hoc est, omne perfectum; vel inadæquatè dumtaxat, eam scilicet perfectionem quæ nobis de Deo cogitantibus primùm occurrit, & est radix aliarum omnium: quo sensu Dei essentiam usurpavimus, cùm paulò antè quærebamus in quonam reponendus sit gradus constitutivus divinæ essentiæ.

His prænotatis, sit

PRIMA CONCLUSIO.

Perfectiones omnes simpliciter simplices formaliter continentur in essentia divina saltem implicitè.

Probatur 1. Ex Scripturis. Proverb. 8. v. 14. Increata Sapientia de se ait: *Meum est consilium, & æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo. Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt.* Joan. 14. v. 6. Christus de se ipso dicit: *Ego sum via & veritas & vita.* Ex quibus sic arguimus. Quæ de Deo prædicantur in abstracto & secundùm rationem suam formalem, sunt in Deo formaliter & quoad substantiam: atqui perfectiones simpliciter simplices de Deo prædicantur in abstracto & secundùm rationem suam formalem; ergo sunt in Deo formaliter & quoad substantiam.

Et verò, Deus est ens à se, ens perfectissimum quo nihil melius est & excogitari potest; ergo perfectiones omnes simpliciter simplices, quæ nihil imperfecti admixtum habent, formaliter & quoad substantiam in se continet: aliàs, non esset ens perfectissimum, quo nempè perfectius excogitari posset; illud scilicet, quod necessitate suæ naturæ ac formaliter contineret quidquid simpliciter ac purè perfectum est, sine ulla imperfectionis admixtione.

Eas autem omnes perfectiones implicitè, saltem quoad nos, continet divina essentia. Neque enim, ut anteà dictum est, omnes sigillatim ac distinctè perfectiones Dei apprehendimus, cùm de Deo cogitamus; sed tantùm omnes generatim, implicitè ac confusè.

Conclusionem hanc demonstrant, quæ superiùs adducta sunt, ubi de natura Dei, SS. Patrum testimonia, quæ consule, ne eadem repetamus. Unus hic sufficiet S. Aug. L. 6. de Trinitate c. 4. ubi sic loquitur. *Deo hoc est esse quod est fortem esse, aut justum esse, aut sapientem esse, aut si quid de illa simplici multiplicitate, aut multiplici simplicitate dixeris, quo subsistantia eius significetur.* Et L. 15. c. 5. ait ea quæ secundùm qualitatem in rebus creatis dicuntur, in Deo dici secundùm substantiam. *Non ita est*, inquit, *in illa ineffabili simplicique natura. Quidquid enim secundùm qualitates illic videtur dici, secundùm substantiam vel essentiam est intelligendum. Absit enim ut spiritus secundùm substantiam dicatur Deus, & bonus secundùm qualitatem: sed utrumque secundùm substantiam.*

T. 8. p. 847. c. A.

ibid. p. 961. n. 8. D. E.

SECUN-

SECUNDA CONCLUSIO.

Perfectiones simplices & secundùm quid, non sunt in Deo formaliter, sed tantùm eminenter.

Duæ sunt Conclusionis partes.

Probatur prima pars 1. auctoritate Conc. Lateranensis IV. sub Innoc. IV. an. 1215. in quo Almarici doctrina tanquam insana damnatur, quòd dicere ausus fuisset, creaturas omnes de Deo verè ac propriè prædicari posse, ita ut Deus verè sit leo, lapis, &c.

Probatur 2. certo & inconcusso hoc argumento. Deus est ens perfectissimum à quo procul exulat vel umbra imperfectionis; ergo cùm perfectiones creatæ, quæ simplices dicuntur & secundùm quid, aliquid imperfectionis admixtum semper habeant, in Deo esse non possunt formaliter & quoad substantiam. Dixi perfectiones creatas simplices & secundùm quid habere aliquid imperfectionis admixtum, non tantùm ratione subjecti in quo sunt, sic enim spectatæ perfectiones etiam creatæ simpliciter simplices aliqua ex parte sunt imperfectæ, quia finitæ, accidentales & adventitiæ; sed etiam ratione sui ac formaliter. E contra verò, perfectiones simpliciter simplices ratione sui ac formaliter spectatæ, nihil imperfecti involvunt, v.g. sapientia, bonitas, justitia, &c.

Dices; Relationes divinæ inter perfectiones dumtaxat simplices & secundùm quid recensentur, & tamen sunt in Deo formaliter.

Resp. Relationes divinas recenseri quidem inter perfectiones simplices & secundùm quid, non quòd sint imperfectæ, sed quòd stare simul in eodem subjecto non possint.

Probatur secunda pars. Illud eminenter in alio includitur ac continetur, quod perfectiori ac nobiliori modo in alio est quàm in se ipso: atqui creatæ perfectiones simplices & secundùm quid, nobiliori modo sunt in Deo quàm sint in se ipsis. In Deo enim sunt ab omni prorsus impuritate defecatæ. *Deus enim*, ait S. Aug. Lib. 5. de Trin. c. 1. n. 2. *sine qualitate bonus est, sine quantitate magnus, sine situ præsidens, &c.* In illo, ait idem S. Doctor L. 5. de Gen. ad litt. c. 15. n. 33. *creata omnia meliora sunt, ubi sunt veriora, ubi æterna & incommutabilia.* Et Sermone 384. aliàs 1. de Verbis Apostoli n. 1. *Si magnitudinem quæris*, inquit, *major est; si pulchritudinem, pulchrior, si dulcedinem, dulcior, &c.*

Pagina 833. B. To. 3. p. 1. pagi. 192. C.

To. 1. p. 1485. E. Favet Scriptura Psal. 93. v. 9. *Qui plantavit aurem non audiet? aut qui finxit oculum non considerat?* Isaiæ 66. v. 9. *Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam dicit Dominus? Si ego, qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero?* Quæ quidem omnia cùm formaliter & ratione sui in Deo esse non possint, necesse est fateamur esse eminentiori & digniori quodam modo.

TERTIA CONCLUSIO.

Essentia Dei adæquatè sumpta in se & prout est à parte rei, omnem perfectionem simpliciter simplicem, omniaque Attributa formaliter explicitè continet: essentia verò inadæquatè & pro solo essentiæ conceptu, non radicaliter

liter tantùm, ſed etiam formaliter, tametſi implicitè ac confusè, omnia Attributa complectitur ac continet.

Duæ ſunt Concluſionis partes.

Probatur prima pars ratione ſæpiùs adducta. Quia nempè Deus eſt ens perfectiſſimum; ergo prout eſt à parte rei, formaliter & explicitè omnes omninò perfectiones ſimpliciter ſimplices divinaque Attributa continet: & quidem modo tam perfecto, ut in Scripturis ſolus perfectus, ſolus bonus, ſolus ſapiens & immortalis dicatur.

Secunda pars probatur 1. iis SS. Patrum teſtimoniis, quibus docent Deum per eſſentiam & ſubſtantiam eſſe quidquid eſt. Ita S. Aug. Lib. 15. de Trinit. cap. 5. S. Anſelmus Monol. c. 16. & alii. 2. Eſſentia Dei etiam inadæquatè & pro ſolo conceptu naturæ ſumpta, perfectiſſima eſt, ens à ſe, ens puriſſimum & infinitum ex dictis; ergo formaliter & eſſentialiter eſt omnis perfectio: v. g. eſt formaliter & eſſentialiter juſtitia, ſapientia, &c.

Probatur conſequens. Quia ſi eſſentia Dei formaliter & in ſuo eſsentiali conceptu non eſt omnis perfectio, juſtitia, ſapientia, &c. erit ergo juſtitia, ſapientia &c. per aliquid ab eſsentia formaliter diſtinctum: at id non patitur, quæ ſumma eſt Dei perfectio & ſimplicitas; & de Deo id ſemper & cogitare & dicere neceſſe eſt, quod eſt perfectius. Porrò quid perfectius eſt, noſtro concipiendi modo, eſſe formaliter omnem perfectionem, ſeu omnem perfectionem formaliter includere, quàm non includere.

Dixi omnia attributa implicitè ac confusè contineri in eſsentia divina. Namque prima eſsentiæ divinæ ut ſic apprehenſio ſeu primus conceptus, explicitè ac diſtinctè non repræſentat omnes divinas perfectiones, ſed implicitè dumtaxat ac confusè, ſub ratione nimirum entis perfectiſſimi, unde, noſtro concipiendi more, diſtinctè unumquodque attributum dimanare ſeu fluere intelligitur.

Dices: Si attributa divina fluere intelliguntur ab eſsentia, quomodo formaliter, ut volumus, in ea includuntur?

Reſp. Facilè iſta conciliari. Attributa quippè explicitè ac diſtinctè conſiderata, dimanare quidem ac fluere ab eſsentia intelliguntur; non verò prout ſpectantur implicitè, generatim ac confusè: ſub ea etenim ratione, formaliter ſunt ipſamet divina eſsentia.

Inſtabis. Relationes divinæ non ſunt de conceptu formali divinæ eſsentiæ; ergo nec Attributa abſoluta.

Probatur conſequens. Quia eædem prorſus rationes quæ ex infinitate divinæ naturæ petuntur, probant aut relationes pertinere ad conceptum eſſentiæ, aut Attributa ipſa abſoluta non pertinere.

Reſp. 1. Nego antecedens. Dici enim poſſet relationes divinas eſse de conceptu formali reali eſsentiæ, licèt non ſint de conceptu formali virtuali.

Reſp. 2. Nego conſequens & paritatem. Diſparitas eſt 1. Quia relationes divinæ non ſunt perfectiones ſimpliciter ſimplices, ſed tantum ſecundùm quid, ex dictis; adeoque non tam exigunt ineſse formaliter in divina eſſentia, ac ipſa Attributa. 2. Quia Attributa abſoluta conveniunt eſsentiæ divinæ abſolutè in ſe ſpectatæ, prout eſt communicabilis; relationes verò eſsentiæ conveniunt, prout incommunicabilis eſt alteri tanquam ſuppoſito, & quatenus eſt in perſonis divinis per perſonalitates veluti contracta & terminata: inde eſt quòd in illius conceptu abſoluto non includantur.

ARTI.

ARTICULUS SECUNDUS.

An & quomodo Attributa divina tùm ab essentia, tùm à se invicem distinguantur.

Distinctio generatim à Philosophis dicitur negatio identitatis: ea quippè sunt distincta quæ non sunt quid idem.

Duplex universim distinctio assignatur. Una realis, quæ nemine cogitante; altera verò rationis, quæ per mentem dumtaxat excogitatur inter res aliquas intercedere.

Distinctio realis triplex vulgò admittitur, pro varia Philosophorum ac Theologorum sententia: nempè realis major, realis minor, & realis formalis, quæ Scotistica solet appellari.

Distinctio realis major inter ea intercedit, quæ vel à se invicem separantur, ut Petrus & Paulus; vel separari possunt, ut corpus & anima, subjectum & accidens &c. vel relativè opponuntur, ut pater & filius.

Distinctio realis minor, quæ dicitur modalis, est inter ea quorum unum potest esse sine alio, sed non vice versa. Ita modus seu modificatio substantiæ, v.g. inflexio digiti non potest esse sine digito, sed digitus potest esse sine illa inflexione.

Distinctio realis formalis seu Scotistica, est inter ea quæ tametsi unam & eandem habeant existentiam, distinctas nihilominus habent ex natura sua rationes seu formalitates: quales sunt v.g. in homine, animalitas & rationalitas; in Deo, justitia & misericordia &c.

Distinctio rationis ea dicitur quæ fit per mentem; & duplex est: una rationis, ut vocant, ratiocinantis; altera rationis ratiocinatæ. Prior fit per mentem sine ullo in re fundamento, v. g. in ista propositione, Petrus est Petrus: altera verò fit etiam per mentem, sed cum aliquo in re fundamento: atque hæc distinctio virtualis nominari solet; hoc est rei in se quidem unius & simplicis, sed quæ pluribus distinctis æquivalet, nobisque distinguendi rationem ac fundamentum subministrat, propter varios ejus effectus ac summam naturæ ipsius præstantiam & excellentiam.

Rursus distinctio illa virtualis duplex est; una præcisa, altera verò imperfecta. Perfectam dicimus, qua unum ab altero sibi identificato ita perfectè præscinditur, ut ne implicitè quidem ac confusè in eo contineri & includi intelligatur: imperfectam verò, qua unum ab altero sibi identificato præscindi omninò non potest, sed implicitè saltem in eo contineri ac includi concipitur. Sic v.g. ratio entis præscindi omninò non potest à suis differentiis divisivis: nec divina essentia à suis perfectionibus seu proprietatibus.

Hic porrò Quæstio non est de distinctione relationum divinarum inter se: certum quippè est eas realiter inter se distingui, quia inter se opponuntur. Sed quæstio movetur dumtaxat de distinctione Attributorum absolutorum, tùm à se invicem, tùm ab essentia; & relativorum ab essentia.

Erro-

Errores circa distinctionem Attributorum divinorum tùm ab essentia, tùm à se invicem.

PRimò, Augustinus Niphus 12. Metaphy. Disp. 13. c. 3. refert Gualterum distinctionem realem majorem admisisse Attributorum à se invicem & ab essentia; neque tamen propterea divinam simplicitatem negasse: quia nempè ad veram compositionem, (dicebat ille) necesse est plures esse totius partes quarum una habeat rationem actus, altera verò rationem potentiæ. Hac ipsa ratione usus est subindè Scotus, ut divinam simplicitatem cum sua distinctione reali formali conciliaret. Gualterus.

2. Gilbertus Porretanus Episcopus Pictavensis, vir dialecticis argutiis plùs æquo deditus, cùm in publico quodam Ecclesiæ suæ Concessu dixisset, *divinitatem non esse Deum, sed formam qua Deus est*; & in quibusdam ad Boetium de Trinitate Commentariis scripsisset; *divinam essentiam esse substantiam qua Deus est; non quæ Deus est*, & alia multa *præter communem hominum morem protulisset*, ait Otto Frisingensis L. 1. de gestis Friderici I. Imperatoris c. 46. à duobus Ecclesiæ Pictavensis Archidiaconis Arnaldo & Calone, quibus vividè se adjunxit S. Bernardus, ad Romanum Pontificem Eugenium III. in Gallias tunc temporis, hoc est circa medium sæculi 12. iter dirigentem, delatus est & erroris postulatus. Causa ejusin Concilio Parisiensi anno 1147. præside ipso Eugenio S. Pontifice discussa est ac ventilata. Multis objectionibus pulsatus Gilbertus, negavit primùm se unquam docuisse divinitatem non esse Deum: tùm, *Audaciter confiteor*: inquit, *Patrem aliò esse Patrem, aliò Deum, nec tamen esse hoc & hoc*: multaque alia in medium protulit, tam argutè ac subtiliter, ut S. Pontifex rei difficultate commotus, causæ hujus discussionem ac definitionem ad Concilium Remense anno immediatè sequenti celebrandum remiserit. Gilbertus Porretanus. *To. 12. Conc. p. 1106. B.*

Anno itaque 1148. in Concilio Remensi Episcopis decem Provinciarum coacto, præside eodem S. Pontifice Eugenio, causam suam iterum aggressus Gilbertus, & quidem prolixè ac contentiosè errorem suum, adductis in medium quamplurimis SS. Patrum testimoniis, involvere conabatur. Verùm S. Pontifex tergiversantem ac divertícula quærentem ita pressè constrinxit, ut effugere non potuerit. *Multa dicis, frater*, inquiebat Eugenius, *multa & ea quæ forsassis à nobis non intelliguntur* (adeò erant obscura & implicata) *legi facis: sed simpliciter à te cognoscere velim, anne illam summam essentiam qua tres personas profiteris unum Deum, credas esse Deum*. Gilbertus *diutina collatione fatigatus*, ait Otto c. 56. *minùs præmeditatè respondit*: *Non*. *To. 10. Conc. p. 1108.*

Non minori ardore ac studio eum premebat ac coarctabat S. Bernardus, referente Gaufrido Monacho qui præsens aderat Concilio, in Epistola ad Episcopum Albanensem. *Quid necesse est*, dicebat S. Doctor, *circa hujusmodi verba diutius immorari? Non aliunde procedit scandali hujus origo, nisi quòd plures credere vos credunt & docere, quòd divina essentia vel natura, divinitas ejus, sapientia, bonitas, magnitudo, non est Deus, sed est forma, qua Deus est. Hoc si creditis, palam dicite, aut negate. Ausus est dicere*: (Gilbertus) *Forma Dei & divinitas; qua Deus est & ipse*, (vel ipsa) *non est Deus*. Hac audita erroris manifesta declaratione, S. Bernardus unà cum nonnullis Episcopis sym- *To. 10. Conc. p. 1123. B. Et apud Baron. ad ar. Christi 1148.*

ſymbolum fidei adornavit Gilberti erroribus oppoſitum, quod quidem ab Eugenio S. Pontifice cæteriſque Concilii Patribus communi conſenſu approbatum fuit. *Ita demum*, ait Gaufridus in vita S. Bernardi L. 3. c. 5. *Apoſtolico Judicio, & auctoritate univerſalis Eccleſiæ, error ille damnatur.*

Refert idem Gaufridus eodem loco, ea dumtaxat lege diſceptandi copiam Gilberto factam eſſe, *ut promitteret ſine ulla ſeſe obſtinatione, pro Eccleſiæ ſanctæ arbitrio correcturum liberè ſuam opinionem.* Promiſſis ſtetit: teſte enim eodem Gaufrido ibid. *Epiſcopus Gilbertus an eidem damnationi conſentiat interrogatur: conſentiens & publicè refutans quæ priùs ſcripſerat & affirmaverat, indulgentiam ipſe conſequitur.*

Epiſcopus Gilbertus, ait Otto c. 58. *S. Pontificis ſententiam reverenter excipiens, Archidiaconibus in gratiam receptis, cum Ordinis integritate, & honoris plenitudine, ad propriam Diœceſim remeavit.*

Totam hanc Gilberti Hiſtoriam à tribus coætaneis Scriptoribus accuratè deſcriptam habemus; S. Bernardo nimirum Serm. 80. in Cantica, Gaufrido Monacho tùm in Epiſtola ad Epiſcopum Albanenſem, tùm in vita S. Bernardi; & Ottone Friginſenſi Epiſcopo Lib. 1. de geſtis Friderici I. Imperatoris cap. 50. & ſeq. quamquam Otto in Gilbertum paulò propenſior, illum ab errore vindicare aliquando conatur: (cap. 56.) morti tamen proximus, quaſi ſuam in Gilbertum indulgentiam retractans, doctorum virorum arbitrio Scripta ſua ſubjecit, ut ſi quid in iis piorum aures læderet, pro non dicto haberetur. Ita colligitur ex Radevico Canonico Friginſenſi, qui Hiſtoriæ Ottonis, quæ deerant, adjecit. Vide Baronium ad an. Chriſti 1147. & 1148.

Ex dictis hactenùs, conſtat Gilbertum in Deo abſtracta à concretis ſejunxiſſe; nec voluiſſe quòd *divinitas ſit Deus; ſed tantùm forma qua Deus eſt.* Anverò pariter abſtracta ab abſtractis: hoc eſt, Attributa abſoluta tùm à ſe invicem, tùm ab eſſentia diſtinxerit, ita ut dici non poſſit, divinitas eſt omnipotentia, bonitas, juſtitia, &c. vel omnipotentia eſt bonitas, juſtitia, &c. non ita certum videtur ſaltem ſi de ſenſu reali formali ſermo ſit: de ſenſu enim reali identico, non eſt dubitandi locus quin exiſtimaverit Gilbertus, omnia Attributa abſoluta ſenſu reali identico unum quid eſſe cum divina eſſentia.

An Gilbertus æquè diſtinxerit inter Attributa abſoluta & eſſentiam, ac inter perſonas & eſſentiam divinam.

OPinantur igitur nonnulli, Gilbertum dumtaxat diſtinxiſſe inter proprietates relativas & eſſentiam divinam; nullatenus verò inter proprietates abſolutas, tùm ad ſe invicem, tùm ad eſſentiam comparatas. His autem ducuntur momentis.

1. Quia S. Bernardus L. 5. de conſideratione c. 7. fatetur, ab ipſo ejuſque diſcipulis, magnitudinem, bonitatem, juſtitiam, & alia hujuſmodi aſſeri unam eſſe divinitatem, ſed eam non eſſe Deum; verùm, ipſi, ut Deus ſit, conferre: ex quo non omninò ſimplicem ab illis Deum concipi colligit S. Bernardus. *Non multa*, inquiunt, *ſed unam tantùm divinitatem, quæ omnia illa ſunt, Deo ut ſit conferre aſſerimus.*

2. Cùm in Concilio Remenſi reſpondiſſet Gilbertus, divinam illam eſſentiam

ſentiam qua tres perſonæ ſunt unus Deus, non eſſe Deum; poſtridie declaravit, hanc ſuam dumtaxat mentem fuiſſe, ut divinitas diſtingueretur tantùm à Deo, quatenus Dei nomen perſonam ſignificat. *Dicebat enim*, ait Otto cap. 56. *hoc nomen Deus, quandoque in deſignatione naturæ, quandoque in deſignatione perſonæ unius etiam poni.... quare & ajebat*, pergit idem Otto, *ſe, divinitatem eſſe Deum, in illo tantùm ſenſu concedere, quo Deus ponitur pro natura; in eo verò abſolutè concedere non audere, quo pro qualibet perſonarum hoc nomen Deus, accommodatur.*

3. Vel ipſa ratio qua ducebatur Gilbertus ut diſtingueret inter naturam & perſonam divinam, demonſtrat eum neutiquam cogitaſſe de diſtinctione Attributorum abſolutorum tùm à ſe invicem, tùm ab eſſentia. Ratio hæc ipſi erat: *Ne videlicet*, ait Otto loco citato, *juxta Arium ſicut perſonarum, ita & pluralitatem admitteret eſſentiarum: vel ſecundùm Sabellium, ad eſſentiæ ſingularitatem, Chriſtianæ fidei Religio pluralitatem reſtringeret perſonarum*. Nimirum, inquiebat, ſi eſſentia à perſona non diſtinguitur, ergo ſicut dicimus perſonam Filii indeterminatè incarnatam, paſſam; ita & eſſentiam divinam indeterminatè incarnatam, paſſam conſiteri deberemus: *Ex qua abſurditate*, dicebat Gilbertus, *facilè ſenſus hæreticus, juxta Sabellium emergeret, ut eadem res diceretur & generans & genita, & eadem ſe ipſam genuiſſe*. Quæ certè ratio ſolam poſtulat, ut patet, perſonarum ab eſſentia divina diſtinctionem.

4. Quia referente Ottone, *Pontifex definivit, ne aliqua ratio in Theologia inter naturam & perſonam divideret, neve Deus divina eſſentia diceretur ex ſenſu ablativi tantùm, ſed etiam nominativi*: porrò hic mentio fit dumtaxat diſtinctionis inter eſſentiam & perſonam.

5. In Commentariis ad Boetium diſertè aſſerit, juſtitiam & ſapientiam Dei ab ejus eſſentia non ſecerni, & Deum hoc ipſo juſtum eſſe quo Deus eſt.

Si verò quæſieris, qualis fuerit illa diſtinctio realis quam Gilbertus admiſit inter eſſentiam & divinam perſonam; an realis identica, an realis tantùm formalis quæ Scotiſtica dicitur, res in ambiguo poſita videtur.

Nonnulli exiſtimant eam realem & identicam non fuiſſe: tùm quia apertè profeſſus fuit Gilbertus in Conc. Pariſienſi: *Patrem quidem aliò eſſe Patrem, aliò Deum; nec tamen eſſe hoc & hoc*. Unam ergo entitatem ſubſtantialem inter relationes & divinam eſſentiam admittebat. Tùm quia ſæpiſſimè declaravit, ſe agnoſcere tres perſonas eſſe unum Deum: tùm quia craſſior videtur error ille, quàm in hominem acutum & ſubtilem cadere poſſit. Quapropter errore facti deceptus videtur S. Thomas cùm ſcripſit 1. p. q. 28. art. 2. Gilbertum Porretanum docuiſſe, *relationes in divinis eſſe aſſiſtentes, ſive extrinſecus affixas*: aut ſaltem arguendo tantùm, errorem hunc, quaſi neceſsariò ex ejus ſententia profluentem, ipſi imputavit. Atque his momentis adducti ſunt nonnulli Theologi, inter quos Petavius Tom. 1. Theologic. Dogmatum Lib. 1. c. 8. nu. 8. & Vaſquez Diſp. 120. in 1. part. c. 4. ut dicerent ſententiam Scoti, nihil aut parum nihil differre à ſententia Gilberti. Reclamant è contra Scotiſtæ.

Alii contendunt realem identicam à Gilberto admiſſam fuiſſe inter eſſentiam & perſonas divinas diſtinctionem; hiſque ducuntur momentis. 1. Quia referente Matthæo Pariſienſi ad an. 1199. dicebat, *Relationes non ſunt quidem idem quòd ipſæ perſonæ, ſed diverſæ numero*. 2. Gaufridus tertium Gilberti capitu-

pitulum expendens, *Relationes*, inquit, *personis tribus attribuit, quæ non sunt ipsæ personæ, sed res sempiternæ, ab invicem & ab ipsa substantia differentes.* 3. Quia Gilbertus ipse in Codice manuscripto Conc. Remensis missò ad Gregorium XIII. per Jacobum Amiotum Episcopum Altissiodorensem, apud Vasquesium in primam partem Disp. 120. c. 2. sic loquitur: *Tres personæ tribus unitatibus sunt tria, & distinctæ proprietates tribus, quæ non sunt ipsæ personæ, sed sunt tres res æternæ, & ab invicem à divina substantia in numero differentes.* Verùm de hac facti quæstione judicium hic nostrum suspendimus.

3. Realem quamdam distinctionem inter Deum ejusque operationem admisisse videntur recentiores quidam Græci Monachi, qui mysticum nescio quid usurpantes affirmabant; ubi inter orandum caput pectori umbilicoque compressissent, tum splendidissimam sibi lucem affulgere. Hanc verò lucem dicebant eandem esse qua Christus in transfiguratione refulsit, nec creatum quid esse, sed increatum & quasi indumentum Dei, & Deum ipsum seu operationem Dei, ab ipso tamen Deo realiter distinctam. Figmenti hujus primus auctor fuisse dicitur Simeon quidam Monasterii præfectus; deinde Gregorius Palamas ex Monacho Montis sancti Episcopus Thessalonicensis. Vide Petavium Tom. 1. Theologic. Dogm. L. 1. c. 12.

To. 11. Conc. p. 144. A. B. 4. Abbas Joachim, cujus Libellus proscriptus fuit in IV. Conc. Lateranensi an. 1215. sub Innoc. III. inter essentiam divinam & personam realiter quoque distinxisse videtur, qui Petrum Lombardum tanquam Hæreticum & insanum traduxit, eò quòd docuisset *summam quamdam rem esse Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, quæ neque est generans, neque genita, neque procedens.* Ergo in mente hujus Abbatis, Pater, Filius, & Spiritus sanctus non sunt res illa summa, hoc est divina essentia; ergo non Trinitas, sed quaternitas est in Deo; ergo divina essentia distinguitur realiter à personis. Unde unitas, quam ille admittebat in divinis, vera non erat & propria, sed tantùm collectiva; quo sensu, multi homines dicuntur unus populus, & multi fideles, una Ecclesia.

5. Huic errori ex adverso planè opposita fuit 4. sæculo sententia Aetii & Eunomii, qui nullam omninò ne quidem virtualem & rationis ratiocinatæ distinctionem in Deo agnoverunt. Quæ sententia, ex duplici alio illorum errore sequitur. Cùm enim illi ex una parte assererent se plenam Dei habere notitiam, & quidem tantam quantam ipse Deus habet; & ex altera negarent Christum esse verum Deum Patri consubstantialem; ad utrumque impietatis caput propugnandum maximè opportunum & commodum visum fuit, si omnem penitus à Deo distinctionem excluderent. Namque 1. Si essentia Dei ab attributis, & attributa ab invicem non distinguuntur, qui novit Deum esse ingenitum, is Deum plenè ac perfectè cognoscit: quia natura Dei in eo consistit, ut sit ens ingenitum, quod quidem se perfectè cognoscere illi jactitabant. 2. Cùm Christus sit genitus, consequenter Deus esse non potest: sic illi ratiocinabantur.

Sociniani ut faciliùs probent Spiritum sanctum Deum non esse aut personam divinam, tametsi vocetur à Scriptura virtus Dei, contendunt Attributa Dei ab essentia realiter distingui.

opinio-

Opiniones Scholæ, circa distinctionem Attributorum divinorum tùm ab essentia, tùm à se invicem.

TRiplex hìc generatim distingui potest Scholæ opinio. Prima Nominalium, secunda Scoti, tertia S. Thomæ.

I. Nominales omni penitus rejecta distinctione etiam rationis inter Attributa absoluta & essentiam divinam, varia dumtaxat admittunt nomina eandem omninò rem sub eadem intrinseca formalitate significantia. Addunt nihilominus Gregorius & Major, licèt Attributa in se ipsis non distinguantur per mentem, distingui tamen aliquo modo ratione connotati; hoc est, ratione effectus quem aliquo modo respiciunt: cùm enim alius sit v.g. justitiæ & misericordiæ effectus, ratione istorum effectuum quos connotant, justitia & misericordia distinguuntur.

Quantum verò ad proprietates relativas ad essentiam comparatas, Ocham q.1. Gabriel in 1. d.1. art.1. Marsilius in 1. q.6. art.2. conclusione 4. admittunt distinctionem realem formalem ante mentis operationem. Ad hos accedit aliqua ex parte Durandus in 1. dist.33. q.1. Non solùm enim distinctionem inter essentiam & relationes dicit esse ex natura rei formalem realem, quod vult Scotus; sed quasi realem modalem, qualis scilicet intercedit inter rem & modum rei. Quod probat ex S. Joan. Damasceno L.1. de fide c.8. ubi ait: *Quo circa omnia quæ Pater habet, Filii sunt, hoc uno excepto, quòd ingenitus non est: quæ quidem vox nec naturæ discrimen nec dignitatem, sed existentiæ modum indicat.* *Nov. ed. To.1.p. 135.B.*

II. Scotus in 1. dist.8. q.4. inter distinctionem realem majorem qua unum ab alio differt, ut res à re, & distinctionem rationis, tertiam finxit quam appellat realem formalem, qua unum ab alio differt ratione formali seu definitione ante ullam mentis operationem: talem ille distinctionem admittit inter Attributa tùm absoluta tùm relativa & essentiam divinam. Nec te moveat quòd hujusmodi distinctionem aliquando dicat non esse realem actualem, sed virtualem & rationis: his quippè verbis excludere tantùm voluit distinctionem realem majorem seu rei ad rem. Eadem autem ratione ductus ille fuit ad illam realem formalem distinctionem admittendam, qua Gilbertus Porretanus, nempè ut exponatur quomodo essentia divina personis Filii & Spiritus sancti comunicetur, non communicata personalitate.

III. Sanctus Thomas & alii vulgò Theologi, distinctionem dumtaxat virtualem & rationis ratiocinatæ admittunt inter Attributa tùm absoluta tùm relativa & essentiam divinam.

PRIMA CONCLUSIO.

Inter attributa divina tùm absoluta tùm relativa ad essentiam comparata, & absoluta ad invicem, nulla est omninò realis actualis, aut modalis aut etiam formalis distinctio ante mentis operationem.

Probatur 1. Ex Scripturis hoc argumento. Inter illa nulla omninò est distinctio actualis realis ante operationem mentis, quæ de se invicem in abstracto prædicantur: atqui essentia divina & Attributa de se invicem in

abſtracto prædicantur. Joan.14.v.6. Chriſtus de ſe ipſo ait: *Ego ſum via & veritas, & vita.* Proverb.8.v.12. *Ego ſapientia habito in conſilio.* 1.Corinth. 1.v.24. *Prædicamus Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam.* Quibus in locis, Deus non tantùm dicitur vivens, ſapiens & verus in concreto, ſed vita, ſapientia & veritas in abſtracto.

Probatur 2. Ex Conciliis.

To. 10. Conc. p. 2106. B

Ex Remenſi an. 1148. in Symbolo fidei contra errores Gilberti art. 1. his verbis. *Credimus & confitemur ſimplicem naturam divinitatis eſſe Deum. Nec aliquo ſenſu Catholico poſſe negari quin divinitas ſit Deus, & Deus divinitas.* Cùm verò Gilbertus, ut antea obſervatum fuit, nomine Dei non naturam ipſam, ſed perſonam divinam intelligeret, haud dubiè Concilium hoc eodem ſenſu appoſitè ad errorem Gilberti, Dei nomen pro perſona uſurpavit; atque ſenſu errori Gilberti prorſus oppoſito, definivit, naturam divinitatis eſſe Deum, hoc eſt perſonam divinam: adeoque inter perſonas divinas & divinam eſſentiam nullam intercedere realem & actualem ante mentis operationem diſtinctionem.

Senſum hunc manifeſtè indigitat ipſemet S.P. Eugenius Concilii Præſes: Prohibet enim *ne aliqua ratio Theologica inter naturam & perſonam divideret: Neve Deus divina eſſentia diceretur ex ſenſu ablativi tantùm, ſed etiam nominativi.* Ita refert Otto L.1. de geſtis Friderici I. Imperatoris c.56.

To. 11. Conc. p. 144. E.

Ex Lateranenſi IV. ſub Innoc.III. anno 1215. c. 2. ubi adversùs errorem Abbatis Joachim ſic loquuntur Patres. *Nos, ſacro & univerſali Concilio approbante, credimus & confitemur, quòd una quædam ſumma res eſt, incomprehenſibilis quidem & ineffabilis, quæ veraciter eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, tres ſimul perſonæ, ac ſingulatim quælibet earumdem. Et ideò in Deo Trinitas eſt ſolummodò, non quaternitas: quia quælibet trium perſonarum eſt illa res, videlicet ſubſtantia, eſſentia, ſive natura divina.* Porrò ſi admittatur ante mentis operationem diſtinctio quædam actualis realis, etiam formalis, abſurdum illud ſequitur quod Concilium rejicit & damnat, nempè eſſe in Deo quaternitatem in ſenſu reali etiam formali; ſcilicet eſſentiam, & tres perſonas.

Denique ex Florentino ſub Eugenio IV. anno 1439. Seſſ. 18. ubi Joannes Theologus Latinorum partes agens ſic Græcos aggreditur. *Vos quæritis, an idem ſit in divinis perſonis ſubſtantia & perſona ſive hypoſtaſis. Nos verò dicimus, ſubſtantiam & perſonam ſive hypoſtaſim eſſe idem re, differre autem noſtro modo intelligendi; ita ut perſona conſtet ex ſubſtantia & proprietatibus. Nunc igitur quoniam intelligendum & ratione diſtinguuntur, ſubſtantia quidem communicatur perſonis, proprietates verò nullo modo communicantur: idque provenit ex vi relationis.* Joanni hac in parte ſubſcribit Marcus Epheſinus qui pro Græcis reſpondebat. *Fortaſſe*, ait, *hac in parte nulla eſt inter nos diſcrepantia.*

To. 13. Conc. p. 251. A.

Conſtat ex his teſtimoniis, omnem à divinis Attributis tùm abſolutis tùm relativis cum eſſentia divina comparatis, excludi diſtinctionem realem actualem ante mentis operationem: ſed diſtinctio formalis Scotiſtica, realis eſt & actualis ante mentis operationem.

Scio Scoti defenſores reſpondere ſolitos, damnatam dumtaxat à Conciliis diſtinctionem realem & actualem entitativam, non verò realem formalem. Verùm in promptu eſt reſponſio; nimirum eam à Conciliis, maximè autem

Remen-

Remensi, rejectam fuisse distinctionem qualem admittebat Gilbertus : sed ex dictis antea, non realem entitativam, sed realem dumtaxat formalem ante mentis operationem ille admittebat, cùm diceret, *divinitatem non esse Deum, sed formam qua Deus est* : & aliunde protestaretur, *Patrem quidem aliò esse Patrem, & aliò Deum, nec tamen esse hoc & hoc.*

Hæc porrò non eo animo ac consilio dicta volumus, ut expresè damnatam fuisse Scoti opinionem asseramus, absit. Non ignoramus enim eam in Scholis quotidiè publicè ac liberè propugnari, audientibus, nec reclamantibus Episcopis. Igitur arguendo dumtaxat, non affirmando, illam ex Conciliorum mente putamus rejectam fuisse.

Probatur 3. Ex SS. Patribus.

S. Augustinus L. 7. de Trinit. c. 3. n. 4. *Secundùm quod sapientia est, & essentia.* Et c. 6. n. 11. *Non aliud est Deo esse, aliud personam esse, sed omninò idem.* Et paulò infrà. *Quemadmodum hoc illi est esse quòd Deum esse, quòd magnum, quòd bonum esse; ità hoc illi est esse, quòd personam esse.* To. 8. p. 856. C. ibid. p. 861. D.

L. 5. c. 10. n. 11. *Deus non ea magnitudine magnus est, quæ non est quod est ipse; ut quasi particeps eius sit Deus cùm magnus est; alioquin illa erit major magnitudo quàm Deus, Deo autem non est aliquid majus: ea igitur magnitudine magnus est qua ipse est eadem magnitudo.* Idem ibidem dicit, *de bonitate, æternitate, & omnipotentia, cæterisque Dei attributis.* Cap. 8. n. 9. jam dixerat: *Non aliud est Deo esse, & aliud magnum esse, sed hoc idem illi est esse quòd magnum esse.* Ibid. F. ibid. p. 838. F. Ibid. p. 839. A. ibid. p. 838. A.

Denique Lib. 15. c. 5. n. 7. *Una ergo*, inquit, *eademque res dicitur, sive dicatur æternus Deus, sive immortalis, sive incorruptibilis, sive immutabilis : itemque cùm dicitur, vivens, & intelligens, quod est utique sapiens, hoc idem dicitur. Non enim percepit sapientiam qua esset sapiens, sed ipse sapientia est.* Ibid. p. 971. B.

Manifestum est his in locis S. Doctorem distinctionem realem entitativam inter essentiam divinam & Attributa penitus excludere. De reali formali Scotistica procul dubio non cogitavit S. Doctor. Cùm tamen absolutè ac simpliciter pronunciat non aliud Deo esse, ac personam esse, bonum, justum, sapientem esse; è contra verò in mente Scoti aliud sit Deo esse, ac personam, ac bonum, ac justum esse; aliud, inquam, saltem realiter formaliter ante mentis operationem; consequens videtur Scotum sententiam suam non satis accommodasse ad modum & normam loquendi S. Augustini.

S. Fulgentius in Responsione ad Ferrandum, Interrog. 2. *Claret*, inquit, *hoc esse catholicæ veritatis, ut cùm in Deo divinitatem, magnitudinem, bonitatem, virtutem nominamus . . . . . non in istis diversis nominibus quædam diversa : . . . . sed unum illud, quod est essentia vel natura, certissimè noverimus.* At in opinione Scoti diversa illa sunt, si non entitate, saltem reali & actuali formalitate ante mentis operationem. Fulg. 421.

S. Joannes Damascenus L. 1. orthodoxæ fidei c. 11. *Unum idemque omninò sunt Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: nisi quòd Pater genitus non est, Filius genitus est, Spiritus sanctus processit. Quod autem in ea distinctum est, cogitatione sola distinguitur.* Si cogitatione sola, non ergo reali & actuali formalitate ante mentis operationem, ut vult Scotus, qui in sententiam Gilberti incidisse videtur. Iste quippè non sola cogitatione Mathematica, quæ unum ab alio distrahit; sed etiam ratione Theologica distinguebat inter personam Ed. Bil. pa. 471. Otto L. 1. c. 56.

L. 2 & es-

& eſſentiam divinam. Per rationem autem Theologicam quid aliud intelligi meritò poteſt, quàm ratio formalis quæ dicitur eſſe in re ipſa ex natura rei, independenter ab operatione mentis? Cùm igitur S. Damaſcenus à Durando laudatus, ait: vocem hanc *ingenitus*, non *naturæ diſcrimen*, *nec diL. 1. Orthod. fidei c. 9.* *gnitatem atque auctoritatem*, *ſed exiſtendi modum indicare*; modum illum reiter ante mentis operationem diſtinctum eſſe non contendit, ſed ſola dumtaxat cogitatione, ut diſertè profitetur c. 11. Quamvis etenim relationes ab eſſentia non differant ex natura rei, poſſunt nihilominus concipi, non ut res, ſed ut modus eſſentiæ.

S. Anſelmus Monologii cap. 17. *Cùm igitur*, inquit, *illa natura nullo modo*
Pa. 10. sol. 2. A. *compoſita ſit, & tamen omni modo tota illa bona ſit: neceſſe eſt ut illa omnia non plura, ſed unum ſint. Idem igitur eſt quodlibet unum illorum, quod omnia, ſive ſimul, ſive ſingula; ut cùm dicitur juſtitia, vel eſſentia, idem ſignificat, quod alia, vel omnia ſimul, vel ſingula. Quemadmodum itaque unum eſt, quidquid eſſentialiter de ſumma ſubſtantia dicitur: ita ipſa uno modo una conſideratione eſt quidquid eſt eſſentialiter . . . . . Illa ſumma eſſentia nullo modo ſic eſt aliquid, ut illud idem ſecundùm alium modum, aut ſecundùm aliam conſideracionem non ſit: quia quidquid aliquo modo eſſentialiter eſt, hoc eſt totum quod ipſa eſt.*

Denique S. Bernardus L. 5. de Conſider. c. 6. *Si bonum*, inquit, *ſi magnum*,
Ad. Malbill. p. 450. D. *ſi beatum, ſi ſapientem, vel quidquid tale de Deo dixeris, in hoc verbo inſtauratur, quod eſt, Eſt. Nempè hoc eſt ei eſſe quod hæc omnia eſſe.*

Et c. 7. Gilbertum Porretanum ſic premit. *Quid eſt Deus? Quo nihil melius cogitari poteſt. Si approbas, non oportet aſſentiaris eſſe aliquid, quo Deus ſit,*
Ibid. p. 451. C. *& quod Deus non ſit. Hoc enim ſine dubio melius. Quomodo non melius Deo, ſi Deus non eſt, quod dat Deo ut ſit? At meliùs illam divinitatem, quæ dicunt Deum eſſe, non aliud quàm Deum eſſe fatemur. Non eſt ergo in Deo niſi Deus. Quid? inquiunt: negas Deum habere divinitatem? Non, ſed quod habet, hoc eſt. Negas divinitate Deum eſſe? Non, ſed non alia, quàm quæ ipſe eſt. Aut ſi tu aliam invenisti, adjuvet me Trinitas Deus, adversùs illam tota me contumacia erigo. Quaternitas orbem diſterminat, non ſignat deitatem. Deus Trinitas eſt, Deus trium ſingula perſonarum ... Multa dicuntur eſſe in Deo, & quidem ſanè, Catholicèque, ſed multa unum. Alioquin ſi diverſa putemus, non quaternitatem habemus, ſed centenitatem. Verbi cauſa, dicimus magnum, bonum, juſtum & innumera talia; ſed niſi omnia unum in Deo, & cum Deo conſideres, habebis multiplicem Deum.* Iſtud verò S. Doctoris ratiocinium, non minùs realem formalem, quàm realem entitativam diſtinctionem in divinis oppugnat. Hac enim ſuppoſita formali diſtinctione, 1. Divinitas non eſt Deus in ſenſu reali formali. 2. Divinitas, noſtro modo intelligendi, erit quid melius quàm Deus, quando quidem eſt forma qua Deus eſt. 3. In ſenſu reali formali ante mentis operationem, eſt in Deo non Trinitas tantùm, ſed quaternitas. Quæ quidem totidem abſurda ſunt, quibus S. Doctor Gilbertum premebat.

Rurſus Serm. 80. in Cantica n. 6. in eundem errorem ſic inſurgit. *Recè-*
Pagina 1548. C *dant à nobis, cariſſimi*, inquit, *recedant novelli, non dialectici, ſed hæretici, qui magnitudinem, qua magnus eſt Deus; & item bonitatem, qua bonus eſt; ſed & ſapientiam, qua ſapiens; & juſtitiam, qua juſtus; poſtremò divinitatem, qua Deus eſt, Deum non eſſe inpiiſſimè diſputant. Divinitate, inquiunt, Deus eſt, ſed divinitas non eſt Deus. Forſitan non dignatur Deus eſſe, quæ tanta eſt ut faciat Deum.*

Deum. Sed si Deus non est, quid est? Aut enim Deus est, aut aliquid quod non est Deus, aut nihil. Equidem non das Deum esse, sed ne nihilum quidem, (ut opinor) dabis, quam usque adeò necessariam Deo esse fateris, ut non modò absque ea Deus esse non possit, sed ea sit. Quòd si aliquid est, quod non est Deus: aut minor erit Deo, aut major, aut par. At quomodo minor, qua Deus est? Restat ut aut majorem fatearis, aut parem. Sed si major, ipsa est summum bonum, non Deus: si par, duo sunt summa bona, non unum; quod utrumque Catholicus refugit sensus. Sic egregiè Gilberti sententiam confutabat S. Bernardus.

Qui hactenus laudati à nobis sunt SS. Ecclesiæ Doctores, non tantùm auctoritate sua, quæ gravissima est, sed pondere rationum quibus illi nituntur, conclusionem nostram demonstrant. Rationes autem illæ ex duplici omninò fonte ducuntur: ex summa nimirum Dei perfectione, & simplicissima natura.

1. Deus est ens perfectissimum, quo nihil melius est aut cogitari potest: atqui, nostro modo concipiendi, ens perfectissimum non foret, si maxima, quæ excogitari potest, identitate, sibi perfectiones omnes non identificaret. Namque ens quod per suam essentiam entis plenitudinem, totalitatem, universalitatem continet, ita ut non nisi per conceptus magis vel minùs explicitos ejus perfectiones à nobis distinguantur, perfectius videtur eo in cujus essentiali & formali conceptu omnes perfectiones non includuntur: cùm ergo Deus sit ens perfectissimum, perfectiones omnes in suo conceptu essentiali & formali includit; & consequenter, nulla in ipso realis actualis & formalis ante mentis operationem distinctio excogitari debet.

Confirmatur. Quia si Deus in suo essentiali & formali conceptu omnes omninò perfectiones non includeret, perfectiones illæ quasi ab extrinseco ipsi advenire conciperentur, & ita quasi per quamdam participationem eas Deus possideret; quod certè absurdum est. Hac ratione ductus haud dubiè fuit S. Th. ut diceret Gilbertum existimasse, relationes *in divinis, assistentes esse, sive extrinsecùs affixas*. Momentum istud urget S. Bernardus L. 5. de Consid. cap. 7. & ante ipsum S. Augustinus Lib. 15. de Trinit. c. 5. verba descripsimus. *1. p. q. 28. art. 2.*

2. Deus est ens simplicissimum, & quidem maxima, quæ excogitari à nobis potest, simplicitate: sed ens hujusmodi distinctionem omnem realem actualem & formalem ante mentis operationem excludit; ergo, &c. Rationem istam urget S. Bernard. contra Gilbertum L. 5. de Consid. c. 7. & S. Anselm. Monologii c. 17. Ita Gerso Lectione 2. contra vanam curiositatem. *Fides salubertima*, inquit, *& omnis Metaphysica tradit nobis quòd Deus est simplicissimus in supremo simplicitatis gradu supra quàm imaginari possimus. Hoc dato quid opus est ipsam unitissimam essentiam per formas metaphysicales .... secernere, dividere &c.* *T. 1. Edit. Op. Gers. p. 100.*

Inter articulos quos Stephanus Episcopus Parisiensis damnavit ex consilio atque sententia Theologorum Parisiensium anno 1276. iste legitur. *Quòd aliquid sit Deus realiter quod non sit formaliter Deus.*

Et inter articulos à Ludovico revocatos anno 1362. iste reprehenditur: *Quòd aliquid sit Deus secundùm suum esse reale, & tamen non sit Deus secundùm suum esse formale.* *Gerso: minus l. 3. p. 43*

Ad censuram illorum articulorum procul dubio respiciebat Gerso Lectione secunda contra vanam curiositatem, consideratione quinta ubi sic ait. *Dum*

T.1.Op Gerſ.a. 1 lit p. 101. *dum unus è prædeceſſoribus meis, & ſacra Theologiæ Facultas notabilem fecerunt ſuper hac materia determinationem, in qua ponitur articulus iſte inter cæteros; Quòd aliquid in divinis ſit Deus ſecundum ſuum eſſe reale, quod non ſit Deus ſecundum ſuum eſſe formale: error eſt ad ſenſum quem facit.* Revocatum hunc articulum fuiſſe, obſervat ibidem Gerſo, ac auctorem non appellat. Fuit ille nomine Ludovicus qui anno 1362. dictum retractavit articulum. Ibidem: *Utinam*, pergit Cancellarius Pariſienſis, *juxta monitionem Facultatis nuper factam, parcius iſta materia & ſimiles pro hac vel illa diſcuterentur parte.* Paulò antè dixerat, *dudum* damnatum & revocatum articulum: hìc vero *nuper*. An verò ſpatium temporis quod finxit ab an. 1362. quo revocatio dicti articuli facta eſt, uſque ad annum 1402. quo ſuum contra vanam curioſitatem opuſculum emiſit Gerſo, concordet cum iſtis verbis, *dudum*, &, *nuper*, judicet lector, ſive Typographi incuria irrepſerit verbum *nuper*, ſive re ipſa ſemel & iterum de hac re ſacra Facultas vario tempore ſententiam ſuam dixerit.

Rurſus idem Gerſo in Epiſtola ad quemdam Minorem ſcripta anno 1426. quæ tota eſt de laudibus S. Bonaventuræ ait, *Damnata eſt nuper per prædeceſſores meos in ſacra Theologiæ Facultate (ſub pluribus articulis) doctrina, quam* To. 1. p. 118. *nonnulli ſolùm impunè ſubtilem garriunt, quam ignorantes veluti picæ loquaciſſimæ ſtabilire nituntur, cùm ſit meræ inſaniæ, & vanitas falſa. Unus articulus inter cæteros eſt, quòd aliquid ſit Deus realiter, quod non ſit formaliter Deus.* Quam formalem diſtinctionem ſubinde refellit Gerſo.

Vim hujus cenſuræ eludunt quibus ea non placet, 1. Quia ſuſpectæ ac dubiæ fidei ipſis videtur. 2. Quia ad rem præſentem, inquiunt, non pertinet: diſtinctionis quippè formalis defenſores non docent aliquid eſſe Deum realiter, quod non ſit formaliter Deus, quaſi foret aliquod in Deo attributum, quod non eſſet ipſamet Dei ſubſtantia ſeu eſſentia. 3. Addunt articulum damnatum obſcurum eſſe & implicatum, qui non ſatis accuratè ac nitidè ſententiam formalis diſtinctionis exprimit; quæ hoc unum fert, unum ſcilicet attributum, v.g. juſtitiam, formaliter non eſſe miſericordiam.

Verùm Gerſo ſemel & iterum hujus cenſuræ mentionem facit, nec quis facilè in mentem ſuam induxerit, virum tam gravem ac ſapientem vanis dumtaxat rumoribus aures ſuas accommodaſſe circa rem quam bis repetit, *nuper*, id eſt paucis ante ſe annis contigiſſe. 2. Ludunt hìc in æquivoco: Si enim per terminum iſtud, *formaliter*, idem omninò ſignificare volunt quod per iſtum *realiter*, *vel identicè*, ultrò fatemur eos hoc ſenſu non exiſtimare aliquid eſſe Deum realiter, quod non ſit realiter & identicè Deus; alioqui nugatoria foret & identica, ut vocant, propoſitio. Si verò per terminum iſtum, *formaliter*, intelligunt, ut revera eſt, formalitatem quamdam objectivam actualem & realem ante mentis operationem, tcſtatur Gerſo ſententiam illam cenſura Pariſienſi confixam fuiſſe: quapropter articulus damnatus clarus & apertus viſus eſt Theologis noſtris Pariſienſibus.

SECUNDA CONCLUSIO.

Inter attributa divina tùm abſoluta tum relativa comparata ad eſſentiam, & abſoluta ad invicem, datur diſtinctio virtualis cum fundamento ex parte Dei: non tamen perfecta, ſed imperfecta ſenſu in prænotatis expoſito.

Duæ

Duæ sunt Conclusionis partes.

Prima pars probari 1. potest iis omnibus Scripturæ locis, in quibus de Deo plura prædicantur, bonitas, justitia, sapientia, immortalitas, &c. unde Christus Joan. 16. v. 15. numero plurali ait: *Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt.*

2. Ex Conc. Florent. suprà laudato Sess. 18.

3. Ex SS. Patribus, iis maximè qui adversùs Eunomium distinctionem hanc virtualem ex professo demonstrarunt, SS. Basilius, Gregorius Nyssenus & Nazianzenus, & alii benè multi. Unum hic appellabimus Basilium, qui manifestè distinctionem hanc virtualem inter proprietates personales ac divinam essentiam designat his verbis, L. 2. adversùs Eunom. *Hæc est enim proprietatum natura*, inquit, *ut in substantiæ identitate aliud quiddam ostendant.* Audis, in *identitate substantiæ*? Nulla igitur est realis & actualis ante mentis operationem, sed virtualis dumtaxat & rationis distinctio inter relationes & divinam substantiam. Adde, non rarò S. illum Doctorem unà cum sancto Gregorio Nazianzeno affirmare ex commentatione, hoc, est cogitatione seu mentis operatione dumtaxat, subsistantiam divinam & modos seu formas, caracteres & notas, id est, proprietates & perfectiones divinæ essentiæ inter se distingui. Ed. nov. To. 1. p. 265. C.

Probatur præterea manifesta ratione. Ea virtualiter distingui dicuntur, quæ tametsi unam & simplicissimam habeant entitatem, multis tamen distinctis ob naturæ suæ præstantiam & excellentiam æquivalent, ac diversos effectus producunt, unde menti nostræ fundamentum & causam præbent diversorum conceptuum: atqui essentia Dei cum attributis comparata, & attributa ad se invicem, unam habent & quidem simplicissimam entitatem, ex dictis Conclusione prima; atque ob naturæ suæ præstantiam & excellentiam pluribus distinctis æquivalent, multosque ac diversos effectus producunt, quos producerent causæ creatæ realiter distinctæ, v.g. eadem simplex & infinita entitas divinæ substantiæ, prout æquivalet absoluto, communicatur; prout æquivalet relativo, non communicatur &c.

Hinc patet 1. Distinctionis virtualis fundamentum duplex esse: unum ex parte Dei, summam & infinitam ejus perfectionem: alterum ex parte nostri, mentis scilicet nostræ tenuem ac finitam capacitatem, qua fit, ut uno & simplici conceptu omnes Dei perfectiones percipere non valeamus. 2. Distinctionem virtualem prout fundamentum habet in reipsa, dici posse realem virtualem; quatenus verò est ex parte intellectus distinguentis, dici posse formalem: qua ex parte differt à distinctione formali Scoti, quæ actualis est, & realis formalis ante mentis operationem.

Secunda pars Conclusionis probatur 1. Quia distinctio virtualis imperfecta, ea est per quam unum ab alio non potest ita perfectè præscindi, quin in eo implicitè saltem ac confusè contineri intelligatur: atqui divina attributa nec ab essentia, nec à se invicem ita perfectè præscindi possunt, quin sese mutuò implicitè saltem ac confusè includere intelligantur. Et quibus rationum momentis probavimus suprà, essentiam divinam essentialiter & formaliter in suo conceptu omnes omninò perfectiones simpliciter simplices implicitè saltem includere, iisdem probatur perfectiones illas sese mutuò etiam continere; ergo inter attributa divina ad essentiam, & ad se invicem comparata, datur distinctio virtualis solùm imper-

fecta, quæ nempè sit penes conceptus nostros magis aut minùs explicitos.

Probatur 2. Quia cùm Deus sit ens perfectissimum quo nihil melius est ac cogitari potest, de ipso id sentiendum quod nostro intelligendi modo perfectius videtur: atqui videtur esse aliquid perfectius si essentia divina & attributa ita sese mutuò includant ac contineant formaliter, saltem implicitè, ut unum ab alio perfectè præscindi ac per mentem separari non possit. Hoc modo omni ex parte infinita concipitur divina essentia; & quodlibet attributum etiam infinitum est in omni genere, quod certè videtur quid majus atque perfectius, quàm si infinitum concipiatur in aliquo dumtaxat genere; ergo admittenda tantùm in Deo distinctio virtualis imperfecta.

Solvuntur Objectiones adversùs primam Conclusionem.

OBjicies 1. nonnulla SS. Patrum testimonia, quibus declarant in divinis non idem esse naturam & personam: aliud esse naturam seu substantiam, & res seu proprietates naturæ; variis denique nominibus, varias distinctasque perfectiones significari. Ita

S.Basilius L.1. contra Eunomium affirmantem cuncta quæ de Deo dicuntur, secundùm substantiam dici, & ingenitum seu ingenerationem esse ipsammet Dei substantiam. *Quomodo igitur ridiculum non est*, ait S.Doctor n. 8. *creandi facultatem substantiam esse dicere? aut etiam providentiam, aut similiter præscientiam rursus substantiam esse? &, uno verbo, omnem actionem substantiam putare?* Quod quidem esse perabsurdum ostendit ibidem; quia consequens inde foret variis nominibus idem omninò significari, unde summa inter divinas perfectiones confusio & perturbatio resulteret: *qua confusione*, ait, *quid unquam absurdius fiet?*

Ed.nov. To.1.p. 219. E.

S. Gregorius Nyssenus contra Eunomium Oratione 12. *Putat*, inquit, *Eunomius, neque justitiæ rationem diversam esse ab his quæ dicta sunt existere, neque sapientiæ rationem & potentiæ & bonitatis & uniuscujusque nominum quæ Deo decere congruunt... et si hæc statuit Eunomius, quid frustra Scripturæ multis nominibus divinam naturam vocant Deum judicem, justum, fortem, longanimem, verum, misericordem?* Anteà dixerat, *horum nominum uniformem non esse significationem.*

T.1.p. 901. D.

S.Gregorius Nazianzenus Oratione 35. *Quid? an etiam immortalitas, & innocentia, & immutabilitas essentia Dei sunt? At si ita est multæ Dei essentiæ erunt, non una: aut certè compositus ex his Deus erit. Neque enim hæc citra compositionem esse queunt, si modò essentiæ sunt.*

T.1.p. 569. A.

S. denique Aug. ut alios omittamus, L.7. de Trinit.cap.1. ait Patrem non esse sapientem sapientia genita sed ingenita, Filium verò sapientem esse sapientia genita. Et c.4.n.9. *Si autem*, inquit, *aliud est Deo esse, aliud subsistere, sicut aliud Deo esse, aliud Patrem esse, vel Dominum esse; quod enim est, ad se dicitur, Pater autem ad Filium & Dominus ad servientem creaturam dicitur.* Et Lib.5.c.5.n.6. dixerat. *In Deo nihil secundùm accidens dicitur, quia nihil in eo mutabile est; nec tamen omne quod dicitur, secundùm substantiam dicitur. Dicitur enim ad aliquid, sicut Pater ad Filium, & Filius ad Patrem, quod non est accidens.... non secundùm substantiam hæc dicuntur.*

To.8.p. 811. & seq. Ibid. p. 860. E. Ibid. p. 834. F.

Resp.1.His testimoniis, si ad litteram rigidè urgerentur, probari posse non tantùm realem formalem, sed etiam realem substantialem seu entitativam esse

esse inter essentiam divinam & attributa distinctionem. Ajunt etenim bonitatem, justitiam, sapientiam, &c. non esse Dei essentiam seu substantiam, ea de Deo non dici secundùm substantiam, &c. attamen concludere inde non licet, in mente illorum Doctorum, esse inter essentiam & divinas perfectiones realem & entitativam distinctionem.

Resp. 2. Hujusmodi testimonia benignè interpretanda, ex scopo SS. Patrum, ac statu controversiæ quæ illis erat cum hæreticis sui temporis.

Ita contra Eunomium, qui omnem omnino etiam rationis & virtutis distinctionem à divinis excludebat, ac naturam Dei in sola collocabat ingeneratione seu in solo *ingenito*, iis interdum verbis utuntur quibus realem substantialem, seu entitativam distinctionem videntur exprimere; at verò contra Gilbertum Porretanum; qui realem aliquam admittebat in Deo distinctionem, omnem omnino etiam virtualem videntur excludere. Et tamen illi omnes benigna interpretatione exponendi sunt, ita ut qui nullam distinctionem agnoscere videntur, realem dumtaxat entitativam, aut saltem formalem excludant; qui verò realem & substantialem videntur admittere, ii de virtuali dumtaxat sint intelligendi. Benignam hanc & commodam interpretationem à nobis exigit non tantùm æquitas & justitia, sed & reverentia quæ SS. Ecclesiæ Doctoribus debetur.

Resp. 3. Quæ hic opponuntur SS. Patrum testimonia, non de reali entitativa, aut reali formali; sed de virtuali dumtaxat & rationis ratiocinatæ distinctione intelligi facilè posse ac debere.

1. Cùm aiunt *ingenerationem seu ingenitum, providentiam, præscientiam, bonitatem, justitiam, &c. non esse Dei substantiam, vel de substantia Dei non dici*: Distinguo; in sensu virtuali, & quoad nomen, nominisque significationem, concedo: in sensu reali entitativo, aut reali formali, nego. Re ipsa enim variis nominibus essentia seu natura Dei ejusque attributa exprimuntur, & res iis nominibus significatæ, diversæ sunt, non quidem re & entitate, sed virtute & æquivalentia. Per substantiam, natura seu essentia significatur; per attributa, naturæ proprietates, affectiones, formæ, modificationes &c. *Liquidò constat*, ait S. Gregorius Nyssenus frater S. Basilii, Oratione 12. contra Eunomium, *ingenitum non esse nomen essentiæ, sed differentiæ alicujus, eorum quæ intelliguntur, significativum, quæ quod est genitum à non genito facit discrepare.* T. 1. p. 304. B. Ad scopum verò & institutum SS. Basilii & Gregorii utriusque, qui cum Eunomio disputabant, satis ipsis erat ostendisse, *ingeniti seu ingenerationis* nomine non naturam ipsam seu substantiam Dei, sed dumtaxat differentiam, proprietatem, affectionem, seu modum quemdam naturæ significari: quod appositè dicebatur contra Eunomium, qui formalem substantiæ divinæ rationem in ipsa ingeneratione seu in ipso ingenito constituebat; ex quo consequens istud erat, quod volebant Anomæi, Filium substantia Deum non esse, sed natura Patri dissimilem. Illas autem divinæ substantiæ proprietates seu affectiones, non re, vel entitate, vel formalitate, sed tantùm nomine, significatione & ratione à divina substantia distingui, docebant iidem SS. Docteres. Instar omnium sit S. Basilius, qui L. 1. adversùs Eunomium n. 7. de Christo loquens ait: *Cùm unum sit secundùm subjectum, sitque una substantia simplex & non composita, aliàs aliter seipse nominat, diversas appellationes inter se ratione dissidentes sibi ipsi accommodans.* Ed. no. T. 1. p. 218. C. Non igitur,

ex S.

ex S. Basilio, re seu entitate, sed ratione dumtaxat, proprietates illæ à natura distinguuntur.

Ajunt 2. Per attributum quodlibet, non omnes, sed aliquas ac speciales perfectiones designari; alias, omnia synonima forent, unde sequeretur absurdissima in idiomate confusio.

Verùm, id libenter concedimus. Unum quippe attributum tùm quoad nomen, tùm quoad significationem, aliud explicitè non exprimit: at minimè inde probatur, ea aut à se invicem, aut ab essentia distingui actu & formaliter ante quamlibet mentis operationem; quia ad varias illas appellationes, & distinctam earum significationem, distinctio virtualis sufficit.

Ajunt 3. cum S. Augustino, Patrem non esse sapientem sapientia genita; Patrem non ad se dici, sed ad Filium. Rectè quidem: sed qua arte hinc eliciatur distinctio formalis inter attributa & essentiam, non video. Pater verè dicitur ab Aug. sapiens non sapientia genita, quasi sapientiam à Filio haberet; cùm è contra potius, Filius à Patre per æternam generationem, ut naturam, ita & sapientiam accipiat. Sapientia tamen Filii & sapientia Patris non distinguuntur, uti nec essentia; cùm una numero & eadem sit in utroque natura. Rectè etiam dixit, Patrem non ad se, sed ad Filium dici: vox enim illa *Pater*, relativa est, non absoluta; neque enim Pater suimetipsius Pater est, sed Filii.

Unde inter Patrem & Filium, inter paternitatem & filiationem, est quidem realis distinctio, cùm Pater & Filius sint duæ personæ, ac paternitas & filiatio relativè inter se opponantur: verùm, inter paternitatem & filiationem comparatè ad essentiam divinam, nulla est distinctio realis, nequidem formalis; cùm virtualis & rationis ratiocinatæ idem prorsùs efficiat, quod efficeret distinctio realis; nempe ut communicetur essentia non communicata personalitate, seu relatione personali.

Objicies 2. Ea distinguuntur realiter formaliter de quibus prædicata contradictoria enunciantur: atqui de essentia & relationibus prædicata contradictoria enunciantur. Communicari quippe & non communicari, sunt prædicata contradictoria: atqui essentia divina communicatur, relatio verò seu personalitas non communicatur; ergo inter relationes & essentiam intercedit distinctio realis saltem formalis ante mentis operationem.

Resp. Nego majorem. Namque de una & simplici entitate, virtute, & efficientia multiplici, contradictoria enunciari possunt. Ratio est, quia contradictoria verè non sunt, nisi de eodem sub eodem respectu enuncientur. Porrò ubi res simplex quidem, sed virtute multiplex est, non unus & idem est respectus: v. g. essentia divina prout absoluta, communicatur; prout verò æquivalet relativo, non communicatur. In humanis pariter, sub vario respectu de eadem natura dici potest quòd communicetur & non communicetur: natura v. g. Petri communicatur filio, ut specifica est; non communicatur verò, ut singularis & individua.

Instabis 1. Ante mentis operationem, in Deo intellectus non est voluntas: quia nempe sunt potentiæ seu facultates diversæ, quæ distinguuntur per actus diversos, generationem scilicèt, quæ ad intellectum; & spirationem activam, quæ ad voluntatem pertinet: ergo sicut actus illi distinguuntur formaliter ex natura rei, ita & facultates quarum sunt actus, ut vocant, notionales.

Con-

Confirmatur. Quia verum est affirmare in sensu reali formali ante mentis operationem, voluntatem in Deo non generare: alioquin in sensu formali reali, terminus voluntatis dici posset Filius, quod certè falsum est; ergo voluntas in sensu reali formali ante mentis operationem distinguitur ab intellectu.

Resp. 1. Hoc ipso argumento probari quoque posset, non tantùm formalem, sed & realem majorem distinctionem admitti debere inter voluntatem & intellectum; quia termini utriusque illius potentiæ, Filius nempe & Spiritus sanctus, non tantùm formaliter, sed realiter à se invicem distinguuntur.

Resp. Nego antecedens; Ad probationem distinguo. Potentiæ distinguuntur per actus, virtualiter & ratione ratiocinata, concedo: formaliter & ex natura rei; nego. In creatis etiam, unus & idem intellectus identitate tùm reali tùm formali, producit actus intellectionis non tantùm formaliter, sed etiam realiter distinctos: quidni ergo in divinis potentiæ aut actus virtualiter tantùm distincti, producunt terminos realiter inter se distinctos?

Ad confirmationem, nego consequens. Equidem de divina voluntate dici non debet, quòd generet, quia generatio est actus notionalis qui pertinet ad intellectum; & cùm, nostro concipiendi modo, priùs, prioritate saltem rationis, agat intellectus quàm voluntas, atque uno & simplici actu intellectus divini, tota vis generandi in Patre exhauriatur per productionem Verbi infiniti, consequenter voluntas dici non debet generare; neque tamen inde sequitur quòd sit realiter formaliter distincta ab intellectu. In creatis etiam voluntas non intelligit, nec tamen ab intellectu realiter distinguitur.

Instabis 2. Ea distinguuntur formaliter, quorum unum non est aliud formaliter: atqui unum attributum v.g. bonitas, non est formaliter sapientia. 1. Quia diversas habent definitiones ut per se patet. 2. Bonitas in genere, non est sapientia in genere; ergo nec bonitas infinita Dei est ejus sapientia: ratio enim finiti vel infiniti non mutat formales illarum perfectionum rationes. Sicut ergo in creatis contractæ per differentiam finiti, adhuc ex natura rei distinguuntur, ita & in Deo contractæ per differentiam infiniti. 3. denique, quia attributa divina sunt plura & numerum efficiunt: at numerum efficere non possunt, nisi inter se distinguantur saltem formaliter.

Resp. Nego primam minorem propositionem. Ad primam ejus probationem distinguo: diversas habent definitiones, formales ex parte intellectus, concedo: objectivas ex parte rei ipsius, subdistinguo: diversas fundamentaliter, concedo; formaliter & actu, adhuc distinguo: diversas & inadæquatas, quia definitio unius explicitè non enuntiat definitionem alterius attributi, concedo: diversas adæquatas, quasi uniusattributi definitio, implicitè saltem ac confusè & ut est in se à parte rei, non contineret alias perfectiones, nego. Quidquid enim est in Deo, realiter & in se infinitum est in omni genere perfectionis; quia quidquid est in Deo Deus est.

Ad secundam, dico bonitatem ut sic & in genere, neque esse neque non esse sapientiam in genere, sed abstrahere à quacumque differentia. Sicut enim ens in se, nec creatum est nec increatum; & tamen contractum ad Deum, verè infinitum est & increatum: ita quoque, bonitas in se nec includit nec excludit sapientiam; prout tamen in Deo est, infinita est ac summè perfecta; & sub illa ratione, maxima identitate sibi perfectiones omnes identificat.

ficat. E contra verò, bonitas in creatis cùm sit finita & imperfecta, mirum non est, si non tantùm formaliter, sed actu ac realiter à sapientia aliisque perfectionibus distinguatur.

Ad tertiam, dico Attributa divina, virtute tantùm, excellentia, & equivalentia plura esse, ac numerum efficere; non re, non entitate. Et verò licèt entitate infinita sit Dei natura, non tamen infinitas exigit entitates in se numero distinctas; ergo neque etiam numero & extensivè, infinita attributa.

Instabis 3. Bonitas & sapientia v. g. plùs inter se differunt quàm bonus & bonitas, sapiens & sapientia: sed inter bonum & bonitatem, sapientiam & sapientem, major est quàm rationis distinctio; ergo formalis. Pariter justitia & misericordia plùs inter se differunt, quàm omnipotentia & misericordia, quia magis inter se opponuntur, & effectus magis oppositos producunt.

Resp. Distinguo majorem. Plùs inter se differunt intra fines distinctionis virtualis, concedo: extra hos fines, nego. Inter bonum & bonitatem est tantùm distinctio penes modum significandi, eo scilicèt modo quo concretum ab abstracto distinguitur; ubi certè nullum est, aut saltem levissimum distinguendi fundamentum. Inter bonitatem autem & sapientiam, est distinctio cum legitimo in re fundamento.

Distinguo pariter istam propositionem; Justitia & misericordia plùs differunt quàm omnipotentia & misericordia, fundamentaliter, esto: quia nempe majus esse potest fundamentum distinguendi, propter effectus oppositos justitiæ & misericordiæ: plùs differunt entitate, aut formalitate reali & actuali ante mentis operationem, nego.

Instabis 4. Dum concipitur justitia divina v. g. vel huic conceptui respondet à parte rei diversa formalitas, vel eadem quæ respondet conceptui sapientiæ: atqui non eadem; aliàs, una & eadem foret omnium definitio & omnia synonima forent: si verò diversa formalitas respondet, ergo differunt à parte rei formaliter.

Resp. Omnibus Attributis divinis unam & eandem à parte rei respondere formalitatem objectivam, & in esse reali, non verò eandem in esse intentionali & ex parte mentis. Unde falsum est quod assumit objectio, omnia Attributa esse synonima, & unam eandemque habere definitionem: variis siquidem conceptibus à nobis apprehenduntur & explicantur; quamquam, ut dictum est, cùm unum attributum seorsim ab alio definitur, inadæquata est & imperfecta definitio: entitas enim divina tota non definitur, sed ex parte tantùm.

Ergo, inquies, vitiosa est definitio, quæ totam rei definitæ naturam non exponit.

Resp. Vitiosam non esse sed imperfectam, pro conditione scilicèt finitæ nostræ cognitionis. Mens quippe humana finita & limitata, Deum infinitum nec perfectè hac in vita cognoscere, nec consequenter definire potest: Deus quippe longè superat omnem humanum captum & sermonem.

Instabis 5. Quæ habent objecta diversa inter se distinguuntur saltem formaliter: atqui Attributa divina v. g. justitia & misericordia habent objecta diversa; pariter intellectus divinus & voluntas ad diversa feruntur.

Resp. Nego majorem. Etiam in creatis intellectus & voluntas habent objecta diversa, nec tamen realiter distinguuntur: distinctio enim virtualis

sufficit

ſufficit ut res eadem entitate & natura ſed quæ virtute pluribus diſtinctis æquivalet, circa diverſa objecta poſſit occupari.

Objicies 3. Si relationes divinæ realiter formaliter ab eſſentia non diſtinguuntur, neque etiam à ſe invicem eas diſtingui fatendum erit; quia juxta receptiſſimum Scholæ axioma, quæ ſunt eadem uni tertio ſunt eadem inter ſe: atqui falſum relationes divinas ab invicem realiter non diſtingui; ergo &c.

Reſp. Nego ſequelam majoris. Ad probationem, diſtinguo; Quæ ſunt eadem uni tertio incommunicabili, ſunt eadem inter ſe, concedo: quæ ſunt eadem uni tertio communicabili, nego. Sic Petrus & Paulus non ſunt quid idem inter ſe, licèt conveniant in natura humana; quia nempe natura illa pluribus eſt communicabilis: ita pariter de natura divina ſentiendum, quæ pluribus perſonis communicatur. Ratio autem eſt, quia cùm natura pluribus communicatur, neceſſe eſt intercedat relationis oppoſitio, & conſequenter realis diſtinctio inter perſonam communicantem, & eam cui communicatur natura.

Unde prædictum axioma poteſt ſic exponi: nempe, Quæ ſunt eadem uni tertio ſunt eadem inter ſe, in eo præcisè in quo cum tertio conveniunt, verum eſt: in aliis, falſum. Sic tres divinæ perſonæ ſunt eædem inter ſe ratione divinæ naturæ, quia eandem numero communicant; non ſunt verò eædem ratione perſonalitatis in qua ab invicem diſtinguuntur.

Inſtabis. Quæ ſunt æqualia uni tertio ſunt etiam æqualia inter ſe; ergo & quæ ſunt eadem quocunque tandem modo cum aliquo tertio, ſunt etiam eadem inter ſe.

Reſp. Nego conſequent. Diſparitas eſt quòd æqualitas conſiſtat in indiviſibili: quapropter quæ uni tertio æqualia ſunt, inter ſe quoque æqualia eſſe neceſſe eſt: at verò, quæ ſunt eadem uni tertio, non conſequenter ſunt in omnibus eadem inter ſe, maximè cùm inter illa intercedit relationis oppoſitio; ſed tantùm ſunt eadem inter ſe, quantùm ad id in quo cum uno tertio conveniunt.

Solvuntur Objectiones adversùs ſecundam Concluſionem.

OBjicies 1. SS. Patres aſſerunt 1. in Deo rem unam & ſimplicem omnia eſſe. 2. Ea quæ de Deo prædicantur, eſſe dumtaxat proprietates & varia nomina, quibus idem omnino ſignificatur. *Omnia namque Deo competentia, tam cogitatæ quàm nomina*, ait S. Baſil. Epiſt. 80. *ejuſdem inter ſe ſunt conditionis, eò quòd circa ſubjectâ ſignificationem nihil habent diſcriminis.* Et S. Anſelmus Monolog. c. 17. *Idem eſt quodlibet unum illorum, quod omnia, ſive ſimul, ſive ſingula: ut cùm dicitur juſtitia, vel eſſentia, idem ſignificat quod alia, vel omnia ſimul, vel ſingula.* Ed. ver. To. 2. p. 903. A. Pa. 10. col. 2. A.

Reſp. His SS. Patrum teſtimoniis, unam dumtaxat à Deo excludi diſtinctionem realem entitativam, aut realem formalem ante entis operationem; non autem virtualem ac rationis ratiocinatæ. Quòd quidem manifeſtè patet ex ſcopo, & ſtatu controverſiæ SS. illorum Doctorum, ſicut jam obſervatum à nobis fuit, cùm objectiones contra primam Concluſionem diluebamus.

Inſtabis. Iſtud in Conc. Remenſi præſide Eugenio III. ſtatutum fuit, *Ne ratio in Theologia dividat inter naturam & perſonam*. Addit Otto cap. 57. probatiores Porretani diſcipulos tenere, *Ne ratio in Deo diſcernat in intelligendo*;

ligendo, *ſed in dicendo*. Ergo ex mente Concilii Remenſis, omnis planè diſtinctio, etiam rationis ſeu virtualis, à Deo removeri debet.

Reſp. Hoc unum à Concilio Remenſi adversùs Gilbertum Porretanum ſtatutum dumtaxat fuiſſe, ne ratio aliquam realem in Deo diſtinctionem excogitaret, qualem excogitaverat Gilbertus, qui non tantùm *cogitatione Mathematica*, quæ unum ab alio diſtrahit; ſed etiam *ratione Theologica* diſtinguebat inter naturam & proprietates divinas ſeu abſolutas ſeu relativas. Non aliius eſt diſcipulorum Porretani ſenſus, nempe ne *in intelligendo*, hoc eſt, ne intellectus, realem; *ſed in dicendo* ſolùm, hoc eſt rationis diſtinctionem in Deo admittat.

Objicies 2. Plures ac diverſi de Deo conceptus formales efformari non poſſunt, niſi ex parte Dei plures ac diverſi reſpondeant conceptus objectivi, atqui plures & diverſi non ſunt ex parte Dei conceptus objectivi, cùm una & ſimpliciſſima ſit Dei entitas; ergo, &c.

Reſp. Nego major. Ad varios enim illos conceptus formales de Deo efformandos, ſufficit ex parte objecti, hoc eſt Dei, infinita perfectio, qua fit ut pluribus diſtinctis æquivaleat, ſuppeditetque menti noſtræ diſtinguendi fundamentum.

Reſp. 2. Majoris claritatis & expoſitionis cauſa, diſtinguo majorem. Varios de Deo conceptus formales præciſivos efformare non poſſumus: nego: enuntiativos, iterum diſtinguo: quibus judicemus re ipſa in Deo varias eſſe rationes objectivas, concedo: quibus judicemus eas virtute tantùm & æquivalentia diverſas eſſe, nego. Explico. Cùm Deum diverſis conceptibus apprehendimus, vel id fit per ſimplicem mentis abſtractionem ſeu præciſionem, vel per judicium: per ſimplicem quidem abſtractionem, quando unum ſine altero concipitur neque affirmando neque negando; per judicium verò, ſi affirmetur vel negetur v. g. bonitatem eſſe vel non eſſe Dei ſapientiam &c. Porrò cùm Deum ac divinas ejus proprietates variis conceptibus præciſivis apprehendimus, neceſſe non videtur, ut ex parte objecti variæ ac diſtinctæ reſpondeant rationes formales objectivæ; ſed requiritur tantùm, ut objectum unum ac ſimplex virtute ſua infinita pluribus diſtinctis æquivaleat. Pariter cùm via judicii divina intelligimus, neceſſe quoque non eſt, ut ſupponentur ex parte Dei rationes formaliter diverſæ; quia mens noſtra non affirmat nec judicat illas re ipſa rationes in Deo formaliter eſſe diverſas: imò potius judicat eſſe virtute tantùm ac ratione cum fundamento in re, diſtinctas ac diverſas; cùm noverit Deum eſſe ſubſtantiam ſimpliciſſimam & infinitè perfectam.

Inſtabis 1. Falſa eſt apprehenſio quæ non eſt conformis objecto ſuo: ſed cùm intellectus apprehendit v. g. bonitatem divinam, abſtrahendo à juſtitia, hæc apprehenſio conformis non eſt objecto, quia bonitas in Deo eſt juſtitia; ergo nequidem præciſivè unum attributum apprehendi poteſt ſine alio.

Reſp. Diſtinguo majorem. Falſa eſt apprehenſio quæ non eſt conformis objecto ſuo, tam adæquatè quàm inadæquatè conſiderato, concedo: adæquatè ſolùm, nego. Ut apprehenſio vera ſit, ſatis eſt quòd ſit conformis objecto ſuo inadæquatè ſpectato, hoc eſt, ſecundùm eam rationem quæ menti objicitur. Sic v. g. ut apprehenſio bonitatis Dei conformis ſit objecto, neceſſe non eſt ut explicitè & adæquatè repreſentet quidquid eſt cum bonitate realiter & formaliter unum; ſed ſufficit, quòd bonitatem apprehendat præci-

præcisè ut bonitas est, hoc est, ut virtutem beneficam.

Instabis 2. Cognitio nostra planè extrinseca est respectu objecti cogniti, nec quidquam in eo ponit; ergo nulla in Deo est nequidem virtualis distinctio, sed hæc tota in mente nostra residet.

Resp. Distinguo consequens. Nulla est in Deo virtualis distinctio, quæ sit formalis ante mentis operationem, concedo: quæ sit fundamentalis & realis virtualis, in eminentia & summa Dei perfectione subnixa, nego.

Instabis 3. Unum attributum non potest cognosci sine alio: tùm quia non habet diversam veritatem objectivam; tùm quia tam implicat unum attributum cognosci posse sine alio, quàm rem eamdem simul produci & non produci; ergo nulla est nequidem virtualis distinctio inter Attributa.

Resp. Nego antecedens. Ad primam probationem distinguo. Unum attributum non habet diversam veritatem objectivam ab alio, formalem adæquatam, concedo: fundamentalem & inadæquatam, nego. Ad secundam, nego pariter. Disparitas est, quòd produci & non produci, existere & non existere sint prædicata intrinseca contradictoria quæ de re secundùm se totam affirmantur vel negantur: è contra, cognosci & non cognosci, sunt prædicata extrinseca quæ de eodem objecto re ipsa simplici, sed virtute multiplici, dici possunt; quandoquidem apprehendi potest sub una ratione, & non sub alia, saltem conceptu explicito & distincto.

Instabis denique. Non satis est ad virtualem rei alicujus distinctionem, quòd illa pluribus distinctis æquivaleat, aut distinctos effectus producat; aliàs una & eadem justitia v. g. a semetipsa virtualiter distingueretur, cùm diversos effectus producat, puniendo vel remunerando.

Resp. Nego antecedens & ejus probationem. Neque enim fundamentum est in re, ut justitia à semetipsa idcirco distinguatur, quòd diversos effectus producat: ex simplici quippe justitiæ notione facilè quilibet intelligit, illius esse pro meritis cujusque aut præmia, aut supplicia dispensare. In aliis verò Attributis tùm ad essentiam tùm ad se invicem comparatis, sufficiens occurrit fundamentum distinctionis virtualis, subsantiæ scilicèt divinæ infinitas & summa perfectio.

Quæres quomodo essentia divina de Attributis; & Attributa, tùm de essentia, tùm de se invicem prædicari possunt?

Resp. 1. Essentiam divinam & Attributa de se invicem prædicari, tùm in concreto tùm in abstracto, in sensu reali identico & formali implicito: adeoque veræ sunt istæ propositiones, Deus est bonus; Deus est bonitas; Divinitas est bonitas; Bonitas est justitia, &c. Ratio est, quia ex dictis, essentia & Attributa sunt quid unum & idem, non tantùm realiter identicè, sed realiter formaliter; ergo de se invicem prædicari possunt, sive in concreto sive in abstracto.

Resp. 2. Essentiam & Attributa de se invicem non prædicari in sensu virtuali aut formali explicito. Ita veræ non sunt istæ propositiones in sensu formali explicito, Intellectus est Voluntas; Voluntas intelligit; Intellectus vult; Misericordia punit. Ratio est, quia in sensu virtuali explicito distinguuntur Attributa à se invicem & ab essentia; atque alia est notio essentiæ, alia Attributorum ab essentia diffluentium: alia misericordiæ, alia justitiæ explicita definitio; ergo de se non prædicantur in sensu virtuali & formali explicito.

QUÆ-

QUÆSTIO QUARTA.

De divinis Attributis ſigillatim ſumptis.

ANtequam ad ſingula Dei Attributa exponenda deveniamus, neceſſe primùm eſt, aperire quid ſit in Deo attributum; & quæ generalis Attributorum diviſio.

Definitio Attributi divini.

I. Itaque Attributum divinum definiri à Theologis ſolet; Perfectio ſimpliciter ſimplex, abſolutè ac neceſſariò de Deo prædicabilis per modum formæ adjacentis.

Dicitur 1. perfectio: quæ particula tenet locum generis quod omnibus Attributis commune eſt. Omne ſcilicèt Attributum eſt perfectio, ſed non omnis vice verſa perfectio eſt Attributum; puta ea quæ ſimplex appellatur.

Dicitur 2. ſimpliciter ſimplex. Hoc eſt, quæ melior eſt ipſa quàm non ipſa; nec eſt incompoſſibilis cum alia, aut æquali, aut majori in eodem ſubjecto: atque ita à ratione Attributi excluduntur tùm perfectiones ſimplices & ſecundùm quid, quæ aliquam in ſuo conceptu imperfectionem involvunt, & de Deo formaliter non prædicantur; tùm ea omnia quæ de Deo ſenſu dumtaxat metaphorico enuntiantur; tùm relationes ipſæ divinæ, quæ ſunt tantùm perfectiones ſimplices & ſecundùm quid, non equidem ob imperfectionem, ſed ob incompoſſibilitatem in eodem ſubjecto.

Dicitur 3. abſolutè prædicabilis. Utnempe excludantur divinæ relationes, v. g. paternitas, filiatio, &c. quia eſſentiæ, ut eſſentia eſt abſoluta, non adjacent, ſed merè perſonales ſunt, quibus perſonæ conſtituuntur.

Dicitur 4. neceſſariò prædicabilis. Ut excludantur omnes reſpectus liberi, ſeu relationes Dei ad creaturas, v. g. relatio Creatoris, Domini, &c. Quippe Deo quidquam melius non eſt eſſe Creatorem, quàm non eſſe; cùm ſolus ſibi ſufficiat, nec indigeat creaturis.

Dixi ut excludantur relationes liberæ ad creaturas: ſunt etenim quædam relationes tranſcendentales, ut vocant, quæ à ſubjecto in quo ſunt, rationem entis abſoluti non removent, quæque Deo in ſe ſpectato & abſolutè conveniunt: qualis eſt, v. g. omnipotentia, ſcientia ſimplicis intelligentiæ &c. quæ ad creaturas poſſibiles tranſcendentalem ſeu eſſentialem dicunt reſpectum; unde fit ut propriè dicti Attributi rationem habeant.

Dicitur denique, per modum formæ adjacentis, hoc eſt, proprietatis quæ ab eſſentia divina dimanare concipitur.

Diviſio Attributorum in negativa & affirmativa.

II. Attributa divina generatim dividuntur in negativa, & poſitiva ſeu affirmativa.

Attributa negativa vocantur ea quæ removent à Deo imperfectiones, ſummamque in eo perfectionem, poſitivis terminis vix explicandam, deſignant: ut eſſe infinitum, eſſe immenſum. Diximus ſuprà, quæſtione ſecunda, viam negationis tutiorem eſſe, nobiliorem & faciliorem, ut ad Dei cognitionem deveniamus: longè quippe facilius eſt dicere quid non ſit, quàm quid ſit.

Attributorum negativorum, alia expreſsè & vi termini negativa ſunt, ut infinitas, immutabilitas; alia verò non ita expreſsè, quæ terminis poſitivis enuntiantur quidem, ſed tamen negationem in ſuo conceptu involvunt, ſine

qua

qua concipi à nobis non poſſunt: talis eſt v.g. ſimplicitas, id eſt, cujuſcunque compoſitionis negatio.

Attributa affirmativa ea dicuntur quæ per viam affirmationis, & terminis affirmativis de Deo prædicantur: ut bonitas, juſtitia, intellectus, voluntas, omnipotentia, &c.

Diviſionem hanc in decurſu hujus Tractatus ſequemur; ac primùm de negativis, tùm de affirmativis Dei Attributis, Deo dante, diſſeremus.

Inter negativa primum haud dubiè locum obtinet divina ſimplicitas. Itaque

QUÆSTIO QUINTA.

De ſimplicitate Dei.

SImplicitas eſt negatio ſeu excluſio compoſitionis: Compoſitio autem eſt diſtinctorum unio. Triplex generatim aſſignatur; Phyſica, Metaphyſica, & Logica.

Compoſitio Phyſica conſtat vel ex materia & forma, corpore v. g. & anima; vel ex partibus quantitativis aut integrantibus; vel ex ſubjecto & accidente.

Compoſitio Metaphyſica fit ex actu & potentia; ex eſſentia & exiſtentia; ex natura & perſonalitate; qui omnes termini ſunt metaphyſici.

Compoſitio denique Logica fit ex genere & differentia; qui termini ad Logicam pertinent.

Unico articulo omnem iſtam de divina ſimplicitate diſputationem abſolvemus.

ARTICULUS UNICUS.

Utrum omnis compoſitio ſive Phyſica ex materia & forma, partibus quantitativis aut integrantibus, ſubjecto & accidente; ſive Metaphyſica ex actu & potentia, eſſentia, & exiſtentia, natura & perſonalitate; ſive Logica ex genere & differentia, ſit à Deo removenda?

Errores circa ſimplicitatem Dei.

SImplicitatem Dei impugnavere

I. Quotquot ex veteribus Philoſophis cenſuere Deum eſſe univerſam ſubſtantiam, ſeu materiam ex qua res quælibet conſtat, vel univerſalem mundi animam. Huc profectò tendit iſtud Virgilii, *Jovis omnia plena.* Et iſtud Lucani L. 9. *Jupiter eſt quodcunque vides, quocunque moveris.* Erat iſtud commune Stoicorum dogma, quod quidem David *de Dinando* (S. Thomas Lib. 1. contra Gentiles c. 17. appellat *de divinando*) renovavit, docens Deum eſſe materiam primam; iſta deceptus ratione, quòd ſi Deus & materia non eſſent idem, differrent aliquibus differentiis & ſic non eſſent ſimplicia; quia differentia aliquam compoſitionem facit in eo quod differt, quam rationem refellit ibidem S. Doctor. Almaricus docuit Deum eſſe principium formale rerum omnium: damnatus ille fuit in Lateranenſi Concilio ſub Innoc. III.

Philoſophi qui cēſuere Deum eſſe materiam univerſalem.

SPINOSA.

Spinoſa. INſanum iſtud veterum Philoſophorum figmentum poſtremis his temporibus Benedictus Spinoſa, ex Judæo Amſtelodamenſi Atheus, de novo excitavit, atque certa ratione & methodo Geometrica, definitionibus, axiomatis, propoſitionibus ac corollariis gradatim adornavit in ſua Ethica, parte prima de Deo. Totius impii ſyſtematis hæc ſumma eſt, quantùm ad præſens noſtrum inſtitutum attinet.

Syſtema Spinoſæ. 1. (Propoſitione quinta.) ait, in rerum natura non poſſe dari duas aut plures ſubſtantias ejuſdem naturæ ſive attributi: eſt iſtud palmare Spinoſæ fundamentum.

Sic verò probat: Si darentur plures diſtinctæ, deberent inter ſe diſtingui, vel ex diverſitate attributorum, vel ex diverſitate affectionum: ſi tantùm ex diverſitate attributorum, concedetur ergo non dari niſi unam ejuſdem attributi. At ſi ex diverſitate affectionum, cùm ſubſtantia ſit prior natura ſuis affectionibus, & in ſe conſiderata, hoc eſt, verè conſiderata, non poterit concipi ab alia diſtingui; hoc eſt, non poterunt dari plures, ſed tantùm una.

2. Ait (Propoſitione ſexta.) Unam ſubſtantiam ab alia ſubſtantia produci non poſſe.

3. (Propoſitione decimaquarta.) Præter Deum nullam dari neque concipi poſſe ſubſtantiam.

Inde colligit Corollario 2. rem extenſam & rem cogitantem, vel eſſe Dei attributa, vel affectiones ſeu modos attributorum: ex quo ſequitur, quælibet entia ſingularia ex aliqua divini Attributi modificatione neceſſariò ſequi.

4. (Propoſitione decimaquinta.) Quidquid eſt, in Deo eſſe; & nihil ſine Deo eſſe, neque concipi poſſe. Quia nempe Deus eſt unica & omnis ſubſtantia, extra quam nihil dari poteſt, adeoque formaliter Deus omnia continet.

5. Propoſitione decimaſexta.) Ex neceſſitate divinæ naturæ, infinita infinitis modis, hoc eſt, omnia quæ ſub intellectum cadere poſſunt, ſequi debent. Hinc affirmare non dubitat Spinoſa, Deum eſſe rerum omnium cauſam: iſto nimirum ſenſu, quòd omnia ex neceſſitate naturæ ipſius ſequantur; imò ſint ipſamet ejus natura, aut ſaltem ejus modificationes, quæ à natura ipſa non diſtinguuntur.

6. (Propoſitione decimanona.) In rerum natura nullum dari contingens, ſed omnia ex neceſſitate divinæ naturæ determinata eſſe ad certo modo exiſtendum & operandum. Addit ibidem, modos divinæ naturæ ex eadem etiam neceſſariò non autem contingenter ſecutos eſſe. Ex quo ſequitur, quod etiam affirmat Propoſitione trigeſimatertia, res nullo alio modo neque alio ordine à Deo produci potuiſſe quàm productæ ſunt. Et tamen res omnes à Deo liberè eſſe, Deumque liberè operari fatetur Spinoſa; quòd nempe, ſolam coactionem, non autem neceſſitatem naturalem, cum libertate conciliari non poſſe agnoſcat.

7. Denique, negat Spinoſa (Propoſitione trigeſimaſexta.) Deum propter finem aliquem aliquid operatum eſſe.

Quam portentoſum ſit, quàm plenum impietatis ac dementiæ, & ab omni non tantùm religionis, ſed etiam rationis ſenſu alienum iſtud Spinoſæ ſyſtema, paulò poſt patebit.

II. Sim-

II. Simplicitati Dei bellum indixere, quotquot turpi & carnali cogitatione finxerunt Deum verum habere corpus, & constare materia, & forma. Simplicitati Dei adversantur qui Deum corporeū fingunt.

Tales fuere omnes Idololatræ, qui statuas & vana simulachra pro diis habuere. Inter Philosophos Epicurei, Stoici, & alii qui dicebant, *Deum esse vel ignem, vel citatum aerem, vel gyrum stellarum &c.* de quibus Tullius L. 1. de natura Deorum.

Tales etiam fuere inter Judæos Saducæi, qui nullam purè spiritualem substantiam admittebant, ut constat ex cap. 23. Act. Apostolorum v. 8.

Inter Christianos Manichæi, teste S. Augustino L. de Hæresibus, hæresi 46. Et Lib. contra Epistolam fundamenti cap. 23. docebant Deum infinita mole diffusum esse, non tamen undique, *sed tribus quadris infinitum.* *Sapiēt. 13. v. 2.*

Per vulgatus fuit IV. Ecclesiæ sæculo apud quosdam Ægypti Monachos ille Antropomorphitarum error: sic dicti, quòd hominis formam Deo affingerent. Lege Socratem L. 6. c. 7. & 10. Sozomenum L. 8. c. 11. & 14.

Sunt inter Theologos qui hujus erroris accusant Melitonem Sardensem, Tertullianum, Audæum, S. Epiphanium; sed nostro quidem judicio, ab illo errore vindicari facilè possunt.

MELITO SARDENSIS.

INsignis ille fuit pietate ac scientia, secundo Ecclesiæ sæculo, in Asia Sardensis Episcopus, de quo Eusebius L. 4. Hist. c. 26. S. Hieronymus Lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis. Venit ille apud nonnullos in suspicionem erroris Antropomorphitarum, hoc unico fundamento, quòd Origenes apud Theodoretum q. 20. in Genesim, referat Melitonem scripsisse, *Deum esse corporeum*; & imaginem Dei, ad quam factus est, in corpore reposuisse. Ob. an 170. *To. 1. p. 21. D.*

Verùm, nec Eusebius, nec S. Hieronymus, nec ipse Theodoretus qui hunc Origenis textum refert, nec ullus ex antiquis probatis Scriptoribus hujus erroris Melitonem accusant, quem aliunde summis laudibus efferunt, propter egregia ipsius in Rempublicam Christianam merita. Igitur vel deceptus fuit Origenes titulo seu inscriptione Libri quem Melito scripsit, non quidem de Deo corporeo, ut refert Origenes apud Theodoretum, sed de Deo corporato, seu carne induto; hoc est de Incarnatione. Re ipsa enim, teste Eusebio Lib. 4. c. 26. Sardensis Episcopus, inter alios multos, Librum scripsit de *Incarnatione*: vel, quod verisimilius est, Latina versio Theodoreti accurata non est, nec ad sensum textus Græci. Nam judice ipso Sixto Senensi, Bibliothecæ sanctæ Lib. 5. annot. 18. hæc verba versionis Latinæ: *Ex quorum numero est Melito, qui Scripta reliquit quibus asserit Deum esse corporeum*, sic reddi debuissent juxta textum Græcum: *Ex quibus sunt, quæ Meliton scripta reliquit, de eo quod dicitur, Deo corpus ineſſe*; hoc est, Deum corpus induisse: quæ duo sanè longè diversa sunt. Quo postremo sensu dixit Apostolus de Christo, Coloss. 2. v. 9. *In quo inhabitat plenitudo divinitatis corporaliter.* Addit ibid. Sixtus Senensis: *Nunquam ausim credere, quòd vir sanctitate, & eruditione maximus, quem Tertullianus ut Prophetam à Christianis habitum asseverat, in talem amentiam decidisse.* *Pagin. 529. C.* *Ibid. D.*

Nulla igitur ratio haberi debet aut Catenæ græcę, aut Gennadii, qui Melitonem Antropomorphitis accensent.

TERTULLIANUS.

Vindicatum Tertulliano ab errore Antropomorphitarum;

SUſpectum hìc reddidit SS. Fulgentio, Thomæ, aliiſque nonnullis Theologis Tertullianum, dura, incompoſita & planè nova, qua primum uſus ille fuit, loquendi ratio, ubi de Deo corporeo. Verùm, ſi propiùs inſpiciatur quid per corpus intelligat, cùm aſſerit Deum *habere corpus ſui generis*, ab errore excuſari hac in parte poſt S. Auguſtinum non immeritò poterit: ea quippe docet ac ſtatuit, quæ cum errore Antropomorphitarum conciliari nullatenus poſſunt.

Docet enim 1. Deos Gentilium falſos eſſe, eò quòd homines ſint, iique corporei. Apologet. c. 10. Ergo non exiſtimavit Deum verum & unicum, humanum habere corpus.

Docet 2. Apologet. c. 17. Deum immenſum eſſe & infinitum, neque loco ullo poſſe circumſcribi; adeoque humano carere corpore quod certè finitum eſt, & loco ac terminis quibuſdam concluditur. Unde Lib. contra Praxeam cap. 5. loquens de modo quo erat Deus ante mundi creationem: *Ante omnia*, inquit, *Deus erat ſolus, ipſe ſibi & mundus, & locus, & omnia*. Quod certè de ente materiali & corporeo nec dici nec intelligi poteſt. P. 502. D.

Docet 3. Lib. adversùs Hermogenem cap. 2. Deum partes non habere in quas dividi poſſit, eumque & planè immutabilem eſſe. Hermogenes enim, ex communi Chriſtianorum fide quæ Deum indiviſibilem ac immutabilem eſſe docet, concludebat Deum ex ſemetipſo nihil producere potuiſſe, ſed ex præjacente dumtaxat materia: aliàs, inquiebat ille, *partes ipſius fuiſſent, quæcunque ex ſemetipſo feciſſet Dominus. Porrò in partes non devenire, ut indiviſibilem, & indemutabilem, & eundem ſemper qua Dominus. Cæterùm, ſi de ſemetipſo feciſſet aliquid, ipſius fuiſſet aliquid*. Conſequutionem hanc negat Tertullianus contra Hermogenem diſputans; ſed principium, ſcilicèt Deum partes non habere ac planè indiviſibilem eſſe ac immutabilem, ultrò admittit & approbat. Porrò ſtare non poteſt iſtud dogma cum errore qui Deo corpus humanum affingit. P. 233. C.

Docet 4. Lib. de anima c. 7. id ſolummodo pati poſſe quod eſt corporeum. *Incorporalitas enim*, ait, *nihil patitur, non habens per quod pati poſſit: aut ſi habet, hoc erit corpus. In quantùm enim omne corporale, paſſibile eſt*. Atque inde colligit & probat animam eſſe corpoream, quòd certum ſit eam eſſe paſſibilem. Porrò docet idem Tertullianus Deum eſſe impaſſibilem, ergo & incorporeum. Sic L. adversùs Praxeam contendentem Patrem divinum non quidem in ſe paſſum, ſed in Filio compaſſum fuiſſe, argumentatur c. 29. *Stulti & in hoc. Quid eſt enim compati, quàm cum alio pati? Porrò, ſi impaſſibilis Pater, utique & incompaſſibilis. Aut ſi compaſſibilis, utique paſſibilis. Nihil ei vel hoc timore tuo præſtas. Times dicere paſſibilem, quem dicis compaſſibilem. Tam autem incompaſſibilis Pater eſt, quàm impaſſibilis etiam Filius ex ea conditione qua Deus eſt*. P. 268. D. P. 518. B.

Docet 5. tres SS. Trinitatis perſonas unum eſſe Spiritum, unum Deum, ejuſdem naturæ ac ſubſtantiæ. *Hunc* (nempe Dei Filium) ait Apolog. cap. 21. *ex Deo prolatum didicimus, & prolatione generatum, & idcirco Filium Dei, & Deum dictum ex unitate ſubſtantiæ. Nam & Deus Spiritus*. Et Lib. adversùs P. 19. C.

versùs Praxeam c. 2. de tribus divinis personis, *Tres sunt*, inquit, *non statu, sed gradu; nec substantia, sed forma; nec potestate, sed specie; unius autem substantiæ, & unius status, & unius potestatis; quia unus Deus.* Porrò quomodo hæc conciliari possunt cum errore de Deo corporeo? P. 501. C.

Docet denique non infrequenter, Deum Spiritum esse & quidem simplicem L. de Baptismo c. 2. *Proh misera incredulitas*, exclamat, *quæ Deo denegas proprietates suas simplicitatem & potestatem! Deus Spiritus est*, ait loco mox citato Apolog. Et contra Praxeam c. 26. ait Christum Spiritum esse, quatenus Deus est & Dei Filius. P. 224. B.

Infirma nonnullis videtur hæc postrema ratio, quòd nempe Tertullianus animam ipsam spiritum & quidem simplicem appellet Lib. de anima cap. 10. tametsi velit eam esse corpoream. Verùm, non satis illi attendunt quàm dispari sensu nomen Spiritus usurpet Tertullianus cùm Deo & animæ rationali illud adaptat. Scilicèt Deum appellat spiritum propriè, substantia & natura, prout spiritus materiæ & corpori opponitur: animam verò dicit spiritum, impropriè, non substantia, sed operatione; quatenus scilicèt spiritus vitam & respirationem significat; ac contendit, vivere & respirare ab una & simplici esse animæ substantia. Impugnat nempe absurdam ac ridiculam nonnullorum opinionem, qui docebant animam quasi ex duplici substantia compositam coalescere, atque ab una habere quòd vivat, ab altera autem quòd spiret. Contra quos probat Tertullianus, animam esse simplicen, non autem ex duplici substantia compositam; atque ex se se vivere & spirare. Audiatur Tertullianus. *Quidam*, inquit Lib. de anima c. 10. *volunt aliam illi* (animæ) *substantiam naturalem inesse, spiritum; quasi aliud sit vivere, quod venit ab anima; aliud spirare, quod fiat à spiritu. . . At enim vivere spirare est, & spirare vivere est. Ergo totum hoc, & spirare & vivere, ejus est, cujus est vivere, id est animæ. . . . Erunt*, pergit, *& aliæ spiritus species, ut ex Deo, ut ex diabolo.* Quibus certè verbis agnoscit Tertullianus, species spiritus longè diversas ab anima, quam vocat spiritum quia vim habet spirandi ex sese. P. 270. C. P. 271. C.

Ut animam, inquit c. 11. *spiritum dicam, præsentis quæstionis ratio compellit, quia spirare alii substantiæ adscribitur*: (ab aliis nempe quos refellit) *hoc dum animæ vindicamus, quam uniformem & simplicem agnoscimus, spiritum necesse est certa conditione dicamus, non status nomine, sed actus; nec substantiæ titulo, sed operæ; quia spirat, non quia spiritus propriè est.* Non potuit Tertullianus mentem suam clariùs & disertiùs aperire. Stet igitur firma & inconcussa sexta illa probatio, qua patet Tertullianum alienum fuisse ab errore qui humanum corpus Deo affingit. P. 271. D. Nomẽ corporis apud Veteres triplicitèr usurpatur, latissime, impropriè ac strictè.

Ut verò faciliùs intelligatis quo sensu Tertullianus dixit Deum habere corpus; & diluantur ea quæ ex ipso proferri solent argumenta,

Observandum est, nomen corporis triplici significatione apud Veteres usurpari: latissima, scilicèt, impropria, & stricta.

I. Latissimè corpus sumitur, pro eo omni quod reale est ac subsistit, & opponitur inani ac vacuo. Hoc sensu, IV. Ecclesiæ sæculo Phæbadius Agenensis Episcopus Lib. contra Arianos: *Dei sermo*, inquit, *non sonus vocis, sed res substantiva ac per substantiam corpulentiva. Non enim sine substantia constitit quod de tanta substantia fecit. Nihil ergo vacuum de pleno, nihil inane de solido, quia Dei sermo Spiritus Dei Christus, instructus est, & (ut evidentiùs dicam) sermonis* Tom. 4. Biblio. PP. Lug. p. 304. E.

ſermonis corpus eſt: corpus enim ſpiritus, ſed corpus ſui generis; Nam & inviſibilis & incomprehenſibilis ſpiritus. Manifeſtum eſt hic corpus opponi non ſpirituali & immateriali ſubſtantiæ, ſed nihilo, vacuo & inani.

2. Impropriè nomen corporis uſurpatur, ad ſignificandum id omne quod certis temporum & locorum terminis eſt definitum ac circumſcriptum. Quo ſenſu dici poteſt, quidquid creatum eſt, habere corpus; quia finitum eſt ac certis limitibus circumſcriptum: & Deum ſolum eſſe incorporeum, quia ſolus eſt infinitus, ſolus immenſus, nullo loco aut tempore definitus. Hoc ſenſu S. Hilarius c. 5. in Matth. dicebat: *Nihil eſt quod non in ſubſtantia ſua & creatione corporeum ſit . . . . quia omne quod creatum eſt, in aliquo ſit neceſſe eſt.*

Edit. nov. p. 631. n. A.

3. Denique, corpus ſtrictè ac propriè ſumitur pro eo omni quod materia conſtat, ac certa mole, figura & magnitudine terminatum eſt ac circumſcriptum.

Hac præſuppoſita obſervatione, facili negotio diluuntur quæ ex Tertulliano hic proferri ſolent.

Solvuntur Objectiones ex Tertulliano.

OPponunt 1. hæc Tertulliani verba ex c. 7. Libri adversùs Praxeam, *Quis negabit*, inquit, *Deum corpus eſſe, etſi Deus ſpiritus eſt? Spiritus enim corpus ſui generis in ſua effigie: ſed & inviſibilia illa quæcunquæ ſunt, habent apud Deum & ſuum corpus & ſuam formam.*

P. 504. A.

Reſp. Diſtinguo antecedens. Quis negabit Deum eſſe corpus, lato & improprio ſenſu? quatenus corpus nihilo, inani & vacuo opponitur, concedo: ſenſu proprio & ſtricto, quatenus corpus opponitur ſubſtantiæ ſpirituali & immateriali, nego. Porrò Tertullianus priori dumtaxat ſenſu nomen corporis uſurpat diſputans adversùs Praxeam.

1. Quia hoc exigebat ſcopus ejus & inſtitutum, ut per corpus intelligeret aliquid reale ac ſubſiſtens; & quidem appoſitè ad errorem Praxeæ convellendum. Hic enim docebat Filium Dei non eſſe quid reale ac ſubſiſtens ex Dei ſubſtantia promanans, ſed eſſe dumtaxat aliquid inane & vacuum, ac merùm vocis ſonum & aerem offenſum. *Non vis*, inquiebat Tertullianus Praxeam premens c. 7. *Filium ſubſtantivum habere in re per ſubſtantiæ proprietatem, ut res & perſona quædam videri poſſit . . . . Quid eſt enim, dices, ſermo* (Verbum Dei) *niſi vox & ſonus oris, & (ſicut Grammatici tradunt) aer offenſus . . . . cæterum vacuum neſcio quid & inane & incorporale?* Contrario planè ſenſu ait Tertullianus: *Ego nihil dico de Deo inane & vacuum prodire potuiſſe . . . . nec carere ſubſtantia, quod de tanta ſubſtantia proceſſit, & tantas ſubſtantias fecit.* Igitur nomen corporis hic uſurpat Tertullianus in ampliſſima ſignificatione, prout nempe opponitur inani & vacuo, & aliquid reale, ſolidum ac per ſe ſubſiſtens ſignificat. Quo eodem ſenſu audivimus antea uſurpatum à Phædadio Agennenſi nomen corporis; qui tamen nuſquam venit in ſuſpicionem violatæ fidei circa ſpiritualem & planè immaterialem Dei ſubſtantiam.

P. 503. D.

2. Expoſitionem hanc exigit, non tantùm, ut mox dictum eſt, ſcopus & inſtitutum Tertulliani, ſed & conſueta ipſique omnino familiaris loquendi ratio. Solet enim per corpus intelligere generatim id omne quod eſt reale ac per ſe ſubſiſtit, quod appellat *corpus ſui generis*: quæ certè clauſula ſatis

denotat

denotat specialem illam, aut potius generalem apud ipsum significationem: Lib. de carne Christi c. 11. *Omne*, inquit, *quod est, corpus est sui generis. Nihil est incorporale, nisi quod non est.* Et L. de anima generatim pronuntiat: *Nihil enim, si non corpus.* P.317. D. P.268. C.

Et verò, in eo ipso loco qui hic objicitur, Tertullianus duo simul conjungit, quæ conciliari nullatenus possunt, nisi per corpus generatim intelligat rem solidam ac subsistentem. Ait quippe Deum & corpus esse & spiritum: quæ duo manifestè pugnant, si nomine corporis molem extensam & quantam intelligat; non ita si substantiam dumtaxat per se subsistentem. Unde cautè adjungit, talem substantiam esse *corpus sui generis*: hoc est, suo modo ac generali quodam sensu.

3. S. Aug. Lib. de hæresibus hæresi 86. benignè Tertullianum interpretatur. *Tertullianus*, inquit, *animam dicit immortalem quidem, sed eam corpus esse contendit: Neque hoc tantùm, sed ipsum etiam Deum. Nec tamen hinc hæreticus dicitur factus. Posset enim quoquomodo putari ipsam naturam substantiamque divinam corpus vocare; non tale corpus cujus partes aliæ majores, aliæ minores valeant vel debeant cogitari, qualia sunt omnia quæ propriè dicimus corpora; quamvis de anima tale aliquid sentiat: sed potuit, ut dixi, propterea putari corpus Deum dicere, quia non est nihil, non est inanitas, non est corporis vel animæ qualitas, sed ubique totus &c.* To.°.p. 24. G. & 25. A.

Instabis 1. Eo ipso sensu Tertullianus Deum corpus appellat, quo animam ipsam humanam: atqui sensu non tantùm lato & improprio, sed stricto ac proprio animam humanam corpus appellat, quam verè corpoream esse ac materialem ostendit Lib. de anima; ergo &c.

Major videtur esse ad mentem S. Aug. Epistola enim 190. ad Optatum aliàs 157. cap. 4. exponit Tertulliani de anima corporea sententiam, & addit: *Mirandum non esse hoc somniasse Tertullianum, qui etiam ipsum creatorem Deum non esse nisi corpus opinatur.* To.2.p. 704.n. 14.A. Et Lib. 2. de anima & ejus origine cap. 5. Victori cuidam gratulatur quòd Deum corporeum, uti Tertullianus, non supponat. *Gratulor eum*, ait, *hinc saltem à Tertulliani deliramentis esse discretum. Ille quippe sicut animam, ita etiam Deum corporeum esse contendit.* T.10.p. 361.n. 9.G.

Resp. Nego majorem. Diverso enim sensu vult Deum & animam esse corpus. Deum quidem latiori significatione, quia est substantia; & omnis substantia, in phrasi Tertulliani, corpus est sui generis: animam verò, non tantùm quia substantia est, sed etiam quia materialis & verè corporea. Idcirco autem animam corpoream esse duxit, quia & visibilis est, & passibilis. Lib. enim de anima c. 9. plùs æquo credulus sororis nescio cujusdam nocturnæ visioni, dicit animam ab ea visam fuisse *teneram & lucidam, & aevii coloris, & forma per omnia humana*. Et cap. 7. animam passibilem esse data opera demonstrat. *Dolet*, inquit, *apud inferos anima cujusdam, & punitur in flamma, & cruciatur in lingua, & de digito animæ felicioris implorat solatium roris.* P.270. A. P.268. C.

Porrò, in mente Tertulliani, omne passibile corporale est: *Incorporalitas enim nihil patitur, non habens per quod pati possit.* Lib. de anima cap. 7. Jam verò hæc duo in Deo locum non habent: nec visibilis est nec passibilis in mente ac doctrina ipsius Tertulliani. *Neque enim arbitror*, ait S. Aug. Libr. 10. de Gen. ad litteram, n. 41. *eum ita despuisse, ut etiam Dei naturam passibilem crederet.* Igitur nec verè Deum corporeum esse existimavit. Ergo Ibi. D. To.3.p. 1. pa. 273. A.

non eodem ſenſu, nec iiſdem de cauſis, dixit Deum & animam eſſe & corpus.

Ad probationem majoris, non diſſimulandum ſanctum Doctorem dubium aliquando fuiſſe circa mentem Tertulliani, minúſque propenſum ad emollienda quæ paulò duriùs de Deo corporeo ſcripſerat. Subinde tamen benigniùs de illo ſentiens, à craſſiori illo Antropomorphitarum errore eum vindicavit in Libro de Hæreſibus c. 26. paulò antè citato: qui Liber cùm tempore poſterior ſit aliis in quibus Tertullianum erroris accuſat, ultimam veluti ipſius de Tertulliano hac in parte mentem atque ſententiam exprimere videtur.

Inſtabis 2. Tertullianus nullum medium agnoſcit inter corpus & nihil; ac contendit id omne quod eſt, corpus eſſe. Ita Lib. de carne Chriſti cap. 11. *Si habet* (anima) *aliquid per quod eſt*, inquit, *hoc erit corpus ejus. Omne quod eſt, corpus eſt ſui generis. Nihil eſt incorporale, niſi quod non eſt.* P. 317. D.

Reſp. Diſtinguo antecedens. Tertullianus nullum medium agnoſcit inter corpus latè ſumptum, ſeu ens, & nihil, concedo: inter corpus ſtrictè ac propriè ſumptum, hoc eſt, molem extenſam, & nihil, nego. Eſt enim media ſubſtantia immaterialis ſeu ſpiritualis, quæ nec corpus eſt propriè dictum, nec etiam nihil. Hanc porrò ſubſtantiam immaterialem quæ non ſit verum corpus, diſertè agnoſcit Tertullianus in Libro adversùs Hermogenem qui contendebat materiam æternam eſſe & improductam, quæ nec corporalis foret nec incorporalis. *Quæ eſt iſta ratio rectæ*, ait Tertullianus c. 35. *quæ nihil rectè renuntiat, id eſt nihil certi? Niſi fallor enim, omnis res aut corporalis aut incorporalis ſit neceſſe eſt: (ut concedam interim eſſe aliquid incorporale de ſubſtantiis dumtaxat, cùm ipſa ſubſtantia corpus ſit rei cujuſque) certè poſt corporale & incorporale nihil tertium.* Manifeſtè hic Tertullianus agnoſcit ſubſtantiam incorporalem & immaterialem, quæ tamen aliquo ſenſu corpus appellari poteſt; ſeu, ut dicit, *corpus ſui generis*: quatenus ſcilicet, corpus nihilo opponitur, non verò ſubſtantiæ ſpirituali. Quo etiam ſenſu debet intelligi quod dixit Lib. de carne Chriſti c. 11. *Nihil eſſe incorporale, niſi quod non eſt.* Per incorporale enim eo loci non excludit ſpiritale, ſed nihilum, ſeu id quod non exiſtit. P. 346. B. P. 317. D.

At, inquies, Tertulliano conſilium fuit in Lib. citato de carne Chriſti duo iſta probare: primum, Chriſtum habuiſſe verum & propriè dictum corpus, non æreum, non fictum, non cœlitùs demiſſum, ut hæretici, quos refellit, contendebant: alterum, animam Chriſti non carneam eſſe, ſed corpus quoddam. Porrò hæc duo non efficeret Tertullianus, ſi nomine corporis intelligeret dumtaxat latò quodam ſenſu ſubſtantiam exiſtentem, non verò molem extenſam. Hæretici enim quos ille inſequitur, non negabant Chriſti corpus eſſe aliquid verum ac reale, ut & animam ipſius: igitur nomine corporis, ſocis citatis intelligit corpus ſtrictè ac propriè ſumptum. Porrò inter corpus ejuſmodi & nihil, nullum ille medium agnoſcit.

Fatemur hæc duo demonſtranda ſuſcepiſſe Tertullianum; ac conſequenter nomen corporis illum uſurpaſſe in duplici illa ſignificatione lata, & ſtricta, cùm de carne, & anima Chriſti loquitur; quod certè ſufficit ut intentum ſuum aſſequatur. At verò, cùm de Deo ſermonem habet, eumque corporeum nuncupat, contendimus eum nomine corporis intelligere dumtaxat ſubſtantiam per ſe ſubſiſtentem, non craſſam & extenſam molem: quia ſenſum iſtum admittere non poſſunt momenta & argumenta quæ paulò antea ex doctrina Tertulliani expoſuimus.

Oppo-

Opponunt 2. Tertullianum Deo affingere humana membra, humanoſque affectus. Refellens enim hanc Marcionis objectionem, *Si Deus iraſcitur, & æmulatur, & extollitur, & exacerbatur, ergo & corrumpetur, ergo & moritur. Stultiſſimi*, (inquit cap. 16. L. 2. adversùs Marcionem) *qui de humanis divina præjudicant, ut quoniam in homine corruptoriæ conditionis habentur huſmodi paſſiones, idcircò & in Deo eſusdem ſtatus exiſtimentur. Diſcerne ſubſtantias, & ſuos eis diſtribue ſenſus, tam diverſos, quam ſubſtantiæ exigunt, licèt vocabulis communicare videantur. Nam & dexteram, & oculos, & pedes Dei legimus, nec ideò tamen humanis comparabuntur, quia de appellatione ſociantur. Quanta erit diverſitas divini corporis & humani, ſub eiſdem nominibus, membrorum, tanta erit & animi divini & humani differentia, ſub eiſdem licèt vocabulis ſenſuum, quos tam corruptorios efficit in homine corruptibilitas ſubſtantiæ humanæ; quàm incorruptorios in Deo efficit incorruptibilitas ſubſtantiæ divinæ . . . Et hæc ergo imago cenſenda eſt Dei in homine, quòd eoſdem motus & ſenſus habeat humanus animus, quos & Deus, licèt non tales quales Deus. Pro ſubſtantia enim, & ſtatus eorum & exitus diſtant.* Pagina 389. D.

Reſp. Diſtinguo antecedens. Tertullianus Deo affingit humana membra & humanos affectus, ſenſu metaphorico & impropriò, concedo: ſenſu proprio & litterali, nego. Cùm enim Deus virtute ſuæ ſpirituali idem efficiat, quod homo per membra & ſenſus externos; videat ſine oculis, ſine auribus audiat &c. oculos tamen & aures habere dicitur, impropriè nempè ac metaphoricè. Affectus pariter humanos habere dicitur, effectivè, quia idem efficit, quod homo per ejuſmodi affectus & paſſiones; non affectivè. Manifeſtè Tertullianus, verbis mox relatis, longum diſcrimen aſſignat inter affectus humanos & divinos: illos corruptorios eſſe dicit, iſtos incorruptorios, quales divinam decent ſubſtantiam; ac graviter exagitat Hermogenem quòd de humanis divina præjudicaret, ac Deo affectus ſeu paſſiones quaſdam ineſſe idcircò negaret, ne Deum corruptioni obnoxium faceret. Itaque ſolo nomine & appellatione conveniunt membra & paſſiones quæ Deo, & hominibus tribuuntur. An Tertullianus veros affectus & quaſdà paſſiones in Deo admiſerit.

Si verò quæſieris an Tertullianus veros in Deo affectus ac quaſdam paſſiones admiſerit, tametſi ab omni perturbatione, commotione, corruptione, mutatione & qualicumque imperfectione penitùs ſegregatas: admiſiſſe ſuadere videntur hæc ipſius verba.

Lib. 1. adversùs Marcionem c. 26. *Stupidiſſimus ergo qui non offenditur facto quod non amat fieri, quando offenſa comes ſit fruſtratæ voluntatis. Aut ſi offenditur, debet iraſci; ſi iraſcitur, debet ulciſci. Nam & ultio, fructus eſt iræ; & ira debitum offenſæ, & offenſa, ut dixi, comes fruſtratæ voluntatis.* Pagina 379. B.

Et Lib. 2. adversùs eundem cap. 16. ait Deum habere, *Iram propter ſceleſtos, & bilem propter ingratos, & æmulationem propter ſuperbos, & quidquid non expedit malis. Sic & miſericordiam propter errantes, & patientiam propter non reſipiſcentes, & præſtantiam propter merentes, & quidquid bonis opus eſt.* Paginæ 390. B.

Cave tamen inde inferas Tertullianum corporeas & imperfectas paſſiones in Deo agnoviſſe. Statim enim addit: *Quæ omnia patitur ſuo more, quo eum pati condecet, propter quem homo eadem patitur, æquè ſuomore.* Et paulò antè ibid. dixerat; *Nec tamen perfectè ea obtinemus, quia ſolus Deus perfectus. Ita & illas ſpecies, iræ dico & exaſperationis, non tam feliciter patimur: quia ſolus Deus de incorruptibilitatis proprietate felix. Iraſcetur enim, ſed* Ibid. Ibid.

sed non exacerbabitur, sed non periclitabitur: movebitur, sed non evertetur.

Pagina 275. A. Denique Lib. de anima cap. 16. *Indignabitur*, inquit, *Deus rationaliter, quibus scilicet debet; & concupiscet Deus rationaliter quæ digna sunt ipso. Nam & malo indignabitur, & bono concupiscet salutem.*

His adde, data opera Tertullianum impugnare Hermogenem qui nullos in Deo affectus, passiones nullas agnoscebat, ne forte illum mutationi ac corruptioni subjicere teneretur. Unde sequitur Tertullianum hujusmodi affectus ac passiones in Deo admisisse quidem, sed incorruptorias & ab omni prorsus imperfectionis labe purissimas.

AUDÆUS sive AUDIUS.

EXistimant nonnulli Audæum sive Audium, à quo dicti sunt & propagati Audiani, IV. Ecclesiæ sæculo turpissimi erroris primum quasi parentem extitisse; eò quòd præfractè contenderet imaginem Dei ad quam homo factus dicitur, in corpore repositam esse. Verùm, etsi diffiteri non possimus, aliquos subinde Ægypti Monachos ex imperitia & ingenii tarditate in crassum hunc errorem delapsos esse, sicut affirmant Socrates Lib. 6. Hist. cap. 7. Sozomenus Lib. 8. c. 11. Cassianus Collatione 10. cap. 2. Ipsum nihilominus Audæum ejusque primos discipulos ab hoc errore non vendicare non possumus; quia S. Epiphanius ipsi coætaneus, qui consequenter propiùs Audæum ejusque sectam inspexit, totaque hæresi 70. de illis agit, suspicionem erroris hac in parte ab illis prorsùs removet. Ait quippè Audæum in nulla re, nisi leviissima, à fide Catholica discessisse: de SS. Trinitate rectè illum sensisse: virum fuisse pietate & sanctitate conspicuum; in carpendis Cleri vitiis liberum, unde multorum invidiam in se brevi concivit: multorum Cœnobiorum, in quibus Catholica fides & pietas eximiè colebatur, parentem &c.

Quapropter duo tantùm reprehensione digna in eo carpit S. Epiphanius. Primum, quòd nimis durè ac præfractè determinare vellet, corpus hominis esse id in quo imago Dei (ad quam homo factus est) potissimum reluceret. Secundum, quòd Pascha luna 14. cum Judæis celebraret. Erroris autem qui Deo humanum corpus affingit, ipsum non accusat. Imò in decursu illius hæresis 70. refellens S. Doctor opinionem Audæi imaginem Dei in homine expressam ratione corporis, probat ex tali opinione consequens fore, Deum esse corporeum: quæ sanè consecutio videtur supponere Audæum diserte non docuisse Deum corpus habere; aliàs, frustra consecutionem illam adversùs illum tanquam grave incommodum objecisset, quam non potuisset ignorare ab illo ultrò admitti.

Favere videtur S. Aug. L. de hæresibus cap. 50. ubi ait, Audianos ab hæresi excusari, ob rusticitatem & imperitiam. Quamquam dissimulandum non sit, eo loci S. Augustinum velle Audianos carnali cogitatione sibi Deum finxisse, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis: licèt propter eorum rusticitatem debeant ab hæresi excusari. Hoc ipsum affirmat &. Theodoretus & Facundus Lib. 8. cap. 7.

Verùm & S. Augustinus & Theodoretus & Facundus de aliquibus dumtaxat Audianis intelligendi sunt, quos in hunc Antropomorphitarum deliramentum lapsos fuisse non diffitemur; non autem de ipso Audæo & omnibus

Au-

Audianis: si quidem Theodoretus ipse aliquando Audianos viros corruptæ ac distinctæ vitæ fuisse docet, qui sanè longè absunt ab illis Audæi Discipulis quos S. Epiphanius viros omni virtutis & pietatis laude commendabiles fuisse profitetur.

S. EPIPHANIUS.

Mirum profectò videri debet, S. Epiphanium in suspicionem violatæ fidei circa Dei simplicitatem vocatum fuisse à Theophilo Alexandrino & Joanne Hierosolymitano, apud Socratem Lib. 6. Hist. cap. 10. & Sozomenum Lib. 8. cap. 14. Ille enim ex professo errorem Antropomorphitarum refellit hæresi 70. ac vitio vertit Audæo, quòd ex ejus opinione circa imaginem Dei in homine expressam, sequeretur Deum esse corporeum; quod absurdissimum esse demonstrat. Quin in publica Concione quam Hierosolymis coram ipsomet Joanne habuit, fidem suam apertè circa istud dogma catholicum declaravit, & ab omni suspicione vindicavit. Ita refert S. Hieronymus in Libro ad Pammachium de erroribus Joannis Hierosolymitani; & Baronius ad annum Christi 393.

Nulla igitur hic fides habenda Theophilo Alexandrino, & Joanni Hierosolymitano; nec etiam Socrati ac Sozomeno, qui ab illis in hunc errorem facti adducti fuerunt.

Asseritur dogma Catholicum contra impium Spinosæ systema & alios qui physicam in Deo compositionem admittunt.

PRIMA CONCLUSIO.

Unica non est in rerum natura substantia: neque Deus est illa unica & universalis mundi substantia.

Cùm hæc Spinosæ propositio totius impii ejus systematis basis sit ac fundamentum, in eo potissimum convellendo incumbendum nobis est; quo semel everso, totum systema radicitus evelli ac ruere necesse est.

Probatur 1. ex ipsa definitione substantiæ, quam ipsemet Spinosa nobis subministrat inter plures quas statim præmittit definitiones. *Per substantiam*, inquit, *intelligo id, quod in se est, & per se concipitur: hoc est, id cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, à quo formari debeat.* Pagina 1. num. 3. Ergo res extensa & res cogitans duæ sunt distinctæ substantiæ: non verò, ut vult Spinosa, *vel Dei attributa, vel affectiones attributorum Dei*; quia nempè una sine altera rectè concipitur; res scilicet extensa, sine re cogitante; & vice versa, res cogitans sine re extensa. Adeò nempè duo hæc disparata sunt & distincta inter se, ut à sese mutuò non pendeant ut cognoscantur. Prop. 14 Corollario 2. p. 12.

2. Fatente ipso Spinosa, homo cogitat: sed hominis cogitatio non est essentiæ divinæ aut attributum, aut affectio seu modus; ergo est distincta substantia, seu quid à Deo distinctum. Minor propositio videtur ex se clara & certa. 1. Quia modus entis concipi non potest sine ente cujus est modus: atqui hominis cogitatio concipi potest seu intelligi absque eo quòd concipiatur seu intelligatur Deus; ergo non est Dei modus. 2. Quia nulla est in Deo limitatio, nulla imperfectio, cùm sit infinitus in omni genere perfectionis, fatente ipsomet Spinosa Propositione 11. & 16. Atqui nemo non expe-

experitur hominis cogitationem finitam esse, limitatam & valdè imperfectam: non potest ergo esse Dei aut attributum aut modus; ergo est quid à Deo distinctum, sive subsistantiam dicas, sive subsistantiæ à Deo distinctæ actionem.

3. Unica illa Spinosæ subsistantia vel est extensa & purè materialis, vel intelligens ac mente prædita. Si prius, ergo cæca est, stupida, iners, quæ exsese nec motum habet nec formam ullam. Si ita est, (quod de Deo cogitare insana est absurditas) unde ergo tot ipsius formæ, tot modi, tot affectiones? Ex necessitate naturæ ipsius, reponet Spinosa: at verba sunt sensu vacua. Quæro enim unde illa naturæ necessitas? Unde entis cujuslibet singularis limitatio? Quippè quod est à se nec ullam sui causam habet, limitari non potest. A quo enim limites illos haberet, cùm nihil aliud à quo sit, supponatur? Quæro rursus unde tam pulchra tamque ordinata & constans hujus mundi compago, si nulla sit suprema mens atque intelligentia, qua effectrice ac præside hæc omnia & producta sint, & regantur & conserventur? Non minus certè absurdum est fingere, res tam ordinatè, tam sapienter ac constanter dispositas esse à fortuito casu, quàm à cæca quadam & stupida necessitate. Quid dicam de unione animæ cum corpore? Hanc non negat Spinosa. Unde porrò stupenda illa naturæ spiritualis cum materiali conjunctio? Non à se ipsis haud dubiè, adeo enim indole ac natura distant à se invicem, ut coire nunquam ac coadunari inter se potuissent, nisi supremus & infinitæ virtutis opifex Deus adjutricem manum appositisset. Quæro iterum, unde sit illa cogitandi facultas quæ homini innata est? An ex subsistantia materiali & extensa? Sed quid absurdius dici potest? Nusquam enim ex materia, quicunque tandem in ea motus, quæcunque supponatur modificatio, cogitationem elicies; adeò hæc duo disparata sunt & distincta. Neque dicas, cogitationem, ut & extensionem duos esse ejusdem subsistantiæ modos: quasi unius & ejusdem subsistantiæ possent simul duo esse modi tam contrarii tamque oppositi. Quòd si subsistantiam illam intelligentem & cogitantem supponat Spinosa, quare ergo dicit illam cæca & stupida quadam naturæ suæ necessitate ad hoc vel illud determinari? Quis hæc unquam conciliabit? Abyssus undique, unde extricare se ac expedire nunquam poterit systematis Spinosæ defensor.

4. Nulli possunt in Deo esse modi: quia modus omnis ex sese rei modificatæ aliquid superaddit; quod quidem sine aliqua mutatione fieri non potest: sed ab ente perfectissimo, qualis Deus est, omnis procul exulat imperfectio, ipsomet fatente Spinosa.

5. Si aliqui forent in divina subsistantia modi, necesse foret eos infinitos agnoscere, nullumque possibilem excogitari posse, qui in ipsa desideretur: id ultrò fatetur Spinosa Proposit. 11. & 16. Atqui tamen idem Spinosa negat dari aliquos simplices spiritus, ut patet ex Epistolis ipsius 56. & 58. neque tamen implicat concipere simplices spiritus esse possibiles: sibi ergo manifestè contradicit; nec benè secum cohæret quod excogitavit impiæ doctrinæ systema.

6. Extensio non potest esse divinæ subsistantiæ vel attributum vel modus; quia extensionis sunt variæ partes, & quidem divisibiles, alterationi & mutationi obnoxiæ: atqui nemo sanæ mentis hujusmodi imperfectiones divinæ subsistantiæ adscripserit. Frustra reponit Spinosa, subsistantiam ut est sub-

ſubſtantia, non eſſe diviſibilem, ſed tantùm ut eſt extenſa: eſto ita ſit. Verùm, cùm extenſio modus ſit vel attributum Deo neceſſarium, & ab ejus ſubſtantia inſeparabile, neceſſe eſt agnoſcere divinam ſubſtantiam re ipſa & formaliter extenſam eſſe, ac conſequenter in plures partes eſſe diviſibilem. In eo fallitur Spinoſa ac peccat, quòd ſubſtantiam metaphyſicè & abſtractè conſideret; cùm re ipſa, ut talis eſt in ſe, phyſicè ac in concreto ſpectanda ſit. Sic verò conſiderata, extenſa eſt; omneſque extenſionis imperfectiones ſecum importat & involvit.

7. Si Deus eſt unica & univerſalis mundi ſubſtantia, ſequitur manifeſtè omne quod exiſtit, formaliter in Deo eſſe, & quidem ex neceſſitate naturæ ipſius; adeoque Deum formaliter eſſe plantam, lapidem, leonem &c. omnibuſque imperfectionibus eum ſubjacere quibus entia illa ſubjacent: at nihil fingi poteſt magis inſanum & impium.

8. Si unica eſt in rerum natura ſubſtantia quæ Deus eſt, fatendum erit, omnia & ſingula individua ſimul ac ſemper in Deo extitiſſe, nihilque de novo produci. Probatur, quia ex Propoſitione 19. Spinoſæ, nullum in rerum natura datur contingens; & ex Propoſitione 16. ex neceſſitate divinæ naturæ infinita infinitis modis ſequi debent; ergo cùm illa omnia entia ſingularia totidem ſint divinæ ſubſtantiæ, aut divini alicujus attributi modificationes, eadem prorſus neceſſitate extitiſſe ſemper neceſſe eſt, qua divina ipſa ſubſtantia.

Parum juvat quod reponit Spinoſa, illa omnia ſingularia non eſſe à Deo immediatè, ſed mediatè dumtaxat, ex cauſis ſcilicet externis quæ ipſis ſunt occaſio ut exiſtant.

Namque 1. Quæ ſint illæ cauſæ externæ in mente Spinoſæ vix aſſignari poteſt: quandoquidem docet ille nihil omninò eſſe extra divinam ſubſtantiam. 2. Parum refert an immediatè vel mediatè tantùm illa omnia ex Deo eſſe aſſerantur; modò iſtud certum ſit, ea ex neceſſitate divinæ ſubſtantiæ dimanare, ſaltem tanquam varias illius, aut alicujus divini Attributi affectiones ſeu modificationes. 3. Fingit Spinoſa, cauſas illas externas quæ ſingularibus exiſtendi ſunt occaſio, eſſe numero infinitas, cùm in Deo nihil ſit niſi infinitum: at non advertit ille, nullum unquam effectum futurum, ſi cauſæ infinitæ percurrendæ forent; infinitum enim exhauriri non poteſt.

Inde verò ſequitur, quod horrendum eſt cogitare, nefanda quæque non minùs quàm recta hominum opera, ex neceſſitate divinæ ſubſtantiæ promanere; cùm ſint divini alicujus attributi modificationes.

9. Denique, cùm Deus ſit ens perfectiſſimum quo nihil melius, ne ipſo quidem diffitente Spinoſa, mirum certè illud videri debet, qua ratione illum, mente, intelligentia, providentia, ſapientia, conſilio, libertate, finis intentione ſpoliaverit. Vult enim omnia & ſingula entia, cæca & ſtupida quadam neceſſitate ab ejus natura erumpere, ſicut erumpit v. gr. lumen à ſole, fructus ab arbore, rivus à fonte &c. Quid verò impium magis & inſulſum? Verùm piget in tot deliramentis ac impiis figmentis ſeriò confutandis diutiùs immorari.

Silentio tamen prætermitti non debet, quàm levis ſit, quàm ruinoſa prætenſa illa demonſtratio, qua Spinoſa palmarem ac fundamentalem totius ſui ſyſte-

ſyſtematis propoſitionem fulcire nititur. *Si darentur*, inquit ille, *plures diſtinctæ ſubſtantiæ, deberent inter ſe diſtingui, vel ex diverſitate attributorum, vel ex diverſitate affectionum. Si tantùm ex diverſitate attributorum, concedetur ergo non dari niſi unam ejuſdem attributi: at ſi ex diverſitate affectionum; cùm ſubſtantia ſit prior natura ſuis affectionibus, & in ſe conſiderata, hoc eſt verè conſiderata, non poterit concipi ab alia diſtingui, hoc eſt, non poterunt dari plures, ſed tantùm una.* Hæc Spinoſa. Non abſimili ratiocinio utebatur David de Dinando apud S. Thomam L. 1. contra Gentiles cap. 17. ut oſtenderet Deum eſſe materiam primam: quem ſolidè refellit S. Doctor. Scilicet totum hujus ſophiſmatis vitium in æquivoco laborat: nempè ſi voluiſſet Spinoſa, quod erat facillimum, ſecernere inter ea quæ ſunt diverſa, & ea quæ ſunt diſtincta, nullo negotio deprehendiſſet ea quæ diverſa ſunt, re ipſa talia eſſe ex diverſitate attributorum: non verò ea quæ ſunt diſtincta inter ſe. Res etenim à ſe invicem ex ſeſe diſtinguuntur ſaltem numero, tametſi communem participent ſpeciè naturam: ita Petrus & Paulus duo ſunt individua ex ſeſe diſtincta, licèt conveniant in eadem ſpeciè naturæ humanæ. Tota igitur moles hujus demonſtrationis Spinoſæ, ruit trita iſta vulgari Scholæ diſtinctione: nimirum, *Non poſſunt eſſe plures ſubſtantiæ ejuſdem naturæ ſeu attributi*, Diſtinguo: ejuſdem numero naturæ, concedo: ejuſdem ſpeciè, nego. Lege S. Thomam loco mox indicato ubi diluit argumentum quod proponebat de Dinando, ac oſtendit longum diſcrimen eſſe inter hæc duo; nempè res eſſe diſtinctas, & eſſe diverſas.

SECUNDA CONCLUSIO.

Deus ſimplex eſt ſpiritus, expers omnis compoſitionis phyſicæ, ſive ex materia & forma, anima & corpore; ſive ex partibus quantitativis aut integrantibus; ſive ex ſubjecto & accidente.

Probatur 1. Scripturæ teſtimoniis, tùm iis quibus Deus ſpiritus dicitur: tùm iis quæ illa Deo attribuunt, quæ ſoli verò ſpiritui poſſunt convenire. ℣. Joan. 4. v. 24. *Spiritus eſt Deus: & eos, qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare.* Quo loco, nomen *Spiritus* propriè & ad litteram uſurpatum ad ſignificandam ſubſtantiam immaterialem ac purè ſpiritualem, demonſtrat intentum Chriſti, nempè verum cultum & adorationem Dei in ſpiritu & veritate, certo loco certiſque cæremoniis neceſſariò non alligari, ut falsò exiſtimabant Samaritani & craſſiores Judæi. Cùm enim Deus ſpiritus ſit & quidem immenſus, ubique poteſt ac debet adorari.

Secundæ Corinth. 3. v. 17. *Dominus autem ſpiritus eſt*: ac conſequenter non modo carnali, quaſi corpus eſſet, colendus & adorandus, ſed in ſpiritu & veritate.

2. Scriptura ea Deo adſcribit quæ non in corpus, ſed in purum dumtaxat ſpiritum cadere poſſunt. Loco coarctari non poteſt. Jeremiæ 23. v. 24. *Cœlum & terram ego impleo.* Et Lib. 3. Regum cap. 8. v. 27. *Si cœlum & cœli cœlorum te capere non poſſunt, quantò magis domus hæc quam ædificavi?* Mutationi non eſt obnoxius. Malachiæ 3. v. 6. *Ego enim Dominus & non mutor.* Immortalis & inviſibilis. 1. ad Timot. 1. v. 17. *Regi cœlorum immortali & inviſibili.* Nullis lineamentis, imagine nulla poteſt delineari. Iſaiæ 40. v. 18.

v. 18. *Cui ergo similem feciſtis Deum? aut quam imaginem ponetis ei?* Anno 1215

Probatur 2. Ex Conc. Lateranenſi IV. ſub Innoc. III. cap. Firmiter. *Una eſt Dei eſſentia, ſubſtantia ſeu natura ſimplex omninò.* To. 11. Conc. p. 1. p. 142. C.

Communis hæc eſt ac pervulgata SS. Patrum doctrina.

Origenes L. 1. de principiis c. 1. *Non ergo*, inquit, *aut corpus aliquod, aut in corpore eſſe putandus eſt Deus, ſed intellectualis natura ſimplex, nihil omninò in ſe adiunctionis admittens . . . . ut ſit ex omni parte monas, & ut ita dicam, totus & mens.* p. 422. Part. 1. H.

S. Gregorius Nazianzenus Orat. 34. *An corpus*, inquit, *eum dices? Quonam ergo modo immenſus, infinitus, figuræ expers eſt, ac denique eiuſmodi, ut nec tangi, nec oculis cerni queat? An hæc quoque in corpora cadunt? . . . An verò corpus quidem eſſe ſtatues, immenſum verò atque infinitum, cæteraque huius generis eſſe negabis? . . . Quid enim afferri poteſt, cur colatur atque adoretur, ſi circumſcriptus eſt? Aut quid cauſæ eſſe dicemus, quin ex elementis conflatus ſit, atque in eadem denuò redigatur ac prorſus intereat? Compoſitio quippè pugnæ initium eſt, pugna autem diſſidii, diſſidium ſolutionis: ſolutio porrò nullo modo in Deum ac primam illam naturam cadit. Quocirca nullum diſſidium admittendum eſt, ne ſolutio conſequatur: nec pugna, ne diſſidium oriatur: nec compoſitio, ne pugna exiſtat. Ac proindè ne corpus quidem eſt, ne alioqui compoſitum quidem eum eſſe neceſſe ſit.* Tom. 1. pa. 540. C. D.

Dogma Catholicum ſimplicitatis Dei non tantùm auctoritate ſua, ſed etiam graviſſimis rationum momentis confirmat S. ille Doctor.

Theodoretus quæſtione 20. in Geneſim, data opera refellit eos qui imaginem Dei ad quam homo factus dicitur, in corpore collocant. *Samaritanæ*, inquit *Dominus dixit, Deus ſpiritus eſt. . . . Si autem Deus ſpiritus eſt, ſimplex igitur, incompoſitus, & figuram non recipiens.* To. 1. p. 17. B.

S. Auguſtinus Lib. 12. de Trinit. cap. 7. nu. 12. *Cogitatio quippè turpiter vana eſt*, inquit, *quæ opinatur Deum membrorum corporalium lineamentis circumſcribi atque finiri.* T. 8. pa. 918. F.

Et Lib. 6. c. 7. n. 8. poſtquam oſtendit nullam creaturam verè ac perfectè ſimplicem eſſe, de Deo ſic loquitur. *Deus verò multipliciter quidem dicitur magnus, bonus, ſapiens, beatus, verus, & quidquid aliud non indignè dici videtur: ſed eadem magnitudo eius eſt, quæ ſapientia; non enim mole magnus eſt, ſed virtute: & eadem bonitas, quæ ſapientia & magnitudo; & eadem veritas, quæ illa omnia: & non eſt ibi aliud beatum eſſe, & aliud magnum, aut ſapientem, aut verum, aut bonum eſſe, aut omninò ipſum eſſe.* Atque hæc eſt, ut ita dicam, ratio quaſi à priori divinæ ſimplicitatis. Unde idem S. Doctor Lib. 11. de Civitate Dei cap. 10. n. 3. demonſtrat idcirco Deum eſſe ſimplicem, quia quidquid habet, hoc eſt. *Cæterùm*, inquit, *dictus eſt in Scripturis ſanctis Spiritus ſapientiæ multiplex, eò quòd multa in ſe habeat: ſed quæ habet, hæc & eſt, & ea omnia unus eſt.* Ibid. p. 847. E. F. T. 7. pa. 281. A.

Denique S. Joannes Damaſcenus, ut alios omittam, L. 1. orthodoxæ fidei cap. 4. ex profeſſo demonſtrat Deum eſſe incorporeum graviſſimis rationum momentis. *Quo etenim modo*, inquit, *corpus eſſe queat, quod infinitum & interminatum eſt, quod figura caret, quodque nec tangi, nec oculis cerni poteſt; quod denique ſimplex eſt, nec compoſitum?* Ed. nov. To. 1. p. 127. A.

Probatur 3. nullam compoſitionis phyſicæ ſpeciem in Deum cadere poſſe.

Ac

Nulla in Deo cõpositio phy. sica ex materia & forma.

Ac primò quidem, Deus componi non potest ex materia & forma. 1. Quia in hujusmodi composito materia est forma imperfectior, cùm ab ipsa perficiatur ac determinetur: atqui in ente perfectissimo, qualis Deus est, nihil est alio perfectius, sed quidquid est, perfectissimum est. 2. Materia ex se indifferens est, & quasi potentia passiva ad plures formas: atqui nihil tale in Deo cogitari potest, qui totus est actus, totus spiritus. 3. In omni composito ex materia & forma, materia potest à forma dividi & separari: at Deus indivisibilis est & impassibilis. 4. Vel illæ duæ partes, materia & forma, sunt à se, vel ab alio: si posterius, ergo Deus qui ex utraque parte componitur, est ens ab alio, & consequenter Deus non est: si autem quælibet pars est à se, ergo quælibet illarum seorsum ab alia est Deus, cùm Deus sit ens à se; & quidquid est à se, summum sit & infinitum: atque ita, non jam unicus erit Deus, sed duplex.

Ex corpore & anima.

2. Deus non est compositus ex corpore & anima. 1. Quia omne corpus certis limitibus est circumscriptum, nec potest infinitum esse & immensum. Sic egregiè ratiocinatur S. Aug. L. 3. Confess. c. 7. nu. 12. *Non noveram*, inquit, *Deum esse spiritum, non cui membra essent per longum & latum, nec cui* T. 1. pa. 52. E. *esse moles esset; quia moles in parte minor est quàm in toto suo; & si infinita sit, minor est in aliqua parte certo spatio definita, quàm per infinitum; & non est totaubique, sicut Spiritus, sicut Deus.* Quasi diceret: Deus totus ubique est, cùm sit immensus: atqui non foret totus ubique, si esset corpus; alioqui quælibet pars hujus corporis, non esset minor toto, nec minor esset moles in parte quàm in toto; quælibet enim pars tantum spatii occuparet, quantùm occuparetur à toto corpore. 2. Omne corpus moveri potest, vel motu locali, transeundo ab uno loco ad alium; vel motu alterationis, recipiendo novum aliquod accidens, quo vel minuatur, vel augeatur: atqui Deus moveri non potest, nec motu locali, cùm sit immensus & omnia repleat; nec motu alterationis, cùm sit immortalis & immutabilis. 3. Si Deus est corpus, constat necessariò partibus quæ possunt à se invicem separari: atque ita Deus erit divisibilis in varias partes sicut continuum; quod certè pugnat cum idea entis perfectissimi qualis Deus est: 4. Deus est ens omnium nobilissimum: at non foret nobilissimum, sed valdè imperfectum, si corpus foret: siquidem vel corpus illud est vivens, vel non vivens: si non est vivens, ergo non est res omnium nobilissima, cùm ex se longè nobilius sit vivere quàm non vivere: si est vivens, ergo vel vivit per formam superadditam ipsi advenientem sicut anima humana advenit corpori; vel vivit per ipsam proprii corporis substantiam. Si prius dicitur, ergo non est ens omnium nobilissimum; quandoquidem datur aliquid eo nobilius, videlicet anima per quam vivit: si posterius, non potest vivere nisi vita ad summum sensitiva, cùm vita corporea nobilissima, sit sensitiva. Ex quo sequitur eum non esse ens omnium nobilissimum, quo dari potest nobilius, nimirum vita intellectualis. Vide S. Thomam 1. p. q. 3. art. 1. ubi tres illas rationes proponit.

Ex partibus sive integrantibus sive quantitatis.

3. Deus non est compositus ex partibus sive integrantibus, sive quantitativis. Ratio est quòd hujusmodi compositum imperfectum sit, in eo quòd pars una possit ab altera secerni ac dividi; quòd quælibet in se sit ens incompletum, alterationi & mutationi obnoxium; quòd totum ab illis dependeat, & illis posterius sit: sed ab ente perfectissimo vel umbra imperfectionis procul removenda est.

4. Nul-

4. Nulla in Deo esse potest compositio ex subjecto & accidente. 1. Quia ut rectè docet S. Thomas hìc q. 3. art. 6. Omne accidens est in subjecto, quòd se habet per modum potentiæ ad actum respectu accidentis quod recipit: ergo cùm nulla sit in Deo potentia passiva, utpote quæ imperfectionem includit, nulla quoque est compositio ex subjecto & accidente. 2. Quia ex S. Aug. Lib. 5. de Trinit. c. 4. n. 5. *Accidens non solet dici, nisi quod aliqua mutatione ejus rei cui accidit, amitti potest . . . Nihil itaque accidens in Deo, quia nihil mutabile aut amissibile.* 3. Quia in eo nullum accidens fingi potest qui ex naturæ suæ necessitate est perfectissimus, qui per essentiam suam est, quidquid est: atqui talis est Deus, cùm sit ens perfectissimum. *Quidquid*, ait S. Aug. Lib. 15. de Trinit. c. 5. n. 8. *secundùm qualitates illic* (in Deo) *dici videtur, secundùm substantiam vel essentiam est intelligendum. Absit enim ut spiritus secundùm substantiam dicatur Deus, & bonus secundùm qualitatem: sed utrumque secundùm substantiam.* Paulò antè jam dixerat n. 7. *Una eademque res dicitur, sive dicatur æternus Deus, sive immortalis, sive incorruptibilis, sive immutabilis: itemque cùm dicitur vivens, & intelligens, quod est utique sapiens, hoc idem dicitur. Non enim percepit sapientiam qua esset sapiens, sed ipse sapientia est.* Nihil ergo in Deo per modum qualitatis & accidentis. Atque hæc est, ut jam observavimus, summæ Dei simplicitatis, & ab ipsa Dei essentia exclusionis cujuscumque compositionis quasi radix & ratio à priori. Si quidem ea res simplicissima est, & expers omnis realis compositionis, quæ per essentiam est id omne quod est; seu in qua quidquid est, perfectè unum & idem est cum illa: atqui talis est divina essentia.

Ex subjecto & accidente.

To. 8. p. 834. B.

Ibid. p. 97. A.

Ib. B.

S. Thomas Lib. 1. contra Gentiles c. 18. hanc addit rationem. *In quolibet*, inquit, *genere, tantò aliquid est nobilius quantò simplicius . . . . quod igitur est in fine nobilitatis omnium entium, oportet esse in fine simplicitatis: hoc autem quod dicimus in fine nobilitatis omnium entium, dicimus Deum: nulla igitur compositio ei accidere potest.*

T. 13. pa. 52. col. 2. A. B.

TERTIA CONCLUSIO.

Nulla in Deo admittenda est compositio sive metaphysica, ex actu & potentia, essentia & existentia, natura & personalitate: sive logica, ex genere & differentia.

Probatur per singulas partes.

Nulla in Deo compositio metaphysica ex actu & potentia.

1. Nulla est in Deo compositio metaphysica ex actu & potentia: quia Deus est actus purissimus, nihilque in ipso concipi potest quod habeat rationem potentiæ quasi passivæ, cui aliquid adveniat, à quo perficiatur; siquidem ex se est ens perfectissimum quo nihil melius est, aut cogitari potest.

Ex essentia & existentia.

2. Nulla quoque in ipso fingi debet compositio ex essentia & existentia, sicut contingit in rebus creatis, quibus existentia essentialis non est: at Deo existentia tam intimè includitur, & imbibitur in conceptu ipsius essentiæ, ut nequidem per mentem sejungi ab illa possit; cùm fieri non possit ut concipiatur Deus tanquam ens perfectissimum, quin eo ipso concipiatur existens: ergo existentia est ipsamet Dei essentia; ergo componi Deus non potest ex essentia & existentia: omnis enim compositio fit ex rebus distinctis.

Ex natura & personalitate.

3. Nulla pariter est compositio ex natura & personalitate: quia ex dictis, om-

nis compositio fit ex rebus distinctis: atqui in divinis, subsistentia seu personalitas ab essentia non distinguitur nec realiter nec formaliter, ex dictis & probatis superius. Non ita est in humanis, ubi subsistentia realiter à natura distinguitur, ut patet in natura humana Christi, quæ sua propria caret personalitate seu subsistentia. Unde in humanis v. g. in Petro, ex natura & subsistentia resultat compositum quoddam nempe suppositum seu persona Petri: non ita in Deo. Nulla ergo compositio in Deo personarum, aut cum essentia, à qua non distinguuntur; aut secum invicem, cùm sibi mutuò ac relativè opponantur.

Audiatur de hocce argumento S. Athanasius L. de Decretis Synodi Nicænæ.

Ed. no. pa. 227. n. 22. *Si quis ergo*, inquit, *Deum compositum esse existimat, ut in substantia accidens, vel ita ut aliquem extrinsecus amictum habeat quo contegatur, aut quædam circum eum sint quæ ejus substantiam compleant, adeo ut cùm Deum dicimus vel Patrem nominamus, non ejus substantiam quæ nec videri nec cumprehendi potest, sed aliquid eorum quæ circum ipsam sunt, significemus, Synodum per me licet incusent, quæ Dei Filium ex ejus substantia esse scripserint. . . . Sed si Deus aliquid simplex est, uti revera est, liquet nihil nos quod veluti circum ipsum sit nominare, cùm Deum dicimus & Patrem nominamus, sed ipsam ejus substantiam significare.*

Cùm igitur nulla sit vera & realis ex S. Athanasio distinctio naturam inter & tres divinas, personas nulla quoque ex iis coalescere potest compositio.

Ex genere & differentia, 4. Denique nulla in Deo videtur admittenda compositio ex genere & differentia. 1. In omni composito ex genere & differentia, unum se habet per modum actus perficientis, nempe differentia; alterum per modum potentiæ quæ perficitur, nempe genus. 2. In tali composito, unum non includit aliud in suo conceptu, nempe genus non includit differentiam. 3. Quod constat ex genere & differentia, species est: at in Deo, ente perfectissimo, nihil est per modum potentiæ, sed totum quod est, purissimus est actus; unum aliud includit in suo conceptu formali, ut supra probatum est: species nulla in Deo fingi potest, quia species ordinem dicit ad plura individua numero distincta: repugnat autem plures esse deos numero distinctos. 4. Denique, quia hæc sententia magis accedit ad formam loquendi SS. Patrum. S. Clemens Alexandrinus L. 5. Stromatum. *Quemadmodum*, inquit, *dici potuerit, quod neque est genus, neque differentia, neque species, neque individuum, neque numerus.*

P. 428. C.

S. Cyrillus Alexandr. dial. 2. de Trinit. *A recta ratione longè alieniſſimum est*, inquit, *genus de Deo nominare, cùm nulla res sit cum ipso, aut ante ipsum.*

T. 5. p. 1. p. 426. E. Denique Evagrius Monachus apud Socratem L. 3. c. 7. *Divinitatem definire prorsus vetat, utpote rem simplicissimam: definitiones enim rerum compositarum esse dicit. Idem quoque his utitur verbis. Omnis propositio, aut genus habet quod prædicatur, aut speciem, aut differentiam, aut proprium, aut accidens, aut quod compositum est ex istis.*

Ed. Valesc. p. 176. C.

Quæres 1. An saltem aliqua compositio rationis & per mentem in Deo admitti possit?

Resp. Non posse admitti. 1. Quia ex dictis, attributa neque ab essentia, neque à se invicem perfectè præscindi possunt, sed mutuò sese implicitè ac confusè includunt; nec distinguuntur nisi penes conceptus nostros magis aut minùs explicitos; ergo nequidem per mentem seu rationis compositionem vati possunt. 2. Compositio istud semper involvit, ut unum se habeat per

modum

modum potentiæ, aliud verò per modum actus: at in Deo nihil intelligi ac concipi debet, quod se habeat per modum potentiæ quasi passivæ. 3. Denique: Cùm Deus sit ens perfectissimum, maxima quæ potest excogitari simplicitas ipsi adscribi debet: ergo nequidem rationis ac per mentem compositio ipsi affingenda videtur.

Quæres 2. An Deus venire possit in compositionem alterius?

Resp. negativè: Æquè enim imperfectum est compositionem inse aliquam pati, ac venire in compositionem alterius: sed ab ente perfectissimo, qualis Deus, omnis penitus removenda imperfectio.

Solvuntur Objectiones.

OBjicies 1. Scriptura Deo illa tribuit quæ corporum propria sunt. 1. Dimensionem: Job 11. v. 8. *Excelsior cælo est . . . profundior inferno . . . longior terra . . . latior mari.* 2. Situm: Isaiæ 3. v. 12. *Stat ad judicandum Dominus.* Et c. 6. v. 1. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum.* Psalm. 7. v. 7. *Exurge Domine in ira tua.* 3. Membra humani corporis. Oculos: Exodi 33. v. 13. *Si ergo inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, ut sciam te, & inveniam gratiam ante oculos tuos.* Psal. 33. v. 16. *Oculi Domini super justos; & aures eius in preces eorum.* Et Psalm. 129. v. 2. *Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.* Odoratum. Gen. 8. v. 21. *Odoratusque est Dominus odorem suavitatis.* Os: Isaiæ 1. v. 20. *Os Domini locutum est.* Brachium: Exodi 6. v. 6. *Redimam in brachio excelso.* Manus: Job. 10. v. 8. *Manus tuæ fecerunt me & plasmaverunt me.* Pedes: Isaiæ 66. v. 1. *Cælum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum.* 4. Affectiones animi. Pœnitentiam: Gen. 6. v. 7. *Pœnitet me feciſſe hominem.* Et v. 6. *Tactus dolore cordis intrinsecùs: Delebo,* inquit, *hominem quem creavi, à facie terræ.* Iram: Psal. 6. v. 1. *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.*

Resp. Distinguo antecedens: Scriptura Deo illa tribuit, sensu improprio & metaphorico, quæ corporum propria sunt, concedo: sensu proprio, vero & litterali, nego. Mos est Scripturæ ut de Deo interdum humano modo loquatur, ut sese nostro cogitandi & loquendi modo accommodet. Sic enim fácti sumus, ut pro infirmitate nostra non possimus quæ purè spiritalia sunt, nisi sub involucro corporeæ cujusdam imaginis concipere. Atque hæc origo ac radix est tot errorum in quos lapsi sumus circa naturam divinitatis.

Neque præcisè ad litteram assumenda esse quæcunque in Scripturis de Deo affirmantur, demonstrant evidenter ea loca, in quibus Deus aliquando dicitur leo, lux, dicitur alas habere, &c. quæ certè figuratè intelligenda esse nemo sanus diffitebitur.

Inde est quòd Scriptura, ut omnem errandi occasionem amoveat cùm aliquid materiale ac corporeum Deo tribuit, cautè ac providè monet, illud sensu carnali intelligendum non esse. *Numquid oculi tibi carnei sunt? aut sicut videt homo, & tu videbis?* ait Job c. 10. v. 4. Et Lib. 3. Regum c. 8. v. 27. *Si cælum & cæli cælorum capere te non possunt, quantò magis domus hæc quam ædificavi?* Isaias pariter c. 66. v. 1. apertè quoque declarat, Deum nullo loco posse contineri, nullis terminis circumscribi; ac consequenter, si quando ipsi situs

& præsentia in loco ad modum corporis tribui videtur, figuratè debet intelligi, non propriè. Pariter affectus & passiones humanas, quæ semper commotionem & imperfectionem aliquam adjunctam habent, procul à Deo Scriptura removet. L. 3. Regum c. 19. v. 11. *Non in commotione Dominus*. Et L. 1. c. 15. v. 29. *Porrò*, inquit Samuel, *triumphator in Israel non parcet, & pœnitudine non flectetur: neque enim homo est ut agat pœnitentiam*. Et Apostolus Rom. 11. v. 29. *Sine pœnitentia sunt dona et vocatio Dei*. Malachiæ 3. v. 6. *Ego Dominus et non mutor*. Denique Jacobi 1. v. 17. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*.

Itaque ad lucem veritatis hisce testimoniis expressæ, sensu figurato exponi debent quæ in objectione proponuntur: ita ut, dimensio & magnitudo extensionis de qua Job, significet immensitatem Dei: situs, immutabilitatem: solii celsitudo, majestatem: oculi, perspicuitatem & scientiam cui omnia patent: manus, omnipotentiam: aures, benignitatem & misericordiam: pedes, ubique præsentiam, ira, pœnam & vindictam: pœnitentia, peccati gravitatem, & pœnæ ultricis severitatem &c.

Ita passim respondent Ecclesiæ Doctores. Unum & alterum in re obvia laudasse sufficiat.

Theodoretus quæst. 20. in Gen. refellens eos qui corpus humanum ajunt factum ad imaginem Dei: *Stolidi*, inquit, *non animadverterunt, Dominum Deum per homines hominibus loquentem, audientium infirmitati sermones accommodare. Et quoniam oculis nos videmus, virtutem ejus per quam videt Scriptura vocat oculos: et rursum audiendi facultatem vocat aures, quoniam hisce partibus audimus; & mandatum Dei, os.*

To. 1. p. 16. D.

S. Augustinus Tract. 7. in Epistolam S. Joan. appositè omninò observat non idcircò corpus Deo affingendum esse, quòd in Scripturis, oculos, manus, pedes &c. habere dicatur; siquidem & charitati, quæ certè spiritualis virtus est, membra hujusmodi, sensu accommodatitio tribuuntur. *Pedes habet*, ait S. Doctor n. 10. *qui ducunt ad Ecclesiam: habet manus, nam ipsæ pauperi porrigunt: habet oculos, nam inde intelligitur ille qui eget &c.*

T. 3. p. p. 876. B.

Et Epistola 148. aliàs 111. ad Fortunatianum Siccensem Episcopum, de iis Scripturæ locis, in quibus Deo humana membra tribuuntur, sic loquitur c. 4. n. 13. *De membris Dei, quæ assiduè Scriptura commemorat, ne quisquam secundùm carnis hujus formam et figuram nos esse crederet similes Deo, propterea eadem Scriptura et alas habere Deum dixit, quas nos utique non habemus. Sicut ergo alas cùm audimus, protectionem intelligimus: sic et cùm audimus manus, operationem intelligere debemus; et cùm audimus pedes, præsentationem; et cùm audimus oculos, visionem qua cognoscit; et cùm audimus faciem, notitiam qua innotescit; et si quid aliud eadem Scriptura tale commemorat, puto spiritaliter intelligendum.*

T. 2. p. 501. D.

Denique idem S. Doctor Lib. 1. Confess. c. 4. omnem, quæ humanis affectibus adhærescere solet, maculam & imperfectionem à Deo eleganter removet his verbis. *Semper agens, semper quietus, colligens et non egens, portans et implens et protegens.... Amas, nec æstuas: zelas, et fecurus es: pœnitet te, et non doles: iraſceris, et tranquillus es: opera mutas, nec mutas consilium.*

To. 1 p. 71. A.

Et Lib. 12. de Civitate Dei c. 14. *Fecit*, inquit, *hominem in tempore, non novo, sed immutabili æternoque consilio.* Vide quæ paulò antè de hoc ipso argumento ex Tertulliano laudavimus.

To. 7 p. 312. E.

Insta-

Inſtabis 1. Deus homo factus eſt; ergo habet verum & humanum corpus noſtro ſimile: ergo verè compoſitus eſt ex anima & corpore.

Reſp. Diſtinguo antecedens. Deus homo factus eſt, per unionem hypoſtaticam cum humana natura, concedo: per compoſitionem, quaſi humanitas ſit Dei pars, nego. Verbum quidem aſſumpſit naturam humanam per unionem perſonalem ſeu hypoſtaticam; ſed compoſitum non eſt ex ea aut cum ea tanquam pars cum parte, ſed ad eam ſe habet ut perficiens, ſuſtentans, ac ſupplens humanitatis perſonalitatem ſeu ſubſiſtentiam. Natura quippe humana, ex tali unione atque conſortio ad ſummam perfectionem evehitur; divinæ autem naturæ nihil inde perfectionis aut accedit, aut deperit.

Inſtabis 2. Pœnitentia qua Deum pœnituit hominem feciſſe Gen. 6. verè ac propriè in ipſo fuit, & quidem cum intimo cordis dolore. *Tactus dolore cordis intrinſecus, Delebo*, inquit, v. 7. *hominem quem creavi, à facie terræ*. Ergo ſenſus ille doloris ac pœnitentiæ verus in illo fuit, ac noſtro planè ſimilis.

Reſp. Nego antecedens. Hæc quippe vocabula, iræ, pœnitentiæ, zeli, & alia hujuſcemodi, cùm ab humanis ad Deum transferuntur à Scriptoribus ſacris, propriè & ad litteram ſumi non debent, ſed impropriè, metaphoricè, & quoad effectum, ut ajunt è Schola Theologi; non quoad affectum & interiorem animi motum. *Ineffabilis eſt Dei patientia*, ait S. Aug. L. de patientia c. 1. *ſicut zelus ejus, ſicut & ira ejus, & ſi quid hujuſmodi eſt. Nam ſi tanquam noſtra iſta cogitamus, in illo nulla ſunt.* Et in Enchiridio de fide, ſpe, & charitate c. 33. n. 10. *Cùm Deus iraſci dicitur*, inquit, *non eius ſignificatur perturbatio, qualis eſt in animo iraſcentis hominis: ſed ex humanis motibus translato vocabulo, vindicta eius, quæ non niſi iuſta eſt, iræ nomen accepit.* Quo ſenſu ſit in Deo ira, pœnitentia &c. To. 6. p. 511. B. Ibid. p. 209. D.

Quapropter idem S. Doctor, ex effectu, non ex affectu ea de Deo affirmari innuit Lib. de diverſis quæſtionibus octoginta tribus, quæſt. 52. *Quoniam* ait, *difficillimum eſt ut homo aliquid vindicet ſine ira, vindictam Dei quæ omnino ſine iſta perturbatione fit, iram tamen vocandam iudicaverunt*. Eodem modo ibidem exponit quomodo intelligendum ſit eſſe in Deo zelum, manus, pedes, aures, oculos. Ib. p. 21. C.

Pœnitentiam verò in Deo propriè & quoad affectum non eſſe, diſertè docet Lib. 2. de diverſis quæſtionibus ad Simplicianum, qu. 2. n. 2. Audiendus eſt eximius Doctor. *Quis eſt hominum*, inquit, *cui non occurrat in Deo cuncta præſcienti pœnitentiam, eſſe non poſſe? Et certè tamen hæc duo verba ſunt, pœnitentia & præſcientia, quorum quia unum congruere credimus Deo, id eſt præſcientiam, negamus in eo eſſe pœnitentiam*. Et poſtea . . . . *Ira hominis turbida eſt & non ſine cruciatu animi: ira verò Dei, de qua dicitur in Evangelio, Ira Dei manet ſuper eum . . . . illo in tranquillitate iugiter manente, in creatura ſubdita exercet admirabili æquitate vindictam . . . . Quapropter cùm legimus etiam Deum dicentem, Pœnitet me; conſideremus quod eſſe ſoleat in hominibus opus pœnitendi. Procul dubio reperitur voluntas mutandi: ſed in homine cum dolore animi eſt, reprehendit enim in ſe quod temerè fecerat. Auferamus ergo iſta, quæ de humana infirmitate atque ignorantia veniunt, & remaneat ſolum velle, ut non ita fit aliquid, quemadmodum erat: ſic poteſt aliquantùm intimari menti noſtræ, qua regula intelligatur quòd pœnitet Deum. Cùm enim pœnitere dicitur, vult non eſſe aliquid, ſicut fecerat ut eſſet; ſed tamen & cùm ita eſſet, ita eſſe debebat; & cùm ita eſſe iam non ſinitur, iam non debet ita eſſe, perpetuo quodam & tranquillo æqui-* To. 6. fi. 112. D. P. 113. D. P. 114. E.

le æquitatis judicio, quo Deus cuncta mutabilia incommutabili voluntate disponit. Sic egregiè S.Doctor exponit quo ſenſu intelligendum ſit eſſe in Deo iram & pœnitentiam, nempe quoad effectum, quia idem facit Deus erga creaturam cui ſubinfenſus eſt, quod agere ſolent homines cùm opera ſua deſtruunt quæ feciſſe illos pœnitet: non autem quoad affectum & interiorem animi motum. *Pœnituit ergo Deum*, ait hìc Eſtius, *id eſt juſtè iraſcens, & indignans peccatis hominum, decrevit majorem partem hominum diluvio è medio tollere, quaſi opus ſuum averſans.*

Pag. 9. col. 1. D.

Inſtabis 3. Iſta loquendi ratio, *tactus dolore cordis intrinſecùs*, nonne internum doloris & pœnitentiæ ſenſum indicare videtur?

Reſp. Minimè: ſed ſignificat duntaxat offenſæ noſtræ magnitudinem, & pœnæ vindicis ſeveritatem. *Neque enim*, ait Sanctus Ambroſius Lib. de Noe & Arca cap.4. *Deus cogitat ſicut homines, ut aliqua ei nova ſuccedat ſententia; neque iraſcitur quaſi mutabilis: ſed ideo hæc leguntur, ut exprimatur peccatorum noſtrorum acerbitas, quæ divinam meruit offenſam; tanquam eò uſque increverit culpa, ut etiam Deus, qui naturaliter non movetur aut ira, aut odio, aut paſſione ulla, provocatus videatur ad iracundiam.*

Edit.n. T.2. p. 291. n. 9. C.

Inſtabis 4. Lactantius toto Libro de ira Dei, verum ac propriè dictum iræ affectum in Deo agnoſcere videtur.

Reſp. Nego antecedens. Agnoſcit enim duntaxat Lactantius in Deo iram quantùm ad effectum, non verò quantùm ad affectum. Refellit ſcilicèt eò loci nonnullos qui contendebant Deum nunquam punire hominum ſcelera. *Quoniam*, dicebant illi, *vel benefica ſit tantùmmodo natura divina; nec cuiquam nocere, præſtantiſſimæ atque optimæ congruit poteſtati: vel certè nihil curet omnino, ut neque ex eius beneficentia quidquam boni perveniat ad nos, neque ex maleficentia quidquam mali.* Inſanam iſtam & impiam ſententiam confutat Lactantius Lib. de ira Dei cap. 1.

Pagin. 442.

Inſtabis 5. Lactantius diſtinguit iram ab aliis motibus quos negat in Deo locum habere: atqui alii motus ſunt in Deo ſaltem effectivè; ergo iram non modò effectivè, ſed etiam affectivè in Deo eſſe contendit.

Reſp. Diſtinguo majorem. Diſtinguit iram ab aliis motibus vitioſis qui intrinſecam imperfectionem involvunt, quales ſunt motus avaritiæ, concupiſcentiæ, propenſionis ad malum, qui quidem nullo prorſus modo, nec quoad affectum, nec quoad effectum in Deo eſſe poſſunt, concedo: diſtinguit ab aliis motibus qui quoad affectum aliquid imperfectionis includunt, nego. Omnes enim hujuſmodi motus ex æquo à Deo removet. Hanc eſſe Lactantii ſententiam, patet ex c.16. n.30. ubi ſic loquitur. *Sunt aliqui affectus qui non cadunt in Deum, ut libido, avaritia.... his enim vacat, quia vitiorum affectus ſunt; eos autem qui ſunt virtutis, id eſt ira in malos, charitas in bonos, miſeratio in afflictos, quoniam divina poteſtate ſunt digna, proprios, & juſtos & veros habet.*

Pagin. 467.

Inſtabis 6. Gen.1. v.27. Homo creatus dicitur ad imaginem & ſimilitudinem Dei; ergo cùm homo corpus habeat, conſequens videtur ut in Deo corpus pariter admittatur.

Reſp.1. Diſtinguo antecedens. Homo dicitur creatus ad imaginem & ſimilitudinem Dei, ratione animæ, concedo: ratione corporis, nego. Communis ac trita eſt SS.Patrum doctrina, imaginem Dei in homine expreſſam ma-

maximè relucere in anima intellectuali, seu rationali, quæ Deum cognoscere potest, & illius possidendi est capax; non autem in corpore. Ita S. Gregorius Nyssenus Orat. 1. in illud, *Faciamus hominem ad imaginem nostram*. S. Ambros. L. de dignitate hominis c. 10. & in Psal. 118. S. Aug. 1. L. 1. de doctrina Christiana, & in Psal. 48. & alii passim; qui vel in libero arbitrio, vel in dominio quod homo exercet in proprias suas actiones, vel in illo, quod ipsi in animantia Deus concessit, Gen. 1. vel in virtutibus, imaginis rationem positam esse contendunt.

Resp. 2. Distinguo idem antecedens. Homo factus est ad imaginem; & similitudinem Dei, ratione corporis, vel quod assumpsit, ut hominem plasmaret, vel quod assumpturus erat in Incarnatione, concedo: ad similitudinem corporis, quod Deo simpliciter, seu ratione divinæ suæ naturæ proprium sit, nego. Itaque censuere è veteribus nonnulli, Deum, cùm hominem creare voluit, sibi corpus quoddam adaptasse, ut hominem etiam ex ea parte sibi similem efficeret. Ita inter alios Prudentius in Apotheosi. Alii dicunt, similitudinem illam stare ratione corporis quod Deus in Incarnatione assumpsit, ad quod respiciebat Deus cùm hominem creavit. Ita Tertull. L. de Resurrect. carnis c. 6. *Recogita*, inquit, *totum Deum illi* (homini creando) *occupatum ac deditum, manu, sensu, opere .... & ipsa imprimis adfectione quæ lineamenta ducebat. Quodcunque enim limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus .... ita limus ille jam tunc imaginem inducens Christi futuri in carne, non tantùm Dei opus erat, sed & pignus.* P. 328. D.

Instabis 7. Origenis Opera damnata idcirco fuere in Concilio Alexandrino sub Theophilo, & altero in Insula Cypri celebrato, præside S. Epiphanio, eo quòd docuerit Deum esse incorporeum. Ita testari videntur Socrates Lib. 6. cap. 10. & Sozomenus L. 8. c. 14. Itaque erronea non est sententia quæ Deo corpus affingit.

Resp. Nego antecedens. Aliis certè de causis proscripti sunt Libri Origenis: nec facilè sibi quisquam persuaserit, tot Episcopos, qui duobus illis Conciliis interfuere, in crassum ac turpem Antropomorphitarum errorem defeciisse. Neque verò Socrates, & Sozomenus, si attentè legantur, id asserunt quod objectio proponit.

Objicies 2. Rom. 11. v. 36. dicitur: *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia*. Ergo omnia ex Deo constant, seu Deus est universalis hujus mundi substantia.

Resp. Distinguo antecedens. In ipso sunt omnia efficienter, quia Deus est rerum omnium causa effectrix ac conservatrix. *In ipso enim vivimus, movemur, & sumus, sicut & quidam vestrorum Poetarum dixerunt; Ipsius, & genus sumus*, ait Apostolus. Act. 17. v. 28. concedo: in ipso sunt omnia, materialiter & quasi partes Dei, nego.

Objicies 3. Videtur esse aliqua compositio in Deo ex subjecto & accidente; si quidem multa ipsi de novo adveniunt, quibus antea carebat. Ita Tertullianus disputans contra Hermogenem, qui materiam idcirco æternam esse & increatam contendebat, ne fortè quædam mutatio Deo accederet, si de novo titulum Creatoris ac Domini acquireret. *Exquo*, inquit c. 3. *esse ceperunt in quę potestas Domini agerct, ex illo per accessionem potestatis, & factus & dictus est Dominus*. Et Lib. de Resurrectione carnis cap. 14. ait justitiam Deo advenisse: *Accipe igitur*, inquit, *& causam, qui apud Deum discis, tam.* P. 234. B. P. 333. A. B.

an optimum quàm & juſtum: de ſuo optimum; de noſtro juſtum. Niſi enim homo deliquiſſet, optimum ſolummodo Deum noſſet, ex naturæ proprietate: at nunc etiam juſtum eum patitur, ex cauſæ neceſſitate: tamen & hoc ipſo optimum, dum & juſtum.

In eundem ſenſum loqui videtur Athenagoras Apolog. pro Chriſtianis,
P. 17. cùm ait, *Bonitatem Deo copulari & adhæreſcere, ſicut color adhæret corpori.* Sed color adhæret per modum accidentis.

Quin & S. Aug. L. 5. de Trinit. c. 4. & 5. docet non omnia quæ de Deo affirmantur, ſecundùm ſubſtantiam dici; ergo ſupponit aliqua eſſe quæ ſecundùm accidens de ipſo affirmantur.

Reſp. Nego antecedens. Ad cujus probationem diſtinguo: multa de novo Deo accidunt, denominativè, extrinſecè, & objectivè, per ordinem ad creaturas, concedo: ſubjectivè, intrinſecè, & per ordinem ad divinam virtutem & potentiam, nego. Itaque denominationes iſtæ Domini, Judicis, Creatoris &c. ſpectantur vel extrinſecè & objectivè, per ordinem ad creaturas, quas denotant; & hoc ſenſu non ſunt Deo æternæ, ſed ipſi adveniunt, cùm nempe objectum creatum ad quod referuntur, exiſtit. Ita Deus ab æterno, Domini, Creatoris, Judicis titulum ac denominationem non habuit, quia nulla fuit ab æterno creatura, in quam Domini ac Judicis jura & poteſtatem exercuerit. Si verò denominationes iſtæ attendantur ſubjectivè, intrinſecè, & per ordinem ad divinam potentiam & virtutem quæ ſemper eadem eſt ac immota, Deo non adveniunt, cui ſunt eſſentiales. Nec aliter profectò fuit Tertulliani ſenſus, qui rectè diſtinguit inter denominationem Dei, & Domini, & inter poteſtatem Deo internam, & denominationem ex
P. 234. B. uſu ſeu exercitio illius poteſtatis derivatam. *Dei nomen dicimus*, ait c. 3. contra Hermogenem, *ſemper fuiſſe apud ſemetipſum & in ſemetipſo, Dominum verò non ſemper: diverſa enim utriuſque conditio. Deus, ſubſtantiæ ipſius nomen, id eſt divinitatis: Dominus verò, non ſubſtantiæ, ſed poteſtatis ſubſtantiam ſemper fuiſſe cum ſuo nomine, quod eſt Deus, poſtea Dominus, accedentis ſcilicèt rei mentio.*

Porrò ex denominatione extrinſeca Domini, Creatoris, Judicis, nulla in Deum mutatio reſultat, ſed mera tantùm ad res creatas externa connotatio: tota etenim mutatio cadit in res creatas, quæ ab uno ſtatu tranſeunt ad alium. Simile quid in rebus ipſis creatis videre eſt. Sic v.g. arbor in ripa fluminis plantata, immota manens, novas acquirit ad fluentes aquas, aut corpora prætereuntia relationes & connotationes. Similiter paries albus abſque eo quòd novi aliquid recipiat, relationem habet ad alios parietes qui de novo dealbantur: quantò magis igitur Deus, ſine ulla prorſùs ſui immutatione creaturas de novo exiſtentes connotare poteſt, & titulum ac denominationem Domini, Creatoris, & Judicis acquirere?

Ad auctoritatem Athenagoræ, dico paritatem in eo eſſe, quòd ſicut color à corpore ſeparari non poteſt, ita nec bonitas, cæteraque Dei attributa ab eſſentia divina, cujus neceſſariò omninò ſunt proprietates. In eo vera paritas manca eſt, quòd Attributa Dei eſſentiæ tanquam accidentia non adhæ-
rent, ſicut adhæret color corpori tanquam ſubjecto. Et reipſa idem Athe-
P. 10. nagoras ibidem ſcribit, *Deum ingenitum eſſe, æternum, inviſibilem, impaſſibilem immutabilem*: quod certè malè cohæret cum opinione quæ verò in Deo admitterêt accidentia.

Ad

Ad S. Aug. rectè asserit non omnia quæ sunt in Deo, dici secundùm substantiam; quia re ipsa dantur in ipso relationes reales & subsistentes, quæ substantiæ nomine non appellantur: subsistantia enim dicitur ad se, relationes verò, seu personalitates, ad alium. Porrò ea quæ secundùm substantiam non dicuntur, non idcirco accidentia esse affirmari potest: nomen igitur substantiæ loco citato non opponit S. Doctor accidenti, sed relativo. Et re ipsa omne accidens clarè ac diserte à Deo excludit L. 15. de Trinit. c. 4. ante laudato.

Instabis 1. Decreta divina, utpote libera, divinæ naturæ de novo accedunt: ergo quædam sunt in Deo accidentia.

Resp. Nego antecedens. Libera quidem sunt divina decreta objectivè ac terminativè sumpta; sed subjectivè, internè, ac ratione principii, sunt ipsamet Dei natura, quæ cùm ad creaturas refertur, libera dicitur; quia nulla est necessaria relatio Deum inter & creaturam, qua non indiget, cùm solus ipse sibi sufficiat. Non accedunt igitur divinæ naturæ Dei decreta, cùm sint æterna & immutabilia. *Opera mutas, nec mutas consilium*, ait appositè S. Augustt. Deum alloquens Lib. 1. Confess. c. 4. Mutatio itaque in Deum non cadit, sed in creaturam, quæ novum incipit esse divinæ connotationis objectum. To. 1. p. 71. B.

Instabis 2. Decreta Dei sunt effectus divinæ voluntatis: ergo posteriora; adeoque per modum accidentis ei adveniunt.

Resp. Nego ant. Decreta enim Dei sunt actus immanentes voluntatis divinæ, non effectus ejus propriè dicti; nec Deus eorum causa dici debet, sed principium: quare opus non est ut sint Deo posteriora, nisi saltem ordine, ac nostro concipiendi modo.

Objicies 3. Est in Deo unitas & Trinitas: unitas scilicèt essentiæ, & Trinitas personarum; ergo compositio quædam est in Deo ex essentia & persona.

Resp. Nego consequens. Quia ad veram compositionem necessaria est distinctio & unio: est quippe compositio, distinctorum unio. Porrò divinæ personæ, qua parte in natura seu essentia uniuntur, non distinguuntur; & qua parte distinguuntur, non uniuntur, sed relativè sibi mutuò opponuntur. Quomodo igitur compositionem aliquam efficere possunt?

Instabis 1. Quod constat ex aliquo communi & ex aliquo proprio, verè compositum est: atqui in personis divinis est aliquid commune, nempe natura; & aliquid proprium, nempe personalitas; ergo persona divina verè est composita.

Resp. Distinguo majorem. Si illud commune & proprium à se distinguantur; & unum sit veluti potentia quæ perficitur, aliud verò actus qui perficit, concedo: secus, nego. Porrò, ex dictis non semel, constat personam in Deo ab essentia non distingui: constat ex personis novam divinæ naturæ non accrescere perfectionem; siquidem quidquid in personis perfectionis est, ab ipsa natura divina profluit, quæ eminenter relationes & personalitates continet.

Instabis 2. S. Basilius L. 2. contra Eunomium n. 28. distinguit in Deo aliquid commune, nempe essentiam; & aliquid proprium, nempe personalitatem: aitque ex his complexionem quamdam fieri. *Deitas communis est*, inquit; *proprietates verò sunt paternitas & filiatio. Ex utriusque autem complexu, tùm communis, tùm proprii, innascitur nobis comprehensio veritatis.* Ed. n. To. 1. p. 265. C.

Resp.

Resp. S. Basilium complexionis nomine non intelligere veram compositionem, quæ fit ex actu & potentia; sed hoc unum voluit, in eadem scilicèt persona divina esse aliquid commune, & aliquid proprium, quæ distinguuntur, non quidem realiter, sed virtualiter et dumtaxat & per mentem. Oppugnat scilicèt Eunomium, qui, ut ostenderet naturam Dei in eo esse, quòd sit ingenita, (unde sequitur Filium non esse Deum cùm genitus sit) omnem penitus à divinis distinctionem etiam virtualem & rationis excludebat. Contra verò probat S. Doctor, necessariò distinctionem aliquam in divinis admitti debere; cùm in personis divinis sit aliquid commune, & aliquid proprium.

Objicies denique. Non repugnat in Deo compositio ex genere & differentia. S. enim Aug. Ser. 38. de tempore, & Lib. 5. de Trinit. cap. 8. & 10. ostendit quædam esse prædicamenta quæ Deo impropriè & metaphoricè tantùm competunt, v. g. quantitatem, qualitatem &c. quædam verò propriè, v. g. substantiam, actionem: quidni ergo, ipsi genus & differentia tribui poterit, & ex his compositio quædam logica?

Resp. Prædicamentorum alia aliis minùs impropriè Deo convenire, tametsi omnia *abusivè* de Deo dicantur, ut ait ipsemet S. Aug. L. 7. de Trinitate c. 5. n. 10. *Manifestum est*, ait S. Doctor, *Deum abusivè substantiam vocari, ut nomine usitatiore intelligatur essentia, quod verè ac propriè dicitur*. Ita longè potius removeri à Deo debet quantitas & qualitas, quàm substantia: Deus quippe substantia est, licèt in prædicamento substantiæ non includatur, cùm sit supra omnem substantiam.

To. 8. p. 861. B.

Instabis 1. Ibi est compositio ubi est distinctorum unio, saltem per mentem; atqui in Deo multa sunt quæ virtute saltem & per mentem distinguuntur; ergo quædam fit ex illis compositio saltem per mentem.

Resp. Distinguo majorem. Ubi est distinctorum unio, quorum unum se habeat per modum actus, & alterum per modum potentiæ, concedo: secus, nego. Porrò, ex dictis, nihil in Deo assignari potest quod se habeat per modum potentiæ.

Instabis 2. Compositio ex genere & differentia, non magis officit divinæ simplicitati, quàm distinctio rationis; est enim illa compositio tantùm rationis ac per mentem.

Resp. Nego antecedens. Disparitas est, quòd distinctio rationis arguit dumtaxat ex una parte summam Dei perfectionem, & ex altera tenuitatem & imbecillitatem humanæ mentis, quæ unico conceptu omnia quæ Dei sunt attingere non potest. Compositio verò, ut sæpius diximus, quamdam imperfectionem importat, non eam tantùm quæ sit ex parte mentis, sed etiam ex parte Dei, in quo necesse foret esse aliquid quod se habeat per modum potentiæ.

Instabis 3. Ratio prioris & posterioris non officit divinæ æternitati; ergo nec compositio rationis.

Resp. In æternitate divina non esse prius & posterius reale, & quoad durationem, cùm sit instans semper durans & semper præsens; sed esse tantùm rationem prioris & posterioris in Deo, secundùm processionis originem, quod quidem divinæ æternitati non officit. Compositio verò etiam rationis, divinæ simplicitati nocere intelligitur, quia tollit à Deo rationem actus purissimi ac simplicissimi.

QUÆ-

QUÆSTIO SEXTA.

De infinitate Dei.

INfinitas, vinominis, eſt carentia termini & finis. Negativum aliquid ſonat; attamen ſummam, eamque poſitivam, in Deo perfectionem arguit.

Non hic agitur de infinitate Dei ſecundùm molem ſeu quantitatem; aut ſecundùm intenſionem gradualem, quæ qualitatum eſt propria; aut ſecundùm multitudinem; conſtat enim hujuſmodi infinitatem cum ſumma Dei ſimplicitate ſtare non poſſe, cùm partium diſtinctionem & compoſitionem includat: neque cum ſumma ejus perfectione, cùm involvat imperfectionem. Non agitur etiam hic, aut de infinitate durationis, quæ eſt æternitas; aut de infinitate extenſionis, quæ immenſitas eſt divina, de quibus poſtea. Ergo controverſia eſt de infinitate divinæ eſſentiæ, ac divinarum ejus perfectionum. Perfectionis autem nomine, hic intelligimus eam, quæ ſimpliciter ſimplex appellatur, quæ melior eſt ipſa quàm non ipſa, nec ullam in ſuo conceptu imperfectionem includit.

Quæſtio autem non movetur tantùm, an quælibet Dei perfectio infinita ſit in ſuo genere; hoc eſt, omnes qui poſſibiles ſunt perfectionis gradus complectatur: ſed quæſtio eſt, an Dei eſſentia infinita ſit in omni genere perfectionis; hoc eſt, utrum per identitatem contineat omne genus puræ perfectionis, in gradu eminentiſſimo ſeu infinito.

Hanc Dei infinitatem inficiantur Sociniani, quibus conſtitutum eſt omnia Religionis Chriſtianæ capita convellere.

CONCLUSIO.

Deus infinitus eſt in omni genere perfectionis.

Probatur 1. ex Scripturis. Pſal. 144. v. 3. *Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non eſt finis.* S. Hieronymus vertit: *Magnificentiæ ejus non eſt inventio.* Hoc eſt, comprehendi ſatis, & animo intelligi non poteſt, quanta ſit Dei excellentia: adeo infinita eſt & ſupra omnem ſenſum noſtrum.

S. Aug. ad citata Pſalmiſtæ verba ſic loquitur. *Ideo dixit, valdè; quia magnitudinis ejus non eſt finis: ne fortè incipias velle laudare, & putes te laudando poſſe finire, cujus magnitudo finem non poteſt habere. Noli ergo te putare eum, cujus magnitudinis finis non eſt, ſufficienter poſſe laudare. Nonne ergo melius eſt, ut quomodo ipſe non finitur, nec laus ipſius finiatur? Illius magnitudo ſine fine eſt, & tua laudatio ſine fine ſit.* To. 4. p. 1613 C.

Baruch 3. v. 25. *Magnus, & non habet finem, excelſus & immenſus.*

Job 11. v. 7. 8. & 9. *Forſitan veſtigia Dei comprehendes, & uſque ad perfectum Omnipotentem reperies? Excelſior cœlo eſt, & quid facies? profundior inferno, & unde cognoſces? longior terra menſura ejus, & latior mari.*

Iſaiæ 40. v. 12. *Quis menſus eſt pugillo aquas, & cœlos palma ponderavit? Quis appendit tribus digitis molem terræ, & libravit in pondere montes, & colles in ſtatera?* Quàm hæc ſublimia ſunt, & ad exprimendam infinitam Dei majeſtatem ac virtutem magnifica! Non poſſe autem iſta, vel de magnitudine

dine molis & quantitatis, vel de magnitudine virtutis accidentalis intelligi, abundè patet ex antè dictis.

Triplex Sociniana evasio refellitur.

Reponunt Sociniani 1. Hæc de Deo dicta esse per exaggerationem & metaphoram. 2. Ea designare dumtaxat virtutis operativæ in Deo præstantiam & efficaciam, non autem naturæ infinitatem. 3. Denique, ea infinita dici respectu nostri, quibus infinita videntur, tametsi infinita in se non sint. Quo sensu num. 32. v. 1. de filiis Ruben & Gad dicitur, *Quòd haberent pecora multa, & quòd esset illis in jumentis infinita substantia.* Et Lib. 2. Paralip. c. 14. v. ultimo, dicitur: *Tulerunt pecorum infinitam multitudinem.*

Verùm, impia & insulsa est triplex illa evasio.

Prima.

Prima quidem: quia gratis omnino & absque ullo fundamento fingitur. Metaphoricæ quidem sunt loquendi rationes, quæ ex rebus creatis petitæ ad Deum transferuntur; v. gr. quòd sit inferno profundior, latior mari &c. Verùm, subillis externis ac corporeis symbolis, infinita divinæ naturæ ejusque virtutis ac potentiæ perfectio adumbratur. Quòd si ad libitum quæ de Deo in Scripturis affirmantur, ad sensum metaphoricum detorquere liceat, nihil erit tam clarum & tam certum, quod perditus aliquis ad figuratum sensum non adducat. Poterit hac impia methodo, vera Dei æternitas negari; quia interdum sensu metaphorico, quod antiquum est, æternum dicitur. Ita Deut. 33. v. 15. dicuntur: *Colles æterni.* Et Gen. 17. v. 8. *Possessio terræ Chanaam dicitur æterna:* & v. 13. dicitur, *pactum & fœdus æternum.*

Secunda.

Secunda etiam evasio manifestè falsa est. Quippe si concedatur infinitam esse Dei virtutem operativam, necesse omnino est, & infinitam agnoscere ejus naturam: proprietas enim essentiæ modum & rationem sequitur.

Tertia.

Tertia denique responsio prorsus inanis est ac futilis. Namque ex subjecta materia, ex antecedentibus & consequentibus, ex usu communi ac recepto, ea numero infinita dicuntur, quæ sunt in maximo numero. Ita dicimus infinitam esse in cœlo stellarum multitudinem; infinitas in mari aquas &c. Verùm, ubi sermo est de infinitate Dei, absit ut sensum hunc popularem approbemus & sequamur.

Probatur 2. ex SS. Patribus.

Ed. n. p. 565. A. B.

Ex S. Hilario in citatum Psal. 144. textum. *Hæc,* inquit, *Dei prima & præcipua laudatio est, quòd nihil in se mediocre, nihil circumscriptum, nihil ementum & magnitudinis suæ habeat & laudis. Virtus ejus opinione non clauditur, locis non continetur, nominibus non enuntiatur, temporibus non subditur: arctius ad id sensus noster est, ingenium hebes est, sermo mutus est; finem magnificentiæ ipsius nescit, & aliquam emetiendi se opinionem immensa magnitudo non patitur. Extenta ubique, extenta semper est, hanc habens infinitatis suæ laudem: cæterùm omnem intelligentiam infinitæ hujus in se qualitatis excedens.* Diserte hic pronunciat S. Hilarius, nihil in Deo circumscriptum, hoc est, finitum & limitatum contineri, idque facta inductione demonstrat.

T. 2. p. 312. C.

Ex S. Greg. Nyss. Orat. 12. contra Eunomium. De Deo differens: *Ipsum quod est,* ait, *vita est in ipso operans, quæ neque major neque minor ex accessione vel substractione fit. Nam quod in majus fit incrementum in infinito locum non habet.*

Ex S. Joan. Damasc. L. 1. de fide orthod. c. 9. *Ex omnibus porrò nominibus,* inquit, *quæ Deo tribuuntur, nullum æquè proprium videtur, atque ὁ ὢν id est,* Qui est: *quemadmodum ipsemet cum Moysi in monte responderet, ait: Dic filiis Israel:*

Qui

Qui est, misit me. *Nam totum esse, velut immensum quoddam ac nullis terminis definitum essentiæ pelagus complexu suo ipse continet.*

Probatur denique manifesta ratione quam indicat mox laudatus S. Joan. Damasc. Nempe, Deus est à se; ergo illimitatus & infinitus. A quo enim limites haberet? ut non semel diximus: Ab alio? at nullam sui causam agnoscit, qui omnium causa est. A se ipso? at quid absurdius quàm fingere ens quod sibimetipsi certas ac limitatas definiat perfectiones? Adde ex communi omnium idea & notione, Deum esse ens perfectissimum, quo nihil melius est aut cogitari potest. At si non esset infinitus in omni genere perfectionum, perfectissimum nec esset, nec dici posset, quo ens perfectius posset excogitari.

Dices 1. Aliquid perfectius excogitari potest, & re ipsa datur. Ergo non est in omni perfectionum genere infinitus. Antecedens probatur: quia aggregatum ex Deo & creaturis, est aliquid Deo solo perfectius; in eo quippe aggregato nonnullæ sunt perfectiones propriæ creaturarum, quæ in Deo non reperiuntur.

Confirmatur. Si quid obstaret quominus Deus cum creaturis dici posset aliquid melius atque perfectius, istud maximè, quòd omnis perfectio creaturarum sit in Deo, si non formaliter, saltem eminenter. Atqui hæc ratio satis firma non videtur: namque v. g. Sol eminenter lumen continet, & tamen Sol cum lumine est aliquid melius: pariter intellectus instructus omnibus ad intelligendum prærequisitis, intellectionem continet eminenter; atqui tamen cum ea conjunctus est aliquid re ipsa melius. Ergo Deus cum creaturis aliquid melius est, quàm si solus consideretur; ergo non est infinitè perfectus.

Resp. Distinguo antecedens. Deo aliquid perfectius dari potest, nempe aggregatum ex Deo & creaturis, quantùm ad numerum, & multitudinem, esto: quantùm ad perfectionem, de qua una hìc agitur, nego. Ratio est, tùm quia creaturæ Deo comparatæ, velut nihilum habentur. Psal. 38. v. 6. *Substantia mea tanquam nihilum ante te* & Isaiæ 40. v 17. *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane reputatæ sunt.* Tùm quia nullum reperitur in creatura bonum purum, id est qualibet imperfectione liberum, quod non sit in Deo formaliter; ac consequenter Deus cum creatura non est aliquid perfectius.

Ad confirmationem, dico causam & rationem cur Deus cum creaturis non sit aliquid perfectius, non esse, quia creaturæ in Deo eminenter continentur, sed quia nihil in se habent perfectionis simplicis seu puræ, quod in Deo formaliter non contineatur: qui continendi modus non reperitur in causis secundis æquivocis respectu effectuum quos producunt.

Dices 2. Si quælibet perfectio Deo propria infinita est in suo genere, quælibet est summa & infinita intra genus suum: atqui hoc videtur falsum, quia intra genus v. g. intellectionis, dari potest intellectio summa & maxima; quia nempe intra idem genus dari potest infinita collectio intellectionum, quarum aliæ sunt aliis perfectiores in infinitum: neque enim exhauriri potest, quæ infinita est, Dei potestas.

Resp. Nego minorem. Ad probationem, distinguo; intra genus intellectionis creatæ non potest dari summa & maxima, quia quacumque supposita, perfectior semper dari potest concedo: non potest dari summa & maxima in Deo, quæ non contineatur intra genus creatæ intellectionis, nego. De ista verò

solum-

ſolummodo hìc agitur, non de alia quacumque perfectione creata, quæ ſemper creſcere & augeri poteſt.

Quapropter aggregatum ex Deo & creaturis non eſt aliquid melius atque perfectius, quàm ſit ſolus Deus. Ita inter cæteros docet S. Aug. L. 6. de Trinitate c. 8. nu. 9. *Corpora*, inquit, *adjunctione ſua creſcunt . . . . In rebus autem ſpiritualibus, cùm minor majoribus adhæreſcit ſicut creatura Creatori, illa fit major quàm erat, non ille. In iis enim quæ non mole magna ſunt, hoc eſt majus eſſe, quod eſt melius eſſe. Melior autem fit ſpiritus alicujus creaturæ, cùm adhæret Creatori, quàm ſi non adhæreat; & ideo etiam major quia melior. Qui ergo adhæret Domino, unus ſpiritus eſt: ſed tamen Dominus non ideo fit major, quamvis fiat ille, qui adhæret Domino. In ipſo igitur Deo cùm adhæret æquali Patri Filius æqualis, aut Spiritus ſanctus Patri & Filio æqualis, non fit major Deus quàm ſinguli eorum; quia non eſt, quo creſcat illa perfectio.* Quibus diſertè ſignificat S. Doctor, Deo & creatura non fieri aliquid majus aut melius quàm ſi Deus: *Quia non eſt quo creſcat illa perfectio*; cùm nempe ſit infinita; & infinitum augeri non poſſit. *Illud quod eſt optimum ſimpliciter*, ait S. Thom. 1. 2. q. 34. art. 3. ad 2. *nullo addito poteſt fieri melius.*

T. 8. p. 849. A. F.

QUÆSTIO SEPTIMA.

De Immenſitate Dei.

Immenſitatis Dei definitio vel deſcriptio.

IMmenſitas, vi termini, eſt illimitata Dei rebus omnibus præſentia. Definiri ſeu deſcribi poteſt immenſitas Dei; virtualis ſubſtantiæ divinæ diffuſio, per quam res omnes pervadit ac penetrat, iiſque per ſeſe ac intimè adeſt tota abſque ulla limitatione & termino.

Dicitur 1. Virtualis ſubſtantiæ divinæ diffuſio: tùm ut diſtinguatur immenſitas Dei ab illius ubiquitate, & actuali in rebus omnibus inexiſtentia. Quippe immenſitas Dei æterna eſt, abſoluta & neceſſaria, atque in eo poſita, quòd apta & nata ſit ubique eſſe, & implere id omne quod exiſtit. Ubiquitas verò & præſentia Dei in rebus, temporanea eſt, relativa & libera, pro conditione rerum creatarum quibus Deus coexiſtit: Tùm ut declaretur, ſimplicem Dei naturam idem efficere in ordine ad locum diffuſione virtuali, quod præſtat corpus diffuſione & extenſione molis quantitativæ.

Dicitur 2. Per quam res omnes pervadit ac penetrat, iiſque tota per ſeſe intimè adeſt. Nempe 1. Ut deſignetur Deum rebus præſentem eſſe, non tantùm cognitione, ſcientia, & operationis virtute; ſed etiam ſubſtantia. 2. Ut intelligatur, modum quo Deus rebus omnibus præſens eſt, ſimpliciſſimum eſſe, totius ſcilicèt ſubſtantiæ in omnibus & ſingulis loci partibus, non per diviſionem, vel multiplicationem, vel per contactum quemdam phyſicum & quantitativum; uti ſolent corpora in loco eſſe & à nobis repræſentari. Unde fit, ut mens noſtra phantaſmatibus & corporeis imaginibus aſſueta, Dei infinitatem & immenſitatem delineare ſibi non poſſit. Rectè Magiſter Sententiarum Lib. 1. diſt. 37. lit. A. ait: *Deum incommutabiliter ſemper in ſe exiſtentem, præſentialiter, potentialiter, eſſentialiter eſſe in omni natura ſive eſſentia, ſine ſui diviſione; & in omni loco ſine circumſcriptione, & in omni tempore ſine mutabilitate. Verùm, nec humanam mentem dignè cogitare, nec linguam ſufficere ut id eloquatur.*

Dici-

Dicitur. 3. Absque ullo termino. Quia ratione immensitatis, Deus nullo loco contineri ac circumscribi potest, sed qualibet suppositâ rerum ac locorum multitudine, Deus pluribus aliis & infinitis adesse idoneus est; neque tam loco contineri, quàm locum ipsum continere dicendus est.

Circa immensitatem Dei hæc sunt à nobis inquirenda.

1. An Deus sit immensus; rebusque omnibus intimè præsens, non tantùm cognitione & operatione, sed essentia?

2. An præsentia Dei in rebus, efficaciter probetur ex operatione illius, & quomodo?

3. An Deus sit extra mundum diffusus; & in spatiis, ut vocant, imaginariis?

ARTICULUS PRIMUS.

An Deus sit immensus; rebusque omnibus intimè præsens, non tantùm cognitione, & operatione, sed essentia.

TRibus generatim modis vulgò Deus rebus omnibus præsens adesse dicitur: per potentiam, præsentiam, & essentiam. Per potentiam, quia omnia producit, conservat, & operatur omnia in omnibus: *In ipso enim vivimus, & movemur & sumus.* Act. 17. v. 28. Per præsentiam seu notitiam & cognitionem, tùm quia omnia nuda & aperta sunt oculis ejus; tùm quia omnia gubernat & moderatur, omnibusque providet. Per essentiam denique, quia res omnes intimè pervadit & penetrat: non quidem ut accidens, aut pars essentiæ, cùm sit substantia simplicissima; sed sicut agens intimè præsens rei in quam agit, ut explicat S. Thom. 1. p. q. 8. art. 1.

Non hic agitur de præsentia Dei in rebus, aut per potentiam & operationem, aut per scientiam, quam nemo negare videtur, sed per essentiam.

Neque etiam agitur de speciali modo quo Deus est, aut in Cœlo per gloriam, aut in Sanctis per gratiam, aut in Christo per unionem hypostaticam, aut in Sacramentis per singularem efficaciam, aut in Ecclesia per continuam ac specialem assistentiam: sed de generali inexistentia Dei in rebus omnibus creatis.

Neque etiam quæstio movetur de modo, quo Deus immensitate suæ substantiæ omnia replet ac continet. Licèt enim certum sit Deum non esse in loco, aut circumscriptivè per modum corporis, per varias sui partes variis partibus corporis respondentes; aut definitivè, sicut Angelus, qui totus est in loco, & totus in qualibet parte loci, & tamen loco clauditur ac continetur: sed simpliciter agitur de substantiali Dei in loco præsentia; modus enim planè singularis illius præsentiæ, nec concipi à nobis nec explicari potest.

Adversùs immensitatem Dei peccaverunt

Errores contra Dei immensitatem. Judæi, Samaritani. Ed. n. p. 804. C.

1. Inter Judæos, illi qui Deum in solo Templo Jerosolymitano residere affirmabant: teste S. Hieronymo ad cap. 66. Isaiæ; quibus & Samaritanos adjungit S. Hilarius Lib. 2. de Trinitate. Volebant illi, Deum alibi non esse, nec coli posse. *Utrorumque præsumptio*, ait S. Hilarius, *aut collis edito, aut extructæ domus concavo, Deum, intra quem omnia, & extra quem nihil ejus capax est, continebat.*

Quibus opponi meritò potest, quod egregiè dicebat S. Cyprianus L. de vanitate

P. 206. & 207. vanitate Idolorum: *Dei templum totus est mundus. . . Deus enim est totus ubique diffusus.*

2. Platonici, qui Deum intra sphæram quamdam igneam commorari existimabant.

3. Veteres illi Philosophi; atque inter cæteros, Auctor de mundo ad Alexandrum, qui Deum in cœlis dumtaxat esse asseruit.

4. E veteribus hæreticis, Valentiniani, Gnostici, Manichæi, qui, ut testis est S. Aug. Lib. contra Epistolam Fundamenti c. 21. cùm duo rerum principia agnoscerent, unum bonum, alterum malum, illud in regione lucis, & istud in regione tenebrarum collocabant; ne videlicet bonum à malo contaminaretur. Addit c. 23. idem S. Doctor, quòd etsi putarent Manichæi Deum infinita mole diffusum esse, non tamen *undique sed tribus quadris infinitum atque condensum, ex una fissum, patentem esse finxerunt.* Quotquot etiam inter Veteres, Deum corporeum finxerunt, illius immensitatem inficiati sunt. T. 3. p. 1. 165. D.

5. Inter Christianos Augustinus Steuchus Eugubinus in Psal. 138. contendit Deum secundùm substantiam esse tantùm in cœlo, eo modo quo Sol est in suo orbe: & secundum potentiam esse ubique; quatenus omnia in omnibus operatur, eo modo quo Sol ex orbe suo influxus suos in hæc inferiora diffundit.

6. Denique Sociniani, & Vorstius Calvinista, admittunt quidem præsentiam Dei in rebus quoad virtutem & operationem; sed negant quoad essentiam: qui Deum cœlo contineri pertendunt, ut Socinus in Tractatum Franci. Davidis, & Crellius L. 1. de vera Religione c. 27. *Quia*, inquit Crellius, *Dei log. sua. & potentia & sapientia ad res omnes extenditur, uti & potestas sive imperium; ideo ubique præsens omniaque numine suo complere dicitur.* Adversùs illos errores sit. Vorstius Tract. de Deo, & Apo-

CONCLUSIO.

Deus est immensus, rebusque omnibus intimè præsens adest, non tantùm cognitione & operatione, sed essentia.

Probatur 1. ex Scripturis. Deuteron. 4. v. 39. *Scito ergo hodie*, ait Moyses, *& cogitato in corde tuo, quòd Dominus ipse sit Deus in cœlo sursum, & in terra deorsum, & non sit alius.*

Baruch 3. v. 25. *Magnus est, & non habet finem, excelsus & immensus.*

Job. 11. v. 8. *Excelsior cœlo est . . . . profundior inferno . . . . longior terra mensura ejus, & latior mari.* Non potest divina immensitas magnificentiùs delineari.

Lib. 3. Regum c. 8. v. 27. *Si enim cœlum & cœli cœlorum capere te non possunt, quantò magis domus hæc quam ædificavi?*

Jeremiæ 23. v. 24. *Numquid non cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus?*

Denique Psal. 138. v. 7. & seq. *Quò ibo à spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum tu illic es, si descendero in infernum ades.*

Crellii respôsio refellitur. Frustra reponit Crellius, loca hæc Scripturæ agere de omni præsentia virtutis & efficaciæ, non essentiæ.

1. Quia in citatis Deuter. 4. Baruch 3. Job 11. nulla fit cognitionis aut potentiæ Dei mentio, sed de una præsentia essentiæ; neque alium sensum ingerunt isti loquendi modi, *excelsior cœlo: profundior inferno: cœlum et terram impleo:*

impleo: Cœli te capere non poſſunt: quæ metaphoræ, non cognitioni, non efficaciæ virtutis, ſed uni ſubſtantiæ diffuſioni adaptari meritò poſſunt. 2. Eodem modo dicitur Deus eſſe in inferno, quo in cœlo: at, non diffitentibus Socinianis, Deus eſt in cœlo per eſſentiam; ergo & in inferno ſeu ſepulchro. 3. Præſentia potentiæ non excludit, ſed neceſſariò ſupponit præſentiam eſſentiæ: nam ubi Deus non eſt, ibi operari non poteſt, quia operatur immediatè per eſſentiam; atque ita ſi ubique operatur, ubique ſit neceſſe eſt.

Probatur ex communi SS. Patrum ſententia. Sufficiat in re certa & clara nonnullos laudaſſe.

S. Cyprianus L. de vanitate Idolorum ait, *Totum mundum eſſe Dei templum, & Deum ubique eſſe diffuſum.*

S. Clemens Alexandrinus L. 7. ſtromat. *Deus*, inquit, *non comprehenſus omnia comprehendit.* Et L. 7. de bono & ſancto virgo ſermonem faciens: *Per ſuaſum illi eſt*, inquit, *Deum ubique adeſſe, non autem certis ac definitis locis eſſe incluſum.*

S. Athanaſius L. contra Sabellii gregales Sermo. *Ne quæratis*, inquit, *loci magnitudinem tantam, ut quæ poſſit Dei magnitudinem capere. Non enim immenſum, in menſo eſt.* Et Epiſtola ad Serapionem; Filii & Spiritus ſancti divinitatem probat ex immenſitate, quæ ipſis propria eſt. *Ed. n. T. 2. p. 44. D.*

S. Hieronymus ad cap. 66. Iſaiæ. *Si enim*, inquit, *inſtar ſedentis in ſolio atque regnantis, cœlum thronus ejus eſt, & terra ſcabellum pedum illius, quomodo parvo claudetur loco, qui complet omnia, & in quo ſunt omnia?* Quod quidem multis comprobat Scripturæ teſtimoniis, ac pergit: *per quæ oſtenditur Deus & forinſecus, & intrinſecus, & infuſus & circumfuſus, dum & ſolio ambiente non concluditur, & pugillo concludit ac palmo.* *Ed. n. T. 3. p. 496.*

S. Ambroſius Lib. 1. de fide cap. 16. n. 106. *Complens omnia* (Deus) inquit, *nuſquam ipſe confuſus: penetrans omnia, nuſquam ipſe penetrandus: ubique totus, eodemque tempore vel in cœlo, vel in terra, vel in noviſſimo maris præſens.* *Ed. n. T. 2. p. 465. B.*

S. Auguſtinus Epiſtola 187. aliàs 57. ad Dardanum, quæ tota eſt de præſentia Dei cap. 4. ſic loquitur n. 14. *Eſt ergo Deus per cuncta diffuſus ..... ſic, ut non ſit qualitas mundi, ſed ſubſtantia creatrix mundi, ſine labore regens, & ſine onere continens mundum. Non tamen per ſpatia locorum, quaſi mole diffuſa, ita ut in dimidio mundi corpore ſit dimidius, & in alio dimidio dimidius, atque ita per totum totus; ſed & in ſolo cœlo totus, & in ſola terra totus, & nullo contentus loco, ſed in ſe ipſo ubique totus.* *T. 2. pa. 682. C.*

Unde ſuperiùs dixerat: *In eo ipſo quòd Deus dicitur ubique diffuſus, carnali reſiſtendum eſt cogitationi, & mens à corporis ſenſibus avocanda, ne quaſi ſpatioſa magnitudine opinemur Deum per cuncta diffundi, ſicut humus, aut humor, aut aer, aut lux iſta diffunditur .... ſed ita potius, ſicuti eſt magna ſapientia.* *Ibid. p. 681. D.*

S. Gregorius Magnus in Cantica Cantic. à Magiſtro laudatus L. 1. diſt. 37. *Licèt*, inquit, *Deus communi modo omnibus rebus inſit præſentia, potentia, ſubſtantia; tamen familiariori modo per gratiam dicitur eſſe in illis, qui mirificentiam operum Dei acutiùs & fideliùs conſiderant.*

Adde in Concilio Lateranenſi ſub Innocent. III. definiri, Deum eſſe immenſum: & in alio pariter Lateranenſi ſub Martino I. *Chriſtum circumſcriptum eſſe ſecundùm corpus, & incircumſcriptum ſecundùm divinitatem.* *Tom. 6. Conc. p. 351. B.*

Adde & teſtimonia nonnullorum ex antiquis Poetarum ac Philoſophorum,

qui Dei rebus omnibus præsentiam agnoverunt; de quibus S. Cyrillus Lib. 1. adversùs Julianum.

Probatur 3. rationibus Theologicis.

Prima: Ex infinita & summa Dei perfectione quæ exigit ut sit ubique: aliàs non esset ens perfectissimum, quo dari & excogitari posset perfectius; illud nempè quod naturæ suæ conditione esset ubique. Illa etenim immensitas, cùm sit perfectio simpliciter simplex, quæ nullam in suo conceptu imperfectionem includit, enti perfectissimo tribuenda est; aut eo ipso, ens perfectissimum non est nec concipitur.

Secunda: Vel Deus alicubi est, vel nullibi, aut ubique. Si enim Deus sit alicubi, ut vel ipsi agnoscunt Sociniani, vel est ibi liberè & per voluntatem, vel necessariò & per naturam. Non liberè, quia ab eo loco discedere posset Deus; ad alium transire, illo finiri & circumscribi, quæ omnia divinæ infinitati & simplicitati omninò adversantur. Est ergo alicubi necessariò & per naturam; ergo ubique, cùm sit substantia simplex & infinita, neque reddi possit ratio, quare in una potius quàm in alio loco præsens sit.

Tertia: Deus ubique operatur, quia in omni re attingit id quod ipsi magis intimum est: sed non agit per operationem ab essentia divulsam & distinctam; istud quippè non patitur, quæ summa est ejus simplicitas: ergo per operationem ab ejus natura & essentia indistinctam; ac consequenter Deus qui in rebus omnibus operatur, in iis quoque intimè præsens adest per naturam & substantiam.

Quærunt hic nonnulli, utrum immensitas sit speciale Dei attributum, ab aliis v.g. infinitate, immutabilitate & omnipotentia, virtute ac ratione distinctum?

Sed prompta & facilis est responsio, immensitatem esse speciale Dei attributum ab aliis ratione distinctum: quia in conceptu suo claro & explicito nec alia Dei Attributa involvit, nec etiam in iis involvitur. Est quippè immensitas, ex dictis, aptitudo Dei ut sit in rebus omnibus possibilibus; atque per hoc distinguitur ab infinitate, ab immutabilitate & omnipotentia, conceptu saltem claro & explicito.

Ab infinitate quidem. Hæc enim usurpatur, vel pro infinitate in omni genere perfectionum; quo sensu, fatemur infinitatem non esse speciale Dei attributum, sed esse complexionem omnium Attributorum: vel pro infinitate in aliquo perfectionis genere; quo sensu, immensitas ab infinitate distinguitur: quia nulla est perfectio infinita in suo genere, quæ non possit concipi saltem clarè & explicitè, sine alia.

Ab immutabilitate etiam Dei immensitas distinguitur. Quòd enim Deus ab uno loco ad alium transire non possit, non inde tantùm est, quòd sit immutabilis; sed quia cùm sit immensus & omnia repleat, intelligi non potest quomodo ab uno loco ad alium transiret. Et re vera, quodlibet ubi fixum naturæ creatæ est essentialiter immobile, nec tamen est immensum.

Denique distinguitur ab omnipotentia: cùm sit utriusque perfectionis diversus conceptus.

Solvun-

Solvuntur Objectiones.

OBjicies 1. Qui residet in cœlo tanquam in propria sede, ille immensus non est: atqui Deus residet in cœlo tanquam in propria sede. Isaiæ 66. v. 1. *Hæc dicit Dominus: Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum.* Psal. 10. v. 5. *Dominus in Templo sancto suo: Dominus in cœlo sedes ejus.* Quapropter, naturali quodam instinctu, orantes, in cœlum oculos tollimus, dicimusque: *Pater noster qui es in cœlis.*

Resp. Distinguo majorem. Qui residet in cœlo, per exclusionem præsentiæ aliis in locis, concedo: qui residet in cœlo, speciali dumtaxat ratione, & non per exclusionem præsentiæ aliis in locis, nego. At præsentiam illam Dei generalem non excludi, manifestè probant laudata in confirmationem Conclusionis Scripturæ testimonia. *Cœlum & terram ego impleo. Excelsior cœlo est: profundior inferno &c.*

Porrò, in cœlo Deus sedem suam habere dicitur, speciali quadam ratione; quòd nempè ibi potentiæ ac munificentiæ suæ divitias magnificentiùs explicet, per apertam & manifestam gloriæ suæ manifestationem. *Ergo Dei locus is dicitur*, ait S. Joan. Damasc. L. 1. de fide orthod. cap. 13. *qui uberioris ipsius operationis & gratiæ particeps est. Idcircò cœlum sedes ejus est, (illic enim sunt Angeli, qui faciunt ipsius voluntatem, eumque semper laudibus celebrant.) Hæc quippè ipsi est requies: terra autem scabellum pedum ejus; in qua per carnem cum hominibus conversatus sit. Pes porrò Dei, sancta ipsius caro variis locis nominata est.* Ed. no. To. 1. p. 149. C.

Et S. Bernardus Serm. 1. in Psal. *Qui habitat. Licèt*, inquit, *ubique esse non dubitetur, sic tamen in cœlo est, ut ad ejus comparationem nec esse videatur in terris. Propter quod & orantes dicimus: Pater noster qui es in cœlis. Sicut enim anima, cùm in toto quoque sit corpore, excellentiùs tamen & singulariùs est in capite, in quo sunt omnes sensus.* Lege Magistrum Sententiarum Lib. 1. dist. 37. litt. A. & B. ubi ex professo, adductis SS. Patrum sententiis, ostendit quòd etsi Deus speciali ratione sit in Christo per unionem hypostaticam, in beatis per manifestationem suæ majestatis, in justis per inhabitantem gratiam, in malis per vindictam, ubique tamen sit *præsentialiter, potentialiter, essentialiter.* T. 1. p. 829. F.

Instabis 1. Ita Deus dicitur esse in cœlo, ut terram veluti hominibus reliquerit. Psal. 113. v. 16. *Cœlum cœli Domino: terram autem dedit filiis hominum.*

Resp. Nego antecedens. Neque enim sensus hujus loci est, Deum ita in cœlo esse, ut terram non impleat; sed sensus iste est: promittere cœlum cœli seu bona cœlestia dare, Domino fuisse reservatum; terram autem dare, concessum fuisse filiis hominum, puta ipsi Moysi, & Josue qui divisit Judæis terram in funiculo distributionis. Qui profectò sensus, nihil commune habet cum præsenti nostro instituto.

Instabis 2. Illud justorum proprium esse videtur, ut Deus in ipsis sit: *Ad eum veniemus; & apud eum mansionem faciemus.* Joan. 14. v. 23.

Resp. Distinguo. In justis est Deus, speciali & nobiliori quadam ratione, per inhabitantem gratiam, concedo: per exclusionem præsentiæ aliis in locis, nego. *Fatendum est*, ait S. Augustinus citata jam Epistola 187. *ubique esse Deum per divinitatis præsentiam, sed non ubique per inhabitationis gratiam.* To. 2. p. 683. A.

Atque ita, vel ipsis dæmonibus Deus præsens adest per subſtantiam, per potentiam, ac vindicem juſtitiam.

Inſtabis 3. Deo indignum ac indecens videtur, ut obſcæniſſima quæque loca ſua immenſitate repleat, quibus eum fœdari, & in partes quaſi ſcindi, ac dividi neceſſe eſt.

Reſp. Nego antecedens. Monet enim S. Aug. antea laudatus, mentem à ſenſibus hic revocandam eſſe, nec de præſentia Dei, entis ſpiritalis, judicandum, ad modum & legem præſentiæ corporum. Certè ſpiritus incapax eſt qui ſordibus locorum inquinetur: imò Sol ipſe non fœdatur nec inficitur obſcænitate locorum quos radiis ſuis illuſtrat; anima lepram non contrahit ex lepra corporis. Pariter nullam ſui diviſionem Deus patitur, ex eo quòd ſit ſimul pluribus in locis; ſicut nec anima quæ tota eſt in toto corpore, & in tota qualibet illius parte; ita pariter vocis ſonus, qui à multis ſimul auditur, non dividitur aut per partes ſcinditur.

Inſtabis 4. Qui ubique eſt, motus localis eſt incapax, nec poteſt ab uno loco tranſire ad alium: atqui tamen Deus in Scripturis dicitur deſcendere, aſcendere, accedere, recedere. Gen. 11. v. 5. *Deſcendit autem Dominus, ut videret civitatem & turrim.* Deut. 23. v. 14. *Dominus Deus tuus ambulat in medio caſtrorum, ut eruat te &c.* Pariter Verbum divinum è cœlo deſcendiſſe dicitur, ut homo fieret.

Reſp. Diſtinguo minorem. Deus dicitur deſcendere & aſcendere &c. ſenſu metaphorico, concedo: ſenſu proprio, nego. Nemo tam rudis qui non intelligat, Scripturam his in locis ſenſu figurato & metaphorico loqui, ut ſe captui noſtro accommodet. Scilicet deſcendere, & ad nos accedere Deus dicitur, quando propitius beneficia largitur: recedere verò, quando impios impietati ſuæ permittit, & uberiores gratias ab illis retrahit: deſcendere & ambulare, quando humanæ fragilitatis curam habere dignatur, protectione ſua mala propulſando. *Vide*, ait S. Aug. Serm. 70. de tempore n. 6. *ne aſcenſionem, & deſcenſionem localem ſentias. Indignum eſt hoc de incorporea & ubique tota ſentire ſubſtantia: ſed deſcendere dicitur Deus, quando curam humanæ fragilitatis habere dignatur.* Et Lib. contra Adimantum cap. 13. *Quod deſcendit*, inquit, *locum ſuperiorem deſerere, & inferiorem petere videtur. Deus autem ſapientia cùm tota ubique præſto ſit, nullo pacto migrare de loco in locum poteſt.*

Tom. 5. Ap. pa. 12. F. To. 8 p. 127. A.

Verbum divinum è cœlo deſcendiſſe dicitur, non quidem motu locali, cœlum deſerendo; ſed aſſumendo hypoſtaticè humanitatem noſtram: quæ unio, quidam eſt divinitatis deſcenſus; id eſt, demiſſio, & humiliatio. *Semetipſum enim exinanivit formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem.* Philipp. 2. v. 7. & 8.

Inſtabis 5. Si Deus ubique eſt, ergo extenſus: at extenſio cadere in Deum non poteſt; ergo, &c.

Reſp. Diſtinguo antecedens. Ergo extenſus, extenſione virtuali quæ ſupremum ſpiritum deceat, concedo: extenſione materiali ad modum corporum, nego. Jam monuimus ſæpiùs poſt S. Aug. paulò antè citatum, mentem hìc à ſenſibus revocandam eſſe; nec de præſentia Dei in rebus ſentiendum, ſicuti de præſentia corporum.

Inſtabis 6. Explicari non poteſt quid ſit illa virtualis extenſio; ac longè ſatius

tius foret abſtinere omninò ab iſto extenſionis vocabulo, cùm de præſentia Dei in rebus agitur.

Reſp. Nego antecedens. Qui objectionem hanc proponunt, non ſatis diſtinguunt inter ubiquitatem Dei, ejuſque immenſitatem. Vide quæ initio hujus Quæſtionis diximus. Extenſio itaque virtualis in Deo, eſt aptitudo qua Deus poteſt & exigit eſſe præſens omnibus in rebus, quacunque tandem illæ temporum differentia exiſtant; extenſionis autem vocabulo hic utimur, ne ab uſu communi Theologorum recedamus. Si licuit S. Auguſtino aliiſque SS. Doctoribus, uti vocabulo *diffuſionis*, quidni & nobis, vocabulo *extenſionis*? Idem enim eſt utriuſque ſenſus, eadem ſignificatio. Hominis eſt plùs æquo faſtidioſi, in his argutiolis immorari; præſertim, cùm à nomine *diffuſionis* aut *extenſionis* ſenſus materialis & corporeus omniſque imperfectio longiùs removetur.

Objicies 2. Nonnulli ex SS. Patribus divinam immenſitatem & ubique præſentiam negaſſe videntur.

1. Ii qui aſſerunt Deum non permeare rerum ſubſtantiam, ſed eam dumtaxat efficere. Ita S. Clemens Alexandrinus Lib. 5. Stromatum. Tatianus Orat. contra Græcos.

2. Ii qui docent Deum nullibi eſſe. Ita S. Joannes Chryſoſtomus Hom. 5. in Epiſt. ad Coloſſ. & S. Auguſtinus L. 83. quæſt.

3. Ii quibus videtur Deum eſſe tantùm in cœlo, ad eum ferè modum quo anima reſidet tantùm in cerebro. Ita Lactantius L. de opificio Dei c. 16.

4. Denique: Ii & quidem non pauci qui docent Deum eſſe in loco per ſolam operationem; atque non niſi ex abuſu dici eum in loco eſſe. Ita SS. Gregorius Nyſſenus L. de anima, Joan. Damaſc. L. 1. orthodoxæ fidei c. 16. Auguſtinus Lib. 2. de div. quæſtionis ad Simplicianum q. 1.

Reſp. Nego antecedens. Ad probationem

Dico 1. Deum non permeare rerum ſubſtantiam, ad mentem ſcilicet Stoicorum qui contendebant Deum rebus omnibus immiſceri; tanquam partem vel animam mundi. Stoicos autem inſectantur locis indicatis Tatianus & S. Clemens Alexandrinus, ut legenti patebit. At ſenſu orthodoxo Chriſtianorum, Deus rerum omnium ſubſtantiam pervadit ac penetrat. *In ipſo enim vivimus, & movemur & ſumus.* Act. 17. v. 28.

Dico 2. Deum nullibi eſſe, per excluſionem modi quo corpora ſunt in loco circumſcriptivè, per varias nempè ſui partes variis ſpatii partibus applicatas, verum eſt: at ubique eſt repletivè, ut ajunt, quia omnia replet & continet, nullo loco ipſe contentus & incluſus. Ut verò ſenſum omnem materialem & corporeum à præſentia Dei in rebus excludant SS. Patres, eum nullibi eſſe affirmant.

Dico 3. Deum in cœlo eſſe, eo ferè modo quo anima dicitur eſſe in cerebro, ſpeciali quodam modo & influxu. Sicut enim anima è cerebro omnem vitæ ſpiritum per omnes corporis artus diffundit; ita Deus è cœlo, ubi ſpeciali & nobiliori quodam modo ſedem habet, in omnem univerſi hujus ambitum, vitæ, conſervationis ac providentiæ ſuæ quaſi ſpiritum infundit, omnia regendo, moderando, ſuſtentando; tametſi per ſubſtantiam ubique præſens adſit. Si alius fuit Lactantio ſenſus, ut nonnullis videtur, hic deferendus eſt: attamen loco indicato n. 10. Lactantius hoc addit, quibus poteſt ab errore hæ

P. 509. in parte vindicari: *Et miratur aliquis*, ait, *si divina mens per universas mundi partes intenta discurrit, & omnia regit, omnia moderatur, ubique præsens, ubique diffusa?*

Dico denique, SS. Patres interdum asserere Deum per solam operationem in rebus esse; non ut excludant substantiæ præsentiam, sed ut innuant præsentiam illam non esse per modum corporis & quantitatis extensæ. Hinc aliquando affirmant, dici non debere eum esse in loco, nisi abusivè & impropriè loquendo. Et re ipsa, nisi usus invaluisset, aptiùs & rectiùs diceretur locum in Deo esse, quàm Deum in loco. Ista enim loquendi ratio innuere videtur Deum loco definiri ac circumscribi. Ita S. Joan. Damasc. L. 1. Ed. no. To. 1. p. 149. B. Orthod. fidei c. 13. *Et quidem Deus*, inquit, *ut qui materiæ expers sit, & incircumscriptus, in loco non est. Ipse enim sui ipsius locus est, omnia implens, ac super omnia existens, omniaque ipse complectens. Attamen in loco esse dicitur, Deique appellatur locus, ubi ejus virtus & operatio manifesta sunt.*

ARTICULUS SECUNDUS.

An præsentia Dei in rebus efficaciter probetur ex operatione illius, & quomodo.

DUo præ se fert articulus. Primum, an substantialis Dei in rebus præsentia efficaciter demonstretur ex ipsius operatione. Alterum, quomodo, & quo demonstrationis genere. An à priori, & per locum, ut vocant, intrinsecum; ita ut operatio Dei si forma, per quam rebus formaliter inexistens seu præsens constituitur? An verò à posteriori & per locum intrinsecum; ita ut operatio sit tantùm ratio per quam cognoscimus Deum esse in rebus?

Thomistæ opinantur Dei præsentiam non tantùm efficaciter ex ipsius operatione demonstrari, sed etiam operationem esse rationem formalem, qua rebus præsens constituitur. E contra Scotus in 1. dist. 37. q. unica, tametsi fateatur Deum per substantiam ubique diffusum esse, negat tamen istud efficaciter & à priori probari posse ex ipsius in rebus operatione: adeoque, non ipsam operationem, benè verò divinam immensitatem contendit esse causam formalem & immediatam præsentiæ Dei in rebus.

Ad Scotum accedere videtur Vasques in primam part. S. Th. q. 8. art. 1. disp. 28. c. 4. ubi vim omnem argumentorum ex Scripturis pro demonstranda ex operatione Dei substantiali ejus in rebus præsentia, elevat & infringit.

PRIMA CONCLUSIO.

Substantialis Dei in rebus præsentia efficaciter probatur ex ipsius operatione.

Probatur 1. ex Scripturis Psal. 138. v. 7. & seq. *Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris. Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.*

Act. 17. v. 27. *Non longè est ab unoquoque nostrum. In ipso enim vivimus, & movemur & sumus.* Quasi diceret Apostolus, Deum esse nobis intimè præsentem, quia nobis immediatè dat esse, vivere & moveri.

Rest-

Respondet Vásques, loco antea citato: Scripturam his in locis *non causam rei, sed cognitionis ostendere, & more humano nobis se accommodare: Ut ex Dei virtute, qua in omni loco conservamur, intelligamus ipsum ubique esse.* Sicut cùm Deus Jeremiæ 23. v. 23. ait: *Putasne Deus è vicino ego sum, & non Deus de longè? Si occultabitur vir in absconditis, & ego non videbo eum?* Præsentia Dei ratione scientiæ & cognitionis probatur, non ratione substantiæ. To.1.p. 159.col. 2.n.14.

Verùm, responsio hæc gratis ficta videtur, cujus refutationem paulò antè præoccupavimus, ubi de errore Socinianorum circa substantialem Dei in rebus præsentiam. Duo quippe ista rectè simul cohærent, operationem Dei & esse causam ex qua Dei præsentiam cognoscimus, & immensitatem Dei esse formalem rationem hujus præsentiæ. Neque enim hæc sese excludunt; sed unum potius, nempe operatio, aliud supponit, divinam scilicet substantiam, ubique, modo, qui explicari non potest, diffusam. Et verò Jeremias post citata verba quæ perfectam Dei scientiam, quam nihil lateat, designant, statim subjicit: *Numquid non cœlum & terram ego impleo?* quod quidem non tantùm de ipsius scientia, sed & de operatione ad omnia se extendente, & de substantia omnia penetrante, intelligi proprie debet.

Probatur 2. ex SS. Patribus.

Ex S. Cyrillo Alexandrino Lib. 9. in Joan. *Vivimus & movemur*, inquit, *quia ex eo sumus, & in eo conservamur*... To.1 p. 943. B.

Ex S. Greg. Nysseno Lib.. de anima. *Itaque*, inquit, *cùm id quod intelligentia percipitur, in situ fuerit, aut quod negotio quodam in loco existente, abusivè & figuratè dicimus hoc ipsum ibi esse, propter operationem ejus quod ibi est, locum pro situ & actione sumentes: nam cùm dicendum fuisset, ibi operatur, dicimus, ibi est.* Quibus verbis non excludit S. Doctor præsentiam substantiæ divinæ, sed tantùm modum materialem & corporeum, quo res corporeæ in loco esse dicuntur.

Ex S. Augustino L. 4. de Gen. ad Litt. c. 12. n. 23. ubi sic loquitur: *Illud quod ait Apostolus cùm Deum Athenienſibus prædicaret, In illo vivimus & movemur & sumus; liquidè cogitatum quantùm humana mens valet, adjuvat hanc sententiam, qua credimus & dicimus, Deum in iis quæ creavit, indefinenter operari. Neque enim tanquam substantia ejus, sic in illo sumus, quemadmodum dictum est, quòd habeat vitam in semetipso: sed utique cùm aliud simus quam ipse, non ob aliud in illo sumus, nisi quia id operatur.* To.3.p. 1. pag. 168. A.

Et Epistola 187. jam citata. *Est in mundo Deus*, inquit, *ut substantia creatrix mundi, sine labore regens, & sine onere continens mundum.* To.2.p. 682. C.

Denique S. Anselm. Monol. c. 22. *Quoniam*, inquit, *nihil sine Deo potest esse aut conservari; dicere cogimur, Deum ubique, & semper esse.*

Ante illos omnes, Origenes contra Celsum dixerat. *Penetrat quidem aspectus Dei ac providentia per omnia; sed non sicut ille Stoicorum spiritus; & continet omnia, quibus per suam providentiam prospicit: at non corporaliter complectitur, cùm corpus ambiatur à divina potentia.*

Probatur 3. manifesta ratione. Namque ex operatione quæ indistincta est ab agentis substantia, rectè colligitur agens substantia sua & immediatione, ut ajunt, suppositi, præsens esse iis rebus in quibus agit: atqui operatio Dei indistincta est ab ejus natura & substantia, utpotè simplicissima: aliunde verò, Deus operatione sua intimè res omnes pervadit ac penetrat, easque jugi influ-

influxu conſervando; ergo Deus per ſubſtantiam præſens eſt ubi operatur. Porrò ubique operatur; ergo ubique eſt per ſubſtantiam. *Dicendum*, ait S. Th. 1. p. q. 18. art. 4. ad 1. *quòd creaturæ in Deo eſſe dicuntur dupliciter. Uno modo in quantùm continentur & conſervantur virtute divina, ſicut dicimus ea eſſe in nobis, quæ ſunt in noſtra poteſtate. Et ſic creaturæ dicuntur eſſe in Deo, etiam prout ſunt in propriis naturis; & hoc modo intelligendum eſt verbum Apoſtoli: In ipſo vivimus &c. quia etiam noſtrum vivere, & noſtrum eſſe, & noſtrum moveri cauſantur à Deo.*

Dices 1. Inter agentia creata, perfectius illud habetur & æſtimatur quod per ſuam virtutem agit in magis diſtans. Ita Sol per virtutem à ſe diffuſam, agit in viſceribus terræ: ergo multò magis Deus qui infinitæ virtutis eſt, in diſtans agere poteſt; & conſequenter, ex ipſius operatione tranſeunte, non poteſt efficaciter probari ſubſtantialis ejus in rebus præſentia.

Reſp. Nego conſequens. Diſparitas eſt, quòd agentis creati, quantumlibet perfecti, actio, ſeu operatio diſtincta ſit ab ejus ſubſtantia; Dei autem actio ab ejus ſubſtantia non diſtinguatur. Quapropter agens creatum per virtutem à ſe diffuſam poteſt agere in diſtans; non ita Deus, qui rebus omnibus ita intimè præſens eſt, ut ab iis abeſſe non poſſit.

Inſtabis. Hoc habet proprium & ſingulare Incarnationis Verbi myſterium, ut Verbum agat in humanitate, immediatione ſuppoſiti; ergo in aliis rebus, Deus non operatur immediatè per ſuam ſubſtantiam.

Reſp. Diſtinguo antecedens. Hoc habet proprium & ſingulare Incarnationis myſterium, ut Verbum agat in humanitate, immediatione ſuppoſiti, ſpeciali ac planè ſingulari ratione, nempè ſuſtentando, terminando humanitatem, & ſupplendo ejus perſonalitatem, concedo: ut agat immediatè communi & generali ratione, nego. Itaque, eſſentia divina prout ſubſiſtens in tribus perſonis, agit immediatè per ſe in rebus omnibus, quas conſervat: in humanitate verò Chriſti, ſpecialis ac planè ſingularis occurrit ratio, quæ propria eſt ſolius Verbi divini; nempè ut ſuſtentet, terminet humanitatem eamque ſibi aſſumat in unitate ſuppoſiti, ſupplendo ejus propriam perſonalitatem; quamquam ſi unio hypoſtatica ſpectetur quatenus eſt actio quædam externa, ſub illo reſpectu, ad totam Trinitatem, velut communis quædam operatio pertineat, ſed de hoc argumento ubi de Myſterio Incarnationis.

Dices 2. Deus virtutis eſt ac potentiæ infinitæ: ergo in diſtans agere poteſt, ſine præſentia immediata ſuæ ſubſtantiæ.

Reſp. Nego conſequens, quia Deus non poteſt id quod eſt impoſſibile: atqui impoſſibile eſt ut agat per operationem à natura ſua diſtinctam & ſeparatam, cùm ſit ſimpliciſſimus; ergo neceſſe eſt ut ibi ſit præſens per ſubſtantiam, ubi operatur.

Dices 3. Cùm Deus mundum creavit, non erat quoad ſubſtantiam præſens ſpatio illi in quo mundum creavit; ergo nec opus eſt ut ſit ſubſtantia præſens in rebus creatis in quibus operatur.

Reſp. Spatium illud in quo Deus mundum creavit, diſtinctum non fuiſſe ab ipſa Dei immenſitate, quæ, ut diximus, virtualis eſt diffuſio ſubſtantiæ divinæ. Unde longè aptiùs & congruentiùs Deus dicitur rerum omnium locus, quàm eſſe in loco. Itaque antecedens ſic diſtingui poteſt: Cùm Deus mundum creavit, non erat quoad ſubſtantiam præſens actu ac poſitivè illi

ſpatio

ſpatio in quo mundum creavit, ſiquidem nondum erat illud ſpatium, eſto: non erat præſens, virtute & aptitudine, nego. Et nego conſequens.

SECUNDA CONCLUSIO.

Operatio Dei non eſt ratio formalis & immediata, per quam rebus omnibus præſens conſtituitur.

Probatur 1. Quia ſubſtantialis Dei in rebus præſentia formaliter non conſtituitur neque probatur à priori, per id quod, juxta noſtrum intelligendi modum, ſequitur ac ſupponit præſentiam Dei in rebus; atqui operatio Dei, juxta noſtrum intelligendi modum, ſequitur & ſupponit præſentiam Dei in rebus: ſicut enim operari ſequitur eſſe; ita operari in loco, ſequitur eſſe in loco.

2. Quod eſt in Deo neceſſarium & intrinſecum, non pendet, neque à priori probatur, ex eo quod liberum eſt & externum: atqui præſentia Dei in rebus (ſuppoſita rerum exiſtentia) neceſſaria eſt & interna; quandoquidem fieri non poteſt ut ab illis rebus Deus abſens ſit: operatio verò Dei tranſiens, libera eſt & externa; ergo præſentia Dei in rebus, à priori non probatur ex operatione tranſeunte.

2. Si per impoſſibile aliquid eſſet, in quo Deus non ageret per virtutem, adhuc ipſe præſens foret per ſuam naturam, quæ cùm infinita ſit & immenſa, à nulla re diſtans concipi poteſt: aliàs aliquo circumſcripta & finita conciperetur, quod implicat.

3. Sicut Deus per æternitatem immediatè omni tempore coexiſtit; ita per immenſitatem, immediatè ac formaliter rebus omnibus intimè præſens eſt.

4. Denique diverſa eſt omnipotentiæ & immenſitatis divinæ ratio: atqui ſi Deus formaliter & immediatè conſtitueretur in loco præſens per operationem, eadem foret notio immenſitatis Dei, quæ & omnipotentiæ.

Dices 1. Quæ Concluſione prima laudavimus SS. Patrum teſtimonia videntur aſſignare operationem Dei tanquam formam qua immediatè in loco præſens conſtituitur. Præſertim verò S. Gregorius Nyſſenus, qui aſſerit *Deum abuſivè dici eſſe in loco præter operationem.*

Reſp. Nego antecedens. Neque enim videntur SS. Eccleſiæ Doctores de quæſtione præſenti ad mentem Scholæ cogitaſſe: ſed hoc unum præ oculis habuere, Deum non eſſe in loco, corporum more, per extenſionem molis quantitativæ, ſed per operationem; quod certè veriſſimum eſt. An verò illa Dei operatio, ſit ratio formalis & immediata præſentiæ Dei in rebus, ſolliciti fuiſſe non videntur, cùm hæc quæſtio cum Schola nata ſit. Neque verò aut Scriptura, aut SS. Patres, formales rerum cauſas ſemper referunt. Ita v.g. eùm Jeremias cap. 23. ait: *Deum omnia ſcientia ſua intimè cognoſcere, quia cælum & terram implet*; ratio hæc non eſt cauſa formalis divinæ cognitionis, benè verò infinita Dei ſcientiæ.

Inſtabis 1. S. Thomas in ea ſententia videtur eſſe, ut Deus formaliter loco præſens conſtituatur per operationem. In 1. Sent. diſt. 37. q. 1. art. 2. ait: *Eſſentiam Dei non eſſe in creaturis, niſi in quantùm applicatur eis per operationem; & ſecundùm hoc quod operatur in re, dicitur eſſe in re.* Et q. 2. art. 3. ait: *Cùm dicitur: Deus eſt ubique, importatur quædam relatio Dei ad creaturam, fundamentum* To. 7. p. 331. col. 1. A. Ibid. p. 332. col. 1. D.

fundata ſuper aliquam operationem, per quam Deus in rebus dicitur eſſe. Demum 1.p. q.8. art.3. docet, *Deum eſſe in omnibus per eſſentiam, in quantum adeſt omnibus ut cauſa eſſendi.*

Reſp. Nego antecedens. Ad probationem dico, hoc unum velle Angelicum Doctorem, nempè cùm dicitur: Deus eſt ubique, importari relationem Dei ad locum intrinſecum; quæ relatio, cùm dicat loci exiſtentiam, præſupponit operationem Dei per quam locus ipſe exiſtit, quod certè ultro fatemur. Atque ex ipſa Dei operatione rectè infertur argumento à poſteriori, Deum eſſe ubique, cùm ubique operetur; quippè ſi non operaretur, locus ipſe non eſſet. Eſt igitur Deus in loco per operationem, præſuppoſitivè, vel efficienter, concedo: formaliter & immediatè, nego.

Inſtabis 2. Per id Deus formaliter conſtituitur in loco præſens, per quod locus eſt; atqui locus eſt per operationem Dei; ergo per operationem Deus formaliter in loco conſtituitur.

Reſp. Nego majorem. Operatio quidem Dei conditio eſt præſuppoſita, ut Deus in loco eſſe dicatur; hæc enim præſentia, ut mox dictum fuit, relationem importat ad locum, qui præſupponitur eſſe antequam, noſtro concipiendi modo, Deus in illo præſens eſſe dicatur.

Dices 2. Omne quod in loco eſt, vel eſt per contactum quantitativum, vel per contactum virtutis: atqui Deus cùm ſit incorporeus non eſt in loco per contactum quantitativum; ergo per ſolum contactum virtutis. Hic autem aliis non eſt quàm operatio per quam Deus immediatè producit rem aliquam & locum: idque teſtatur S. Greg. Magnus Hom. 8. in Ezech. *Ubique*, inquit, *Deus eſt, & ubique totus, quia omnia tangit, nec tamen æqualiter omnia tangit. Quædam enim tangit ut ſint, nec tamen ut vivant & ſentiant, ſicut ſunt cuncta inſenſibilia. Quædam verò tangit ut ſint, vivant, & ſentiant, nec tamen ut diſcernant, ſicut ſunt bruta animalia. Quædam tangit ut ſint, vivant & ſentiant, & diſcernant, ſicut eſt humana & angelica natura.* Et S. Thom. Lib. 3. contra Gent. cap. 68. & hìc articulo 2. ad 1. dicet, *Quòd incorporalia non ſunt in loco per contactum quantitatis dimenſivæ, ſicut corpora; ſed per contactum virtutis.*

Ed. no. T. 1. p. 1141. A. B.

To. 14. pa. 209. col. 1. D. E.

Reſp. Diſtinguo majorem. Omne quod in loco eſt, vel eſt per contactum quantitativum, vel per contactum virtutis, non excludendo, imò potiùs includendo & ſupponendo contactum entitativum, ſaltem in Deo, concedo: illum excludendo, nego. Itaque inter contactum merè quantitativum qui propriùs eſt corporum, & contactum ſolius operationis, qui proprius eſt naturæ ſpiritualis, datur contactus ſubſtantiæ ſeu entitatis; hoc eſt, indiſtantia, ſeu intima præſentia ſubſtantiæ entis infiniti & immenſi, Dei nempè, qui per ſubſtantiam ibi eſt præſens, ubi operatur. A voce autem iſta, *contactus*, removeri longiùs debet, cùm de Deo agitur, idea & notio contactus materialis & corporei: modus enim quo Deus res per ſubſtantiam ſuam immediatè tangit, enarrari ſatis & explicari non poteſt. S. Gregorius non dixit, ut fert objectio, *ubique Deus eſt, & ubique totus, quia omnia tangit*: quæ verba in citata Hom. 8. non leguntur; ſed tantùm aſſerit Deum contactu virtutis omnia tangere, quamquam non eodem prorſus modo, quod verum eſt. At in hac ipſa, quæ nobis objicitur, Homilia, apertè ſignificat Deum alio modo eſſe in rebus, quàm per ſolum contactum virtutis: namque poſt verba citata,

ta, sic pergit S. Doctor: *Ponamus ergo ante oculos mentis, quæ illa natura sit quæ tenet omnia, implet omnia, circumplectitur omnia, superexcedit omnia, sustinet omnia. Nec alia ex parte sustinet, atque alia superexcedit: neque alia ex parte implet, atque alia circumplectitur: sed circumplectendo implet, implendo circumplectitur, sustinendo superexcedit, superexcedendo sustinet.* Quo in loco duo hæc distinguit S. Doctor, Deum nempe omnia sustinere, & omnia implere. Primum fit per contactum virtutis, per quam producit atque conservat: alterum per immensitatem, per quam ita sit rebus omnibus intimè præsens, ut eas sinu suo circumplectatur, possitque pluribus esse præsens, si producantur. *Tom. 1. p. 1241. B. C.*

Dices 3. Deus ab æterno est immensus: sed ab æterno non est in loco; ergo non est in loco immediatè ac formaliter per immensitatem.

Resp. Distinguo majorem. Ab æterno Deus est immensus; hoc est, vim habet & aptitudinem replendi omnia loca, quando illa existunt, concedo: hoc est, actu & de facto omnia loca implet, nego. Quomodo enim impleret id quod non est? Præsentia enim in loco relationem dicit ad locum.

ARTICULUS TERTIUS.

An Deus sit extra mundum, & in spatiis, ut vocant, imaginariis.

PRæsens controversia, quam operosè ac prolixè à nonnullis Scholæ Magistris tractari video, dissolvi breviter ac facilè potest, si duplicem modum distinguamus, quo Deus dici potest esse extra mundum, & in spatiis, ut vocant, imaginariis, quæ vera sunt aberrantis imaginationis nostræ figmenta. Primò positivè, si illic sit tanquam in spatio reali & actuali, cui coextendatur & coexistat. Secundò negativè, si existat quidem in se Deus, sed absque ulla ad locum & spatium coexistentia & actuali connotatione, quamquam aptus sit rebus omnibus intimè adesse, quando existunt: Sit itaque

CONCLUSIO.

Deus non est actu & positivè extra mundum, & in spatiis imaginariis.

Probatur 1. Quia esse actu & positivè in re aliqua, & huic coexistere, supponit rem illam existentem: atqui extra mundum nihil est reale ac positivum præter ipsum Deum; ergo positivè & actu Deus non est extra mundum tanquam in spatio, cùm nullum sit hujusmodi spatium à Deo distinctum.

2. Deus extra mundum eo ipso modo existit, quo existebat antequam mundus esset; atqui antequam mundus esset, Deus erat in semetipso & apud semetipsum, ut loquuntur Ecclesiæ Doctores cum Tertulliano Lib. contra Praxeam cap. 5. *Ante omnia*, inquit, *Deus erat solus, & ipse sibi & mundus, & locus & omnia.* *Pagina 502. D.*

3. Non magis Deus ratione immensitatis dici debet esse in spatiis imaginariis, quàm ratione æternitatis, in temporibus fictitiis.

Dices 1. Scriptura & SS. Patres docent Deum nullo loco contineri, sed esse excelsiorem cœlo & profundiorem inferno; mundo circumfusum & superfusum; intra, & extra, & supra mundum; ergo est in spatiis imaginariis.

Resp. Nego consequens. Ultrò subscribimus his omnibus Scripturæ & SS. Patrum

Patrum teſtimoniis, quibus rectè oſtenditur, Deum nullo loco, nullo ſpatio coarctari ac circumſcribi poſſe; utpotè qui infinitis in locis eſſe poſſit: ſed illis minimè probatur, Deum actu & poſitivè eſſe in illis ſpatiis, quæ nihil reale habent & poſitivum.

Inſtabis 1. Si Deus non eſt actu in illis ſpatiis extramundanis infinitis; non poteſt dici actu immenſus & infinitus.

Reſp. Nego ſequelam antecedentis. Ut enim Deus dicatur, & quidem meritò, actu immenſus & infinitus, ſatis eſt quòd actu habeat, quam ſemper habuit, virtutem replendi infinita loca: atqui virtutem illam ſemper habuit Deus, quæ ab ejus natura eſt indiſtincta; ergo &c.

Inſtabis 2. Niſi ſupponatur Deus eſſe actu in ſpatiis illis infinitis extra mundum diffuſis, mutationi obnoxius foret, quando de novo ſpatia illa crearentur.

Reſp. Nego ſequelam antecedentis. Deus enim immotus in ſe remanens, loca illa de novo produceret; atque tota mutatio caderet in res ipſas de novo creatas, non in Creatorem ipſum. Novam quidem denominationem externam, ſcilicet Creatoris, Deus acquireret, at nullam internam perfectionem, novam connotationem, ſeu novum ad creaturas reſpectum, at non novam aliquam formam intrinſecam: ſed de hoc argumento pleniùs quæſtione ſequenti.

Dices 2. S. Auguſtinus L. 11. de Civitate Dei cap. 5. vaniloquium eſſe affirmat, dicere Deum abſentem ab infinitis ſpatiis locorum extra mundum poſitis.

Reſp. Diſtinguo antecedens. In ſententia Philoſophorum quos impugnat, concedo; in rei veritate, & ipſa ſententia S. Aug. nego. Impugnat eò loci S. Doctor, eos Philoſophos qui mundum æternum eſſe ea de cauſa contendebant, ne Deum per infinita tempora otioſum fateri cogerentur, quos argumento ad hominem ſic premit: Si infinita temporum ſpatia confingunt, quibus Deus operatus fuerit; infinita quoque fingere debent locorum ſpatia, in quibus operetur Deus: atqui hæc abſurda ſunt; ergo pariter abſurda ſunt infinita illa temporum ſpatia.

QUÆSTIO OCTAVA.

De Immutabilitate Dei.

Etſi immutabilitas, vi nominis, negativum aliquid ſonet, poſitivam nihilominus in Deo perfectionem arguit, per quam ſcilicet idem ſemper eſt, & in eodem ſtatu ſemper permanet, omninò incapax qui perfectionem aliquam aut acquirat aut perdat.

Stoici, referente Origene L. 3. contra Celſum, Deum mutationi & alterationi obnoxium fecerunt.

Hermogenes è contra, immutabilitatis dotem Deo tam eſſentialem ac neceſſariam eſſe duxit, ut materiam increatam & Deo coæternam fecerit; ne fortè ſi Deus eam de novo condidiſſet, mutationi fuiſſet obnoxius.

Vorſtius & Sociniani, quamdam in Deo mutationem, non quidem ratione ſubſtantiæ, ſed decretorum, admittunt; quaſi decreta Dei ab ejus natura realiter diſtincta forent.

ARTI-

ARTICULUS UNICUS.

An Deus sit omninò immutabilis.

CONCLUSIO.

DEus est omninò immutabilis.

Probatur 1. ex Scripturis, duplici argumento.

Primum ducitur ex illis locis, quibus Deus simpliciter & absolutè immutabilis dicitur.

Numer. 23. v. 19. *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur: nec ut filius hominis, ut mutetur.*

Malachiæ 3. v. 6. *Ego Dominus, & non mutor.*

Sapientiæ 7. v. 27. *Cùm sit una, omnia potest: & in se permanens, omnia innovat.*

Jacobi 1. v. 17. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.*

Secundum argumentum colligitur ex illis locis in quibus sigillatim quælibet species mutationis à Deo removetur.

1. Deus mutabilis non est quoad existentiam, substantiam, aut vitam, quia necessariò existit. Exodi 3. v. 14. *Ego sum qui sum.* Idem semper est. Psal. 101. v. 28. *Sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Immortalis est. 1. ad Timoth. 6. v. 16. *Qui solus habet immortalitatem.*

2. Mutabilis non est, nec ratione loci aut temporis; nec ratione accidentium, quantitatis scilicet & qualitatis. Non ratione loci, quia immensus est. Jeremiæ 23. v. 24. *Cœlum & terram ego impleo.* Non ratione temporis, quia æternus. Deuter. 32. v. 40. *Vivo ego in æternum.* Non ratione accidentium, quia simplicissimus & perfectissimus; ut ex dictis antea manifestè patet.

3. Mutabilis non est ratione cognitionis & voluntatis; quasi aliquid de novo cognoscat aut velit, quod antea vel ignorabat, vel nolebat. Hebr. 4. v. 13. *Omnia nuda & aperta sunt oculis ejus.* Rom. 11. v. 33. *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei!* Proverb. 19. v. 21. *Multæ cogitationes in corde viri: voluntas autem Domini permanebit.* Isaiæ 46. v. 10. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.* Et 1. Regum 15. v. 29. *Triumphator in Israel non parcet, & pœnitudine non flectetur: neque enim homo est ut agat pœnitentiam.*

Probatur 2. communi SS. Patrum suffragio: neque enim ullus est, qui veritati catholicæ tam clarè in Scripturis expressæ adversetur.

Nicæna Synodus adversùs Arium, qui Christum creaturam esse mutabilem docebat, definivit: *Eos qui dicunt: Erat quando non erat .... aut mutabilem & convertibilem Filium Dei, anathemate percutiendos à Catholica & Apostolica Ecclesia.* Ita referunt S. Hilarius in fragmentis, & S. Ambrosius L. 1. de fide cap. 18. *Ed. n. To. 1. p. 467. n. 120.*

Idem S. Hilarius in Psalm. 2. n. 13. de Deo sic loquitur. *De mutatione non novus est qui origine caret. Ipse est, qui quod est, non aliunde est: in se se est, secum est, ad se est, suus sibi est. & ipse sibi omnia est.* *Ed. n. p. 33. E.*

Gregorius Nazianzenus Orat. 33. *Compositio*, inquit, *pugnæ initium est: pugna autem dissidii, dissidium solutionis: solutio porrò nullo modo in Deum ac* *T. 1. p. 540. D.*

pri-

primam illam naturam cadit. Quocirca nullum diſſidium admittendum eſt, ne ſolutio conſequatur: nec pugna, ne diſſidium oriatur: nec compoſitio, ne pugna exiſtat. Et quia in Deo non eſt pugna, ideò nec alteratio & mutabilitas.

To.1.p. 2.p.852 C. T.1 pa. 71. B. T.7 pa. 312. E.

S. Auguſtinus Tract. 4. in primam Joan. n.5. *Mutari neſcit*, inquit, *nulla ex parte corrumpitur: nec proficit, quia perfectum; nec deficit, quia æternum eſt.* Lib. 1. Confeſſ. cap. 4. *Opera mutas*, ait Deum alloquendo, *nec mutas conſilium.* Et L. 12. de Civit. Dei cap. 14. *Fecit*, inquit, *hominem in tempore non novo, ſed immutabili æternoque conſilio.*

Superfluum foret in re tam aperta & conſtanti, plures enumerare.

Probatur 3. ratione ducta ex ente perfectiſſimo. Scilicet, Deus eſt ens perfectiſſimum quo nihil melius: ſed ens perfectiſſimum nullo modo poteſt mutari. Omnis quippè mutatio imperfectionem involvit; namque vel fit in melius, vel in pejus, vel in æquale. In melius Deus mutari non poteſt, quia non eſſet optimus: non in pejus, quia deſineret eſſe perfectiſſimus: non in æquale, quin aliquid aut relinqueret, aut de novo acquireret; utrumque autem ſummæ Dei perfectioni & ſimplicitati adverſatur.

Quàm facile eſt dogma catholicum divinæ immutabilitatis aſtruere, tam videtur operoſum ac difficile, diſſolvere ea quæ opponuntur; præſertim ex parte libertatis divinæ, quæ cum ejus immutabilitate conciliari vix poſſe videtur. Namque certum eſt Deum reſpectu creaturæ liberum eſſe; & libertatem ipſi intrinſecam eſſe; quia eſt perfectio ſimpliciter ſimplex. Non minùs certum eſt ac exploratum, id quod eſt liberum, poſſe eſſe vel non eſſe; aliàs liberum non foret, ſed neceſſarium: ſic v.g. voluntas qua Deus ab æterno voluit mundum creare, potuit in ipſo non eſſe; ergo aliquid intrinſecum Deo potuit non eſſe. Quomodo verò iſtud ſtare poteſt ac conciliari cum ejus immutabilitate? Eſt nodus, cui ſolvendo ſe impares eſſe præſtantiſſimi quique Theologi candidè & apertè profeſſi ſunt, adeò implicatus illis viſus eſt: lege Vaſqueſium in primam part. diſput. 80. cap. 1. Id porrò nobis non ſumimus, ut nitidè & omni remota obſcuritate nodum illum diſſolvamus, ſacrum ænigma eſt cui exponendo nos impares ultro profitemur.

Solvuntur Obiectiones.

OBjicies 1. Ille verè mutatur, qui de non operante fit operans, de non creante creans: atqui talis Deus eſt, qui cùm ab æterno nihil extra ſe operatus fuerit, in tempore mundum creavit; ergo verè mutatus ille fuit.

Reſp. Diſtinguo majorem. Ille verè mutatur, qui de non operante factus eſt in tempore operans, immanenter & intra ſeipſum, concedo: factus eſt operans, tranſeunter ſeu extra ſe, nego.

Diſtinguenda itaque in Deo duplex operatio, una immanens ſeu intra Deum ipſum, quæ operatio ab ejus natura & ſubſtantia non diſtinguitur, & eſt neceſſaria & Deo coæterna. Nulla in Deo nova eſſe poteſt hujuſmodi immanens operatio: unde fit ut omnis cogitatio, omne conſilium, omnis voluntas, omnis amor, omne gaudium & alia hujuſmodi ſemper & ab æterno in Deo immota extiterint. Operatio verò Dei tranſiens & externa dicitur, quæ ad creaturam tendit & terminatur; nec eſt æterna, ſed temporanea; nec neceſſaria, ſed libera: quia quidquid eſt extra Deum, contingens eſt, creatum eſt; poteſt

poteſt eſſe vel non eſſe: Deus etenim creatura non indiget, qui ſolus ſibi ſufficit; & ſolus æternus eſt, ſolus immortalis, & immutabilis. Porrò ex operatione Dei externa & tranſeunte, nulla in Deo reſultat mutatio, ſed in unam dumtaxat creaturam, quæ à non eſſe tranſit ad eſſe. Ratio eſt, quia ex tali operatione Deus nihil de novo aut acquirit aut perdit. *Quantò facilius*, ait S. Aug. Lib. 5. de Trinit. cap. 16. *de illa incommutabili ſubſtantia debemus accipere, ut ita dicatur relativè aliquid ad creaturam, ut quamvis temporaliter incipiat dici, non tamen ipſi ſufficientiæ Dei acciditſſe aliquid intelligatur, ſed illi creaturæ ad quam dicitur.* Rationem quaſi à priori reddit idem S. Doctor Lib. 12. de Civitate Dei c. 17. n. 2. *Quia nempè ad opus novum, non novum, ſed ſempiternum adhibet conſilium.* Et L. 1. Confeſſ. c. 4. *Numquam*, inquit, *novus, numquam vetus, innovat omnia ..... opera mutat, nec mutat conſilium.* Quod quidem illuſtrat S. Doctor duplici exemplo, luminis ſcilicet, & legis. Lumen nempè Solis, idem in ſe remanens & immutatum, oculos ſanos vegetat, lippos verò & debiles lædit. Pariter lumen Solis per cubiculum diffuſum, nova, quæ inferuntur, corpora illuſtrat, abſque ulla ſui mutatione. Similiter lex immota manens, juſtis favet ac præmia diſpenſat; malis verò iraſcitur & ſupplicia decernit. Ita Lib. 22. de Civit. Dei c. 1. & in Pſal. 72.

T. 8. pa. 842. F.

T. 7. pa. 316. F.

T. 1. pa. 71. A.

Inſtabis 1. Deus alternis vicibus modò diligit hominem juſtum, modò eundem peccatorem odio habet: at dilectio ſeu amor, quo Deus in bonum, proſequendo; & odium, quo in malum, averſando fertur, eſt quid Deo intrinſecum; ergo aliquid Deo intrinſecum eſt vel non eſt.

Reſp. Diſtinguo majorem. Deus alternis vicibus modò diligit hominem juſtum, modò eundem peccatorem odio habet, ratione diverſorum effectuum quos Deus extra ſe producit, concedo: ratione affectuum, quaſi de uno affectu tranſeat ad alium, nego. Affectus enim illi ſunt in Deo æterni: quos enim diligit, ab æterno diligit; & quos odio habet, ab æterno odio habuit: ſed in tempore varios effectus producit, pro dilectione ſua vel odio. Eadem igitur Dei ſubſtantia immota in ſe manens, prout terminatur ad hominem juſtum, illum diligere eique favere; prout verò terminatur ad peccatorem, eum odio habere, ac ipſi ſubinfenſus dicitur, pro vario nimirum ſtatu in quo homo eſt. Sicut unus & idem Sol pro varia diſpoſitione ſubjecti in quod agit, ceram liquefacit, & lutum indurat; oculos ſanos vegetat, & lippos excruciat. Quo exemplo utitur S. Aug. in Pſal. 72. n. 7. *Quid eſt*, inquit, *perverſus eris cum perverſo? Perverſum te putabit perverſus. Non quòd ullo modo pervertatur Deus; Abſit*: Quod eſt, eſt. *Sed quemadmodum Sol oculos puros, ſanos, vegetos, fortes habenti, tranquillus apparet; in oculos autem lippos quaſi tela aſpera jaculatur; intuentem illum vegetat, hunc excruciat, non mutatus, ſed mutatum: ſic cùm caperis eſſe perverſus, & tibi Deus perverſus videbitur; tu mutatus es, non ille. Erit ergo tibi pœna, quod bonis gaudinm.*

T. 4. pa. 748. D

Inſtabis 2. Ibi eſt vera mutatio, ubi eſt prius & poſterius: atqui in Deo datur prius & poſterius; ſi quidem ab æterno non creavit mundum, quem ſubinde creavit, & ita veluti à quiete & actionis ſuſpenſione tranſiit ad opus: igitur creando nundum mutatus fuit, non ſolùm extrinſecè & terminativè, ratione creaturæ, ſed etiam intrinſecè & ratione ſui ſeu actionis immanentis.

Reſp. Nego minorem. In Deo enim non datur prius & poſterius, ubi eſt unicum inſtans ſemper durans ac perſeverans; & quando Deus de non

creante factus est creans, nulla in ipso mutatio accidit, quia non novo consilio, neque nova voluntate, sed æterna, mundum in tempore creare voluit. Mutata est igitur creatura, non Deus ipse. Novam quidem denominationem externam Creatoris, Domini, Judicis &c. Deus acquisivit; at nullam internam perfectionem aut amisit, aut comparavit. Audiatur S. Augustinus Lib. 12. de Civitate Dei c. 17. ubi refellens eos qui contendebant Deum aliter affectum fuisse, cùm ab æterno veluti otiosus, ab omni actione vacavit, & subinde operatus est, sic loquitur. *Nobis fas non est credere, aliter Deum affici cùm vacat, aliter cùm operatur: quia nec affici dicendus est, tanquam in eius naturafiat aliquid, quod antè non fuerit.... Non itaque in eius vacatione cogitetur ignavia, desidia, inertia; sicut nec in eius opere labor, conatus, industria. Novit quiescens agere, & agens quiescere. Potest ad opus novum, non novum, sed sempiternum adhibere consilium; nec penitudo quia priùs cessaverat, capit facere quod non fecerat.... Hoc quod dicitur, priùs & posteriùs, in rebus priùs non existentibus, & posteriùs existentibus fuit. In illo autem non alteram præcedentem altera subsequens mutavit aut abstulit voluntatem, sed una eademque sempiterna & immutabili voluntate res quas condidit, & ut priùs non essent egit, quamdiu non fuerunt, & ut posteriùs essent, quando esse caperunt: hinc eis qui talia videre possunt mirabiliter fortassis ostendens, quàm non eis indiguerit, sed eas gratuita bonitate condiderit, cùm sine illis ex æternitate initio carente in non minore beatitate permanfit.* Tantam lucem in præsens nostrum argumentum infert egregium istud S. Doctoris testimonium, ut etsi prolixius integrum tamen à nobis describi oportuerit.

T. 7. pa. 316. F. & 317. A.

Instabis 3. Deus in Incarnatione de non homine factus est homo, non tantùm per denominationem extrinsecam, sed verè ac propriè, cùm sit verus homo substantia & natura assumpta. *Verbum caro factum est.* Joan. 1. v. 14. Ergo mutatus est intrinsecè.

Resp. Distinguo antecedens. Deus de non homine factus est homo, per assumptionem humanitatis in unitatem personæ, sustentando, perficiendo, ac supplendo propriam humanitatis subsistentiam seu personalitatem, concedo: factus est homo, vel per conversionem divinitatis in humanitatem, vel per acquisitionem novæ alicujus perfectionis, nego; & nego consequens. Itaque mutata est humanitas & quidem in melius, quando assumpta est à Verbo in unitatem suppositi: quot enim inde bona, quot beneficia, eximiæ ac planè divinæ dotes in humanitatem redundarunt! At divinitas nihil novi acquisivit, cùm omnem humanitatis perfectionem eminenter in se contineat; nihil etiam amisit & perdidit. Quod SS. Ecclesiæ Doctores illustrant comparatione Solis, cujus splendor interposita nube potest interdum obscurari; at non extingui, non tolli. Lege S. Ambrosium L. de divinitate Filii contra Arianos c. 8. Ita per humanitatem obscurata quodammodò & exinanita fuit divinitas, *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens*; at in se integra & illæsa permansit, ne vel minimum quidem sui dispendium passa. S. Aug. Lib. 83. q. quæstione 73. ait, non magis mutatum esse Dei Filium, cùm factus est homo, quàm mutentur hominis membra, cùm vestimentis conteguntur. Verùm de hoc argumento plenius ubi de Incarnationis mysterio.

Instabis 4. Atqui Deus de non operante immanenter, potest de novo fieri operans immanenter.

Pro-

Probatur. Quia qui liber est, potest de novo aliquid velle; ergo potest fieri de novo immanenter operans. Objectio ex eo ducta, quod conciliari non possit libertas Dei cum ejus immutabilitate.

Probatur antecedens. Tam enim potest Deus aliquid de novo velle, quàm quod ab æterno voluit, potuit noluisse: atqui quod Deus ab æterno voluit v.g. mundi creationem, potuit noluisse; liber quippè fuit in decernenda mundi creatione: ergo potest aliquid de novo velle.

Major propositio probatur. Quia non minùs hodie Deus est liber circa creaturas, quàm fuerit ab æterno; ergo si propter hanc suam libertatem, quod ab æterno voluit, potuit noluisse, poterit & hodie, eadem perseverante libertate, aliquid de novo velle.

Confirmatur. Quia qui potest carere aliquo intrinseco, ille mutari potest intrinsecè: atqui Deus carere potest aliquo intrinseco, actu nempè libero, qui Deo internus est. Includit enim actus ille vitalitatem, efficacitatem, & prosecutionem objecti formalis, nempè bonitatis divinæ, ob quam Deus voluit ab æterno creare hunc mundum, quæ omnia Deo interna sunt. Est autem de natura actus liberi, ut possit esse vel non esse, & quidem sub ea præcisè ratione qua liber est: at liber est intrinsecè; ergo sub ea ratione potest non esse; ergo aliquid Deo intrinsecum potest non esse; voluntas ergo per quam Deus voluit ab æterno mundum creare, potuit in eo non esse, ac consequenter potuit intrinsecè mutari. En paucis verbis contracta tota vis argumenti quod ex libertate Dei opponitur contra ejus immutabilitatem.

In eo solvendo, mirum quàm torqueantur ac defatigentur præstantissima Theologorum ingenia; & nostro quidem judicio diu fatigabuntur. Vix enim liquidò ac plenè dissolvi potest tam obscurum & implicatum mysterium; quidquid tandem effutiant è recentioribus nonnulli, qui elato ac præfidenti animo difficultatem hanc se facilè explanare ac dissolvere posse confidunt: laudandus certè conatus; utinam feliciter succedat!

Ajunt igitur 1. Non aliunde Theologis tam implicatam & ad solvendum difficilem visam esse istam quæstionem, quàm quòd ex falso præjudicio existimant, divina decreta vera sin Deo esse perfectiones: quo præjudicio suppositio, re vera difficile est intelligere, qua ratione Deus actu libero & interno carere possit, & non mutari; qui enim perfectione aliqua interna carere potest, ille mutationi obnoxius est. At verò, inquiunt, si semel id statuamus, decreta Dei libera veras non esse perfectiones, salva & integra remanet tùm immutabilitas, tùm libertas Dei; mutatio siquidem fit, cùm aliqua perfectio vel acquiritur vel deperditur: atqui cùm Deus actu libero & quidem interno aliquid vult & decernit, nullam perfectionem aut acquirit, aut perdit: cùm enim Deus mundum v.g. creare voluit, melior factus non est; nec etiam fuisset aut jam esset deterior, si vel creare illum noluisset; vel postquam creavit, conservare ampliusnollet; ergo actus ille Dei liber & internus vera non est perfectio; ac proinde potest in Deo esse vel non esse, sine ullo ejus immutabilitatis dispendio.

Quòd verò possit aliquid Deo internum esse, nec tamen vera sit perfectio; probant exemplo, tùm divinarum relationum, tùm ipsius unionis hypostaticæ Verbi divini cum humanitate, quæ unio Verbo est intrinseca, nec tamen vera perfectio, quia per illam Verbum perfectius non evasit. Relationes pariter divinæ inter perfectiones divinas computari non debent; aliàs cùm om-

nes in unaquaque perſona eſſe non poſſint, ſequeretur divinam perſonam aliqua carere perfectione, quod abſurdum eſt.

Ajunt 2. Actum liberum eſſe quidem Deo internum: objectioni verò quæ animo ſtatim occurrit, nempè id omne quod Deo internum eſt, perfectionem eſſe reſpondent cum diſtinctione; id omne quod Deo internum eſt, ac neceſſarium, concedunt; quod internum eſt, & liberum, negant.

Ajunt 3. Magnum diſcrimen ſtatui debere inter libertatem, & actum ipſum liberum, ſeu uſum & exercitium libertatis: fatentur quidem libertatem eſſe perfectionem in Deo, cùm ſit divinum attributum quo carere Deus non poteſt; non ita libertatis actum, ſeu uſum & exercitium, quo carere poteſt.

Reſellitur ita recentiorũ opinio.

Verùm, & tot & tam graves difficultates pati nobis videtur hæc opinio, ut nodum propoſitum arctiùs conſtringant, nedum diſſolvant.

1. Vix poteſt intelligi, qua ratione aliquid Deo intrinſecum non ſit vera perfectio. Quidquid enim in Deo eſt, Deus ipſe eſt. Vel enim realiter à Deo diſtinguitur, vel idem eſt realiter cum ipſo. Si poſterius, eſt vera perfectio à Deo ipſo indiſtincta. Si prius, ruit divina ſimplicitas, ac neceſſe eſt quamdam in Deo agnoſcere phyſicam compoſitionem. Adde, quòd ex trito & vulgari Theologorum effato, nulla ſit in divinis diſtinctio, ubi nulla eſt relationis oppoſitio: atqui inter actum liberum divinæ voluntatis & naturam divinam, nulla eſt, ut conſtat, relationis oppoſitio; ergo nulla quoque diſtinctio realis. Quid ad graviſſimum iſtud momentum adverſarii? Nihil certè, niſi meram principii, ut ajunt, petitionem.

Reponunt ſcilicet, illud omne quod Deo intrinſecum eſt ac neceſſarium, eſſe Deum ipſum; non verò illud quod intrinſecum eſt, ſed liberum ac contingens: verùm hoc ipſum eſt de quo inter nos controvertitur. Pro ſolutione ergo datur quod eſt in quæſtione poſitum. De actu libero, qui Deo internus eſt, quæſtio movetur inter nos; ac contendimus nihil Deo intrinſecum eſſe poſſe, quod non ſit Deus ipſe: aliàs ruet divina ſimplicitas, & phyſica compoſitio erit in Deo agnoſcenda.

2. Volitio illa Dei libera, eſt aliquid reale ac phyſicum, non verò aliquid fictum ac mentale quod ab operatione mentis dependeat; ergo vera eſt in Deo perfectio.

Probatur. Quia illud reale ac phyſicum quod volitio Dei libera includit, vel eſt quid creatum, vel increatum: atqui non poteſt eſſe aliquid creatum, tùm quia per illud Deus formaliter conſtituitur volens, adeoque vivens vita illa, quæ ſpiritus propria eſt, quæ nempè poſita eſt in actione vitali cognitionis & volitionis; at non poteſt Deus per aliquid creatum conſtitui formaliter vivens; tùm quia omne creatum in tempore factum eſt; volitio autem Dei libera æterna eſt: *Elegit nos ante mundi conſtitutionem*. Epheſ. 1. Reſtat igitur, ut illud reale ac phyſicum quod volitio Dei libera includit, ſit aliquid increatum; atque adeo Deus ipſe.

3. Vita actualis eſt perfectio intrinſeca ſuppoſito quod denominatur actu vivens: atqui omnis vera volitio eſt vita actualis, ſicut & omnis cognitio; namque inter gradus vitæ actualis, omnium nobiliſſimus eſt vita intellectualis, quæ, ut mox dictum eſt, ſita eſt in intellectione ac volitione.

Atque hac ratione planè ruit diſcrimen quod Auctores ſententiæ quam hic refellimus, ſtatuunt inter libertatem, & actum liberum, ſeu uſum & exercitium

tium libertatis. Actus enim ille, est vera actio vitalis per quam Deus actu volens constituitur; ergo si libertas ipsa est perfectio in Deo, actus pariter liber, seu usus libertatis perfectio dicenda est.

4. Omnis vera volitio, aut est affectus prosecutivus boni cujuspiam, aut aversativus mali: atqui affectus illi veræ sunt perfectiones, ut per se patet; ergo omnis vera volitio est vera perfectio.

Jam verò si propiùs inspiciamus fundamentum quo ista nonnullorum opinio innititur, quàm subtilesium ac leve videbitur? Hæret enim ac laborat in mera æquivocatione; scilicet, utrum actus Dei liber perfectio sit à natura ipsius distincta, vel indistincta. Qui negant esse perfectionem, ii hoc præjudicio videntur occupati, quòd perfectio illa foret à Deo distincta, quia Deus ea carere potuit. Verùm nostro quidem judicio, falluntur illi. Quidquid enim perfectionis involvit actus liber Dei, totum est à divina ejus natura, tanquam à fonte & radice, & ab illa prorsus indistinctum: quo semel supposito, facilè intelligitur Deum ex actu libero nec meliorem effici; nec etiam deteriorem futurum, si actus ille non esset: ex quo sequitur, exemplum, quod proferunt, tùm relationum divinarum, quæ Deo internæ sunt, nec tamen veræ sint (ut ajunt) perfectiones; tùm unionis hypostaticæ in Christo, ad rem nostram præsentem aptum & accommodatum non esse. Namque relationes divinæ non sunt quidem perfectiones speciales ac distinctæ à divina substantia, sed ab illa indistinctæ sunt & inseparabiles. Inde fit, ut nihil sit perfectionis in una persona divina, quod non sit in aliis; quia tres illæ personæ unam numero habent divinam essentiam, quæ est omnis perfectio. Idem prorsus dicendum de unione hypostatica Verbi divini cum humanitate. Est quidem illa unio Verbo interna, est etiam vera perfectio, sed ab ipsa divinitate indistincta, quæ eminenter saltem complectitur quidquid perfectionis est in humanitate; inde est quòd Verbum divinum ex illa unione nullam novam contrahat perfectionem.

At, inquiunt, Deus carere non potest aliqua perfectione: atqui tamen carere potest actu libero; ergo actus liber non est perfectio.

Respondemus distinguendo minorem. Deus carere potest actu libero, quantùm ad ejus terminationem, seu habitudinem ad creaturas, concedo: quantùm ad entitatem, nego. Patebit hæc responsio ex mox dicendis.

Ad propositum igitur argumentum

Resp. Nego primum antecedens.

Ad ejus probationem distinguo. Qui liber est, potest aliquid de novo velle, si sit creatura, Angelus v.g. vel homo, concedo. Cùm enim creatura ex sese imperfecta sit ac mutabilis, potest aliquid de novo velle: at non ita Deus, qui summè perfectus est ac omninò immutabilis; qui quod voluit ab æterno voluit; resque extra se producit non novo sed sempiterno consilio, ut loquitur S. Augustinus.

Solvitur proposita difficultas ex pugnaque videtur esse inter libertatem Dei & ejus immutabilitatem.

Ad probationem, Nego Deum tam posse aliquid velle de novo, quàm quod ab æterno voluit, potuit noluisse. Non ex defectu quidem libertatis sit, ut Deus nihil possit velle de novo; sed quia perfectus est, immutabilis, firmus ac constans in proposito; qui ab æterno omnia cognovit quæ facere decrevit, cui proinde nulla nova suppetit ratio, ut quod ab æterno noluit, velle incipiat.

Non ita est de creatura rationali, cujus cognitio angusta est, finita & limitata, voluntas verò mutabilis & ambulatoria.

Ad confirmationem, Resp. distinguo istam propositionem. Qui potest carere aliquo intrinseco entitativo, potest mutari, concedo: aliquo intrinseco terminativo, seu quantùm ad meram habitudinem & terminationem ad creaturas, nego. Distinguo pariter minorem. Deus carere potest aliquo intrinseco, quantùm ad habitudinem seu terminationem ad creaturas, concedo: quantùm ad substantiam & entitatem, nego.

Ut solutionem intelligatis,

In quo reponenda sit Dei libertas, & qua ratione conciliandа eâ ejus immutabilitate.

Observate, volitionem Dei spectari posse duobus modis: 1. Ratione substantiæ seu entitatis divinæ, quatenùs scilicet est in Deo, & intra Deum. Atque sic considerata, necessaria est, ab entitate Dei prorsus indistincta, terminosque habet omninò necessarios, v.g. generationem Verbi & processionem Spiritus sancti. 2. Ratione terminationis ad creaturas, quatenus scilicet divina volitio veluti exit extra Deum, & habet terminos prorsus à substantia Dei distinctos, nempè creaturas: qua ex parte omninò libera est; nulla etenim necessitate tenetur Deus ad productionem creaturarum, quibus non indiget.

Igitur, quod actus Dei liber addit supra necessarium, est dumtaxat habitudo seu respectus & terminatio ad creaturas: quæ quidem terminatio, si ex parte Dei spectetur, quatenus est actio vitalis & intrinseca, est realiter ipsa Dei substantia & entitas; si verò spectetur ex parte creaturæ, quatenus ad eam tendit & terminatur, est quid creatum, à natura Dei distinctum, pro natura ipsius creaturæ.

Quia verò actus liber Dei, quatenus liber, Deo internus est, pro conditione libertatis quæ ipsi est interna; & aliunde tamen, actus liber quatenus liber est, potest esse vel non esse: ut concilemus quomodo aliquid in Deo liberum & internum possit esse vel non esse, distinguimus in terminatione illa quasi duplicem respectum: unum ex parte Dei; & sub ea ratione, intrinsecus est, ordinem tamen dicens & habitudinem ad extrinsecum, nempè creaturas: alterum ex parte creaturæ; & sub illa ratione purè est extrinsecus, creatus ac defectibilis. Hac via exponimus, quantùm tenuitas nostra patitur; quomodo eadem semper immota remanente Dei substantia & entitate, actus liber Dei sit internus, & possit esse vel non esse: non quidem ratione entitatis, absit, nec etiam ratione solius puræ terminationis extrinsecæ, quæ actum intrinsecè liberum constituere non potest, sed ratione terminationis intrinsecæ ad extrinsecum.

Instabis 1. Absurdè omninò definitur actus Dei liber, per entitatem Dei terminatam ad creaturas: quia hic agitur de assignanda vera notione actus liberi, per se & in abstracto spectati; unde non debet dici entitas ipsa Dei, sed potius definiri deberet, ut aliquid pertinens ad entitatem Dei. Perinde est, ac si quis Dei attributa per ipsius entitatem vellet definire; ac diceret, v.g. æternitatem esse Dei entitatem, quatenus initio & fine caret.

Resp. Nego antecedens. Cùm enim istud singulare ac maximè proprium habeat divinæ substantiæ infinitas & simplicitas, ut sit formaliter vel eminenter omnis perfectio, appositè omninò quælibet Dei perfectio per ejus entitatem potest definiri, à qua non distinguitur. Egregiè S. Bernardus Lib. 5. de

Consi-

Consider. cap. 6. *Si bonum*, inquit, *si magnum, si beatum, si sapientem, vel quidquid tale de Deo dixeris, in hoc verbo instauratur, quod est, Est. Nempè hoc est ei esse, quod hæc omnia esse.* Ante ipsum S. Augustinus L. 11. de Civitate Dei c. 10. n. 3. *Dictus est*, inquit, *in Scripturis sanctis Spiritus sapientiæ multiplex, eò quòd multa in se habeat: sed quæ habet, hæc & est, & ea omnia unus est.* Rectè igitur actus liber Dei potest definiri aut entitas, aut volitio Dei, quatenus ad creaturas terminatur. Perinde enim est, sivè definiatur per entitatem, sive per quid ad entitatem pertinens, cùm istud re ipsa non distinguatur ab entitate divina. T. 1. pa. 450. D. T. 7. pa. 281. A.

Instabis 2. Ejusmodi definitio neutiquam explicat rationem specificam actus liberi: hoc enim ipsum dici merirò potest de ipsa cognitione creaturarum quæ in Deo est; nimirum, eam nihil aliud esse, quàm entitatem divinam, prout terminatur ad creaturas: ex quo sequitur, nihil fore discriminis inter cognitionem Dei, ejusque volitionem liberam, quod est valdè absurdum.

Resp. Nego antecedens. Ratio enim specifica actus liberi in eo consistit, quòd entitas aut volitio Dei libera feratur seu terminetur ad creaturas, ad quas potuit non terminari.

Neque porrò ullum periculum aut incommodum video, si dicamus pariter cognitionem Dei esse quoque divinam entitatem, seu actum vitalem divinæ mentis qui fertur ad creaturas cognoscendas. Neque enim facultas intelligendi & volendi in Deo realiter distinguitur ab ejus entitate: neque ramen idcircò rectè infertur, nullum esse discrimen inter cognitionem Dei ejusque volitionem liberam. Nullum equidem est ex parte divinæ entitatis cùm illa simplex sit; sed est aliquod ex parte modi quo & cognitio & volitio tendit in suum objectum. Omnis quippè volitio est affectus vel prosecutivus boni, vel aversativus mali; non item cognitio.

Instabis 3. Volitio libera in Deo ut & in creatura, essentialiter est actio vitalis: sed actio vitalis malè omninò definitur per ipsam entitatem agentis prout terminatur ad objectum circa quod versatur, actio enim non est agens, sed modificatio agentis.

Resp. Distinguo minorem. Actio vitalis creata malè definitur per ipsam entitatem agentis, prout terminatur ad objectum circa quod versatur, concedo; quia scilicet nullum agens creatum essentialiter est sua actio: actio vitalis increata & divina, nego. Deus enim est actus purissimus; ejus actio ab ejus substantia non distinguitur. Hic autem quæstio est de actione Dei; ac consequenter, sensu reali & formali rectè actio Dei dicitur Deus ipse agens.

Instabis 4. Explicari non potest quid sit illa terminatio divinæ volitionis ad creaturas, an sit aliquid intrinsecum Deo, nec ne. Si est aliquid intrinsecum, sequitur aliquid intrinsecum in Deo posse non esse, quod implicat. Si verò est aliquid extrinsecum, concipi non potest quomodo per illud Deus constituatur formaliter volens: volitio quippè est actus vitalis internus.

Resp. Ex jam dictis constare, terminationē illam esse intrinsecam ex parte Dei, extrinsecam verò ex parte creaturæ; est enim ordo intrinsecus ad extrinsecum.

Ad incommodum verò quod opponitur, nempè aliquid intrinsecum in Deo posse non esse; distinguo; aliquid intrinsecum, terminativum, concedo: aliquid intrinsecum, entitativum, nego.

At, inquies, exponi non poteſt quid ſit illud intrinſecum in Deo, quod terminatur ad extrinſecum; atque in hoc ipſum vitium petitionis principii quod primæ ſententiæ opponebamus, nos ipſi relabimur. Fatemur ingenuè, id à nobis clarè ac nitidè exponi non poſſe, quibus præſens controverſia ſemper viſa eſt maximè intricata, ac verum myſterium humanæ menti hac in vita prorſus impervium. Ergo conjecturæ dumtaxat loco habenda ſunt, quæ ad Scholæ exercitium hic diſſeruimus; in quibus, ut & in aliis benè multis, & refellere ſine pertinacia, & ſine iracundia refelli parati ſumus.

Inſtabis 5. Illa terminatio volitionis Dei liberæ ad creaturas, vel eſt perfectio vel imperfectio: neutrum dici poteſt. Non primum; aliàs, Deus mutationi foret obnoxius, qui aliqua perfectione carere potuiſſet, illa ſcilicet terminatione ad creaturas: non ſecundum; quia illa terminatio eſt Deo interna, nulla autem in Deo eſſe poteſt imperfectio.

Reſp. Terminationem illam ſeu habitudinem ad creaturas, ſub vario reſpectu eſſe perfectionem & imperfectionem. Eſt quidem perfectio, ſubjectivè ſpectata, & ratione entitatis, quatenus eſt actio vitalis divinæ voluntatis tendens ad creaturas. Eſt imperfectio objectivè & terminativè, ratione ſcilicet creaturæ quam connotat; & ſub ea ratione defectibilis eſt, & poteſt eſſe vel non eſſe.

Inſtabis 6. Terminatio voluntatis divinæ ad objectum contingens, non eſt voluntas aut volitio niſi metaphoricè: ſeu eſt dumtaxat voluntas ſigni: ſed volitio libera in Deo eſt voluntas beneplaciti, non ſigni; eſt enim proprius voluntatis divinæ actus.

Reſp. Nego majorem. Terminatio enim illa, ſubjectivè ſeu ex parte Dei includit actum vitalem divinæ voluntatis, quæ fertur ad objectum diſtinctum à Deo: adeoque eſt vera voluntas in Deo, *qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ*. Epheſ. 1. v. 1.

Inſtabis 7. Terminatio volitionis ad aliquod objectum, non diſtinguitur ab ipſa eſſentia & intrinſeca perfectione volitionis quæ terminatur: ergo ſi volitio divina creandi hunc mundum v. gr. potuit non eſſe ſecundùm terminationem, potuit pariter non eſſe ſecundùm perfectionem entitativam; quod poſtremum à Deo removeri debet.

Reſp. Diſtinguo antecedens. In creatis eſto: in Deo, nego. In volitione quidem creata, terminatio volitionis ad aliquod objectum non diſtinguitur ab ipſa entitate & perfectione volitionis quæ terminatur; quia nullum eſt fundamentum diſtinguendi unum ab altero in eadem volitione creata, cùm utrumque ſit defectibile: at in volitione divina debet unum ab alio diſtingui. Cùm enim voluntas Dei creandi hunc mundum ſit perfectio vitalis habeatque vim ac poteſtatem efficiendi id quod vult, neceſſe eſt ut ſit Deo intrinſeca à qua volens denominatur. Cùm autem conſtet aliunde, id omne quod eſt Deo intrinſecum, eſſe ipſum Deum, atque adeo non poſſe non eſſe; inde conſequenter concludimus, voluntatem Dei creandi mundum, ſi ſpectetur ſecundùm perfectionem intrinſecam & entitativam quam includit, eſſe Deo intrinſecam, nec poſſe in eo non eſſe. Contra verò, cùm eadem voluntas Dei creandi mundum ſit libera, quantùm ad habitudinem ſeu terminationem ad mundi creationem, hinc fit ut poſſit non eſſe ſecundùm illam terminationem: ex quo ſequitur, terminationem illius ad mundi creationem,

inclu-

includere necessariò aliquid realiter distinctum ab ipsa perfectione entitativa ejusdem volitionis.

Instabis 8. Si terminatio voluntatis divinæ ad mundi creationem includit aliquid distinctum ab illius perfectione, vel illud aliquid est creatum, vel increatum. Si est increatum, erit ipsemet Deus; atque ita, vel non potuit non esse, vel Deus ipse potuit non esse. Si verò est quid creatum, sequitur terminationem volitionis divinæ ad mundi creationem, non esse ab æterno; nihil enim creatum est ab æterno.

Resp. Terminationem illam voluntatis divinæ ad mundi creationem si spectetur ratione objecti seu creaturæ, esse quid creatum quod potuit non esse: neque verò inde sequitur, voluntatem Dei creandi mundum non fuisse ab æterno; sed hoc unum, mundum ab æterno non fuisse, seu terminationem illam ad mundi creationem, non fuisse ab æterno, quandoquidem terminus ipse seu mundus non fuit ab æterno. Si verò terminatio illa divinæ voluntatis ad mundi creationem, subjectivè & ratione entitatis divinæ consideretur, æterna dici debet.

Objicies 2. Qui consilium suum mutat, ac retractat quod antea voluit; qui pœnitentia, dolore, ira, odio, amore, & aliis hujusmodi affectibus moveri potest, ille mutationi est obnoxius: atqui Deus consilium suum mutavit, quando mundum diluvio extinxit, quem conservare decreverat. Mutavit quando Ezechiæ mortem propinquam denuntiavit, Isaiæ 38. v. 1. & Ninivitis futuram intra quadraginta dies urbis subversionem. Jonæ 3. v. 4. Nec tamen tunc temporis mortuus est Ezechias, aut Ninive post quadraginta dies subversa. Mutat quotidie, cùm hominem peccatorem odio habet, & eundem subinde justum diligit.

Resp. Nego minorem. Cujus quidem rationem & causam antea exposuimus, Quæstione de simplicitate Dei in solutione Objectionum. Consule quæ ibi dicta sunt. Breviter igitur ac strictim ea quæ hìc opponuntur, attingemus.

1. Deum consilium suum nunquam mutavit: quæ enim voluit, ab æterno voluit; & res novas facit, non novo, sed sempiterno consilio, ait S. Augustin. Hominem ergo quem condidit, & subinde delevit aquis diluvii, ab æterno & creare statuit, & subinde delere.

2. Ezechiæ mortem propinquam, & Ninivitis urbis subversionem denuntiavit, non absolutè, sed conditionatè: si nempè vel cursus causarum secundarum, quæ mortem Ezechiæ exigebant, non immutaretur; vel Ninivitæ pœnitentiam non agerent. Porrò mutatus fuit causarum secundarum cursus, & Ninivitæ in cilicio & cinere pœnitentiam egerunt; ergo mutatio in creatura fuit, non in Deo.

3. Quando Deus peccatori mox iratus est & infensus; mox propitius & placatus; mox odio, mox amore erga illum fertur, non est mutatio ex parte Dei, sed ex parte hominis, qui modò est objectum amoris, modò objectum odii.

4. Pœnitentia in Deo dicitur esse, non ratione consilii, sed eventus; non voluntatis ipsius, sed rei volitæ; non affectus & interni doloris, sed effectus & externi operis; quia facit quod homo iratus & pœnitens facere solet. Ita ferè exponunt SS. Ecclesiæ Doctores.

Ajunt 1. Scripturam, cùm Deo iram tribuit & pœnitentiam, humano ple-

rumque modo de Deo loqui, ut ſeſe noſtro captui accommodet. Ita S. Aug. L. 2. ad Simpl. quæſt. 2. & Lib. 1. contra adverſ. Legis & Prophet. c. 20. 2. Ajunt, hos quidem affectus eſſe in Deo, ratione quadam ſingulari nobis incognita. *Hos patitur Deus*, ait Tertullian. *ſuo modo*. Et S. Aug. L. 1. Confeſſ. c. 4. *Deus*, inquit, *amat, nec æſtuat, zelat, & ſecurus eſt; eum pœnitet et non dolet; iraſcitur et tranquillus eſt.* 3. Ajunt non mutari re ipſa Deum; ſed mutatis hominibus, eum mutatum apparere: quod illuſtrant exemplo Solis, qui oculos ſanos vegetat, infirmos ac debiles excruciat. Verba S. Aug. in Pſal. 72. antea laudavimus. 4. Ajunt iram Dei vocari, non qua ipſe, ſed ejus miniſtri in repetenda criminum ultione exardeſcunt: uſu enim recepto, à Rege fieri dicitur, quod juſſu Regis fit per ejus miniſtros. Ita S. Aug. in Pſalm. 6. n. 3. *Non cadit*, inquit, *in Deum judicem perturbatio: ſed quod in ejus miniſtris fit, quia per leges ejus fit, ira ejus dicitur.* 5. Denique ajunt, ut jam non ſemel diximus, pœnitentiam & iram Deo tribui, non ratione affectus & voluntatis, ſed effectus. *Pœnitentia Dei dicitur*, ait S. Auguſtinus L. 1. contra adverſ. Leg. & Prophet. cap. 20. n. 4. *rerum in eus poteſtate conſtitutarum hominibus inopinata mutatio; ira Dei eſt vindicta peccati.*

To. 1 p. 71. B.

To. 4 p. 24. B.

To. 8 p. 571. C.

Objicies 3. Deus alio modo ſe geſſit in Veteri Teſtamento, alio in Novo: nonnulla in Veteri, ut Ceremonias, Sacrificia, Judiciorum formam conſtituit, quæ omnia in Novo penitus abrogavit; ergo mutatus eſt.

Reſp. Nego conſequens. Mutata quidem iſta fuere, ſed non mutatum Dei conſilium, quo ab æterno voluit, & ea in Veteri Lege vigere, & in Nova abrogari, pro diverſitate ſcilicet utriuſque populi. Judæis carnalibus & rebus terrenis immerſis, carnalia hæc & temporalia congruebant: non nobis, quibus datum eſt Deum in ſpiritu & veritate adorare.

QUÆSTIO NONA.

De æternitate Dei.

ÆTernitas à Theologis poſt Boetium Lib. 5. Conſolationis Philoſophiæ Proſa ſexta definitur: *Interminabilis vitæ tota ſimul et perfecta poſſeſſio.*

Dicitur 1. *Poſſeſſio*: ut deſignetur ejus immutabilitas, ſtabilitas, & indeficentia. Illud etenim poſſidere dicimur, quod firmiter, conſtanter ac quietè poſſidemus.

Dicitur 2. *Tota ſimul*: ut duplex temporis imperfectio excludatur, nempè diviſio & ſucceſſio. In æternitate quippè eſt unicum inſtans ſemper præſens & ſubſiſtens; & ut loquitur S. Aug. in Pſalm. 101. Serm. 2. *Æternitas, ipſa Dei ſubſtantia eſt, quæ nihil habet mutabile: ibi nihil eſt præteritum, quaſi jam non ſit; nihil eſt futurum, quaſi nondum ſit. Non eſt ibi niſi, Eſt; non eſt ibi: fuit et erit: quia et quod fuit, jam non eſt; et quod erit, nondum eſt: ſed quidquid ibi eſt, non niſi eſt.*

To. 4 p. 1107. B.

Dicitur 3. *Perfecta*: ut excludatur etiam ipſum nunc temporis, ait S. Thomas hic art. 1. ad 5. quod etſi nec partes habeat, & totum ſimul ſit, perfectum tamen non eſt.

Dicitur 4. *Vitæ*; hoc eſt agentis actualiſſimi, puriſſimi & perfectiſſimi. Vita potius, quàm eſſentia in hac definitione exprimitur; vel quòd vita actionem

nem expressiùs designet quàm essentia; vel quòd in Deo vita & essentia idem omninò sit.

Dicitur denique, *interminabilis vitæ*: hoc est quæ nec initium, nec finem habet aut habere potest. *Vera æternitas*, ait S. Anselmus in Monolog. ca. p. 24. *est interminabilis vita, simul perfectè tota existens.* *Pa. 14. D.*

Fatentur Sociniani cum Vorstio Calvinista, Deum æternum esse, qui nec principium, nec finem habeat: verùm, æternitatem ejus successioni & variis temporum differentiis obnoxiam esse sentire videntur. Circa æternitatem Dei hic erit unicus articulus.

ARTICULUS UNICUS.

Utrum Deus & quidem solus sit æternus.

CONCLUSIO.

DEus est æternus, & quidem solus: ejusque æternitas nulli subjacet temporis successioni aut differentiæ.

Probatur 1. ex Scripturis. Deuter. 32. v. 40. *Vivo ego in æternum.* Psal. 89. v. 2. *A sæculo & usque in sæculum tu es Deus.* Psal. 9. v. 8. *Dominus in æternum permanet.* Et Psal. 101. v. 28. *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.* Exodi 15. v. 18. *Dominus regnabit in æternum et ultrà.*

Ex quibus testimoniis manifestum est, non tantùm Deum esse æternum, quòd principium & finem nesciat; sed etiam quòd temporis vicissitudini ac successioni nullatenus obnoxius sit. Dicitur enim semper idem esse ac permanere; quod dici non posset, si singulis penè momentis, vel aliquid prius ipsi deperiret, vel novum aliquid accederet.

Certissima est ac pervulgata SS. Patrum doctrina.

S. Gregorius Nazianzenus Orat. 38. & 42. *Deus* inquit, *semper est: nam erat, et erit, hujus temporis fluxæ caducæque naturæ segmenta sunt.* *P. 615. D. &*

S. Augustinus Lib. de vera Relig. c. 49. *In æternitate*, inquit, *nulla spatia temporis cerno, quia spatia temporis præteritis et futuris motibus constant. Nihil autem præterit in æterno, et nihil futurum est.* *677. C. To. 1. p.*

Et Lib. 11. Confess. c. 19. n. 16. *Præcedis*, inquit, Deum alloquens, *omnia præterita, celsitudine semper præsentis æternitatis; et superas omnia futura, quia illa futura sunt, et cùm venerint, præterita erunt: tu autem idem ipse es, et anni tui non deficiunt. Anni tui nec eunt nec veniunt: isti autem nostri et eunt et veniunt, ut omnes veniant. Anni tui omnes simul stant, quoniam stant, nec euntes à venientibus excluduntur, quia non transeunt: isti autem nostri omnes erunt cùm omnes non erunt. Anni tui dies unus; et dies tuus non quotidie, sed hodie, quia hodiernus tuus non cedit crastino, neque enim succedit hesterno: hodiernus tuus æternitas.* *781. F. Ibid. p. 100. D. E.*

S. Anselmus in Prosol. cap. 19. *De æternitate tua nihil præterit*, inquit, *ut jam non sit; nec aliquid futurum est, quasi nondum sit. Non ergo fuisti heri, aut eris cras; sed heri, et hodie, et cras es: imò nec heri, nec hodie, nec cras es, sed simpliciter es extra omne tempus.* *Pa. 33. D.*

Probatur 2. solum Deum esse æternum, quia vera & perfecta æternitas ipsi soli est propria.

Tertullianus Lib. contra Hermogenem c. 4. *Quis enim*, inquit, *alius Dei census, quam* *p. 234. D.*

quam æternitas? quis alius æternitatis ſtatus, quàm ſemper fuiſſe & futurum eſſe, ex prærogativa nullius initii & nullius finis? Hoc ſi Dei eſt proprium, ſolius Dei erit cujus eſt proprium; quia & ſi alii adſcribatur, jam non erit Dei proprium, ſed commune cum eo cui & adſcribitur.

Ed. n. T.1. pa. 896. B. S. Ambroſius in Pſal.43. n.19. *Nihil tam proprium Dei*, ait, *quàm ſempiternum eſſe.*

Quapropter ſi Deus ab æterno Angelum v.g. creaſſet, ille quidem nec initium haberet nec finem; non ea tamen ipſa ratione æternus foret, qua Deus ipſe æternus eſt: Deus enim ex neceſſitate naturæ ſuæ æternus eſt, creatura verò ex gratuita dumtaxat Dei voluntate nec initium, nec finem haberet. *Æternum*, ait Origenes, *illud propriè dicitur, quod neque initium ut eſſet habuit, neque ceſſare unquam poteſt eſſe.* Rem appoſitè explicat Richard. à S. Victore Lib. 2. de Trinit. cap. 4. his verbis. *Aliud videtur ſonare æternum, aliud autem ſempiternum. Sempiternum namque eſſe videtur, quod caret initio & fine: æternum quod caret utroque, omnique mutabilitate. Et quamvis forſitan neutrum ſine altero invenitur, rectè tamen inter nominum ſignificationem diſtinguitur. Quid itaque eſt æternitas, quàm diuturnitas ſine initio & fine, & carens omni mutabilitate? ſed qui increatus & ſempiternus eſt, caret initio & fine; & cujus ſtatus invariabilis eſt, manet abſque omni mutabilitate..... Nam hæc tria abſque ambiguitate dant æternitatem habere & æternum eſſe.*

Ed. Ro-rh. 1650 p 224.

Idem omninò cenſet S. Auguſtinus, perfectam nempè æternitatem in omnimoda immutabilitate poſitam eſſe. L. de natura boni contra Manichæos, cap. 1. *Summum*, inquit, *bonum quo ſuperius non eſt, Deus: ac per hoc incommutabile bonum eſt; & ideò verè æternum, & verè immortale.*

T.8.pa. 501. A.

Prætereà ille ſolus æternus eſt, qui ſolus eſt immortalis, ac perfectè immutabilis: atqui Deus ſolus eſt immortalis. *Qui ſolus habet immortalitatem*, ait Apoſtolus, 1. ad Timoth. 6. v. 16. Ac perfectè immutabilis: Ita docet S. Gregorius Magnus L. 12. Moral. cap. 33. *Quid mutabilitas*, inquit, *niſi mors quædam eſt? Quæ dum vem quamlibet in aliam immutat, quaſi occidit quod fuerat, ut incipiat eſſe quod non erat.* Et S. Auguſtinus Lib. 2. contra Maximinum cap. 12. *Immortalitatem autem*, inquit, *Deus habere dicitur ſolus, quia eſt immutabilis ſolus. In omni enim mutabili natura, nonnulla mors eſt ipſa mutatio, quia facit aliquid in ea non eſſe quod erat. Proinde & ipſa anima humana, quæ propterea dicitur immortalis, quoniam qualitercumque ſecundùm modum ſuum nunquam definit vivere, habet tamen pro ipſo ſuo modo, quamdam mortem ſuam.* Et Tract. 23. in Joan. *Quid eſt ergo*, inquit, *quod ait Apoſtolus de Deo; Qui ſolus habet immortalitatem: niſi quia hoc apertè dixit, ſolus habet incommutabilitatem, quia ſolus habet veram æternitatem?*

Ed. n. T.1.p. 406. A.

T.8.p. 701. A.

T.3.p. 2. pag. 477. G.

Eò accedit, quòd æternitas creaturæ competere non poſſit. *Nos autem*, ait S. Baſil. Lib. 2. contra Eunomium, *& creaturis æternitatis teſtimonium præbere, & creaturarum Dominum hac confeſſione privare, ejuſdem eſſe amentiæ arbitramur.*

Ed. no. T.1.p 153. E.

Et S. Cyrillus Alexandrinus Lib. Theſauri, ubi Dei Filium ex eo concludit non eſſe factum, & non eſſe creaturam, quòd dicatur & ſit vita æterna. *Quidquid enim*, inquit, *factum eſt, æternum non eſt.*

Ed. no. T.1.p. 133. E.

Denique S. Joan. Damaſc. L. 1. de fide orthod. cap. 8. *Creatio autem in Deo*, inquit, *cùm ſit voluntatis opus, Deo profectò coæterna non eſt. Haud enim naturæ comparatum eſt, ut quod ex nihilo producitur, eandem cum eo quod initio caret, & ſem-*

& sempiternum est, æternitatem aut perpetuitatem habeat. Eodem argumento utitur S. Anselmus in Monologio c. 27.

Probatur denique. Quia Deus est ens perfectissimum quo nihil melius; ensà se, seu entis plenitudo & totalitas; ens infinitum & immutabile; ergo etiam æternum: aliàs, non esset perfectissimum ens, quo perfectius dari & excogitari posset. Ita Dei æternitas ex necessitate ipsius naturæ & immutabilitate, quasi à priori demonstratur. *Tu verò*, ait S. Anselm. Prosolog. cap. 22. *es quod es: quia quidquid aliquando, aut aliquo modo es, hoc totus & semper es.* Pa. 34. col. 1. C. *Et tu es qui proprie & semper es.* Et S. Aug. Lib. de natura boni c. 39. *Illa autem*, inquit, *vera est æternitas, quæ est vera immortalitas; hoc est, illa summa incommutabilitas, quam solus Deus habet, qui mutari omninò non potest.* To. 8. p. 511. B.

Cùm igitur Deus, Danielis 7. v. 9. dicitur *Antiquus dierum*: & Apoc. 1. v. 4. dicitur: *Qui est, qui erat, & qui venturus est*: cùm denique nonnullæ actiones Dei vel præteritæ, vel futuræ designantur, cave putes, his modis loquendi designari quamdam esse in æternitate Dei successionem & differentiam temporis, absit: sed magis nostra tenuitas & infirmitas arguitur, qui de æternitate, non nisi per ordinem ad tempus, cogitare & loqui possumus, ut docet S. August. Tract. 99. In Joan. vel summa Dei perfectio denotatur, qua eminenti modo omnes temporum differentias in se complectitur. Hoc sensu dicitur, *Antiquus dierum*: non quòd senio sit confectus; sed quòd diebus ipsis & omni tempore prior sit & antiquior. Dicitur, *erat, est, & erit*; quia indivisè & modo simplicissimo illas omnes temporis differentias in se continet. Denique præteritæ vel futuræ dicuntur nonnullæ Dei actiones; non quidem ratione principii earum effectivi, quod æternum est, sed ratione termini, seu effectus in tempore producti vel producendi.

Quæres 1. Quomodo æternitas distinguatur à tempore & ævo?

Resp. 1. Illam distingui à tempore, quia æternitas tota est simul, sine divisione & successione; tempus autem dividitur, secundùm prius & posterius: est enim mensura motus per quem res alio & alio modo se habent.

Resp. 2. Æternitatem ab ævo distingui, quia ævum est mensura rei quæ in esse suo non mutatur, & corruptioni non subjacet; nihilominus tamen vel secundùm locum, vel secundùm electionem seu voluntatem mutari potest, qualis est Angelus: Æternitas verò est mensura entis perfectissimi, quod in se idem semper permanet, absque ulla vicissitudinis & mutationis umbra. Ita S. Thomas hìc art. 4. & 5.

Quæres 2. An æternitas includat rationem durationis & mensuræ respectu Dei?

Resp. Si ab his terminis durationis & mensuræ removeatur quidquid mens nostra corporeis imaginibus assueta imperfectum in illis deprehendit, posse dici æternitatem esse mensuram & durationem Dei, non quidem realem & formalem, sed virtualem & rationis: quia sicut tempus, rerum in tempore constitutarum mensura dicitur, eò quòd earum durationem influxu & successione continua metiatur; ita æternitas quodammodo dici potest mensura Dei, quòd includat durationem ejus, sine ullà divisione ac successione: & hoc modo considerata, nihil aliud est quàm constans permanentia & stabilitas rei in suo esse.

QUÆ-

QUÆSTIO DECIMA.

De invisibilitate & incomprehensibilitate Dei.

SCripturæ Deum invisibilem passim & visibilem appellant. 1. ad Timoth. 6. v. 16. *Lucem habitat inaccessibilem; quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Attamen 1. Joan. 3. v. 2. dicitur, *Cùm apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Et 1. Corinth. 13. v. 12. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Quæ Scripturæ testimonia tametsi pugnare inter se prima fronte videantur, non tamen pugnant re ipsa, nec contraria sunt, ait S. Aug. Epist. 147. aliàs 112. ad Paulinam cap. 5. n. 14.

Expendendum ergo nobis 1. Quomodo Deus sit visibilis. 2. Quo sensu invisibilis dicatur.

Quantùm ad primum, tria quæruntur.

1. Utrum Deus videri possit oculis corporeis.
2. An videri possit ab intellectu creato per solas naturæ vires.
3. An Deus possit à mente creata intelligendo comprehendi.

ARTICULUS PRIMUS.

An Deus videri possit oculis corporeis.

CElebrem inter Scholæ Doctores fecit præsentem controversiam auctoritas S. Augustini, & anceps, ut multis visum est, ipsius sententia. Multis etenim in locis quæstionem istam agitavit: Epistola 92. aliàs 6. ad Italicam viduam, scripta anno 408. Epistola 147. aliàs 112. seu Libro de videndo Deo ad Paulinam anno 413. Epistola 162. aliàs 101. ad Evodium, anno 415. Sermone 277. aliàs de diversis 102. circa annum 422. Demum L. 22. de Civitate Dei c. 29. scripto versùs annum 427. in quem locum remittit Lib. 2. Retract. cap. 41. ut quid tandem de illa quæstione determinatè sentiat sit omnibus manifestum. In his porrò locis, visus est S. Doctor modò in unam, modò in alteram partem inclinasse: aliquando Philosophicis, aliquando Theologicis momentis rem expendisse: mox de corpore materiali quale nunc est; mox de eodem quale futurum est post generalem carnis resurrectionem: mox ex propria, mox ex aliena sententia: mox absolutè, mox hypotheticè loqui.

Ut verò mens S. Doctoris clariùs innotescat, omnisque ex præsenti disputatione removeatur ambiguitas; duplex statui debet præsentis quæstionis status & sensus.

Primus est; utrum per oculos corporis, quale nunc est crassum ac materiale, Deus visus aliquando fuerit, aut videri possit.

Secundus est; utrum post generalem carnis resurrectionem, ita defæcari ac spirituales reddi possint oculi nostri, *ut immutata*, sicut loquitur S. Aug. Epistola 147. cap. 20. n. 48. *corporum qualitate*, Deum in se ipso im- To. 2. p. 493. C. mediatè sint conspecturi.

Quan-

Quantùm ad primum: communis fuit Gentilium error, quem ipsis exprobrat S. Athanasius Oratione contra Idola; & omnium Antropomorphitarum, Deum oculis corporis videri. Inter Arianos, quotquot solum Deum Patrem invisibilem, Filium autem in Veteri Testamento visum fuisse opinati sunt, ejusdem erroris rei censentur: quam sententiam nonnullos ex nostris sequutos esse memorat S. Irenæus Lib. 4. cap. 37. Atque inde forsan ortum duxit calumnia, qua Celsus Christianos infamabat apud Origenem Lib. 7. contra Celsum; quasi docerent illi se Deum oculis corporis aliquando visuros.

S. Augustinus Epistola 92. refert ætate sua extitisse nonnullos, inter quos unus erat Episcopus, qui dicerent, Deum non tantùm à Christo hac in vita per oculos corporis visum fuisse; sed etiam in altera, justos, imò & impios eadem prærogativa donandos fore: quam sententiam, insulsam, ac veram dementiam esse pronuntiat. Hac duriori & asperiori censura offensus fuit Episcopus ille, quem ut mitiget sibique reconciliare velit, rogat S. Doctor Fortunatianum Episcopum Siccensem, data eam in rem ad ipsum Epistola 148. Hinc factum, ut S. Doctor præ modestia & amore pacis, non nullus subinde fuerit duriori nota sententiam illam excipere.

Porrò certum istud ac ratum apud nos est, S. Augustinum in ea sententia rejicienda semper firmum ac constantem fuisse; nunquam verò dubium & ancipitem hæsisse.

Quantum verò ad secundum sensum quæstionis propositæ, utrum scilicet oculi corporis, post generalem carnis resurrectionem, mutata natura sua ita possint evadere spirituales, ut Deum immediatè videant; observate diligenter cum S. Augustino, mutari sensum ac statum controversiæ: aliud enim est quærere, utrum oculi corporei possint videre Deum; & aliud, utrum oculi spirituales facti, ita ut *ipsa quæ caro fuit, spiritus fiat*, ait S. Augustinus Epistola 147. cap. 21. n. 49. Deum per se videant: quod etsi fateretur S. Doctor, rectè adhuc negaret fieri non posse, ut Deus per oculos corporis videatur. *Postremò*, ait ibidem, *quia id quod ego in illa Epistola mea dixi de istis nostræ carnis oculis, quia neque nunc possunt, neque tunc poterunt Deum videre, etiam sic verum est: non enim dictum est nisi de oculis corporalibus, quod tunc non erunt si corpus ipsum spiritus erit; ac per hoc corporei oculi numquam Deum videbunt, quia cùm videbitur, spiritus eum non corpus videbit.*

T. 2. pa. 492. F.

Ibid. G.

Quæstionem hoc secundo sensu consideratam quæ merè philosophica est, in suspenso reliquit S. Doctor: eam nec damnavit, nec etiam approbavit. Inter Scholasticos, Gregorius de Valentia in primam part. S. Thomæ disput. 1. quæst. 12. puncto 8. probabile judicat: *potentiam aliquam sensitivam sic à Deo condi, ut vel natura sua, vel saltem dono aliquo gratuito superaddito, valeat non solùm objecta sensibilia corporalia, sed etiam aliquod objectum spirituale, adeoque Deum ipsum percipere.* Laudatque eam in rem S. Aug. Lib. 22. de Civitate Dei cap. 29. His præmissis sit

PRIMA CONCLUSIO.

Deus oculis corporeis nec visus est unquam, nec videri potest.

Probatur 1. ex Scripturis. 1. ad Timoth. 1. v. 17. *Regi sæculorum immortali & invisibili.* Et cap. 6. v. 16. *Quem nullus hominum vidit, nec videre potest.*

Duo

Duo hìc affirmat Apoſtolus: Deum nunquam viſum fuit; nec videri poſſe. Porrò de viſione per mentem intelligi non poſſe Apoſtolum, oſtendunt verba hæc 1. Joan. 3. v. 2. *Scimus quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt.* Igitur excludit dumtaxat Apoſtolus tanquam poſſibilem, viſionem Dei per oculos corporeos. Denique 1. Corint. 2. v. 9. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum.*

Probatur 2. ex communi SS. Patrum doctrina.

Origenes contra Celſum, calumniam ab illo Chriſtianis impactam refellit. *Falsò*, inquit, *nobis imponit Celſus dicens, nos ſperare oculis corporis Deum eſſe viſuros, & auribus vocem ejus audituros &c.*

To. 1. p. 540. C. S. Gregorius Nazianzenus Orat. 33. *An corpus*, inquit, *eum* (Deum) *eſſe dices? Quonam ergo modo immenſus, infinitus, figuræ expers eſt, ac denique ejuſmodi, ut nec tangi, nec oculis cerni queat?*

Ed Cra. moiſ. p. 74. C. S. Cyrillus Jeroſolymit. Cath. 9. *Carneis quidem oculis*, ait, *cerni Deus non poteſt: nam incorporeum, ſub corporeos oculos cadere nequit.*

S. Ambroſius Serm. 8. in Pſal. 118. n. 17. docet erraſſe Moyſem, quòd exiſtimaverit Deum oculis videri poſſe. *Putavit*, inquit, *Deo etiam hoc eſſe poſſibile, ut corporeis oculis faceret id quod eſt incorporeum, comprehendi. Non eſt reprehenſibilis hic error, ſed etiam grata cupiditas; &*, ut ſuprà dixerat, *devotio ſancta menſuram ſupergreditur.* Errorem iſtum excuſat in Moyſe S. Doctor, ex ipſius pietate & ſancto in Deum poſſidendum affectu.

Ed. no. To. 1. p. 1061. E.

Laudat S. Auguſtinus Epiſtola 148. ad Fortunatianum n. 4. in confirmationem ejuſdem doctrinæ, & jam citatum S. Ambroſium; & SS. Hieronymum, Athanaſium, Gregorium.

Probatur 3. rationibus.

1. Non aliter Deus videri poteſt, quàm ferat ejus promiſſio: atqui corde dumtaxat & animo ſe videndum fore promiſit. Matth. 5. v. 8. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.*

2. Eo ipſo modo Deum videbimus, quo ſimiles ei erimus. 1. Joan. 3. v. 2. *Scimus quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniam videbimus eum ſicuti eſt.* Atqui non erimus Deo ſimiles ratione corporis, quandoquidem Deus corpus non habet; ergo ratione cognitionis, ſeu viſionis intuitivæ, per quam veluti in Deum ipſum transformabimur.

3. Facultas organica ea quæ vitalis ferri non poteſt in objectum ſibi non proportionatum: atqui viſio per oculos corporis pertinet ad facultatem organicam vitalem; Deus verò non eſt objectum proportionatum hujus facultati. Namque ſubſtantia ſpiritalis non eſt objectum proportionatum facultati corporeæ: Deus eſt ſubſtantia ſpiritalis, facultas verò videndi per oculos corporis, eſt corporea. Et verò, quod videtur oculis corporeis, videtur per medium corporeum ac ſpecies corporeas: an verò ſpiritus ita videri poteſt?

Confirmatur hæc ratio. Quia Deus magis diſtat ab objecto cujuſcumque facultatis corporeæ, quàm objectum unius facultatis diſtet ab objecto alterius, v. g. coloratum à ſonoro. Atqui tamen non poteſt una facultas corporea attingere objectum alterius facultatis, v. g. oculus, ſonos; nec auditus, colores; aliàs, confunderentur iſtæ facultates; ergo multò minùs poteſt facultas corporea Deum attingere.

SE-

SECUNDA CONCLUSIO.

Deum oculis corporeis videri non posse constanter ac perseveranter docuit S. Aug. An verò post generalem carnis resurrectionem, immutata corporum natura, spiritales fieri possint, ac Deum immediatè videre, neque affirmavit, neque etiam negavit, sed quæstionem purè philosophicam in suspenso reliquit.

Prima pars Conclusionis probatur ex ipsomet S. Augustino Epistola 92. alias 6. ad Italicam n. 2. 3. *Deus*, inquit, *lux est mentium purgatarum, non istorum corporis oculorum ..... Hoc autem oculus videre corporis neque nunc potest, neque tunc poterit.* To. 1. p. 228. A. B.

Epistola 147. alias 112. ad Paulinam n. 18. ex Ambrosio ista refert, & calculo suo approbat: *Nec corporalibus Deus oculis quæritur, nec circumscribitur visu, nec tactu tenetur, nec auditur affatu.* Ibid. p. 480. D.

Ibid. n. 44. probat non magis Deum videri posse oculis corporis, quàm charitatem cæteraque virtutes, quæ sola mente apprehenduntur.

Idem planè docet S. Doctor Ep. 148. alias 111. ad Fortunatianum, & Ep. 160. alias 101. ad Evodium.

Libro 22. de Civitate Dei capite 29. num. 6. docet per oculos corporis glorioſi Deum videndum fore, clariùs quidem quàm hac in vita; non tamen immediatè in se, sed mediatè in miris ejus effectibus: eo ferè modo, quo vita hominis per motum & actionem videtur. Sic loquitur S. Doctor: *Fieri potest, valdeque credibile est, sic nos esse visuros mundana tunc corpora cœli novi & terræ novæ, ut Deum ubique præsentem & universa etiam corporalia gubernantem, per corpora quæ gestabimus, & quæ conspiciemus, quaquaversum oculos duxerimus, clarissima perspicuitate videamus: non sicut nunc invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur ... sed sicut homines, inter quos viventes motusque tales exferentes vivimus, mox ut aspicimus, non credimus vivere, sed videmus ..... Ita quacunque spiritalia illa lumina corporum nostrorum circumferemus, incorporeum Deum omnia regentem, etiam per corpora contuebimur.* To. 7. p. 699. B. Hæc S. Doctoris verba cùm sibi objecisset S. Thomas 1. part. quæst. 12. art. 3. ad 2. sic pergit: *Ex quo patet, quòd hoc modo intelligit oculos glorificatos Deum visuros, sicut nunc oculi nostri vident alicujus vitam. Vita autem non videtur oculo corporali, sicut per se visibile, sed sicut sensibile per accidens ... Quòd autem statim visis corporibus divina præsentia ex eis cognoscatur per intellectum, ex duobus contingit, scilicet ex perspicuitate intellectus, & ex refulgentia divinæ claritatis in corporibus innovatis.*

Præterea, ea Scripturæ loca quæ testantur Deum ab aliquibus hac in vita visum fuisse, nusquam S. Aug. interpretatus est de visione per oculos corporis, sed alio planè ac contrario sensu; quod patebit inductione facta illorum testimoniorum in solutione objectionum.

Denique, tot rationum momentis confirmat S. Doctor, fieri non posse ut Deus oculis corporeis videatur, ut nullus sit dubitandi locus, quin perpetua & constans hæc fuerit ipsius sententia.

1. Quod oculis corporis conspici potest, in loco est, non ubique: *non ita est Deus invisibilis*, ait S. Doctor Epistola 92. ad Italicam. To. 1. p. 228. B.

2. A potentia cognoscente dissitum est ac distans: at Deus, qui omnia intimè pervadit non potest esse distans à sensibus. *Hoc quippè habent oculi corporis* 1884 *ris*, ait S. Fulgentius ad inquisitionem tertiam Ferrandi, *ut non solùm corpora* Ed. Paris p. 254. *videant, sed nec videre possint, si inter ipsos & ea quæ vident, spatii cujusquam media intervalla non fuerint. Inde est quòd cùm alia plurima videant, seipsos videre non possunt... Quisquis ergo putat Deum posse oculis corporalibus cerni, prius est ut eum dicat ab ipsis oculis corporali spatio separari.*

3. Non magis Deus oculo corporis percipi potest, quàm aliis sensibus, auditu, gustu, tactu &c.

T. 2. p. 228. D. 4. Per id Deus videri potest per quod ipsis similes erimus: *Quis autem dementissimus dixerit*, ait S. Aug. Epistola 92. *nos corpore vel esse, vel futuros esse Deo similes?*

5. Denique, Solum id quod corporeum est attingi potest ab oculo corporis: atqui Deus non est corporeus; ergo &c. *Corpus*, ait S. Cyrillus Jerosolymit. *corpus videt.....neque possunt oculi naturæ inferioris, quod natura præstantius & excellentius est videre.* Et S. Augustinus Epistola 147. cap. 20. n. 48. aliàs 112. *Propterea Deus invisibilis dicitur, ne corpus esse credatur; non* Ibid. p. 493. B. *quia corda munda suæ substantiæ contemplatione fraudabit.*

Secunda Conclusionis pars probatur ex ipso S. Aug. qui quoties de illa hypothesi loquitur, an nempè oculi spirituales facti post generalem carnis resurrectionem, Deum immediatè sint conspecturi, rem in suspenso relinquit, nihil affirmans aut negans.

Ibid. p. 493. C. Epistola 147. cap. 20. n. 48. *Si oculi corporales*, ait, *in resurrectione mutata corporum qualitate conspicient*, (divinam substantiam) *viderint qui hoc posunt adstruere: me plùs movet illius sententia, qui nec in ipsa resurrectione hoc corporalibus oculis, sed mundis cordibus tribuit.* Pergit ibid. S. Doctor n. 19. *Sunt aliqui*, Ibid. F. *qui eos qui ad vitam æternam resurgent, etiam per corpus Deum visuros putant, quoniam talem sperant spiritalis corporis qualitatem, ut etiam ipsa, quæ caro fuerat, spiritus fiat. Quòd si ita est, quantùm distet à superiori opinione, & quàm hoc sit tolerabilius, etiamsi verum non sit, puto facilimè judicari .... Quia id quod ego in illa Epistola (92. n. 3.) mea dixi de istis nostræ carnis oculis, quia neque* Ibid. G *nunc possunt, neque tunc poterunt Deum videre, etiam sic verum est: non enim dictum est nisi de oculis corporalibus, quod tunc non erunt si corpus ipsum spiritus erit; ac per hoc corporei oculi nunquam Deum videbunt, quia cùm videbitur, spiritus eum, non corpus videbit.* Intelligis S. Doctorem semper hypothetice & dubitanter loqui, *si ita est*: qua etiam supposita & non concessa hypothesi, contendit suam priorem sententiam firmam semper remanere; quia in ea hypothesi, oculi non amplius corporei forent, sed spirituales: adeoque semper verum istud esse, Deum oculis corporis videri non posse. De illa verò hypothesi ibidem n. 50. ait, *diligentiùs atque sollicitiùs tractandam illam esse.*

Ibid. p. 494. A. *Cogitandum est*, pergit n. 51. *ne quid insolenter audeamus, si dixerimus corpus* Ibid. D. *non solùm mortalitatem & corruptibilitatem, verùm etiam hoc ipsum quod corpus est, per gloriam resurrectionis amittere, & spiritum fieri .... Quapropter donec* Ibid. E. *diligenti inquisitione, si Dominus adjuverit, reperiatur quid secundùm Scripturas de spirituali corpore quod in resurrectione promittitur, probabilius. sit sentiendum, interim nobis sufficiat &c.*

Nihil, ut vides, circa illam hypothesim affirmatè pronuntiat S. Augustinus

unde Epistolam sic claudit: *De corpore verò spirituali, si Dominus juverit, opere alio experiemur quid disputare valeamus.* Tb. pag. 496. D.

Rursus Epistola 148. de illa hypothesi ait n. 2. *Si quisquam hoc putat ... volo ut me doceat, si verum sapit: si autem in hoc falsum sentit, longè tolerabilius est corpori aliquid arrogare, quàm Deo derogare.* Addit, neque id suæ sententiæ contrarium esse, cùm agat de oculis corporeis quales jam sunt. *Longè aliud erunt hæc corpora,* inquit n. 3. *& non erunt ipsa; nec sola detracta mortalitate atque corruptione & ponderis gravitate aliud erunt, sed in virtutem ipsius mentis quodammodo convertentur ... Quapropter si videbunt Deum, non istius corporis oculi videbunt.* Rursus in eadem Epistola nu. 16. de eadem hypothesi loquens. *Nondum,* inquit, *plena fiducia confirmo utrum ita futurum sit spiritale corpus.* Postea: *Fateor me nondum alicubi legisse, quod mihi sufficere existimarem sive ad discendum, sive ad docendum.* Tb. pag. 497. A. Ib. C. Ib. D. Tb. pag. 501. E. Ib. F.

Sermone 277. de S. Vincention. 13. de illa ipsa quæstione, *Nihil,* inquit, *temerè ac præsumenter definire audeat humana fragilitas.* Etn. 15. ait: Diligentiùs illam indagandam esse, interim existimare se Deum non videri per corpus spirituale. Videtur his in locis remittere S. Doctor quæstionis hujus explanationem alium in locum; nempe, (ut ipse monet Lib. 2. Retract. c. 41.) in L. 22. de Civitate Dei c. 29. ubi rem illam diligentiùs expendit: at in hoc ipso Libro nihil definit, & adhuc dubius & incertus hæret, ac rem hypotheticè proponit. To. 5. f. 1119. D.

c. *Dico itaque,* ait citato loco, *visuri sunt Deum* (beati) *in ipso corpore: sed utrùm per ipsum, sicut per corpus nunc videmus Solem, Lunam &c. non parva quæstio est .... Longè itaque alterius erunt potentiæ, si per eos videbitur incorporea natura quæ non continetur loco, sed ubique tota est.* Fatetur ibi S. Doctor longè excellentiorem & acutiorem fore corporis naturam, si Deum videret: at id fieri posse non affirmat, sed sub dubio proponit: *Si per eos videbitur &c.* Fatetur etiam longè clariùs ab oculis corporis glorioſi conspiciendum esse Deum; at in effectibus dumtaxat, seu mediatè, non verò immediatè, ut jam observavimus, vel ipso interprete sancto Thom. Ibid. n. 4. fatetur se *De re inexperta loqui: atque ubi divinarum Scripturarum non occurrit auctoritas, necesse esse ut contingat in nobis quod legitur in Lib. Sapientiæ: Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ nostræ.* Denique ibid. n. 6. ait: *Aut ergo per illos oculos sic videbitur Deus, ut aliquid habeant in tanta excellentia menti simile, quo & incorporea natura cernatur, quod ullis exemplis sive Scripturarum testimoniis divinarum vel difficile vel impossibile est ostendere: aut quod est ad intelligendum facilius, ita Deus nobis erit notus atque conspicuus, ut videatur spiritu à singulis nobis in singulis nobis, videatur ab altero in altero, videatur in se ipso,* (hoc est in ipso vidente) *videatur in cœlo novo & in terra nova, atque in omni quæ tunc fuerit creatura.* To. 7. f. 696. n. 2. E. Tb. pag. 697. n. 3. E. P. 698. E. Tb. pag. 699. D.

Solvuntur Objectiones.

OBjicies 1. contra primam Conclusionem, Scripturæ testimonia. Gen. 32. v. 30. Jacob ait: *Vidi Deum facie ad faciem.* Exodi 33. v. 11. *Loquebatur autem Dominus ad Moysen facie ad faciem.* 1. Cor. 13. v. 12. *Videbimus* (Deum) ait S. Paulus, *facie ad faciem.* Isaiæ 6. v. 1. *Vidi Dominum sedentem super solium.* Job 19. v. 26. *Rursum circumdabor pelle meâ; & in carne meâ videbo Deum*

meum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt. Et c. 42. v. 5. *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te.* Denique Lucæ 3. v. 6. *Videbit omnis caro salutare Dei.*

Resp. Tribus generatim modis solere Theologos exponere sensibilem istam Dei visionem, de qua Scriptores sacri.

1. Quia visus est in persona ministri sui, nempe Angeli, qui assumpto corpore Patriarchis apparuit. Hoc modo, interprete ipsomet Ozea Propheta c. 12. v. 3. Jacob vidit Deum, id est Angelum cum quo luctatus est. Et Moyses cum Deo locutus dictus facie ad faciem; id est, interprete ipso S. Stephano Act. 7. v. 38. cum Angelo Dei vices gerente. Undè cùm Judic. 13. v. 9. *Uxor Manue Angelum vidisset*, v. tamen 22. vir ejus ait: *morte moriemur, quia vidimus Deum.* Adeo nimirum res erat trita & pervulgata, ut Angelus, qui nomine Dei loquebatur, Deus diceretur.

2. Deus in Veteri Testamento Patriarchis apparuit, ait S. Aug. laudans S.
T. 1. p. 480. A. Ambrosium Epist. 147. n. 18. in ea specie *quam voluntas elegit, non natura formavit. Illi autem*, ait n. 19. *ideo viderunt, quicunque Deum viderunt, quia cui voluerit, sicut voluerit, apparet ea specie, quam voluntas elegerit, etiam latente natura.* Sicque interpretatur, qua ratione Deus Moysi apparuerit.
lb. F.

3. Videtur Deus vel in raptu & in estasi, vel in somniis per quasdam species
lb pag. 485. G. sensibiles. *Potest*, inquit S. Aug. Epist. 147. n. 31. *humana mens divinitus rapi ex hac vita ad Angelicam vitam, antequam per istam communem mortem carne solvatur. Sic enim raptus est, qui audivit illic ineffabilia verba.* Et S. Gregorius Magnus Lib. 18. Moralium c. 54. *Patenter*, inquit, *datur intelligi, quia quamdiu hic mortaliter vivitur, videri per quasdam imagines Deus potest, sed per ipsam naturæ suæ speciem non potest: ut anima, gratia Spiritus afflata, per figuras quasdam Deum videat, sed ad ipsam vim eius essentiæ non pertingat.* Hoc sensu Isaias *vidit Dominum sedentem super solium.* Nisi volueris, quod absurdum foret, Deum ad modum corporis extensum esse ac sedere.
Ed. no. Tom. 1. b. 600. C.

Atque uno ex his tribus modis exponi facilè possunt quæ ex Genesi, Exodo, & Isaia proposita sunt.

Textum Apostoli 1. Cor. 13. *Videbimus* (Deum) *facie ad faciem*, de visione per mentem in altera vita futura intelligendum esse, docet S. Aug. Epist. 92.
To 2. p. 228. n. 3. E. *In quibus verbis certè*, ait, *si corporalem faciem voluerimus accipere, consequens erit ut etiam Deus talem habeat faciem. Cùm legis*, ait ibid. S. Doct.
lb pa. 219. n. 4. A. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, intelligo inde nos tunc visuros facie ad faciem, unde videmus nunc per speculum in ænigmate. Hoc autem utrumque interioris hominis manus est, sive cùm in ista peregrinatione adhuc per fidem ambulatur, in qua utitur speculo & ænigmate; sive in illa patria cùm per speciem contemplabitur, pro qua visione positum est, facie ad faciem.*

Ad testimonium Job cap. 19. appositè observat S. Aug. Lib. 22. de Civitate Dei c. 29. n. 4. Job dicere: *Videbo Deum in carne, non per carnem.* Quia re vera, resumpto proprio corpore Deum videbit, non quidem per carnem, sed per mentem.

Ad aliud ejusdem testimonium ex c. 42. dico S. virum Job non loqui de visione substantiæ divinæ, se de effectibus providentiæ Dei, quos ipse propiùs inspexerat & expertus fuerat, cùm à tot calamitatibus & miseriis sa-

nus tandem evaſit. Quaſi diceret: De tua, ò Deus! erga homines providentia & benignitate audiveram multa: nunc verò proprio meo experimento didici & cognovi; ac quaſi ad oculum vidi in me ipſo, quanta ſapientia & providentia ſaluti tuorum conſulas.

Denique iſtud Lucæ 3. *Videbit omnis caro ſalutare Dei* S. Auguſtinus Serm. 277. interpretatur de Chriſto incarnato, omnium Salvatore ac Redemptore.

Objicies 2. Poteſt Deus quamcumque creaturam aſſumere ad effectus cum quibus nullam prorſus habet proportionem: v. g. ignem corporeum, ad torquendos ſpiritus; aquam in Baptiſmo, ad producendam gratiam; lutum, ad reſtituendum viſum. Imò, & ipſomet actu viſionis poſſet uti ad gratiam producendam. Ratio eſt, quia ineſt cuilibet creaturæ potentia obedientialis, qua poteſt à Deo ad quoslibet effectus aſſumi.

Reſp. Diſtinguo majorem. Poteſt Deus quamcumque creaturam, quæ vitali modo, & ut cauſa principalis non agit, aſſumere ad effectus cum quibus nullam habet proportionem, concedo. Quæ vitali modo, ex principio interno tanquam cauſa principalis agat, nego. Itaque, Deus de potentia ſua abſoluta, creaturas quæ nec vitali modo, ſeu ex interno principio, nec ut cauſæ principales agunt, aſſumere poteſt ad quoſcunque effectus ſupernaturales producendos. Sic ignem ad torquendos dæmones; aquam, ad gratiam in Baptiſmo producendam; lutum, ad reſtituendum cæco nato viſum; imò, & ipſummet viſionis corporeæ actum elevare poſſet ad producendam gratiam: quia nempe, nec aqua, nec lutum ſunt potentiæ vitales quæ agant ex interno principio, & ut cauſæ principales; ſed ſunt dumtaxat inſtrumenta, quibus Deus utitur ad effectus quos voluerit; ſive inſtrumenta illa phyſicè agant, ſive tantùm moraliter, quod hic non expendimus. In hujuſmodi autem inſtrumentis mortuis, ut ita loquar, Deus proportionem aliquam cum effectu producendo non ſupponit: Imò & ipſemet viſionis corporeæ actus, ſi ad productionem gratiæ aſſumeretur, id non haberet ratione ſuæ vitalitatis, ut ita dicam, quæ prorſus per accidens ſe haberet: ſed ratione ſuæ entitatis Deo maximè ſubjectæ ac mancipatæ.

Ideo porrò facultates vitales, etiam de potentia Dei abſoluta, excurrere non poſſunt extra limites objecti ſui ſpecificativi, tùm quia earum hæc eſt natura; rerum autem natura mutari non poteſt: tùm quia agunt ex interno principio, & ut cauſæ principales ad unum determinatæ.

Porrò viſio corporea eſt actio vitalis ex principio interno, & quidem determinata per organum ad objectum extenſum & coloratum percipiendum.

Inſtabis 1. Numquid oculus corporeus per potentiam obedientialem Deo non ſubjacet, ſicut aqua, lutum &c. quidni ergo poteſt à Deo aſſumi ad videndum Deum?

Reſp. Diſtinguo antecedens. Oculus per potentiam obedientialem Deo ſubjacet, intra proprios objecti ſui ſpecificativi limites, concedo: extra illos, nego. Ratio eſt, quia ex mox dictis, viſio corporea eſt actio vitalis ad unum determinata: non ita lutum, aqua, & alia hujuſcemodi inſtrumenta mortua & inanimata.

Inſtabis 2. Deus eduxit creaturas ex nihilo: quantò magis poterit oculo corporeo id conferre, ut ſpiritum videat?

Resp. Nego consequentiam & paritatem. Disparitas est; quia nihilum merè passivè se habet: oculus è contra, vitaliter agit, & est ad unum quid determinatus.

Instabis 3. Deus intuitivè videndus, est extra objectum intellectus creati, magisque ab illo distat, quàm facultas corporea distet ab objecto spirituali; quia distantia inter Deum & creaturam est infinita, non autem distantia unius creaturæ ab alia.

Resp. Nego antecedens. Deus enim est intelligibilis seu visibilis; & intellectus creatus est facultas intelligens, quæ, dono gratiæ roborata, circa Deum videndum occupari potest. Ad probationem distinguo. Major est distantia, ratione entitatis, inter Deum & creaturam, quàm inter facultatem corpoream & objectum spirituale, concedo: major est distantia, ratione proportionis habitudinis, facultatis nimirum ad objectum suum, nego.

Instabis 4. Tametsi anima nostra non sit extensa, neque adeo proportionem habeat cum corpore, tamen corpus intuetur; ergo pariter, licèt oculus corporeus proportionem non habeat cum objecto spirituali, circa illud tamen, Deo volente & imperante, versari potest.

Resp. Nego consequentiam & paritatem, cum §. Aug. L. 22. de Civitate Dei c. 29. ubi simile Philosophorum nonnullorum ratiocinium explodit. Disparitas autem est, quia anima, seu mens, cùm nulli organo sit ex sese alligata, quodammodo universalis est potentia, quæ circa quodcunque objectum cognoscibile ferri potest: quamquam qua ratione id fiat; etiam dum anima corpori unita est, explicari vix potest. Non ita oculus, qui ad certum objectum determinatus est, & à certa organi dispositione dependet.

Instabis 5. Aqua baptismalis, tametsi corporea, ipsam tamen animam spiritalem attingit, producendo in ea gratiam sanctificantem; ergo similiter, licèt oculus corporeus sit, poterit virtute divina spiritum attingere.

Resp. Nego consequentiam & paritatem. Disparitas est, quia aqua agit dumtaxat ut instrumentum Dei inanimatum; oculus verò ageret ut causa vitalis & principalis: talis autem causa non potest ferri extra suum proprium ac specificativum objectum.

Instabis 6. Corpus animam percipit ac sentit suis in membris agentem: ergo corpus, adeoque & oculus corporis circa spiritum videndo versari potest.

Resp. Distinguo antecedens. Corpus animam sentit, mediatè, nempe per impressiones seu affectiones, quas in ipso efficit, concedo: immediatè per se, nego. Pariter oculus corporis glorioſi, ex effectibus divinæ potentiæ, Deum clariùs quàm in hac vita intuebitur: non quidem immediatè, ut antea diximus, sed mediatè.

Instabis 7. Christus in Eucharistia oculis corporeis se ipsum videt, & quidem immediatè: imò & ipsi Beati in cœlis, nonne Corpus Christi in Eucharistia præsens poterunt oculo corporis intueri? Attamen, inter Corpus Christi ut est in Eucharistia & oculum corporeum, nulla est proportio: Corpus enim Christi non est extensum, non coloratum; uno verbo, modo corporum naturali non existit, sed modo planè divino ac spiritali: Quidni igitur poterit oculus corporis gloria resurrectionis perfusi, divinam intueri substantiam?

Resp. Corpus Christi in Eucharistia verum quidem esse ac materiale corpus, tametsi modo spiritali existat: adeoque habet semper ex sese cum

oculo

oculo corporis quamdam proportionem. Absit autem ut hìc definire tentemus, qua ratione Christus se ipsum in Eucharistia existentem per oculos corporis videat; sunt enim hæc planè in mysterio recondita, ac viro catholico sufficit scire Christi corpus verè, realiter, ac substantialiter esse in Eucharistia præsens: modum verò hujus præsentiæ, cave ne animo inquieto & curioso quæsieris. Nobis pariter incognitus est modus quo Beati, resumptis corporibus glorioſis, poterunt Corpus Christi in Eucharistia intueri; Deo aliquid supplente, vel ex parte objecti, vel ex parte facultatis. Hoc unum hìc asserere possumus, esse inter verum corpus & oculum corporeum proportionem habitudinis, facultatis nimirum ad objectum suum; & nullam hujusmodi esse inter oculum corporeum & objectum planè spiritale, qualis est divina substantia.

Objicies contra secundam Conclusionem, S. Aug. in Lib. 22. de Civitate Dei c. 29. ubi videtur agnoscere, fieri posse ut Beati post resurrectionem carnis, Deum oculis corporis conspiciant. *Longè itaque alterius erunt potentiæ oculi Beatorum) si per eos videbitur incorporea illa natura, quæ non continetur loco, sed ubique tota est .... Vis itaque præpollentior oculorum erit illorum, non ut acriùs videant. . . sed ut videant & incorporalia. Et fortasse ista virtus magna cernendi data fuerit ad horam etiam in isto mortali corpore oculis S. viri Job, quando ait ad Deum . . . .Nunc autem oculus meus videt te .... quamvis hìc nihil prohibeat oculum cordis intelligi.* To. 7. p. 697. n. 3. E.

Resp. Ex hoc ipso loco qui objicitur, clarum esse S. Doctorem non affirmatè loqui, nec ex propria sua mente ac sententia, sed dubitanter & ex hypothesi illorum Philosophorum quorum opinionem refert. Particulæ enim iste, *si, fortè* hominis dubitantis signa sunt, non affirmantis. Scilicèt, si vera est Philosophorum illorum opinio, necesse est dicere, oculorum naturam esse immutandam, & præpollentiorem fore illorum aciem. Utrum verò id fieri possit, non audet affirmare pro sua modestia S. Doct. Agnovit enim se de re inexperta loqui, asque subsidio Scripturæ.

Instabis 1. Ibid. n. 6. S. Doctor asserit: *Fieri posse ac valdè credibile esse, sic nos esse visuros mundana corpora, ut Deum ubique præsentem & universa etiam corporalia gubernantem, per corpora quæ gestabimus . . . clarissima perspicuitate videamus.* Ibi. p. 669. B.

Resp. Distinguo antecedens. Deum videamus, per effectus & mediatè, concedo: in se immediatè, nego. Solutio patet ex antè dictis.

Instabis 2. Ibidem asserit, Deum videndum fore ab unoquoque nostrum, *ab altero in altero, Quin & in se ipso.*

Resp. Dist. videndum fore, spiritu, ut expresè ibidem ait, concedo: corpore, nego. Verba ista, *in se ipso*, non Deum qui videtur, sed hominem qui videt, denotant: & sensus est, unumquemque Beatorum clarissimè Deum visurum, non tantùm in miris effectibus, non tantùm in aliis, sed etiam in semetipso.

Instabis 3. S. Aug. opponit ibidem visionem qua Beati donandi sunt etiam ratione corporis, ei cognitioni quæ hac in vita conceditur per speculum & in ænigmate. *Ut clarissima, inquit, perspicuitate videamus, non sicut nunc invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur per speculum & in ænigmate . . . sed quacunque spiritalia illa lumina corporum nostrorum circumferemus, incorporeum Deum omnia regentem etiam per corpora contuebimur.* Ibid, C.

Resp. Distinguo antecedens. Opponit penes modum, concedo: penes genus, nego. Utraque igitur visio est per effectus Dei: sed ambæ differunt gradu perfectionis, quòd illa quæ nunc est per speculum & in ænigmate, obscurior sit magisque ad fidem: altera verò futura, sit clarior, & ad sensus magis
Ibid. pertineat, quàm ad mentem. *In priore*, ait S. Aug. *plùs in nobis valet fides qua credimus, quam rerum corporalium species, per quam per oculos cernimus corporales.* E contra, in posteriore nullo opus erit ratiocinio, atque ex ipsa specie corporali Deus illico cognoscetur, ac quodammodo sentietur.

Instabis 4. Ibidem n. 5. istam explodit Philosophorum ratiocinationem: *Ita*
Ibid. p. 698. E *scilicet mentis aspectu intelligibilia videri, & sensu corporis sensibilia, id est, corporalia, ut nec intelligibilia per corpus, nec corporalia per se ipsam mens valeat intueri.* Ergo supponit S. Doctor spiritalia per corpus videri posse.

Resp. Explodit Philosophorum ratiocinationem, qua parte illi asserebant corporalia per mentem percipi non posse, concedo: qua parte asserebant intelligibilia seu spiritalia per corpus non posse videri, nego. De illa enim ratiocinationis parte nihil omnino statuit ac determinat: aliam verò meritò
Ibid. refellit ut manifestè falsam. *Istam ratiocinationem*, inquit, *& vera ratio, & prophetica irridet auctoritas. Quis enim ita sit aversus à vero, ut dicere audeat Deum corporalia ista nescire? Numquid ergo corpus habet, per cujus oculos ea possit addiscere?*

Instabis denique. Tam fieri potest per oculum coloris spiritum videri, quàm aut per oculum sonos audiri, aut per aures colores percipi: atqui hoc postremum fieri posse docet S. Augustinus Lib. de gestis Pelagii c. 14. *Sunt*, in-
To. 10. f. 210. n. 32. B. quit, *quædam communia omnibus membris, sicut sanitas, sicut vita: sunt autem alia etiam singulis propria, unde nec auris sentit colores, nec oculos voces; propter quod dicitur, si totum corpus oculus, ubi auditus? . . . . Quod quidem non ita dicitur, tanquam impossibile Deo sit, & auribus præstare sensum videndi, & oculis audiendi.*

Resp. Nego majorem. Quia major est distantia & disproportio inter oculum corporeum & Deum videndum, quàm inter objecta aliorum sensuum: an verò fieri possit ut organum visus, quamdiu tale remanet, fiat organum auditus; videant, qui otiosis quæstionibus delectantur: nos gravia vocant.

ARTICULUS SECUNDUS.

An Deus videri possit ab intellectu creato per solas naturæ vires.

EUnomius & Aetius IV. Ecclesiæ sæculo, eo superbiæ ac dementiæ devenerunt, ut jactitarent se tam perfectè Deum cognoscere quàm semetipsos, imò quàm Deus ipse se cognoscat. *Tam Deum novi*, ait Aetius apud S.
T. 1. p. 916. B. Epiph. hæresi 76. nu. 4. *quàm me ipsum: imò non tam novi me ipsum, quàm Deum.* Quem errorem renovarunt sæculo XIV. Beguardi & Beguinæ, à Con-
T. 11. p. 2. Conc. p. 1538. A. cilio Viennensi sub Clemente V. proscripti anno 1311. Erat enim iste quintus erroris illorum articulus. *Quælibet intellectualis natura, in se ipsa naturaliter est beata; & anima non indiget lumine gloriæ ipsam elevante ad Deum videndum.*

Quæstio autem hìc movetur de visione Dei clara & intuitiva; non de abstractiva,

ctiva, quæ per effectus hac in vita comparatur; ubi *videmus per speculum & in ænigmate*.

Communis Catholicorum omnium sententia est, Deum ab intellectu creato per solas naturæ vires videri non posse; quamquam de causa & ratione primaria hujus impossibilitatis omnes non conveniant. Qua in re, hoc unum extremum maximè præcavendum, ne per gratiam sicut & per naturam, impossibilis probetur Dei visio.

CONCLUSIO.

Deus videri non potest ab intellectu creato per solas naturæ vires.

Probatur ex Scriptura.

1. Iis testimoniis quibus Deus invisibilis dicitur. 1. ad Timoth. 1. v. 17. *Regi sæculorum immortali & invisibili*. Et c. 6. v. 16. *Quæ nullus hominum vidit, sed nec videre potest*. Quibus certè verbis, penitus & absolutè non excluditur futura Dei visio per gratiam: *Scimus enim*, ait S. Jo. Epist. 1. c. 3. v. 2. *quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*. Excluditur igitur visio Dei vel per oculos corporis vel per mentem, ex solis naturæ viribus.

2. Ex iis locis quibus Dei visio gratiæ beneficium esse significatur. Psal. 83. v. 12. *Gratiam & gloriam dabit Dominus*. Rom. 6. v. 23. *Gratia Dei, vita æterna*. Ioan. 17. v. 3. *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum*. 2. Corint. 3. v. 5. *Non sufficientes sumus aliquid cogitare à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*. Et Joan. 15. v. 5. *Sine me nihil potestis facere*.

Porrò, si media per quæ ad claram Dei visionem tanquam ad finem pervenitur, sunt ex gratia non ex natura; ipse quoque finis, per gratiam non per solam naturam comparari potest. Inde fit, ut velut merces bonorum operum gratiæ rependatur. Joan. 14. v. 21. *Qui diligit me, manifestabo ei me ipsum*. Et 1. Corinth. 2. v. 9. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt eum*.

Probatur 2. Conclusio, auctoritate Concilii Viennensis, à quo proscriptus fuit error Beguardorum & Beguinarum, qui in Entomio & Aetio proscriptus jam fuerat à SS. Basilio, Gregorio utroque Nysseno & Nazianzeno, Chrysostomo, Ambrosio, Epiphanio & aliis, quorum testimonia postea referemus, ubi de possibilitate visionis beatificæ. Cùm enim SS. illi Doctores Anomœos pressiùs urgerent, visi sunt, quod sæpe contingit, in oppositum errorem declinasse, nempe impossibilem esse omnino & absolutè visionem Dei claram & intuitivam: sed re ipsa, utrumque oppositum errorem cautè declinarunt.

Audiatur inter alios S. Epiph. hæresi 70. quæ est Audianorum n. 7. *Deum quidem*, inquit, *videri præsertim ad humana natura non posse fatemur: ... sed idem tamen invisibilis Deus, pro sua humanitate ac potentia; imbecillam aciem ita virtute sua corroborare dignatur, ut quod videri alioqui non potest, aspiciat*. Tom. 1. p. 813. D.

Probatur denique ratione Theologica ducta ex testimoniis Scripturæ mox laudatis. Potentia, scilicèt naturalis, viribus suis permissa, elicere non potest operationem supernaturalem: aliàs, vel potentia defineret esse naturalis, vel actio supernaturalis.

Præterea, non alio fundamento ducta fuit Ecclesia, in astruenda contra Pelagianos necessitate gratiæ ad singulos pietatis actus, quàm quòd actus illi v.g. fidei, spei, charitatis, excedant naturæ nostræ vires: atqui clara & intuitiva Dei visio non minùs vires nostras excedit ac superat, quàm actus illi: si quidem illa finis est; isti verò actus, sunt veluti media quibus ad finem pervenitur.

Quòd si rationem quasi à priori quæsieris, cur solis naturæ viribus Deus clarè videri non possit; seu cur visio illa sit supernaturalis: respondebo, illam operosius inquirendam non esse, cùm nulla proferri possit quæ gravissimis difficultatibus non pateat.

Et verò nec ratio quam S. Thomas hìc insinuat art. 4. in corpore, nec ratio Scoti in 4. dist. 49. q. 11. n. 9. videtur efficax esse, omnemque nodum clarè dissolvere.

Ratio S. Thomæ hæc est: *Cognitio contingit secundùm id quod cognitum est in cognoscente. Cognitum autem est in cognoscente secundùm modum cognoscentis. Unde cujuslibet cognoscentis cognitio est secundùm modum suæ naturæ. Si igitur modus essendi alicujus rei cognitæ excedat modum naturæ cognoscentis, oportet quòd cognitio illius rei sit supra naturam illius cognoscentis.*

Quæ ratio videtur exigere in cognoscente, eandem naturam, seu eandem immaterialitatem quæ est in objecto cognito: atqui id non videtur verum. Namque Angelus inferior, naturaliter superiorem cognoscit, nec tamen eundem cum ipso habet gradum essentiæ. Intellectus etiam creatus, auxilio luminis gloriæ roboratus, Deum intuitivè cognoscit, nec tamen per lumen gloriæ constituitur in eodem gradu essentiæ & immaterialitatis cum Deo.

Ratio verò Scoti hæc est. Non potest intellectus creatus naturaliter videre Deum, nisi naturaliter habeat quæcunque necessaria sunt ad hanc visionem: sed intellectus naturaliter non habet quæ necessaria sunt; unum enim maximè necessarium, est objecti præsentia: sed Deus non est naturaliter præsens intellectui nostro, tanquam objectum cognitionis, siquidem Deus liberè se menti nostræ conspiciendum exhibet, non necessariò; unde gratia Dei opus habet, ut circa Deum clarè videndum versetur.

Verùm, nec ista ratio ullam hìc vim & momentum habere videtur: namque ostendit dumtaxat, deesse aliquid ex parte objecti, non verò ex parte potentiæ, quæ ex sese ad videndum expedita supponitur, si præsens adesset objectum. Eo ferè modo, quo qui oculos sanos habet, objectum longè distitum videre non potest, non quidem ex defectu virium in facultate, seu oculorum; sed ex defectu sufficientis præsentiæ objecti. Porrò intellectus creatus, ex natura sua non autem ex sola distantia objecti, incapax est videndi Deum clarè & intitivè.

Dices 1. Vel Deus continetur intra limites objecti specificativi intellectus nostri, vel extra. Si primum, potest naturaliter cognosci; potest enim unaquæque facultas, naturaliter objectum suum attingere. Si secundum, nequidem per gratiam & auxilium luminis gloriæ, poterit ab intellectu creato cognosci.

Resp. Deum contineri intra limites objecti specificativi, adæquati, extensivi & terminativi intellectus creati, non verò objecti connaturalis & proportionati. Duplex scilicèt distinguitur objectum potentiæ cognoscitivæ: unum connaturale & proportionatum, ad quod potentia connaturali-

ter

ter ferri poteſt abſque ullo auxilio ſuperaddito: alterum verò adæquatum & terminativum, ſeu extenſivum, ad quod illa, ſaltem ſuperiori auxilio roborata, ferri poteſt. Deus ut eſt in ſe, continetur quidem intra limites objecti adæquati, extenſivi ſeu terminativi intellectus creati; quia viſibilis eſt ſeu cognoſcibilis, & intellectus creatus eſt facultas cognoſcitiva: ſed non eſt objectum connaturale & proportionatum, ſaltem proximè & completè; licet remotè & inchoatè intellectus creatus aliquam habeat cum Deo videndo proportionis habitudinem, quæ ut in actum erumpat, ſupernaturali indiget auxilio quo roboretur.

Inſtabis 1. Objectum quod finitodumtaxat modo poteſt ab intellectu creato attingi, proportionatum eſt ac connaturale cum ipſo intellectu: atqui Deus finito duntaxat modo attingi poteſt ab intellectu creato; ergo, &c.

Reſp. Nego majorem. Actus enim fidei, ſpei & charitatis finito modo eliciuntur, nec tamen fieri poſſunt ſine auxilio ſupernaturali gratiæ. Ratio eſt, quia diſproportio inter objectum & potentiam ſeu facultatem non tam attendi debet ex parte modi tendendi in objectum, quàm ex parte diſtantiæ quæ eſt inter objectum ſupernaturale & facultatem purè naturalem: porrò tanta eſt, inter Deum, intuitivè ut eſt in ſe, videndum, & intellectum creatum viribus ſuis permiſſum, diſtantia, ut intellectus, niſi ſuperiori auxilio roboretur, nuſquam poſſit Deum, ut eſt in ſe, intuitivè videre.

Inſtabis 2. Naturaliter cognoſcimus Deum exiſtere, eſſe ens perfectiſſimum &c. ergo Deus eſt objectum connaturale & proportionatum intellectus noſtri.

Reſp. Diſtinguo conſequens. Deus abſtractivè & per effectus cognoſcendus, concedo: clarè & intuitivè videndus, nego.

Inſtabis 3. Naturaliter cognoſcere poſſumus ultimum noſtrum finem: atqui Deus intuitivè videndus eſt noſter finis ultimus; ergo &c.

Reſp. Diſtinguo majorem. Naturaliter cognoſcere poſſumus ultimum noſtrum finem naturalem, qui conſiſtit in perfecta Dei cognitione abſtractiva, qualem homo habuiſſet ſi in puris naturalibus conditus à Deo fuiſſet, concedo: ultimum noſtrum finem ſupernaturalem, nempe claram & intuitivam Dei cognitionem, nego.

Dices 2. Ex S. Auguſtino Lib. 4. de Civitate Dei cap. 27. ſolum peccatum in cauſa eſt cur Deum non videamus.

Reſp. Diſtinguo antecedens. Solum peccatum eſt cauſa moralis cur Deum non videamus, concedo: eſt cauſa phyſica, nego. Cauſa enim phyſica, eſt ipſamet impotentia naturalis, ad quam ſuperandam ac vincendam neceſſarium eſt ſupernaturale luminis gloriæ auxilium.

ARTICULUS TERTIUS.

An Deus ſit incomprehenſibilis.

COmprehenſio, latiori ſenſu, idem eſt ac rei alicujus aſſecutio ſeu obtentio: quo ſenſu dicebat Apoſtolus 1. Corinth. 9. verſ. 24. *Neſcitis quòd ii qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed unus accipit bravium? Sic currite ut comprehendatis.*

Pro-

Propriè ac strictè hic comprehensio idem est ac plena, adæquata & totalis rei cognitio; metaphora ducta à rebus corporeis. Ut enim corpus aliquod ab alio comprehendi dicitur, quod totum in eo continetur, ita objectum quod cognoscitur, dicitur a mente comprehendi, quod totum quantum quantum est cognoscitur. Ita comprehensionem objecti, à simplici ejusdem cognitione apprimè distinguit S.Aug. Epist. 147. ad Paulinam. *Aliud est*, inquit c. 8. n. 21. *videre, aliud est totum videndo comprehendere. Quandoquidem* T.1. p. 431.G. *id videtur, quod præsens utcunque sentitur: totum autem comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem, aut cujus fines circumspici possunt.*

CONCLUSIO.

Deus ab intellectu creato, etiam adjuvante lumine gloriæ, comprehendi non potest.

Probatur 1. testimoniis Scripturæ.

Job 11.v.7. *Forsitan vestigia Dei comprehendes, & usquè ad perfectum Omnipotentem reperies?* Et c.35.v.26. *Ecce Deus magnus, vincens scientiam nostram.*

Jeremiæ 32. v.19. *Magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu.*

Rom.11.v.33. *Quàm incomprehensibilia sunt Judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!*

Denique 1. ad Timoth.6. v.16. *Lucem habitat inaccessibilem.*

Gratis nostro quidem judicio Vasquez hìc supponit, citatis mox testimoniis, de una incomprehensibilitate consiliorum Dei, non verò ipsius substantiæ seu naturæ fieri mentionem: quasi Dei consilia ab ejus natura distincta forent; nec par esset, quantùm ad exclusionem cognitionis comprehensivæ, consiliorum & naturæ Deiratio. Deinde verò, cùm Apostolus absolutè pronunciat, Deum habitare *lucem inaccessibilem*, haud dubiè non excludit possibilem Dei visionem intuitivam; ergo solummodo comprehensivam excludit.

Probatur 2. constanti Ecclesiæ traditione.

T.11. Conc. p. 1.pag. 142.C. Concilium Lateranense sub Innoc.III. cap. firmiter; *Credimus*, ajunt Patres Concilii, *quòd unus solus sit Deus, æternus, immensus, incomprehensibilis.*

T. 12. Comc.p. 556.D. Concilium Basileense an. 1435. proscripsit propositionem Augustini de Roma qua dixerat, *animam Christi videre Deum tam clarè & intensè, quantùm clarè & intensè Deus videt seipsum:*

Edit.n. p. 254. nu. 5. Idem jam antè docuerant S.Irenæus Lib.4.c. 20. *Secundùm magnitudinem quidem ejus*, inquit, *& mirabilem gloriam, nemo videbit Deum & vivet: incapabilis enim Pater.*

P.48. C. S.Cyrillus Jerosolymitanus Catechesi 6. *Quid igitur* (ait) *dicet aliquis, Nonne scriptum est, quòd Angeli Cœlorum vident semper faciem Patris mei qui in cœlis est? At vident Angeli, non sicut Deus est, sed quatenus ipsi capere possunt... Vident igitur Angeli quantùm capaces sunt, & Archangeli possunt; Throni & Dominationes plusquam illi primi: minùs tamen quàm Majestas illa mereatur.*

P.318. C. P.819. A. S. Epiphanius hæresi 70. n.7. *Neque verò dubium est*, inquit, *quin Deus comprehendi nequeat.... Torrò cùm invisibile illud infinitum aspicit, non quatenus infinitum est, illud intuetur; sed quantùm illius, quod imbecillum est, natura capere potest.* Quod quidem duplici comparatione illustrat; hominis scilicet qui è sublimiori speculâ mare intuetur, aut cœlum per angustum foramen conspicit:

ille

ille quidem mare videt & cœlum, sed non totum; nec quantùm ad omnem maris & cœli extensionem.

S. Joannes Damasc. Lib. 1. orthod. fidei cap. 1. *Deus*, inquit, *nec oratione ulla explicari, nec ullo modo comprehendi potest.* Ed. no. To. 1. p. 123. C.

S. Augustinus Epistola 147. jam laudata. *Non Dei plenitudinem* ait, *quisquam, non solum oculis corporis, sed vel ipsa mente aliquando comprehendit.* To. 2. p. 481. n. Deinde explicat quid interfit inter cognoscere & comprehendere. Verba 21. F. initio hujus articuli reddidimus.

Sermone 117. aliàs 38. de verbis Domini cap. 3. *Attingere*, inquit, *aliquantùm mente Deum, magna beatitudo est: comprehendere autem, omnino impossibile.* T. 5. p. 581. n. 5. D.

Et Lib. 12. de Civitate Dei c. 18. hujus divinæ incomprehensibilitatis causam & rationem repetit ex infinitate ipsius Dei, qui solus se ipsum capere potest ac comprehendere: non ita intellectus creatus, cujus capacitas omnino finita est. Sic loquitur: *Quapropter si quidquid scientia comprehenditur, scientis comprehensione finitur; profectò & omnis infinitas quodam ineffabili modo Deo finita est, quia scientia ipsius incomprehensibilis non est.* To. 7. p. 317. F.

Quia igitur hominis cognitio finita & limitata est, non potest objectum infinitum cognoscendo comprehendere: cognitio quippe comprehensiva totam rei capacitatem seu cognoscibilitatem adæquare debet.

Denique constantem hanc Ecclesiæ doctrinam adversùs Anomœos sæculo IV. strenuè vindicarunt SS. Patres, Gregorius uterque, Basilius, Chrysostomus, Theodoretus, &c.

Probatur 3. ratione Theologica ducta ex conditionibus ad veram comprehensionem requisitis. Discordes reipsa hìc sunt Scholæ Magistri, tametsi circa ipsum dogma unanimis sit eorum sententia. Hoc unum hic caveat prudens Theologus, ne fortè qua ratione ulus fuerit ut probet Deum à beatis comprehendi non posse, eadem probetur illum nec intuitivè quidem videri ab illis posse.

Tres verò præcipuæ sunt circa præsentem quæstionem opiniones Scholæ.

Prima, eorum qui cum Francisco Victoria sentiunt, idcircò Beatos non comprehendere Deum, quia etsi divinam ejus essentiam, attributa, & perfectiones videant, non tamen secundùm omnem amplitudinem seu intensionis gradum. *Hæc sententia*, inquit Vasquez disp. 53. cap. 1. *omnium judicio, nihil habet probabilitatis*, ex qua duo absurda sequuntur: primum, pos- T. 1. p. 308. col. 1. se videri essentiam divinam non visis personis; imò unum attributum sine alio. Namque si in eodem attributo latet gradus aliquis intensionis; si aliquid videtur, & aliquid non videtur; multò magis visa essentia latere possunt personæ; & viso uno attributo, non videri aliud; neque enim minùs differt unum attributum ab alio, aut persona ab essentia, quàm unus gradus ejusdem attributi ab alio; si fas est gradus intensionis in divinis attributis excogitare. Alterum incommodum quod ex ista sententia sequitur, istud est, nempe Deum non videri; si aliquid ipsius lateat videntem; Deus enim est tota sapientia, non aliquid illius; & ubi non est tota sapientia, non est Deus; ergo si non tota videtur, non videtur Deus. Hactenus Vasquez, qui concludit hujus opinionis consectaria manifestè absurda esse ac contra fidem.

Secunda sententia est S. Thomæ & discipulorum ejus, qui ad cognitionem

Dei

Dei comprehenſivam exigunt, non tantùm ut Deus videatur totus, nec quidquam illius lateat, ſed etiam ut tam perfectè videatur, ac videri poteſt & exigit. Hoc eſt, ut cognitio in ſe tantæ ſit perfectionis in genere cognitionis, quantæ eſt objectum in genere cognoſcibilis: uno verbo, ut ſicut objectum (Deus nempe) eſt infinitum, ita & modus cognoſcendi ſit pariter infinitus: atqui creatus intellectus non poteſt modo infinito verſari circa Deum videndum; ergo neque poteſt Deum comprehendere.

Tertia ſententia quam ſequitur Vaſquez, & faciliorem eſſe judicat, diſtinguit inter ea quæ formaliter, & ea quæ eminenter aut virtualiter tantùm ſunt in Deo. Ad cognitionem verò comprehenſivam, poſtulant hujus ſententiæ patroni, ut non tantùm attingat ea quæ formaliter, ſed etiam quæ eminenter aut virtualiter ſunt in Deo; hoc eſt illud omne quod à Deo pendet, & ad quod terminari poſſunt divinæ ipſius perfectiones. Atqui fieri non poteſt, ut creatus intellectus hæc omnia cognoſcat, v.g. omnia poſſibilia aut futura, quæ ex conſilio Dei pendent, ſunt enim infinita: infinitum autem comprehendi non poteſt, niſi à mente infinita.

Solvuntur Objectiones.

OBjicies 1. Falsò hìc ſupponitur, cognitionem qua Deus comprehenderetur, debere eſſe infinitam.

I. Quia nuſquam legimus Veteres hoc momento uſos fuiſſe ad confutandum errorem Anomæorum.

II. Quia cùm in hac opinione dicitur, cognitionem Dei comprehenſivam, ſi quæ daretur, debere adæquare totam objecti cognoſcibilitatem; & eſſe in genere cognitionis tam perfectam, ac eſt objectum cognitum in ſe; vel modus ille cognoſcibilitatis attenditur ex parte objecti cogniti, vel ex parte facultatis cognoſcentis: ſi primum, Deus totaliter videtur, quia totus videtur ſicuti eſt: ſi ſecundum, dici etiam non immeritò poteſt Deum totaliter videri ab intellectu creato per auxilium luminis gloriæ, quia tota ſua virtute & conatu in Deum rapitur, & tendit.

III. Quia abſurdum inde ſequitur, nempe Angelum, v.gr. non poſſe atomum aut muſcam comprehendere, quia hæc nobiliori modo cognoſci à Deo ſemper poteſt, quàm à quocunque intellectu creato: ergo falsò aſſeritur, cognitionem comprehenſivam adæquare debere totam objecti cognoſcibilitatem.

Reſp. Nego antecedens.

Ad primam ejus probationem. Dico quotquot è Veteribus Anomæos impugnarunt, aut ſuppoſuiſſe, aut diſertè affirmaſſe, idcirco ab intellectu creato comprehendi Deum non poſſe, quia Deus eſt infinitus; infinitum autem comprehendi non poteſt à facultate finita, qualis eſt intellectus creatus, quantocunque tandem lumine gloriæ inſtructus ſupponatur. Quæ profectò ratio non obſcurè indicat, cognitionem comprehenſivam commenſurari debere dignitati ac præſtantiæ objecti quod comprehenditur.

P. 819. A. Id profectò voluiſſe videntur S. Epiphanius hæreſi 70. n.7. cùm dixit: *Infinitum non videri quatenus infinitum eſt, ſed quantùm illius, quod imbecillum eſt, natura capere poteſt.*

To.7.p. 317.F. S. Auguſtinus Lib.12. de Civitate Dei c.18. citato ubi aſſerit, *Id quod ſcien-*

ſcientia comprehenditur; ſcientis comprehenſione finiri. Porrò, cùm finita ſit omnis creata ſcientia, Deum infinitum comprehendere non poteſt.

S.Gregorius Magnus Lib. 18. Moral. cap.54. *Nec tamen ita videbimus*, (Deum) inquit, *ſicut videt ipſe ſe ſeipſum. Longè quippe diſpariliter videt Creator ſe, quàm videt creatura Creatorem. Nam quantum ad immenſitatem Dei, quidam nobis modus figitur contemplationis: quia eo ipſo pondere circumſcribimur, quo creatura ſumus*. Habet ergo creatura ex ſua nativa conditione finita & limitata, quòd Deum infinitum capere ſeu comprehendere non poſſit. To.1.f. 622. n. 92. D.

Denique S.Thomas ad Annibaldum Lib.4. diſt.49. art.1. ad 2. *Quando*, inquit, *eſſentia rei cognoſcitur ſecundùm modum ſuæ cognoſcibilitatis, tunc res comprehenditur: ſed hoc in viſione Dei eſſe non poteſt: quia claritas divinæ eſſentiæ, per quam eſt cognoſcibilis, eſt infinita; modus autem intellectus creati videntis non poteſt eſſe infinitus: Et ideo non comprehendit, non quia totùm non videat, ſed quia totaliter non videt; videt enim finitè* quod de ſe viſibile eſt infinitè. To.11. p. 463. col.1. C.

Ad ſecundam. Dico modum illum cognoſcibilitatis tenere ſe ex utraque parte, tùm ſubjecti videntis, tùm objecti quod videtur: ex parte quidem ſubjecti ſeu intellectus cognoſcentis, cujus cognitio cùm ſit finita & limitata, non adæquat totam cognoſcibilitatem Dei, qui modo infinito cognoſci poteſt & exigit; adeoque Deum non videtur totaliter, id eſt tam perfectè quàm videri poteſt, qualiſcunque tandem ſit ejus conatus, qui ſemper finitus eſt ac limitatus. Ex parte etiam Dei qui cognoſcitur: etſi enim totus videatur, non tamen totaliter, ſaltem reſpectu eorum quæ in ipſo virtualiter aut eminenter continentur, ut diximus. Quo ſenſu dixit S.Aug. antea laudatus Epiſt.147. *Illud comprehendi quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem, aut cujus fines circumſpici poſſunt*. To.2 p. 481.G.

Ad tertiam, nego abſurdum illud conſequi. Namque ut objectum aliquod mente ſeu cognitione comprehendatur, non requiritur ut abſolutè videatur eo omni modo quo ab ente ſuperiori videri poteſt, ſed ſufficit quòd videatur eo omni modo quo poſtulat ſeu exigit videri: atque ita, licèt atomus vel muſca videatur à Deo, modo infinito; poteſt tamen Angelus cognitione finita illam comprehendere, quia non aliter exigit videri; quàm modo finito. Non ita eſt de Deo, cujus natura hoc exigit ut modo infinito ac perfectiſſimo comprehendatur; quod quidem ſoli Deo competit. Quapropter quantumcunque perfectione ac gradu creſcat in beatis Dei viſio intuitiva, nunquam poterit eſſe comprehenſiva; quia ſemper erit finita, & minùs Deus videbitur, ait S.Cyrillus Jeroſolym. Catecheſi 6. *quàm Majeſtas divina mereatur*. P.48.

Objicies 2. Modus explicandi quem tertia ſententia ſuggerit, omnino abſurdus videtur: quia nempe abſurdum eſt, ſupponere Deum totum videri, ita ut quodlibet ejus attributum in tota ſua amplitudine cognoſcatur, nec tamen videri poſſe omnia poſſibilia & futura; quaſi creaturæ poſſibiles, & futuræ, longè magis captum ſuperent humanum, quàm eſſentia Dei ejuſque ſingula attributa. C.

Reſp.1. Argumentum iſtud in ſuos Auctores retorqueri facilè poſſe. Non enim magis abſurdum eſt videri Deum totum & ſingula ipſius attributa, & quæ in ipſo ſunt formaliter, non viſis omnibus creaturis poſſibilibus & futuris quàm abſurdum ſit Deum totum, & ſingula ejus attributa videri ſecundùm ſubſtan-

subſtantiam; & ea non videri ſecundùm omnes ſuos gradus intenſionis: atqui hoc poſtremum defendunt qui nos impugnant; ergo &c.

Reſp. 2. Cognitis divina eſſentia, iiſque omnibus quæ formaliter in illa continentur, Deum totum quidem videri, nec tamen idcircò à Beatis comprehendi, quia non vident divinam eſſentiam ſecundùm omnem ſuam infinitam extenſionem ac virtutem: id eſt, non vident eo omni modo quo videri poteſt & exigit; nec vident omnes effectus ad quos extendi ac terminari illa poteſt; quos ſi viderent, Deum procul dubio comprehenderent, cùm nihil eſſet ultra quod videri ab illis poſſet.

Quamquam diſſimulandum non ſit, in præſenti controverſia aliquid obſcurum & implicatum, atque ad ſolvendum difficile animo ſemper obverſari. Unde Vaſquez totam de incomprehenſibilitate Dei diſputationem claudit aſſerendo, *eam non in rerum, ſed vocum controverſia poſitam eſſe; omneſque Scholaſticos, præter Victoriam, re idem omnino ſentire, & ſola voce differre eò quòd comprehenſio variè ab ipſis uſurpetur.*

Objicies 3. Objectum quod ſimpliciſſimum eſt, & totum videtur quale in ſe eſt, comprehenditur: atqui Deus eſt ſimpliciſſimus, ac totus videtur ut eſt in ſe; ergo comprehenditur.

Reſp. Diſtinguo majorem. Si videatur totum & totaliter, concedo: ſi totum quidem videatur, ſed non totaliter, nego. Porrò Deus eſt quidem ſimpliciſſimus, ac totus quoad ſubſtantiam videtur à Beatis, ſed non totaliter: quia, ut dictum eſt, non videtur eo omni modo quo videri poteſt; nec videntur quæcunque in eo ſunt aut virtualiter aut eminenter.

Inſtabis 1. Deus videri poteſt, quia eſt in ſe viſibilis: ergo pariter comprehendi poteſt, quia eſt comprehenſibilis.

Reſp. Diſtinguo conſequens. Quia eſt comprehenſibilis, à ſemetipſo, concedo: à creato intellectu, nego.

Inſtabis 2. Beati vident ipſam Dei comprehenſionem, ſeu actum quo Deus ſe ipſum comprehendit; ergo comprehendunt Deum.

Reſp. Nego conſequens. Neque enim propterea vident omnem terminum ad quem divina comprehenſio fertur.

Inſtabis 3. Tota divinitas uniri potuit in Chriſto, unione perſonali & hypoſtatica cum natura humana: quidni ergo poterit tota uniri cum intellectu, unione intellectiva & intentionali ſeu objectiva?

Reſp. Diſtinguo antecedens. Tota divinitas uniri potuit in Chriſto unione perſonali, ſecundùm modum & finitam capacitatem humanitatis, concedo; ſecundùm omnem & infinitum modum, nego. Similiter divina eſſentia, in ratione objecti uniri poteſt cum intellectu, ſed modo proportionato finitæ capacitati intellectus; non verò, modo infinito & comprehenſivo.

Inſtabis 4. Cognitio divina, qua Deus ſe cognoſcit ac cognoſcendo comprehendit, uniri poteſt cum intellectu creato, quemadmodum unita eſt divinitas cum humanitate in Chriſto, unione perſonali.

Reſp. Nego antecedens 1. Quia cognitio eſt actio vitalis quæ neceſſariò à proprio & interno principio profluere debet: è contra unio divinitatis cum humanitate, nihil vitale ſonat; ſed eſt dumtaxat terminatio naturæ humanæ per Verbi perſonalitatem: 2. Etſi poſſet (per impoſſibile) uniri cognitio Dei cum intellectu creato, non tamen Deus comprehenderetur;

quia

quia unio illa fieret modo finito; pro exigentia & capacitate intellectus creati.

Instabis denique 1.Corinth.13. v.12. *Nunc cognosco ex parte*, ait Apostolus, *tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum*, nempe à Deo: atqui cognitus est à Deo cognitione perfecta & comprehensiva; ergo &c.

Resp. Particulam, *sicut*, eò loci perfectam æqualitatem non denotare, sed hoc unum dumtaxat, nempe futurum aliquando ut Apostolus Deum clarè & intuitivè cognoscat, non per speculum & in ænigmate, ut fit hac in vita: quamvis nunquam fiet, ut tam perfectè Deum videat, quàm ipse videtur à Deo.

QUÆSTIO UNDECIMA.

De visione Dei.

OMnem de visione Dei disputationem ad quinque universim capita revocabimus.

1. De possibilitate visionis Dei; & ratione qua possibilis potest demonstrari.
2. De existentia visionis Dei. An statim à morte, sanctis quibus nihil luendum superest, concedatur.
3. De principiis effectivis visionis: ubi de lumine gloriæ.
4. De objecto visionis Dei.
5. Denique de proprietatibus visionis Dei.

Circa possibilitatem visionis Dei duo sunt discutienda. Primum, an sit possibilis: alterum, an & quomodo possit demonstrari possibilis.

ARTICULUS UNICUS.

An possibilis sit & possit demonstrari intuitiva Dei visio.

DUplex vulgò distinguitur Dei cognitio: abstractiva scilicèt, & intuitiva. Per abstractivam, Deus in alio & per aliud, nempe per effectus creatos cognoscitur; per intuitivam verò, immediatè ac in se ipso: de hac postrema hìc agitur.

Duobus autem modis, res aliqua possibilis demonstrari potest, nempe positivè, vel negativè. Positivè quidem per medium aliquod certum & efficax, sive internum sive externum. Negativè verò, cùm solvuntur quæcunque contra rei possibilitatem opponuntur.

Possibilem esse visionem Dei intuitivam nonnulli negarunt, teste S. Gregorio Magno Lib.18. Moral. c.54. n.90. *Sciendum*, inquit, *quòd fuere nonnulli, qui dicerent Deum etiam in illa regione beatitudinis, in claritate quidem suæ conspici, sed in natura minimè videri.* Qui error Palamitarum fuit. Dicebant enim illi, ut referunt Raderus Lib.2. Historiæ Catacuzeni, & Leo Allatius Lib.2. de consensione utriusque Ecclesiæ c.16. non Dei substantiam, sed aliquam dumtaxat lucem seu claritatem ab illa distinctam & profluentem, à Beatis conspici. Edit.n. T.1.p. 641.

Idem senserunt Armeni, sicuti narrat Richardus Radulphus Archiepiscopus Armachanus L.14. de quæstionibus Armenorum; & innuit Eugenius IV. S.Pontifex in Decreto pro Armenis.

Græ-

Græcis eundem errorem tribuit Armachanus.

Fuere in Academia Parisiensi, qui anno 1240. inter plures erroneas propositiones, hanc propugnaverunt: *Quòd divina essentia in se, nec ab homine, nec ab Angelo videatur, vel videbitur.* Errorem hunc, de consilio Magistrorum Universitatis Parisiensis, damnavit Guilielmus Alvernus Episcopus Parisiensis Tom.3. Hist.Univers. pag.177.

Multi è recentioribus, ejusdem erroris accusant Abaelardum; laudantque eam in rem, Epistolam 190. S.Bernardi ad Innocentium S.Pontificem. Verùm, ne verbum quidem ea in Epistola de isto Abaelardi errore. Et verò, quomodo negasset ille possibilem ex gratia intuitivam Dei visionem, quem Gallicani Episcopi quinque apud Innocentium S.Pontificem accusant, data Epistola 191. inter Bernardinas, *Quòd fidei meritum evacuaret, quia totum quod Deus est, humana ratione arbitrabatur se posse comprehendere.*

To.1.p. 644. & seq.

To.1.p. 184. n. 1. C.

Vasquez in primam part. S.Thomæ disp.36. cap.2.3. & 4. existimat S. Chrysostomum, ut declinaret extremum errorem Anomœorum, qui contendebant se propria virtute Deum comprehendere, docuisse non posse intuitivè ab Angelis vel hominibus videri: Chrysostomo adjungit Theodoretum, Basilium, Cyrillum Alexandrinum & Jerosolymitanum, Gregorium Nyssenum: Imò & ex Latinis S.Hieronymum, Primasium, & Isidorum. *Hos Patres*, ait Vasquez c.4. *si sincerè loqui velimus, vix possumus in bonum sensum interpretari.*

Quos omnes Scholæ Theologi excusant, hos accusat Vasquez: Anomœos è contra, quos omnes erroris hac in parte arguunt, ipse ab errore vindicat: *Quos*, ait c.3. *non satis constat docuisse Deum à Beatis ita perfectè videri, ut ab eis comprehendatur.* Sed absit à nobis ut vel hæreticos, contra Veterum fidem excusemus; vel SS.Patres causæ catholicæ hìc eripi patiamur. Itaque sit

PRIMA CONCLUSIO.

Possibilis est intuitiva Dei visio.

Probatur 1. ex Scriptura, quæ & visionem Dei promittit tanquam præmium bonorum operum; & concessam jam aliquibus fuisse testatur.

Matth.5. v.8. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt:*

Joan.14. v.21. *Qui diligit me: diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.*

1. Joan.3. v.2. *Cùm apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est.*

1. Corinth.13. v.12. *Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.*

Denique Matth.18. v.10. *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei.* Angeli igitur jam fruuntur visione Dei clara & intuitiva. Porrò in altera vita homines pares erunt Angelis. *Erunt*, ait Christus ibid. cap.22. v.30. *sicut Angeli Dei in cœlo.*

Fidem hanc Ecclesiæ confirmat Eugenius IV. S.Pontifex, in Decreto Armenis dato; ubi pronunciat: *Purgatas animas in cœlum mox recipi; & intueri clarè ipsum Deum trinum & unum sicuti est.*

Tom.7. Concil. 1047.

Et Patres Francofordienses Concilii in Epistola ad Præsules Hispanos jam antea

tea dixerant : *Prædicamus eum* (Christum) *verum Deum & vivum, ut ad ejus beatissimam visionem pervenire mereamur, in qua est æterna beatitudo.*

Conspirant SS. Patres, quos hic recensere superfluum foret; cùm in solutione objectionum occurret de illis dicendi locus; & ex professo, ubi de existentia visionis beatificæ, à nobis laudandi sint.

Probatur 3. ratione. Quia potest homo per gratiam, suum ultimum finem ac beatitudinem, ad quam ex benignitate Dei factus est, adipisci: atqui illa posita est in clara & intuitiva Dei visione. *Hæc est enim vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* Joan. 17. v. 3.

Confirmatur. Quia potest intellectus hominis per gratiam elevatus, attingere id omne quod est intelligibile, cùm sit facultas capax cognitionis: Deus autem est intelligibilis, cùm sit summum verum.

SECUNDA CONCLUSIO.

Possibilem esse visionem Dei intuitivam, nulla ratio naturalis potest demonstrare positivè, sed negativè tantùm.

Probatur prima pars 1. Quia ratio naturalis demonstrare id non potest quod solo naturæ lumine non cognoscit: atqui humana ratio possibilem esse intuitivam Dei visionem, solo naturæ lumine non agnoscit. *Oculus enim non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ Deus præparavit iis qui diligunt illum.* 1. Cor. 2. v. 9.

Unde S. Aug. Epist. 147. c. 5. n. 12. *Scimus*, inquit, *posse Deum videri .... An fortè non debui dicere, scimus, sed, credimus ..... quia scriptum est in Scriptura cujus fideles sumus, quòd verum sit, minimè dubitamus.* To. 2. p. 477. G.

Et Lib. 13. de Trinitate c. 9. *Fides autem ista*, inquit, *totum hominem immortalem futurum, qui utique constat ex anima & corpore, & ob hoc verè beatum, non argumentatione humana sed divina auctoritate promittit.* To. 8. p. 935. n. 12. G.

Omnis demonstratio vel est à priori, vel à posteriori: atqui visionis Dei possibilitas neque à priori, neque à posteriori potest demonstrari.

Non à priori: quia demonstratio à priori, fit per propriam causam: atqui visionis Dei intuitivæ nulla est ex parte nostri causa naturalis per quam possit demonstrari. Si enim aliqua hujuscemodi causa assignari posset, maximè aut divina omnipotentia quæ naturaliter infinita cognoscitur; aut activitas mentis nostræ, per quam circa omne intelligibile versari potest: atqui neutrum dici potest. Non primum, quia etsi cognoscamus Dei omnipotentiam infinitam esse, non propterea cognoscimus omnem & quemlibet illius terminum, seu effectum possibilem, sed tantùm generatim ac confusè cognoscimus, Deum posse id omne quod est possibile, seu quod non implicat: an verò hic vel ille effectus repugnet necne, naturaliter non cognoscimus. Non secundum, quia intellectus potest tantùm naturaliter attingere objectum intelligibile naturale ac sibi proportionatum: Deus autem intuitivè videndus, est objectum supernaturale & longè excedens naturales intellectus creati vires.

Non à posteriori: quia nullus est naturalis effectus qui necessariam habeat cum intuitiva Dei visione connexionem. Quis enim ille foret? Appetitus hominis naturalis, vel elicitus? at nullus est in homine hujusmodi appetitus

visionis Dei intuitivæ. Non naturalis, quia natura id non appetit, quod nec agnoscit, nec viribus suis potest assequi; alias, irritus ille foret ac frustraneus: atqui natura sibi soli permissa, nec agnoscit, nec propriis viribus assequi potest claram Dei visionem; ergo illam naturaliter non appetit. Naturali quidem instinctu ad beatitudinem & bonum in communi inclinamur; sed quòd illa beatitudo in sola Dei visione intuitiva reponenda sit, natura ex sese non dictat nec suggerit; quandoquidem pro suo quisque affectu, variis in rebus felicitatem suam collocat. Nullus etiam est in nobis appetitus elicitus visionis Dei beatificæ, quia talis appetitus ex rei notitia nascitur. Cùm igitur naturaliter non cognoscamus Deum clarè & intuitivè videndum esse, neque etiam illius visionis datur appetitus elicitus. Adde quòd si naturalis esset hujusmodi appetitus, quoddam illius vestigium saltem apud veteres Philosophos extitisset: apud illos tamen, altum de illa visione Dei intuitiva silentium.

Secunda pars Conclusionis probatur. Quia id negativè saltem possibile demonstratur, quod non probatur impossibile: atqui non probatur impossibilem esse visionem Dei intuitivam; quod enim verum est, nunquam potest demonstrari esse falsum: quod patebit ex solutione eorum quæ contra possibilitatem visionis Dei objiciuntur.

Solvuntur Objectiones.

OBjicies 1. Scriptura disertè affirmat, Deum à nemine unquam visum fuisse, imò nec videri posse. 1. ad Timoth.6. v. 16. *Qui inhabitat lucem inaccessibilem: quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.*

Matth.11. v.27. *Nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius.*

Et Joan.1. v.18. *Deum nemo vidit unquam: Unigenitus qui est in sinu Patris ipse enarravit.*

Deinde ex testimoniis Scripturæ, inter probationes Conclusionis nostræ laudatis non magis inferri potest Deum aliquando, sicuti est in se, à Beatis videndum: quàm ex iis, in quibus dicitur visus facie ad faciem à Moyse, Jacob & aliis Prophetis, inferri possit re ipsa ab illis oculis corporis visum fuisse: atqui postremum illud asseri meritò non potest; ergo &c.

Resp. Patere ex suprà dictis, quo sensu Deus invisibilis dicatur: nempe 1. Oculis corporis. 2. Per solas naturæ vires. 3.Hac in vita. 4. Visione perfecta & comprehensiva.

Ad confirmationem: dispar est omnino ratio. Certum enim est, in Veteri Lege Deum, in substantia & qualis est in se, à nemine visum esse. *Non enim videbit me homo & vivet*, Exodi 33. v.20. ait Deus. Visiones ergo illæ seu apparitiones Dei, quibus Veteres nonnulli donati sunt, per quasdam species & imagines factæ sunt. *In specie*, inquit S.Ambrosius, *quam voluntas elegit, non quam natura formavit. In hac mortali carne consistentibus*, ait S.Gregorius Magnus Lib.18.Moral. c.28. *& videri potuit per quasdam circumscriptas imagines, & videri non potuit per incircumscriptum lumen æternitatis*. At Sanctis in cœlo degentibus se Deus conspiciendum exhibet sicuti est: *Cùm apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est.* 1.Joan.3. v.2.

Ed.no. T.1. p. 600. E.

Instabis 1. De Angelis quidem Matth.18. dicitur, *Quòd semper vident faciem*

faciem Patris qui in cœlis est. Attamen de iisdem S.Petrus Epistolæ 1. cap.1. v.12. ait: *In quem desiderant Angeli prospicere*. Si vident, quomodo desiderant? si desiderant, quomodo vident? desiderium enim est rei absentis.

Resp. Desiderium illud excludere dumtaxat satietatis seu possessionis fastidium, non præsentiam objecti. Objectionem ita solvit S.Gregorius Mag. loco mox citato. *Si sententia utraque confertur*, ait, *quia sibi nequaquam discordet, agnoscitur. Deum quippe Angeli & vident, & videre desiderant; & sitiunt intueri, & intuentur..... Ne enim sit in desiderio anxietas, desiderantes satiantur: ne autem sit in satietate fastidium, satiati desiderant. Et desiderant igitur sine labore, quia desiderium satietas comitatur; & satiantur sine fastidio, quia ipsa satietas ex desiderio semper accenditur.* *Ibid. p.* 601. E.

Instabis 2. Deus comprehendi non potest, quia simpliciter in Scripturis incomprehensibilis dicitur; ergo pariter, quia simpliciter dicitur invisibilis, videri absolutè non potest.

Resp. Nego paritatem. Disparitas est, quia nullibi Scriptura docet Deum comprehendi posse: è contra, licèt aliquando invisibilem eum dicat, aliis tamen in locis clarè affirmat illum saltem per auxilium quoddam supernaturale videri posse.

Objicies 2. auctoritatem S.Chrysostomi pluribus in locis, maximè verò Hom.14. in Joan. & Hom.3. de incomprehensibili Dei natura, ubi apertè docet Deum, nec ab homine, nec ab Angelo videri posse.

Hom.14. in Joan. ad hæc verba: *Deum nemo vidit unquam*, ait 1. *Id quod est Deus, non modò Prophetæ non viderunt, sed neque Angeli, neque Archangeli:* *Ed. Commel. p.* 77. A.

2. Nec Angelos nec Archangelos quidquam de substantia Dei dicere posse. *Si eos percontaberis*, inquit, *nihil abiis de substantia Dei audies; sed tantùm referentes, Gloria in altissimis Deo, & in terra pax &c.* *Ibid.*

3. Visum quidem Deum ab Angelo fuisse post Incarnationem, non verò ante. *Ex quo*, inquit, *carnem induit, tunc visus est ab Angelis: antea verò non ita videbatur, cùm ipsis quoque invisibilis esset substantia.* *Ibid.* C.

4. Istud Scripturæ testimonium, *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est*, quo maximè dogma nostrum catholicum demonstratur, aliò planè inflectit S.Chrysostomus, vultque eodem sensu intelligi debere ac istud Math.5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Hæc porrò verba non intelligit de visione Dei clara & intuitiva, sed de quadam dumtaxat notitia, seu, ut loquitur, imaginatione ad captum nostrum accommodata. *Quid igitur*, pergit S. Doctor, *ait Christus? Angeli eorum semper vident faciem Patris mei.... Quid ergo faciem Deus habet?..... sed nemo ea agitetur insania ut hæc dixerit. Quænam ergo hæc sententia? quæ & in illo loco, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt: nempe mentis intuitum, qui ad captum nostrum temperatus est & notionem Dei prout eam habere possumus.* *Ib.* D.

5. Denique S. Doct. contendit à solo Patre Filium cognosci, & Patrem à Filio.

Homilia verò 3. de incomprehensibili Dei natura, docet

1. Illos Angelos, qui coram Deo stant, nec præ nimio divinæ Majestatis fulgore oculos audent attollere, non videre ipsam meram lucem & sinceram Dei substantiam; sed attemperatum lumen. *Quamquam*, inquit, *non ipsum sine temperamento lumen, neque ipsam puram substantiam videbant, sed* *Ed. noviss. T.1. p.* 465. C

quæ videbantur attemperata erant. Quid autem est illa attemperatio? Quando Deus non sicut apparet, sed ad modum ejus qui ipsum visurus est, sese attemperat, videntiumque infirmitati sese accommodat.

2. Docet attemperationem illam seu condescensum concessum Prophetis fuisse, quibus procul dubio concessa non fuit clara & intuitiva Dei visio: condescensus ergo ille, est quid distinctum à clara Dei visione. *Itaque*, inquit, *licet Prophetam audias dicentem, Vidi, ne suspiceris eum vidisse* Ib. pag. 466. A. *substantiam illam, sed attemperantis se formam.*

3. Denique ibidem: *Vocemus*, inquit, *ineffabilem, intelligibilem ipsum Deum,* Ib. pag. 463. C. *invisibilem, incomprehensibilem, humanæ linguæ vim superantem, mortalis mentis comprehensionem excedentem, Angelis non vestigabilem, Seraphinis invisibilem, Cherubinis inintelligibilem, inaspectabilem Principatibus, Potestatibus, Virtutibus, ac simpliciter omni creaturæ: à solo autem Filio & à Spiritu sancto cognitum.*

Resp. Distinguo antecedens S. Chrysostomus docet Deum nec ab homine net ab Angelo videri posse, visione perfectè comprehensiva, concedo: visione simpliciter intuitiva, qua Deus conspiciturut est in se, nego. Mens S. Doctoris ex ipsius instituto elicienda est. Disputabat scilicèt his in locis contra Anomæos, qui, ut ipse loquitur Homilia 2. adversùs illos, *stultè non minùs quàm impiè factitabant se ita Deum nosse, ac Deus ipse novit.* Quoties igitur asserit S. Doctor Deum invisibilem esse, intelligi, & explicari debet apposite ad controversiam quam versabat contra Anomæos; Deum nempe videri non posse comprehensivè, de hoc enim uno capite agebatur: non autem de visione simpliciter intuitiva. Se ipsum multis in locis exponit S. Doctor, & objectionem præoccupans quam sibi proponendam præsentiebat, quasi existimaret Deum nullatenus à Beatis videri posse, declarat se de visione dumtaxat comprehensiva loquutum esse. Hom. 4. de incomprehensibili Dei natura, expendens illud S. Joannis, *Deum nemo vidit unquam*, sic ait: Ib. pag. 474. D. *Cur ergo Joannes, ait, Deum nemo vidit unquam? Ut edisceas eum de perfecta & clara cognitione loqui.* Et paulò infrà: *Itaque cùm audis, Deum nemo vidit un-* Ib. pag. *quam, id intellige, nullum esse qui Deum substantialiter omnino perfectè cognoscat.* 435. C.

Habemus hic sui ipsius tutissimum interpretem Chrysostomum. Et Homil. Ed. Cõmel. p. 14. in Joan. postquam illud sibi opposuit: *Quid ergo*, inquit, *nam omnes in-* 77. D. *ignorantiæ vivimus?* Statim respondet: *Absit: sed nemo ita cognovit Patrem* E. *ut Filius.* Et paulò post: *Sic multi Deum cognoscimus, non tamen ipsam substantiam qualis est, nisi solus eius Unigenitus, qui certam notionem, visumque & comprehensionem habet, qualem Filium de Patre habere par est.* Sunt hæc tam clara & manifesta, ut mirum sit ad illa non attendisse Vasquesium. Ex quibus facillimè solvuntur, quæ proposita sunt ex Hom. 14. in Joan.

Ad primum. Id quod Deus est, nec Prophetæ, nec Angeli, nec Archangeli viderunt, modo perfecto & comprehensivo, qua ratione Filius Patrem novit, & Pater Filium, concedo: nullatenus viderunt, nego. Porrò, in ea Homilia 14. loquitur de cognitione qua Filius novit Patrem, & Pater Filium. *Nemo*, inquit, *cognovit Patrem ut Filius.* Rationem reddit: *Quia si* Ibid. B. *incorpoream virtutem quamvis genitam non possumus manifestè conspicari... multò minùs incorpoream & ingenitam substantiam.* Cujus quidem generalem istam causam & rationem profert Hom. 5. de incomprehensibili Dei natura: *Quòd substan-*

substantia substantiam superiorem non probè (id est comprehensivè) *nosse potest.*

Ad secundum, distinguo. Nec Angeli, nec Archangeli quidquam de substantia Dei dicere possunt quod perfectè Dei naturam exponat, quasi eam perfectè ac comprehensivè penetrarent, concedo: quod imperfectè saltem & quantùm creaturæ tenuitas patitur, aliqua de Deo enarrare non possint, nego. Si præ oculis semper habeatur quis sit S. Chrysostomi scopus contra Anomæos disputantis, facile erit intelligere, S. Doctorem citatis verbis voluisse superbam illorum hæreticorum præsumptionem retundere; quasi se Angelis superiores arbitrarentur, cùm jactitabant se Deum æquè perfectè nosse, ac Deus se novit. *Si verò*, bellè inquiebat S. Basilius alloquens Eunomium Epistola 168. *scientia minutissimæ formicæ nondum es assecutus naturam, quomodo incomprehensibilem Dei potentiam imaginatione tua comprehensam esse gloriaris?* T. 2. p. 953. C.

Ad tertium, distinguo. Angeli Deum viderunt post Incarnationem, modo aliquo singulari hactenus ipsis incognito; nempe viderunt Deum carne indutum & circumscriptum, *qui*, antea, *incircumscriptibilis erat*, ut ait idem S. Chrysostomus: concedo: viderunt post Incarnationem, simpliciter & absolutè, quasi antea illum nullatenus vidissent, nego.

Ad quartum. Excludit citatis verbis S. Doctor, & visionem per oculos corporis, quia Deus faciem non habet; & visionem comprehensivam per mentem; sed non excludit, nec negat visionem intuitivam, quæ sit captui nostro accommodata.

Ad quintum. Patet responsio ex jam dictis: scilicèt solus Pater novit Filium & Filius Patrem, cognitione perfecta & comprehensiva quæ nulli mortalium concedi potest: *Nemo Patrem novit ut Filius*, inquit, concedo: solus Pater cognoscit Filium, cognitione simpliciter intuitiva, nego.

Ad aliud verò testimonium ductum ex Homilia 3. de incomprehensibili Dei natura; dico, vel in ipsa hujus Homiliæ inscriptione solutionem argumenti contineri: est quippe de incomprehensibili Dei natura.

Neque dicas à S. Doctore verba ista, *videre*, *comprehendere*, promiscuè usurpari. Fatemur; sed appositè ad errorem Anomæorum, quem refellit, intelligi debent: Anomæis enim, Deum videre, & Deum comprehendere, idem planè erat. Porrò constabit ex verbis S. Chrysostomi mox referendis, apud ipsum videre simpliciter, aliud significare, quàm comprehendere. Quapropter in Hom. 3. laudata non dissimulat duram & insolentem visuram iri suis adversariis sententiam suam. *Nec ignoro*, inquit, *me petulantiæ accusaturos esse quòd ipsis supernis Virtutibus ipsum incomprehensibilem esse dixerim.* To. p. 463. D.

Ad primum: Condescensum eò loci opponit S. Chrysostomus visioni Dei perfectæ & comprehensivæ, non verò simpliciter intuitivæ: istam vocat quemdam condescensum; quia est accommodata & proportionata finitæ capacitati intellectus creati, qui Deum quantus quantus est, comprehendere nunquam potest.

Ad secundum: Condescensus Prophetis hac in vita concessus hoc unum iis contulit, ut Deum clariùs, quàm cæteri mortales, cognoscerent per visiones & revelationes: non verò ut eum intuitivè, ut est in se, cognoscerent. E contra verò, in Angelis condescensus de quo S. Chrysostomus, est ipsamet Dei clara visio creaturæ capacitati attemperata.

Ad tertium: Jam observavimus, ea nomina synonima esse apud Sanctum

Chryſoſtomum contra Anomæos diſputantem: & ſolam ab ipſo excludi viſionem Dei perfectam, adæquatam & comprehenſivam.

Ne verò quis vel minima ſuſpicione laboret circa fidem ac doctrinam S. Chryſoſtomi, legat ejus Paræneſim 1. ad Theodorum lapſum c. 7. ubi exponens iſta S.Petri verba Matth.17. *Bonum eſt nos hic eſſe*, ait: *Quid dicetur, quando ipſa rerum veritas aderit, quando apertis regiis ædibus, ipſum Regem conſpicere licebit, non ultrà in ænigmate, neque per ſpeculum, ſed facie ad faciem; non ultrà per fidem, ſed per ſpeciem?* Legat ejus Expoſitionem in Pſal.41. ad P. 182. A. iſta verba: *Quando veniam & apparebo? Vide*, inquit, *ardentem hominem, vide inflammatum. Sciens enim ſe cùm hinc receſſerit, Deum eſſe viſurum, ne expectat quidem dilationem.* Legat ejus Hom.34. in Epiſtol.ad Corinth. ubi P. 627. exponens verba iſta: *Nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum*, ait: *Non quòd eum ita ſimus cogniturí ſicut ipſe nos: ſed quòd ſicut ipſe nunc ad nos accurrit, ita nos etiam tunc ipſum apprehendemus, & ſciemus multa ex iis quæ nunc ſunt arcana, & beatiſſima illa fruemur conſuetudine & ſapientia.* Legat denique Orationem ejus de S.Philogonio. *Hic quidem*, inquit, *nemo* (Deum) *vidit, illic autem qui adſunt perpetuò vident, quatenus illum videre licet; non ſolùm præſentem, verùm etiam ſuæ gloriæ ſplendore condecorantem univerſum cœtum.*

Ed.no. T.1. p. 494. C. D.

Objicies 3. Theodoretum Dialog.1. qui dicitur *Immutabilis*, ubi oppugnans Eraniſten Eutychianum, concedentem humanam in Chriſto naturam à divina poſt unionem totam abſorptam fuiſſe, probat verum eſſe in Chriſto corpus poſt unionem, quia viſus eſt ab hominibus cum quibus eſt in terris converſatus: Deus autem ſecundùm ſuam ſubſtantiam videri non poteſt. Objicienti vero Eutychiano, Deum in Veteri Teſtamento ſæpiùs viſum fuiſſe, & etiamnum ab Angelis videri, de quibus dicitur, *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei*, cùm tamen Deus corpus non habeat; reponit Theodoretus ſeu orthodoxus: nec à Prophetis, nec ab Angelis ipſis divinam ſubſtantiam videri, ſed ſpeciem quamdam eorum captui accommodatam. *Nos*, To.4.p. 15. B. inquit, *& piis cogitationibus utentes, & divinis aſſeverationibus credentes quæ diſertè affirmant, quòd Deum nemo vidit unquam, dicimus ipſos non divinam naturam vidiſſe, ſed viſiones quaſdam ipſorum captui accommodatas. Sic ergo de Angelis intelligamus, audientes quòd ſemper vident faciem Patris veſtri. Non enim vident divinam ſubſtantiam, quæ nec circumſcribi, nec comprehendi, nec mente percipi poteſt, & quæ univerſa comprehendit, ſed ſpeciem quamdam ipſorum naturæ accommodatam.... Poſt Incarnationem verò, viſus eſt etiam Angelis, ſecundùm divinum Apoſtolum, non in ſimilitudine gloriæ, ſed vero ac vivo utens, quaſi velamine, carnis integumento. Manifeſtatus eſt enim*, inquit, *Deus in carne.*

Duo ex iſtis Theodoreti verbis inferuntur. Primum, Angelos Deum videre quomodo à Prophetis viſus fuit: ſed à Prophetis ne intuitivè quidem viſus eſt: (quantò minùs comprehenſivè?) ergo nec ab Angelis intuitivè videtur.

Adde, quòd ſi unam dumtaxat viſionem comprehenſivam, non verò intuitivam vellet hìc Theodoretus excludere, nihil omnino roboris haberet quod adversùs Eutychianum urget argumentum; nempe Chriſtum verum corpus habere, eò quòd viſus ſit in terris. Statim enim repoſuiſſet Etychianus, Deum ipſum, licèt comprehendi non poſſit, tamen ab Angelis videri, qui tamen corpus non habet; ergo pariter Chriſtum viſum eſſe in ter-

in terris, tametsi humanitas ipsius tota fuerit à divinitate absorpta.

Alterum quod inferri potest, istud est: Deum ab Angelis post Incarnationem dumtaxat visum fuisse, non verò ante. Sed post Incarnationem visus non fuit ab Angelis visione perfecta & comprehensiva; ergo alio modo visus est ab illis; ergo ante Incarnationem Angeli Deum non viderunt intuitivè; post Incarnationem verò, viderunt illum certo quodam modo; nempe carne indutum & circumvestitum; ex quo inferri non debet Angelos Deum quoad substantiam clarè & intuitivè vidisse etiam post Incarnationem.

Resp. 1. Theodoretum, Dialogo citato, excludere dumtaxat visionem Dei per oculos corporis & ex solis naturæ viribus. Scilicet mens ipsius ac consilium erat, demonstrare, adversùs Eutychianum, Christum post unionem verum habere corpus: quod probat, tùm quia visus est inter homines agens; tum quia visus est ab Angelis in carne, ipso pronuntiante Apostolo; & quidem alia ratione visus est ab illis post Incarnationem, quàm ante Incarnationem. Porrò, infert Theodoretus, visus non est Deus inter homines conversans ratione divinæ suæ substantiæ, hæc quippè videri planè non potest, eo scilicèt modo quo videntur homines cum quibus conversamur, oculis nempe corporis, & per solas naturæ vires: ab Angelis pariter alia ratione visus fuit post Incarnationem, ac ante Incarnationem. Ante Incarnationem, visus non fuit in carne quam rotundam assumpserat; ergo post Incarnationem, visus est ab illis in carne; ergo, concludit Theodoretus, (quod unum habebat demonstrandum) Christus verum habet corpus; ergo, humanitas ipsius tota non fuit absorpta per divinitatem, si quidem visa fuit, oculis nempe corporis, sicut videri solent homines inter quos vivimus; divina etenim substantia hoc modo videri non potest. Quo ratiocinio, ut clarum est, excludit dumtaxat Theodoretus visionem substantiæ Dei per oculos corporis, non autem visionem simpliciter intuitivam per mentem & gratiæ auxilium.

Nec quidquam roboris inde deperit argumento Theodoreti, sicut fert objectio; quia non oculo corporis, cujus expertes sunt Angeli, sed mente tantùm Angeli divinam intuentur substantiam. Argumentum autem Theodoreti totum est, ut per se patet, de visione quæ fit per oculos corporis; unde rectè infert, esse in Christo post unionem verum corpus, quandoquidem oculis corporis, sicut alii mortales, visus fuit in terris.

Resp. 2. Theodoretum, Magistri sui Chrysostomi vestigia prementem, excludere visionem dumtaxat perfectam, adæquatam & comprehensivam. Scilicèt in priori parte Dialogi oppugnat Eutychianos argumento mox expositò: in altera verò parte, Anomæos, tunc temporis per Syriam grassantes, quos iisdem ferè verbis ac momentis premit & insequitur, quibus S. Chrysostomus.

Ad primum igitur: Negamus Angelos, in mente Theodoreti, non alia ratione videre Deum, quàm visus sit à Prophetis. Ab istis enim visione dumtaxat enigmatica & per species quasdam, sive externas, sive internas & imaginationi impressas, visus est; & quidem clariùs, quàm cæteris mortalibus concessum fuerit, non tamen visione clara & intuitiva: è contra Angeli Deum intuentur clarè ac perspicuè qualis est in se, tametsi eum non comprehendant.

Ad secundam: Deus ab Angelis alia ratione visus fuit post & ante Incarnationem. Nempe post Incarnationem, visus est in carne: ante Incarnatio-

nem verò, non visus est in carne, qua nondum indutus erat, sed visus est in propria substantia & qualis est in se; non quidem perfectè, adæquatè & comprehensivè: *Quia*, inquit Theodoretus, *divina substantia nec circumscribi, nec comprehendi potest; sed per speciem ipsorum naturæ accommodatam*: id est visione quidem clara & intuitiva, sed finita, proportionata capacitati finitæ intellectus creati.

To.4.p. 15. C.

Quòd verò agnoverit Theodoretus possibilem esse Dei visionem intuitivam, constat ex Commentario ipsius in Epistolam ad Ephesios, ubi ait: *Nunc bonorum, quæ sperantur, magnitudo est quidem omnino ignota fidelibus, fideles autem vident tanquam in speculo & in ænigmate. Per fidem enim ambulant, non per speciem: tunc autem videbunt facie ad faciem.* Et in vita S. Jacobi Anachoretæ: *Collectis*, inquit, *undique multis Prophetis, multisque Apostolis & Martyribus quamplurimis omnes, una in arca reposuit, cum Sanctorum populo habitare cupiens, & cum eis resurgere, divinoque conspectu potiri.*

To.3.p. 299. D.

Ibid. p. 866. C.

Non est quòd hic plura congeramus SS. Patrum testimonia, quibus visionis Dei intuitivæ possibilitatem negare prima fronte videntur; quæ consulere quisque facilè poterit apud Petavium, Theologicorum Dogmatum Tom. 1. Lib. 7. c. 6. Nullam enim specialem præ se ferunt difficultatem, quæ facilè non diluatur ex his quę mox dicta sunt circa mentem S. Chrysostomi & Theodoreti: quos inter alios hic præsertim nobis objecimus, quia plùs momenti habere videntur ad communem Ecclesiæ doctrinam circa visionem Dei intuitivam oppugnandam. Quapropter his in tuto positis, & ab errore vindicatis, nullo negotio cæteri omnes, qui cum ipsis eodem modo loquuntur, eodem etiam sensu intelligi & exponi debent.

Objicies 4. Potentia finita tendere non potest in objectum infinitum: atqui Deus est infinitus, intellectus autem creatus est potentia seu facultas finita.

Resp. 1. Nego majorem. Aliàs sequeretur, quòd nequidem circa Deum abstractivè videndum versari posset mens creata: quia Deus est infinitus, mens verò creata est finita.

Resp. 2. Distinguo majorem. Potentia finita tendere non potest in objectum infinitum, modo infinito & comprehensivo videndum, concedo: modo finito & simpliciter intuitivo, subdistinguo: per solas naturæ vires, concedo: per auxilium quoddam supernaturale, nego.

Instabis 1. Nulla est proportio inter objectum infinitum & potentiam finitam.

Resp. Distinguo antecedens. Nulla est proportio entitati saltem proximæ & completæ, concedo: nulla est proportio habitudinis, seu facultatis ad suum objectum, nego. Nulla quidem est proportio entitatis proximæ & completæ inter objectum infinitum videndum & facultatem intellectivam, quia compleri ac perfici illa debet per auxilium quoddam supernaturale: at quædam est proportio entitatis, saltem inchoatæ & remotæ, in eo posita, quòd intellectus sit facultas spiritalis cognoscitiva, sicut Deus est objectum spirituale cognoscibile. Atque hinc proportio habitudinis inter intellectum creatum & Deum clarè videndum: quæ proportio habitudinis, nihil est aliud quàm ordo seu tendentia facultatis ad suum objectum.

Instabis 2. Proportio entitatis inchoatæ & remotæ non sufficit ad fundandam pro-

proportionem habitudinis: alioqui admittenda foret proportio illa habitudinis inter oculum corporeum & objectum ſpiritale; quia inter utrumque eſt proportio entitatis ſaltem remota, ratione ſcilicet entis & ſubſtantiæ: atqui iſtud abſurdum eſt; ergo &c.

Reſp. Diſtinguo antecedens. Proportio inchoata & remota, quantum ad genus remotiſſimum quod in ratione entis vel ſubſtantiæ conſiſtit, non ſufficit ad fundandam proportionem habitudinis; concedo: proportio remota, quantùm ad genus proximum ſubſtantiæ ſcilicèt ſpiritualis, nego. Porrò, inter oculum corporeum & objectum ſpiritale, eſt dumtaxat proportio remota quantùm ad genus remotiſſimum, nempe ratione entis & ſubſtantiæ; adeoque hæc non ſufficit ut fundare poſſit proportionem habitudinis. Non ita eſt de intellectu creato & Deo intuitivè videndo: eſt enim inter utrumque proportio quædam in hoc poſita, quòd mens creata ſit ſubſtantia ſpiritualis intellectiva, quemadmodum Deus eſt pariter ſubſtantia ſpiritualis & intellectiva & intelligibilis.

Inſtabis 3. Objectum infinitum attingi non poteſt niſi modo infinito; ſicut objectum ſupernaturale niſi modo ſupernaturali.

Reſp. Nego antecedens. Ad probationem diſparitas eſt, quòd objectum ſupernaturale attingatur præcisè ut ſupernaturale eſt; adeoque medio ſupernaturali: objectum verò infinitum non attingitur præcisè ut infinitum, & conſequenter modo finito poteſt attingi.

Inſtabis 4. Intellectus elevari non poteſt ad omne intelligibile cognoſcendum; quemadmodum nec ſenſus ad omne ſenſibile percipiendum.

Reſ. Nego paritatem. Diſparitas eſt, quia ſenſus eſt facultas ſingularis determinata per organum; adeoque extra ſingulare ac determinatum objectum excurrere non poteſt: intellectus verò eſt facultas univerſalis organo non alligata; adeoque ad omne intelligibile ex ſe expedita. Indiget tamen ſuperiori gratiæ auxilio, ſi objectum ſit ſupernaturale: hoc eſt, ſi naturales ipſius vires excedat ac ſuperet.

Inſtabis 5. Non magis facultas finita poteſt attingere objectum infinitum, quàm locus finitus continere poſſit corpus infinitum.

Reſp. Nego paritatem. Diſparitas eſt, quòd locus commenſuratur corpori quod continet; quia corpus eſt in loco per applicationem partis ad partem loci; ſed locus finitus non poteſt commenſurari, ſeu non poteſt adæquare corpus infinitum: facultas autem non commenſuratur cum objecto ſuo; ſeu ipſi non adæquatur. Oculus v. g. qui montem videt, monti non adæquatur.

Inſtabis denique. Facultas comprehenſiva creata non poteſt comprehendere objectum increatum; ergo nec facultas intellectiva creata poteſt attingere objectum increatum.

Neſp. Nego conſ. & paritatem. Diſparitas eſt, quia cognitio nunquam poteſt cognoſcendo complecti omnes objecti infiniti perfectiones, benè autem poteſt illas apprehendere; & conſequenter eas clarè & intuitivè videre.

Objicies 5 contra ſecundam Concluſionem. Naturali ratione demonſtrari poteſt, Deum contineri intra objectum ſpecificativum intellectus: quia demonſtrari poteſt, Deum eſſe ſummum verum intelligibile, & intellectum eſſe facultatem intellectivam; ergo naturaliter poteſt demonſtrari poſſibilem eſſe intuitivam Dei viſionem.

Reſp.

Resp. Distinguo antecedens. Naturali ratione demonstrari potest, Deum, abstractivè & per effectus videndum, contineri intra objectum intellectus, concedo: Deum clarè & intuitivè videndum, nego. Quia sub ea ratione excedit naturales intellectus creati vires.

Ad probationem dico: demonstrari quidem posse, Deum esse summum verum intelligibile per effectus creatos & abstractivè, non verò in se ac intuitivè.

Instabis 1. Naturaliter demonstratur intellectum posse cognoscere omne ens: sed Deus intuitivè videndus sub ente continetur.

Resp. Distinguo antecedens. Omne ens naturale & sibi proportionatum, concedo: supernaturale & non proportionatum, nego. Porrò Deus intuitivè videndus, est objectum supernaturale capacitati intellectus creati non proportionatum.

Instabis 2. Naturaliter cognoscimus, nullam esse in intellectu creato repugnantiam ut elevetur ad claram Dei visionem.

Resp. Nego antecedens. Etsi enim re ipsa nulla sit talis repugnantia, sola tamen narura duce id non cognoscimus, sed ex revelatione: atque stando in sola natura, refelli vix posset qui præfractè contenderet Deum ab intellectu creato clarè & intuitivè videri non posse.

Instabis 3. Saltem Angelus qui naturam humanam perfectè cognoscit & comprehendit, novit intellectum ex potentia obedientiali posse à Deo assumi ad claram sui visionem; ergo saltem Angelus naturali sua perspicacia cognoscere potest possibilem esse intuitivam Dei visionem.

Resp. Nego antecedens. Etsi enim Angelus cognoscat creaturam Deo perfectè subditam esse, & ad multos effectus producendos assumi posse, non tamen cognoscit illos omnes effectus, maximè illos qui sunt supra vires naturæ, quorum nullam notionem seu ideam præconceptam habet.

Instabis 4. Naturaliter cognoscimus hominem finem suum ultimum assequi posse; sed Deus intuitivè videndus ultimus est hominis finis.

Resp. Distinguo antecedens. Finem suum ultimum naturalem, & viribus naturæ proportionatum, concedo: finem suum ultimum supernaturalem, nego. Distinguo minorem. Deus intuitivè videndus ultimus est hominis finis supernaturalis, concedo: naturalis, nego. Itaque, ut duplex in Deo distingui potest principii ratio, scilicèt naturæ & gratiæ; ita & duplex ratio finis, naturalis scilicèt & supernaturalis: finis ultimus naturalis hominis est Dei perfecta cognitio abstractiva, per effectus scilicèt creatos; finis verò supernaturalis est intuitiva & clara Dei cognitio facie ad faciem, & ut est in se. Ad finem istum homo destinatus est ex beneplacito Dei & singulari ejus gratia, ad quem nec tendimus nec anhelamus, nisi ex præsuppositа revelatione: de isto autem fine seu de ista supernaturali beatitudine quæstio hic est, non de naturali.

Instabis 5. Homo naturaliter desiderat videre causam, visis effectibus: atque inde S. Thomas probat visionis beatificæ possibilitatem; ergo ex illo innato desiderio, probari potest possibilem esse visionem Dei intuitivam.

Resp. Distinguo antecedens. Naturaliter homo desiderat videre causam, visis effectibus; visione his effectibus proportionata, hoc est, visione abstractiva quidem, sed longè perfectiori & clariori ea quæ in vita obtinetur, concedo:

cedo: visione intuitiva & facie ad faciem, nego. Talis enim visionis nullam homo ex natura ideam & notionem habet, sed ex sola fide ac gratia. Hanc verò ex fide cognitionem supponit S. Thomas, quando possibilem esse visionem Dei intuitivam probat ex desiderio quod inest homini cognoscendi causam, visis effectibus.

Instabis 7. Homo naturali instinctu appetit beatitudinem: sed sola intuitiva Dei visio est hominis beatitudo; hæc enim sola hominis desiderium implere ac satiare potest.

Resp. Distinguo major. Homo naturali instinctu appetit beatitudinem, in communi, concedo: in particulari, & eam potissimùm quæ supernaturalis est, nego. Distinguo minorem. Sola Dei visio intuitiva est hominis beatitudo supernaturalis, quam ex fide ac revelatione dumtaxat homo cognoscit, concedo: naturalis, nego. Communi igitur naturæ pondere ac instinctu omnes ad beatitudinem generatim inclinamur; nemo enim est qui velit non esse beatus: at non omnes ad eandem specie beatitudinem appetendam ferri, constat manifestè ex eo quòd in variis omnino ac diversis rebus suam unusquisque beatitudinem collocet. Ita S. Aug. Lib. 13. de Trinitate cap. 4. *Mirum est autem*, inquit, *cùm capescendæ atque retinendæ beatitudinis voluntas una sit omnium, unde tanta existat de ipsa beatitudine rursus varietas atque diversitas voluntatum: non quòd aliquis eam nolit, sed quòd non omnes eam norint. Si enim omnes eam nossent, non ab aliis putaretur esse in virtute animi, aliis in corporis voluptate, aliis in utraque, & aliis atque aliis alibi atque alibi. Ut enim eos quæque res maximè delectavit, ita & in ea constituerunt vitam beatam.* To. 8. pa. 631. C.

Instabis 7. Non datur appetitus seu desiderium beatitudinis in communi, sed in particulari dumtaxat: appetitus enim in hoc differt ab intellectu, quòd iste versatur circa universale, appetitus verò circa singulare; ergo si homo naturaliter appetit beatitudinem, eo ipso naturaliter appetit intuitivam Dei visionem.

Resp. Nego antecedens. Ad probationem dico, appetitum versari circa beatitudinem in communi appetendo, & in particulari assequendo: quia verò ignorat quodnam sit verum felicitatis suæ objectum, idcirco primùm in communi beatitudinem appetit, tùm ex prævia ac peculiari objecti cognitione, ad illud proprio motu fertur. Cùm autem homo naturaliter non cognoscat Deum clarè & intuitivè videri posse, consequenter sola duce natura non potest claram Dei visionem desiderare.

Instabis denique. Ad appetitum naturalem rei alicujus satis est quòd sciamus rem illam non repugnare. Deinde, naturaliter possumus id desiderare, quod tamen est impossibile: sic anima separata naturaliter desiderat uniri cum corpore; quæ tamen unio solis naturæ viribus est impossibilis.

Resp. 1. Nego majorem. An aliquis v. gr. unionem hypostaticam cum Verbo desiderabit, quòd noverit eam non repugnare?

2. Nego minorem. Naturaliter quippe non cognoscimus an possibilis sit, vel impossibilis intuitiva Dei visio, cujus ne ideam quidem naturaliter habemus. Ad secundum dico, nos quidem posse appetitu naturali inefficaci ferri ad impossibile, non autem appetitu efficaci & absoluto. Deinde, unio animæ cum corpore absolutè & in se supernaturalis non est, sed talis est dumtaxat per accidens, ratione modi & per ordinem ad divinum decretum.

Hæc

Hæc quippe ſecunda unio ſi fieret, ejuſdem foret ordinis cum prima unione: prima autem unio animæ cum corpore, naturalis fuit, ad exigentiam ſcilicèt cauſarum naturalium facta. Perinde eſt ac ſi quis ſanitatem deperditam recuperare deſideret, quam tamen impoſſibile ſit recuperare, defectu remediorum quæ ipſi planè ignota ſunt: eo in caſu, impoſſibilis eſt ſanitatis reſtitutio, non quidem per ſe & ex natura ſua, ſed per accidens.

QUÆSTIO DUODECIMA.

De Exiſtentia viſionis Dei intuitivæ.

TRia circa præſentem Quæſtionem tribus Articulis diſcutienda nobis proponimus.

Primum: Utrum animæ Sanctorum quibus nihil luendum ſupereſt, ſtatim ac corpore ſolutæ ſunt, ante ultimum ac generale Judicium intuitiva Dei viſione donentur.

Secundum; Utrum animæ Sanctorum quibus aliquid ſupereſt expiandum, in Purgatorio ad tempus detineantur, atque Fidelium precibus ac ſuffragiis juventur ac ſubleventur.

Tertium: Utrum in hac mortali vita, aliquibus intuitiva Dei viſio conceſſa fuerit.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum animæ Sanctorum quibus nihil luendum ſupereſt, ſtatim ac corpore ſolutæ ſunt, ante ultimum ac generale Judicium intuitiva Dei viſione donentur.

ERRORES.

VEl ipſo primo Eccleſiæ ſæculo; *Cerinthiani*, à Cerintho ſic dicti, *mille annos poſt reſurrectionem in terreno regno Chriſti, ſecundum carnales ventris & libidinis voluptates, futuros* (homines) *fabulantur: unde Chiliaſtæ* (hoc eſt) Millenarii *ſunt appellati*: verba ſunt S. Aug. Lib. de Hæreſibus nu. 8. Et ante ipſum, Dionyſius Alexandrinus in ſecundo de promiſſionibus Lib. apud Euſeb. L. 3. Hiſt. Eccleſ. c. 28. ſic loquitur. *Hæc fuit illius* (Cerinthi) *opinio, regnum Chriſti terrenum futurum. Et quarum rerum cupiditate ipſe flagrabat, utpote voluptatibus corporis obnoxius carnique addictus, in iis regnum Dei ſitum fore ſomniavit, in ventris & earum quæ infra ventrem ſunt partium explenda libidine: hoc eſt in cibo & potu, ac nuptiis, atque ut honeſtiori vocabulo ejuſmodi voluptates velaret; in Feſtis, & Sacrificiis, & Hoſtiarum mactationibus.*

To. 8. p. 7. D.

Ed. Valeſ. pag. 100. B. C.

Cerintho ex parte adhæſerunt ſecundo Eccleſiæ ſæculo Marcionitæ, teſte ipſomet Tertulliano Lib. 3. adverſùs illos. Et quarto ſæculo Apollinariſtæ. Ita colligitur ex Epiſtola 293. S. Baſilii, & Orat. 51. S. Gregorii Nazianzeni.

Tria igitur erant veluti capita erroris Cerinthi. Primum, Chriſtum per mille annos poſt generalem carnis reſurrectionem regnaturum in terris. Secundum, eo in regno omnibus impuris corporis voluptatibus homines obnoxios fore. Denique, Legis Moſaicæ Ceremoniis ac præceptis rurſus illos fore aſtringendos.

Fuit

Fuit aliud Millenariorum genus non ita crassum, turpe ac impurum, auctore ac duce Papia Hierapolitano in Asia Episcopo, qui Polycarpi sodalis fuit, ac Joannis auditor, non quidem Evangelistæ, sed alterius ejusdem nominis Presbyteri, ut observat Euseb. Lib. 3. c. 39. Ille falsis quibusdam Christi parabolis ac sermonibus delusus, terrenum illud Christi per mille annos post generalem resurrectionem regnum confinxit, in quo voluptatibus corporeis, non quidem illicitis & impuris, ut volebat Cerinthus, sed licitis & inculpatis, locus futurus esset. *Vir erat*, ait Eusebius loco mox citato, *mediocri, admodum ingenio præditus*, qui ex male intellectis Apostolorum narrationibus, fabulam illam commentus est. Illius nihilominus fama ac pietate plures commoti, in eundem errorem perducti sunt: *Hominis vetustate sententiam suam tuentibus*, ait ibidem Eusebius.

Inter sectatores Papiæ, nonnulli à terreno illo Christi regno corporeas voluptates etiam licitas exclusas voluerunt, solasque animi spirituales delicias in eo agnoverunt, ut Tertullianus, & S. Aug. qui Lib. 22. de Civitate Dei cap. 7. candidè fatetur, se aliquando in ea Millenariorum opinione versatum fuisse.

Eundem cum Millenariis, circa dilatam Dei visionem, errorem propugnavit Vigilantius, de quo S. Hieronymus in Libro contra ipsum dicebat: *Ais, vel in sinu Abrahæ, vel in loco refrigerii, vel subter aram Dei, animas Apostolorum & Martyrum confedisse, nec posse de suis tumulis, & ubi voluerint, adesse præsentes . . . sed in libera honestaque custodia in fortunatorum insulis, & in campis Elysiis recludantur.* Eandem sententiam Guido in Summa de Hæreticis Armenis tribuit: in qua etiam versatos esse Græcos, patet ex Conc. Florent. sess. 1. *Ed. no. To. 4. p. 2. pag. 283.*

In eundem errorem abiere Lutherus & Calvinus: ille in prælectione in Genesim: iste verò L. 3. Instit. c. 25. n. 6. ubi ait, *stultum ac temerarium esse inquirere, quo in loco sint animæ justorum, & an gloria fruantur necne. Interea*, pergit ille, *cùm Scriptura ubique jubeat pendere ab expectatione adventus Christi, & gloriæ coronam eò usque differat, contenti simus his finibus divinitùs nobis præscriptis: animas piorum militiæ labore perfunctas in beatam quietem confedere, ubi cum felici lætitia fruitionem promissæ gloriæ expectant.* Hæc Calvinus. *Ubi notanda mira hominis stultitia*, ait hic appositè Bellarminus, *qui dicit, stultum & temerarium esse quærere, utrum animæ justorum gloria fruantur necne: & ipse tamen audacter definit, eas nondum frui gloria, & eam expectare.* *Pa. 365.* *L. 1. de Beatitudine Sanctorum c. 1.*

Dissimulandum hic non est, primis Ecclesiæ sæculis non paucos ex catholicis Scriptoribus, Justinum, Irenæum, Tertullianum, Nepotem, Præsulem Ægyptium, Theophilum Antiochenum, Novatianum, Lactantium, Severum Sulpitium &c. videri in ea mente ac sententia fuisse, Sanctos non nisi post generalem corporum resurrectionem, in apertum Dei conspectum esse admittendos. In quam sententiam 14. Ecclesiæ sæculo, plus æquo adhuc propensus fuisse videtur S. P. Joannes XXII.

Unde tamen non inferas vel illos omnes hæreticos fuisse, vel tunc temporis dogma catholicum planè obliteratum fuisse, & intercisam Apostolicam Traditionem circa visionem Dei, Sanctis statim à morte concedendam.

Namque 1. Cùm hæc quæstio nondum esset eliquata & ultimo Ecclesiæ Judicio definita, hæreseos incusari non debent, quicunque sine pertinacia eam impugnabant. Hæresis quippe nascitur ex pertinacia qua error ab Ecclesia proscri-

To. 2. p. 88. F. proscriptus defenditur: Egregiè S. Aug. Epistola 43. aliàs 162. c. 1. nu. 1. ait. *Qui sententiam suam, quamvis falsam atque perversam, nulla pertinaci animositate defendunt.... quærunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi; parati, cum invenerint; nequaquam sunt inter hæreticos deputandi.* Ab hæresi ergo meritò purgandi veteres illi Scriptores; non ita verò Lutherus & Calvinus, qui post Ecclesiæ Judicium, in eodem errore animo pertinaci perstiterunt.

2. Dogma catholicum non ex aliquorum dumtaxat, sed ex multitudinis sententia debet æstimari: at longè multò plures extitere, primis etiam temporibus, qui affirmarent Sanctos statim à morte clara & intuitiva Dei visione donari, quàm qui negarent; sicut ex probationibus mox subjiciendis patebit. Non igitur obliteratum planè fuit his primis temporibus dogma catholicum, nec intercisum Apostolicæ Traditionis filum. Quomodo enim religari potuisset, & ad subsequentes ætates fidei veritatem deferre, nisi nova aliqua supponeretur facta revelatio; at nulla certè, ex quo decesserunt Apostoli, Ecclesiæ nova facta est hujusmodi revelatio.

Deinde verò, in sententia negante veri ac germani non deprehenduntur catholici dogmatis caracteres: imò potius omnes insunt falsitatis & erroris notæ.

Namque 1. Dogmatis catholici initium consignari non potest, cùm sit ipsi Christo & Apostolis coævum: è contra, Novitas errori semper est conjuncta. Porrò Cerinthus & Papias, omnium primi fabulam Millenariorum excogitarunt.

Euseb. L. 3. Hist. cap. 18. & Lib. 7. c. 24. 2. Statim ac error ille caput extulit, à Dionysio Alexandrino Episcopo, à Cajo Presbytero, & ab aliis impugnatum fuit. Contradixere insigniores Ecclesiæ: Alexandrina, sub Dionysio; Antiochena, sub Ignatio; Smyrnensis, sub Polycarpo.

3. Dogma catholicorum vero ac sincero Dei verbo innititur: è contra Millenariorum opinio, *novis quibusdam Servatoris parabolis, ac prædicationibus, aliisque* quæ fabulam redolent: teste Eusebio L. 3. Hist. c. 39.

4. Dogma catholicorum simplex est, uniforme ac constans: non ita opinio Millenariorum, qui varias in partes scinduntur. Alii enim, ut Cerinthus, illicitas corporis voluptates in terrenum illud mille annorum regnum inducebant: alii, ut Papias, Irenæus &c. voluptates dumtaxat licitas & inculpatas: alii autem, ut Tertullianus, animi spirituales solummodò delicias: alii, terrenum illud regnum ante generalem corporum resurrectionem futurum arbitrabantur, ut S. Justinus Dial. cum Tryphone: alii verò, cum Papia, post resurrectionem. Alii cum Tertulliano, Martyres à communi aliorum Sanctorum lege excipiebant, eosque statim gloria donari arbitrabantur: alii non excipiebant. Alii cum Justino, Irenæo &c. justos cum impiis in eodem receptaculo detineri existimabant: alii verò cum Tertulliano, justos à sceleratis & impiis secernebant. Ita solet error varius esse, inconstans ac malè secum cohærens. Quis porrò foret locus ille, & ubi positus, in quo scilicet morabantur Sanctorum animæ, donec evolutis mille annis, in cœlum conspectu Dei fruituræ introducerentur; non satis apud Veteres illos compertum erat: communi vocabulo sinum Abrahæ vocabant, aut locum refrigerii acquietis.

Observa, duplicem distingui Sanctorum beatitudinem: unam perfectam & adæquatam, quæ animæ simul & corporis felicitatem complectitur: tali beatitudine

titudine non donabuntur Sancti, nisi resumptis post generalem resurrectionem suis corporibus.

Observa rursus, beatitudinem Sanctorum saltem extensivè augendam fore post resurrectionem, ex unione scilicèt animæ cum suo corpore: an verò etiam intensivè & quantùm ad gradum inde perficienda sit, levis momenti videtur quæstio, ac ferè de nomine. His præmissis sit

CONCLUSIO.

Animæ Sanctorum quibus nihil luendum supereſt, statim ac corpore solutæ sunt, & ante ultimum ac generale Judicium, fruuntur intuitiva Dei visione.

Probatur primò ex Scripturis.

TRiplex ex Scripturis invictum argumentum colligimus.

Primum, ex iis locis quibus declaratur post resurrectionem nullam amplius futuram esse corpoream voluptatem, qualem Cerinthus & Papias excogitarunt.

Secundum, ex iis quæ certam nobis fidem ac spem faciunt, futurum ut statim à morte, clara & intuitiva Dei visio nos maneat, si digni fuerimus.

Tertium denique, ex iis quæ testantur, ante ultimum ac generale Judicium, futurum aliquod particulare; atque unumquemque pro conditione operum, statim ac sine mora præmium vel supplicium reportaturum.

Primum Argumentum.

Matth. 22. v. 30. *In resurrectione neque nubent, neque nubentur: sed erunt sicut Angeli Dei.*

Et c. 25. v. 34. post enarratam Antichristi persecutionem, statim ultimum Judicium describitur, ac Christus ait: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi . . .* v. 41. *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Et v. 46. *Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* Justi ergo statim ac sine mora ad vitam æternam vocabuntur: nullum igitur spatium temporis illis relinquitur, quod in voluptatibus sensuum, connubiis, ac festis celebrandis transigere possint: *Non est enim regnum Dei esca & potus*, ait Apostolus Rom. 14. v. 17. Ruit ergo funditus Judaicum planè figmentum à Cerintho & Papia excogitatum.

Secundum Argumentum.

1. Ex c. 13. 1. ad Corinth. v. 12. *Videmus nunc per speculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Quo in loco, Apostolus opponit statum vitæ præsentis, in qua *videmus per speculum & in ænigmate*, statui vitæ futuræ, ubi videbimus Deum *facie ad faciem*. Quæ enim apud Apostolum antecedunt, & quæ sequuntur verba, hanc visionis Dei claritatem apertè significant, v. 10. dixerat: *Cùm venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.* Hoc est, tolletur omnis imperfectio, ac consequenter obscuritas visionis, v. autem 13. addit:

addit: *Nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum*; id est, clara & perfecta cognitione cognoscam. Porrò Apostolum loqui non tantùm de tempore quod erit post universale Judicium, sed de illo, quod à justis & omnino purgatis spiritibus post mortem corporis agitur, patet manifestè, quia loquitur de tempore, quo *Prophetiæ evacuabuntur, linguæ cessabunt, scientia destruetur.* Ibid. v. 8. At illa cessabunt respectu uniuscujusque, non tantùm post ultimum Judicium, sed statim à morte uniuscujusque.

2. Ex c. 5. 2. ad Corinth. v. 1. *Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis.* Ubi per domum æternam ac cœlestem, intelligit haud dubiè Apostolus, æternam beatitudinem; vultque, quòd simul atque terrestris & caduca hæc domus dissoluta fuerit, non sit nobis defutura alia domus longè præstantior, nempe cœlestis & æterna. Deesset autem, & quidem diu, si ea carendum esset usque ad diem extremi Judicii.

Quæ addit ibid. Apostolus v. 4. & seq. planè decretoria videntur: *Qui sumus*, inquit, *in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati: eò quòd nolumus expoliari, sed supervestiri . . . scientes quoniam dum sumus in corpore peregrinamur à Domino: (per fidem enim ambulamus, & non per speciem) audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum.* Observa ex Apostolo, idcirco nos habere *voluntatem peregrinandi à corpore, ut præsentes simus ad Dominum, & ut jam non per fidem ambulemus, sed per speciem.* Quasi dicat Apostolus: quamdiu sumus in hoc corpore, peregrini sumus à Domino, quia in hac vita per fidem ambulamus, non per speciem seu claram visionem: ut ergo præsentes simus ad Dominum, nec amplius per fidem ambulemus sed per speciem, optandum nobis est, ut à corpore peregrinemur. Quod sanè optandum non esset, si non nisi post resurrectionem ad speciem seu clarum Dei intuitum perveniremus; quia non in peregrinatione à corpore, sed demum in ipsa resumptione corporis consequemur bonum illud quod speramus. Per speciem autem intelligi claram Dei visionem, patet, quia Apostolus speciem opponit fidei, id est obscuræ cognitioni: sicut 1. Corinth. 13. opposuerat hæc duo, *videre per speciem in ænigmate, & videre facie ad faciem.*

Atque ex illa certissima spe & fiducia, Deo fruendi statim atque mortalitatem exuimus, nascitur ardens illud Sanctorum desiderium exeundi ex hac vita. *Desiderium habens dissolvi & esse cum Christo*, ait Apostolus Philip. 1. v. 23. Et 1. Joan. 3. v. 2. *Charissimi, nunc filii Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quia cùm apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est.* v. 3. *Et omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut & ille sanctus est.*

Tertium Argumentum.

Tertium istud argumentum ex iis petitur Scripturæ locis, quæ declarant, ante ultimum generale Judicium, statim à morte aliquod esse particulare, in quo uniuscujusque sors pro conditione operum rata est ac definita; atque gloriam, si nihil luendum supersit, vel pœnam statim & absque mora singulis distribui.

Ecclesiasticì 11. v. 28. generatim pronunciat Sapiens. *Facile est coram Deo in die abitus retribuere unicuique secundùm vias suas.* Et v. 29. *In fine hominis denun-*

denudatio operum illius. Psal.126. v.3. *Cùm dederit dilectis suis somnum: ecce hæreditas Domini*. Id est, statim à somno mortis, dilecti Dei accipiunt hæreditatem patriæ cœlestis. Hebr.9. v.27. *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem Judicium*.

Et verò, duplex in Scripturis extat illustre exemplum tùm prædestinati, tùm reprobi, qui statim à morte mercedem suam receperunt.

Lucæ 23. v.42. cùm latro è Cruce pendens Christo dixisset: *Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum*. Christus respondet: *Amen dico tibi: hodie mecum eris in paradiso*. Hoc est, in loco quietis ac felicitatis. Nomine autem paradisi, eò loci nec terrestris Paradisus in quo Christus non fuit, nec cœlum ipsum intelligi potest, ad quod ea ipsa die Christus non ascendit. Inde S. Stephanus Act.7. v.55. quasi anticipatam felicitatem prægustans exclamabat: *Ecce video cœlos apertos, & Filium hominis stantem à dextris Dei*.

Idem S. Lucas cap.16. narrans Historiam aut parabolam divitis epulonis ait v.23. *eum mortuum esse, ac in inferno sepultum*; atque *in flammacruciari*. v.24. Porrò, cùm Deus longè pronior sit ad misericordiam quàm ad vindictam, Sanctis ac electis suis statim à morte æternæ felicitatis præmia rependit: præsertim cùm ipse Levitici 19. v.13. legem tulerit, de non asservanda in crastinum operarii mercede.

Probatur secundò, ex constanti sanctorum Patrum & Ecclesiæ utriusque Græcæ & Latinæ Traditione.

EX GRÆCIS.

PRimo sæculo S. Ignatius Episcopus & Martyr, S. Petri discipulus & in Sede Antiochena post Evodium successor, in Epistola ad Romanos Martyrium ardentissimo charitatis æstu totus spirans, dicebat: *Obsecro vos ne intempestiva benevolentia erga me sitis. Sinite me ferarum escam fieri, per quas licet Deum adipisci.... Sinite me purum lumen haurire: cùm illicfuero, homo Dei ero*. Hæc igitur erat sanctissimi Martyris certissima fides ac spes, quæ certè vana in ipso non fuit. Constat ex Actis martyrii S. Ignatii apud Cottelerium, eos qui martyrii ejus testes fuere, vidisse sanctum Martyrem coram Deo summo splendore coruscantem. *Edit. Cotell. p. 901. n.4. P. 902. n.6.*

Pariter Presbyteri ac Diaconi Ecclesiarum Achajæ, qui Acta martyrii S. Andreæ Apostoli, cui interfuerant anno Christi 59. conscripserunt; animam ejus ad Deum profectam esse affirmant.

Secundo Ecclesiæ sæculo, eandem Ecclesiæ fidem testatur S. Polycarpus Smyrnensis Episcopus, beati Joannis Apostoli discipulus. In Epistola ad Philippenses, apud Eusebium Lib.3. c.36. de S. Paulo cæteriisque Apostolis ait: *Pro certo habentes, quòd hi omnes non frustra cucurrerunt, sed in fide ac justitia ingressi, ac locum sibi à Deo debitum perveneruntt, quandoquidem & passionum ejus participes extiterant*. *Edit. Vol. p. 108. B.*

Ecclesia ipsa Smyrnensis in celebri Epistola quam de martyrio sancti Polycarpi ad Ecclesias universas scripsit apud Euseb. Lib.4. Hist. cap.15. S. Martyrem sic orantem inducit. *Benedicote* (Deus) *qui me in hunc diem perducere di-* *ib. pag. 133. D.*

gnatus es, ut partem caperem in consortio Martyrum.... Inter quos quæso suscipiar hodie in conspectu tuo, tanquam hostia pinguis & accepta, quemadmodum præparasti, adimplens ea quæ prænostrasti verax Deus..... Et paulò post, agnoscit
Ibid. p. 134. C. eadem Ecclesia Smyrnensis, Polycarpum *immortalitatis corona esse redimitum, & præmium glorioſi certaminis ſine controverſia retuliſſe.*

S. Justinus Martyr, tametsi relicta veritate quam primùm defendera t tùm in Apologia ad Antoninum Imperatorem, tùm in secunda Oratione ad Græcos, ad fabulam Millenariorum in suo cum Tryphone dialogo de fe cecerit, delusus haud dubiè falsis Judæorum traditionibus; nihilominus catholici dogmatis testis hic proferri meritò potest, eò quòd candidè fateatur multos, *quos puræ piæque sententiæ Christianos esse agnoscit*, sententiæ de millenario Christi regno adversari. *Confessus sum tibi*, ait alloquens Tryphonem, *& antea, me*
Edit. Pariſ. pagina 306. C. *quidem & alios plures eadem mecum sentientes arbitrari id* (regnum).... *futurum: multos verò etiam, qui puræ piæque sunt Christianorum sententiæ, hoc non agnoscere tibi significavi.* Idem prorsus fatetur S. Irenæus Lib. 5. adversùs hæreses c. 35. Erat ergo tunc temporis quæstio ista in opinione veluti posita, & nondum clarè definita; eosque puræ ac piæ esse sententiæ agnoscit S. Justinus qui sibi adversabantur. Constat verò ex dictis longè plures extitisse, qui in hac pia & pura sententia versarentur, quæ proinde veros ac germanos præ se ferebat dogmatis catholici caracteres. Et reipsa, sententiam hanc propugnarunt S. Dionysius Alexandrinus antea laudatus.

Edit. Cram. p. 40. D. Athenagoras in sua pro Christianis Apol. *Persuasi sumus*, inquit, *nos hac mortali vita defunctos alteram hac terrestri longè meliorem, nempè cœlestem victuros apud Deum & cum ipso.* Idem dixerat S. ipse Justinus in secunda ad Græcos Oratione. *Anima*, inquit, *soluta malis quæ cervicem eius circumfluunt, ad*
Pa. 40. E. *eum abit, qui ipsam condidit.*

S. Clemens Alexandrinus L. 5. Stromatum. *Clarum est*, inquit, *neminem unquam vitæ tempore posse Deum evidenter comprehendere. Qui autem sunt mun-*
Pagina 400. A. *do corde, Deum videbunt postquam ad extremam pervenerint perfectionem.*

Origenes Clementis discipulus Prologo in Cantica, de eadem opinione millenarii regni Christi differens, observat eam ex malè intellectis Scripturis ortam fuisse.

Eusebius Lib. 3. cap. 29. ubi Papiæ opinionem improbat ac refellit.

S. Chrysostomus Oratione de S. Philogonio, & Paræneſi ad Theodorum Lapsum, & in Psal. 41. & Homilia 34.

S. Basilius Hom. de gratiarum actione, & Hom. in 40. Martyres.

S. Gregorius Nazianzenus Oratione funebri S. Basilii.

S. Gregorius Nyssenus Orat. funebri Pulcheriæ.

S. Epiphanius hæresi 77.

EX LATINIS.

VEtustissimus scriptor Cajus, Ecclesiæ Romanæ sub Zephirino S. Pontifice Presbyter, statim in ortu suo errorem Millenariorum debellavit, ita Euseb. L. 3. Hist. c. 28. & L. 7. c. 24.

S. Cyprianus, Tractatu de exhortatione martyrii ad Fortunatum, in præ-
P. 234. fatione: *Baptisma* (sanguinis) inquit, *nos de mundo recedentes, statim Deo copulat.*

pulat. Etc.12. ejusdem Tractatus, agens de præmiis quæ tùm justos, tùm Martyres post vitæ hujus labores manent: *Quis*, inquit, *non omnibus viribus elaboret ad tantam claritatem pervenire, ut amicus Dei fiat, ut cum Christo flatim gaudeat, ut post tormenta & supplicia terrena, ad præmia divina perveniat?* Et infrà .... *Clauduntur oculi in persecutionibus terræ, sed patet cælum: minatur Antichristus, sed Christus tuetur: mors infertur, sed immortalitas sequitur; occiso mundus eripitur, sed restituto paradisus exhibetur .... Quanta est dignitas & quanta securitas, exire hinc lætum, exire inter pressuras & angustias gloriosum, claudere in momento oculos, quibus homines videbantur & mundus, & aperire eosdem statim, ut Deus videatur, & Christus? Tam feliciter migrandi, quanta velocitas? terris repente subtraheris, ut in regnis cælestibus reponaris.* P. 242. P. 343.

S. Ambrosius Lib. de bono mortis c.11. n.49. postquam dixit animas exutas corporibus, repromissam possidere hæreditatem, festinantes vultum Dei videre &c. hæc addit: *Hanc remunerationem habent* (justi) *ut videant faciem Dei, & lumen illud quod illuminat omnem hominem.* Et iterum: *Tunc revelata facie gloriam Dei speculari licebit.* Et Epistola 15. aliàs 59. n. 4. *Acolius*, inquit, *superiorum incola, possessor civitatis æternæ illius Hierusalem, quæ in cælo est, videt illic urbis ejus mensuram immensam, purum aurum, lapidem pretiosum, lumen sine sole perpetuum: & hæc omnia jamdudum quidem sibi comperta, sed nunc facie ad faciem.* Et Lib.10. in Lucam agens de lapsu S. Petri: *Unde*, inquit, *te evocem Petre; ut doceas me quid fiens cogitaveris? Unde, inquam, te evocem? De cælo, ubi jam choro insertus es Angelorum.* Denique æternam in cœlis felicitatem Gratiano, Valentiniano & Theodosio gratulatur. *Ed. no. T.1. p. 410. A. Ibid. B. To.2.p. 819. F. T.2.pa. 1513.n. 92. E.*

S. Hieronymus Lib. contra Vigilantium, *Tu*, inquit, *Apostolis vincula inicies; ut usque ad diem Judicii teneantur custodia, nec sint cum Domino suo, de quibus dictum est: Sequuntur agnum quocunque vadit?* Et in Epistola ad Marcellam de obitu Leæ. *Nunc*, inquit, *pro brevi labore æterna beatitudine fruitur; excipitur Angelorum choris; Christum sequitur & dicit: Quæcunque audivimus, ita vidimus in Civitate Dei nostri.* Orat. de obitu Valent. Orat. de obitu Theod. *Ed. no. p.2.pa. 283. Ib.p.52 To.3.p. 478.*

Idem S. Doctor, Millenariorum Dogma Judaicam opinionem ac fabulam appellat præfatione in Lib.18. in Isaiam; aitque se præsentire, quantùm in se odii concitandum sit, quòd ab ista plurimorum opinione recedat. *Nec ignoro*, ait ibidem, *quanta inter homines sententiarum diversitas sit ... de repromissionibus futurorum, quomodo debeant accipi & quatenus intelligenda sit Apocalypsis Joannis, quam si juxta litteram accipimus, Judaizandum est, si spiritualiter, ut scripta est, disserimus, multorum veterum videbimur opinionibus contraire; Latinorum, Tertulliani, Victorini, Lactantii; Græcorum, ut cæteros prætermittam, Irenæi tantùm Lugdunensis Episcopi faciam mentionem, adversus quem vir eloquentissimus Dionysius Alexandrinæ Ecclesiæ Pontifex elegantem scribit Librum, irridens mille annorum fabulam. Cui*, addit ibidem, *duobus voluminibus respondit Apollinarius, quem non solum suæ sectæ homines, sed & nostrorum in hac parte dumtaxat plurima sequitur multitudo.* Inde est quòd idem S. Doctor, ad caput 19. Jeremiæ, fateatur opinionem istam ætate sua damnatam non fuisse; quam licèt ipse non sequatur, damnare tamen non audet: *Quia*, inquit, *multi Ecclesiasticorum virorum, & Martyres ista dixerunt.* *Ibid. p. 620. To.7.p. 581.A. B.*

S. Augustinus Lib.20. de Civitate Dei cap.7. loquens de Millenariis: *Quæ opinio*, inquit, *utcunque tolerabilis esset, si aliquæ deliciæ spiritales in illo*

Sabbato affuturæ Sanctis per Domini præſentiam crederentur. Nam etiam nos hoc opinati ſumus aliquando: ſed cùm eos, qui tunc reſurrexerint, dicant immoderatiſſimis carnalibus epulis vacaturos, ... nullo modo iſta poſſunt niſi à carnalibus credi.

Verùm, opinionem hanc, quam ante Epiſcopatum aliquando tenuit S. Doctor, ſubinde re maturiùs expenſa, depoſuit.

Eodem enim Lib.20. de Civitate Dei cap.15. ſic loquitur. *Si non abſurdè credi videtur, antiquos etiam Sanctos, qui venturi Chriſti tenuerunt fidem, locis*
Ibid. p. 591.C. *quidem à tormentis impiorum remotiſſimis, ſed apud inferos fuiſſe, donec eos inde ſanguis Chriſti & ad ea loca deſcenſus erueret, profectò deinceps boni fideles effuſo illo pretio jam redempti, prorſus inferos neſciunt.*

Tract.26. & 49. in Joan. teſtatur Sanctorum ſpiritus jam habere vitam æternam. Porrò Auguſtino ſicut & Innocentio I. cùm Pelagianos impugnant, vita æterna idem eſt ac regnum cœlorum.

Lib.9. Confeſſ. cap.3. n.6. de Nebridio amico ſuo ait: *Et nunc ille vivit in ſinu Abyraham. Quidquid illud eſt quod illo ſignificatur ſinu, ibi Nebridius meus*
To.1.p. 159.B. *vivit.* Et paulò poſt, de eodem ad Deum loquens: *Jam*, inquit, *non ponit aurem ad os meum, ſed ſpiritale os ad fontem tuum, & bibit quantùm poteſt ſapientiam, pro aviditate ſuæ ſine fine felix.*

Et Lib.12. de Gen. ad Litt. cap.34. n.67. diſputans de paradiſo, & tertio cœlo in quod raptus eſt Paulus: *Si tertium cœlum*, inquit, *rectè accipimus,*
To.3.p. 1. pag. 322.D. E. *quod mente conſpicitur ita ſecreta & remota & omninò abrepta à ſenſibus carnis atque mundata, ut ea quæ in illo cœlo ſunt, & ipſam Dei ſubſtantiam Verbumque Deum, per quod facta ſunt omnia, in charitate Spiritus ſancti ineffabiliter valeat videre & audire: non incongruenter arbitramur, & illuc eſſe raptum Apoſtolum, & ibi fortaſſis eſſe paradiſum omnibus meliorem, & ſi dici oportet, paradiſum paradiſorum. Si enim animæ bonæ lætitia in rebus bonis eſt in omni creatura, quid ea lætitia præſtantius, quæ in Verbo Dei eſt, per quod facta ſunt omnia?* Hæc Auguſtinus. Quòd autem iis verbis deſcripſerit beatitudinem animæ à corpore ſeparatæ, patet tùm ex præcedentibus eodem capite, tùm verò manifeſtiùs ex capite ſequenti, ubi ex ſupradictis quæſtionem movens, apertè præſupponit ſpiritibus defunctorum etiam ſine corporibus ſummam illam beatitudinem præberi.

Denique, ut alios benè multos brevitatis cauſa hic prætereamus, S. Bernardus, qui inter poſtremos Eccleſiæ Doctores tanquam contrarius nobis hic objici ſolet, Epiſtola 374. ad fratres de Hibernia, n.2. alloquens ſanctum Malachiam: *Abſit*, inquit, *ut tua nunc, ò anima ſancta, minùs efficax eſtimetur*
To.1.p. 336.D. E. *oratio, quando præſenti vividiùs ſupplicare eſt majeſtati, nec jam in fide ambulas, ſed in ſpecie regnas. Abſit ut imminuta, nedum exinanita tua illa tam operoſa charitas reputetur, cùm ad fontem ipſum charitatis æternæ procumbis, pleno hauriens ore, cujus & ipſa priùs ſtillicidia ſitiebas.*

Probatur tertiò, ex definitionibus Conciliorum, Eccleſiæ precibus & Hymnis.

QUod conſtanti ac perpetua Eccleſiæ utriuſque Traditione Dogma confirmatum viderunt Oecumenica Concilia, hoc ipſum ſuis Decretis ac publicis definitionibus declararunt.

Con-

Concilium Lugdunense II. anno 1274. in professione fidei, *Credimus .... illorum animas, qui post sacrum Baptisma susceptum, nullam omninò peccati maculam incurrerunt: illas etiam quę post contractam peccati maculam, vel in suis manentes corporibus, vel eisdem exutæ, sunt purgatæ, mox in cœlum recipi.* T. 11. Conc. p. 1. pag. 963. E.

Concilium Florentinum anno 1439. in Decreto seu definitione fidei, cui Græci pariter ac Latini subscripsere, mox citata verba Concilii Lugdunensis repetit; quibus majoris claritatis causa hæc adjungunt Patres Concilii: *Et intueri clarè ipsum Deum trinum & unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate, alium alio perfectius.* T. 13. Conc. p. 1167. D.

Concilium Tridentinum Sess. 25. de Invocatione Sanctorum, docet *Sanctos unà cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre ... illos verò, qui negant Sanctos æterna felicitate in cœlo fruentes invocandos esse ... impiè sentire.* T. 14. Conc. p. 895. B.

Hanc suam fidem, usu ipso ac quotidiana praxi declarat Ecclesia in publicis suis precibus, ubi testatur Sanctorum animas in cœlo jam aperto Dei conspectu potiri. Ita Codices Sacramentorum: inter illos, omnium antiquissimus Gelasianus, ubi legimus *Martyres jam cœlestia præmia esse consecutos.* Et in festo sanctæ Perpetuæ & Felicitatis: *Quæsumus*, inquit, *ut sicut illis gloriam contulisti, nobis indulgentiam largiaris.* Et in festo sanctorum Gervasii & Protasii: *Ut quos*, inquit, *cœlesti gloria sublimasti &c.* Ita etiam die Beato Gregorio sacra, sic orat Ecclesia: *Deus, qui animę famuli tui Gregorii æternę beatitudinis præmia contulisti.*

Porrò, notum est istud Cœlestini S.P. effatum in secunda Epistola ad Episcopos Galliæ: *Legem statuit credendi, statuit lex supplicandi.* Ex illis itaque precibus Ecclesiæ rectè demonstratur hanc esse publicam fidem, animas Sanctorum quibus nihil luendum superest, statim ac corpore solutæ sunt, frui visione Dei intuitiva. Tom. 1. Conc. p. 1616. E.

Suam hanc felicitatem ipsis Ecclesia gratulatur in Hymnis publicis. Sic Ecclesia Parisiensis, die omnibus Sanctis sacra eleganter canit.

Jam vos pascit amor nudaque veritas;
De pleno bibitis gaudia flumine:
Illic perpetuam mens satiat sitim,
Sacris ebria fontibus.
Altis secum habitans in penetralibus,
Se rex ipse suo contuitu beat:
Illabensque sui prodigus, intimis
Sese mentibus inserit.

Accedit & auctoritas Summorum Pontificum, qui Decretis suis fidem hanc confirmarunt.

Innocentius III. cap. *Cùm Marthę*, titulo de celebratione Missarum, cap. *Majores*, titulo de Baptismo & ejus effectu, cap. *Apostolicam*, titulo de Presbytero non baptizato. Clemens IV. Nicolaus III. Nicolaus V. apud Raynaldum. Cùm Joannes XXII. quæstionem hanc in controversiam adduxisset, Benedictus XII. ejus successor, solemni Decreto seu Constitutione, quæ extat apud Raynaldum ad anno 1336. definivit, animas Sanctorum ante resurrectionem corporum & Judicium generale, Deum videre visione, ut

ait, *faciali & intuitiva*: eosque velut hæreticos damnat, qui pertinacite scripto vel verbo contrarium docuerint.

Paulò antè, annoscilicet 1332. occasione eorum quæ circa istam quæstionem agitaverat S.P. Joan. XXII. Rex Philippus in Castro Vincennarum voluit Theologos Parisienses congregari, ut suam de hac quæstione sententiam dicerent. *Omnes in hanc sententiam convenimus*, inquiunt Magistri Parisienses, *quòd a tempore mortis Domini nostri Jesu Christi, per quam pretium redemptionis humani generis extitit persolutum, omnes animæ sanctorum Patrum, quas ibidem Salvator noster ad inferos descendens eduxit de Limbo, cæterorumque fidelium animæ, quæ de corporibus exierunt, nihil habentes purgabile, vel quæ jam in purgatorio sunt purgatæ, ad visionem nudam & claram, beatificam, intuitivam & immediatam divinæ essentiæ, & benedictissimæ Trinitatis, Patris, & Filii & Spiritus sancti, quam Apostolus* 1. *ad Cor.* 15. *nominat visionem facie ad faciem, sunt assumptæ, ipsaque deitate beata perfectè fruuntur.* Extat Decretum istud, apud Bullæum in Hist. Universitatis Tom. 4. pag. 237.

Probatur quartò variis rationum momentis.

NOn ad libitum conictæ, sed in Scripturis & usu Ecclesiæ fundamentum habent rationes quæ sequuntur.

Prima, ex statu sanctorum Angelorum, qui statim à finali perseverantia, æterna in cœlis felicitate donati sunt; de quibus dicitur Matth. 18. v. 10. *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei.* Atqui communis est SS. Patrum doctrina, animabus Sanctorum eandem cum Angelis felicitatem & gloriam esse concedendam.

Secunda, ex statu impiorum qui statim à morte, æternis addicuntur supplicis: patet ex historia divitis epulonis qui fatetur se in flamma cruciari, apud S. Lucam c. 16. Cùm igitur Deus pronior non sit ad pœnam infligendam, quàm ad rependendam mercedem, concludendum est Sanctorum animas, quibus nihil purgandum superest, statim à morte, debita mercede donari, ac frui intuitiva Dei visione.

Tertia, ex conditione fidelium post Christum, quæ melior certè debet esse, ac illorum veterum qui in Limbis detenti in loco quidem pacis, quietis ac refrigerii morabantur, sed aperto Dei conspectu nondum fruebantur, donec inde eos liberaverit Christus: qui, ut habet Apostolus Ephes. 4. *Ascendens in cœlum, captivam duxit captivitatem.* Porrò melior non esset nostra post Christum conditio, si mille annorum spatium expectandum nobis foret, ut ad conspectum Dei ac æternam felicitatem admitti possemus.

Quarta. Si Sancti Veteris Testamenti quos Christus descendens ad inferos liberavit, nondum Deo fruuntur, non videntur multùm consecuti per illum Christi descensum: quandoquidem, etiam apud inferos, erant in loco quietis, refrigerii & consolationis, qui vulgò sinus Abrahæ dicitur.

Quinta. Ecclesia Sanctorum mortem ante Christi adventum deflebat: nondum eos invocabat. Post Christum verò, diem mortis Sanctorum, Natalem appellat, celebrat cum gaudio, eorumque apud Deum auctoritatem & patrocinium implorat. Unde istud? Quia cùm ante Christum, Deo nondum fruerentur, viventium preces ad se directas, ordinaria aliqua ratione cognoscere non poterant, sicut nunc eas cognoscunt in Verbo.

Sexta,

Sexta, quia nihil est aut ex parte Dei, aut ex parte hominis, quod in justis plenè purgatis visionem Dei claram & intuitivam possit retardare. Non ex parte Dei, qui justus est, & magis ad misericordiam pronus quàm ad vindictam; præsertim cùm cœlum quod antea clausum fuerat, Christus morte sua patefecerit. Non ex parte hominis, tùm quia anima vinculis corporis soluta capax est visionis Dei, cùm hæc sit operatio merè spiritalis: tùm quia ipsi nova merita comparanda non supersunt, cùm sit post mortem in termino jam constituta.

Septima, quia hic videtur esse communis fidelium sensus, qui Sanctos plenè purgatos vocant beatos, eorumque apud Deum opem & patrocinium implorant.

Denique, fidem hanc olim in publicis Ecclesiæ precibus consignatam non negabit, qui antiquum ordinem Romanum, aut Missale Gothicum Lib. 3. de Liturgia Gallicana editum, nec non Sacramentarium Gallicanum, quod è M. S. ante annos mille exarato Tom. 1. Musæi Italici insertum est; aliaque id genus sacræ antiquitatis monumenta consuluerit.

Solvuntur Objectiones ex Scripturis.

DUo hìc ex Scripturis proponuntur genera objectionum. Aliæ eò directè tendunt, ut probent Christum instaurata Jerusalem, per mille annos in terris regnaturum cum suis in summa bonorum omnium, divitiarum ac voluptatum abundantia. Ita objiciunt crassiores Judæi.

Aliæ verò insinuant, animabus Sanctorum, non statim à morte, æternam felicitatem rependi, sed eam differri usque ad generalem corporum resurrectionem.

Objectiones primi generis.

Objicies itaque 1. cum Judæis: Deus, Gen. 13. v. 15. promisit Abrahæ & semini ejus possessionem terræ Chanaan, *usque in sempiternum*. Pariter Psal. 131. v. 12. promittit filiis David, sedem patris sui: *Filii eorum usque in sæculum sedebunt super sedem tuam.* Atqui tamen impletæ non leguntur istæ promissiones, in Abrahamo, Isaaco & Jacobo, aut in posteris David; ergo, ut Deus in suis promissis fidelis sit, fatendum est, in Christo qui est ex semine David, illas aliquando adimplendas fore.

Resp. 1. Argumentum istud plus probare quàm velint ipsi Millenarii: siquidem non tantùm mille annorum, sed etiam sempiternum fore Christi regnum in terris, inde demonstrari posset.

Resp. 2. Satis esse ad veritatem illarum promissionum, quòd in posteris Abrahæ ac Davidis impletæ fuerint. Porrò terram Chanaan possederunt Abrahæ posteri, quemadmodum & sedem David tenuit Tribus Juda, quamdiu Judaica natio suis legibus stetit ac vixit. Voces porrò istæ, *in sempiternum*, more Scripturæ, longum aliquod temporis spatium aliquando denotant, non semper verò simpliciter æternum.

Resp. 3. Si voces istæ, *in sempiternum*, ad litteram sumantur, terram Chanaan & sceptrum David spiritali sensu intelligi debere: pro cœlesti nempè possessione æternæ felicitatis, ac regno Christi spiritali. Ut enim Jerusalem Judaica, fuit cœlestis Jerusalem imago & figura, Apocal. 3. Ut Israel secundùm carnem 1. Cor. 10. v. 18. adumbrabat eum qui est secundùm spiritum, Galat. 3. ita teste S. Paulo ad Hebr. 3. terra Chanaan exprimebat ter-

ram illam *viventium*, Psal.141. *In qua secunda mors non habet potestatem*. Apocal.20. v.6. quæque adeò citra ullum unquam terminum à beatis possidetur.

Instabis 1. Scripturæ sæpius loquuntur de futura Jerusalem instauratione, de splendido Christi regno, de usu Sacrificiorum resumendo.

Resp.Hæc omnia sensu mystico & spiritali intelligenda esse. Jerusalem instauranda, ipsa est cœlestis beatitudo, æternùm permansura. Christi regnum temporale non est, nec hujus mundi, sed sempiternum in cœlis. Sacrificiis legalibus finis imponendus erat post Christi adventum: præsente enim veritate, figuræ & umbræ finem habere debent.

Instabis 2. Matth.5. v.6. dicitur: *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur*. Atqui satietas illa non erit, nisi in terrestri mille annorum regno.

Resp. Nego minorem. Sancti enim qui Deo fruuntur in cœlis, cœlesti planè ac spiritali voluptate perfunduntur ac satiantur; juxta istud Psal.16.v.15. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua*. Et istud Psal.35. v.9. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos*. Ab his autem verbis, *Satiabor, inebriabuntur, torrente voluptatis*, omnis carnalis cogitatio & sensus removeri longiùs debet: *Non est enim regnum Dei, esca & potus*, ait Apostolus, *sed justitia & pax & gaudium in Spiritu sancto*.

Instabis 3. Christus ipse apud S.Matth. c.26. v.29. videtur ad voluptates corporis respexisse, cùm dixit: *Non bibam amodò de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cùm illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei*. Regnum autem illud, ajunt Millenarii, in terris transigendum erit in summa deliciarum omnium affluentia.

Resp. Nego antecedens. Vinum enim illud, de quo Christus citato loco, proprio ac litterali sensu intelligitur, vel improprio & metaphorico. Si prius, Christus morti proximus declarat se non nisi post resurrectionem bibiturum de hoc genimine vitis: re ipsa enim toto illo tempore quod fluxit ab ejus resurrectione usque ad ascensum in cœlum, cum suis Discipulis conversatus, cum ipsis in signum veræ suæ resurrectionis verè manducavit & bibit. *Manducavimus & bibimus cum illo postquam resurrexit à mortuis*, ait S. Petrus Act.10.v.41. Illud verò temporis intervallum, regnum Patris Christus meritò appellat: tùm quia datam sibi à Patre potestatem in cœlo & in terra exercere tunc cœpit: tùm quia resurrectio Christi triumphus est Religionis, & omnium fidei nostræ Mysteriorum fundamentum ac complementum. *Si enim Christus non resurrexit*, ait Apostolus 1. Cor.15.v.14. *inanis est prædicatio nostra, inanis est & fides vestra*.

Si autem vinum illud sensu improprio & metaphorico sumatur; significat dumtaxat spiritales æternæ felicitatis delicias, quas Christus suis erat aliquando communicaturus. Solet scilicet Scriptura, sub imaginem nuptiarum ac epulārum, delicias cœlestes populo Judaico carnali adumbrare. Psal.35. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ*. Matth. 8. *Recumbent cum Abraham in regno cœlorum*. Apoc.19. *Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt*. Christus ipse, Lucæ 22. v. 29. *Ego disponо vobis*, inquit, ... *ut edatis & bibatis super mensam in regno meo: & sedeatis super thronos judicantes duodecim Tribus Israel*.

Insta-

Instabis 4. Christus Matth. 19. v. 29. Discipulis suis centuplum promisit eorum omnium bonorum quæ propter ipsum reliquissent: *Omnis*, inquit, *qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Atqui nullum aliud, quàm post resurrectionem, spatium temporis assignari potest, quo ii centuplum ejusmodi bonorum accepturi sint; ergo &c.

Resp. cum S. Hieronymo in citatum locum, verba illa non esse ad litteram cum Millenariis intelligenda. Hinc enim consequens foret, unumquemque pium pro una, quam dereliquisset, centum uxores habiturum. *Non intelligunt*, inquit S. Doctor, *quòd si in cæteris digna sit repromissio, in uxoribus appareat turpitudo, ut qui unam pro Domino dimiserit, centum recipiat in futuro.* Quo certè nihil potest absurdius cogitari, & Evangelicæ veritati inimicum magis. *Namque in resurrectione, neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo.* Centuplum ergo illud intelligi debet de mercede spiritalium bonorum, quæ pretio ac merito ita terrena superant, ut centenarius numerus unitatem. Ed. n. To. 4. p. 1. pag. 90.

Instabis 5. S. Joan. Apocal. c. 20. videtur clarè asserere Christum per mille annos cum suis regnaturum in terris, ante ultimum ac universale Judicium. Ait enim 1. v. 2. *Se vidisse Angelum, qui draconem serpentem antiquum apprehendit, & ligavit per mille annos.* Ait 2. v. 4. *Animas decollatorum propter testimonium Jesu Christi vixisse, & regnasse cum Christo mille annis: cæteros verò mortuorum, non vixisse donec consummentur mille anni.* Id est, Martyres resurrexisse ante alios mortuos, & cum Christo regnasse; & *hæc est*, ait S. Joannes v. 6. *resurrectio prima, Beatus, & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima: in his secunda mors non habet potestatem; sed erunt Sacerdotes Dei & Christi, & regnabunt cum illo mille annis.* Ait 3. v. 7. post mille annos solvendum fore Satanam, ut plenam habeat hominibus nocendi licentiam. *Et cùm consummati fuerint mille anni, solvetur Satanas de carcere suo, & exibit, & seducet Gentes.* Ait denique v. 12. & sequentibus, tunc omnes mortuos resumptis suis corporibus, ad ultimum ac generale Judicium vocandos fore. *Et vidi*, ait S. Joannes, *mortuos, magnos, & pusillos, stantes in conspectu Troni; & Libri aperti sunt ... & dedit mare mortuos, qui in eo erant; & mors & infernus dederunt mortuos suos qui in ipsis erant; & judicatum est de singulis secundùm opera ipsorum.*

Resp. cum S. Hieronymo, ad litteram intelligenda non esse quæcunque de illo Christi millenario regno hìc dicuntur: *Aliàs*, inquit S. Doctor præfatione in Lib. 18. in Isaiam, *judaizandum nobis foret.* Et verò, Millenariorum fabulam juvare nullatenus potest illud Christi regnum, de quo S. Joannes: si quidem S. Joannes illud statuit ante generalem corporum resurrectionem; millenarii verò, post. Ed. n. To. 3. p. 478.

S. Augustinus Lib. 20. de Civitate Dei c. 7. laudatum S. Joannis testimoninm sic exponit.

1. Per mille annos intelligit illud omne temporis intervallum, quod à morte Christi ad ipsum usque Antichristi adventum defluet. *Mille annos*, inquit, *pro annis omnibus hujus sæculi posuit: ut perfecto numero notaretur ipsa temporis plenitudo.* Reipsa familia re est Scripturis ut longum temporis spatium numero millenario designent: Sic Psal. 104. v. 8. dicitur: *Memor fuit in sæculum testa-* To. 7. p. 581. E.

teſtamenti ſui: verbi quod mandavit in mille generationes. Itaque ab ipſa morte Chriſti ad perſecutionem uſque Antichriſti, ſatanas religatus dicitur, quòd ſcilicet erepta ipſi fuerit Chriſtianis projecta nocendi facultas; dicente ipſomet Chriſto Joan. 12. v. 31. *Nunc judicium eſt mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* Atque toto illo inter vallo temporis, Sancti dicuntur regnaſſe cum Chriſto, tùm in cœlo, tùm in terris: in cœlo quidem, per gloriam qua fruuntur; in terris & in Eccleſia, tùm per miracula quæ operantur, tùm per cultum quo honorantur.

2. Quod addit S. Joannes; *Cæteri mortuorum non vixerunt, donec conſummentur mille anni*, reprobos ſpectat qui per peccatum vitam perdiderunt; & qui cùm primæ reſurrectionis (per gratiam nempè ſanctificantem) finaliter participes facti non fuerint, conſequenter nec ſecundæ, quæ eſt ipſa æterna felicitas, participes erunt. Ita S. Aug. Lib. 20. de Civitate Dei c. 9. n. 4. *Quod verò ſubdit* (S. Joannes) ait S. Doctor, *Donec finiantur mille anni, intelligendum eſt, quòd eo tempore non vixerunt, quo vivere debuerunt, ad vitam ſcilicet de morte tranſeundo. Et ideò cùm dies venerit, quo fiat & corporum reſurrectio, non ad vitam de monumentis procedent, ſed ad judicium; ad damnationem ſcilicet, quæ ſecunda mors dicitur.* Ibid. p. 587. E.

Quamquam per primam reſurrectionem citato loco, intelligi meritò poteſt ſtatus animæ beatæ poſt mortem; cùm enim corpore veluti carcere incluſa eſſet, ubi corpore illo ſolvitur, quaſi vivere a reſpirare, & ad novam vitam avolare dicitur. In iis autem animabus quæ hujus primæ reſurrectionis participes erunt, ſecunda mors, nempè poſt generale Judicium, nullam habebit poteſtatem.

3. Verba iſta S. Joan. *Erunt Sacerdotes Dei & Chriſti*, non ſignificant Sanctos miniſteria Sacerdotum adimpleturos ſecundùm Legem Moſaicam, ut volebat Cerinthus; ſed innuunt, ipſos intimos fore Dei amicos, divinorum conſciosarcanorum, regnique cœleſtis principes. Nomen quippè Sacerdotis, non rarò in Scripturis nomen eſt dignitatis & honoris in Aula Principum. Ita Lib. 2. Regum c. 20. v. 26. dicitur: *Ira autem Jairites erat Sacerdos David*: hoc eſt, ut vertit paraphraſtes Chaldæus, *Princeps David*. Quin Sancti dici poſſunt Sacerdotes, vel quòd juge laudis & gratiarum actionis ſacrificium Deo & Chriſto offerant; vel quòd membra ſint unius & ſummi Sacerdotis Chriſti. Ita S. Aug. citato L. 20. de Civit. Dei c. 10.

4. Denique, poſt elapſum illud tempus ſolvetur ſatanas: Antichriſtus veniet, Sanctos oppugnabit, ac reſurget univerſa caro; Judicium denique univerſale fiet, quo unicuique ſecundùm opera ſua, bonum vel malum retribuetur. Atque erga juſtos, erit hæc ſecunda reſurrectio, ac plena felicitas tùm corporis tùm animæ; erga verò impios, erit ſecunda mors & æterna damnatio.

Objectiones ſecundi generis. Objicies 2. Idem S. Joannes Apocal. c. 6. v. 9. ait ſe vidiſſe *ſubtus altare, animas interfectorum* (id eſt Martyrum) *propter verbum Dei.... quæ voce magna clamabant*, ut Dominus earum ſanguinem vindicaret. *Quibus dictum eſt* (v. 11.) *ut requieſcerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conſervi eorum & fratres eorum, qui interficiendi ſunt ſicut & illi.* Ex quibus ſic arguitur. Animæ quæ ſunt ſub altari, & quæ expectant donec compleatur numerus fratrum, hoc eſt electorum omnium, nondum fruuntur viſione Dei clara & intuitiva: atqui tales ſunt animæ Martyrum.

Reſp.

Resp. Nego majorem. Quidquid enim altaris nomine, sub quo visæ sunt animæ illæ Martyrum, intelligatur, sive sit ipsa Christi humanitas, quæ per melaphoram altare appellatur, tùm quia Sanctorum merita & orationes placere Deo non possunt, nisi in Christo & per Christum Summum Pontificem Deo in sacrificium offerantur; tùm quia in Christo tanquam in exemplari ac pignore futuræ corporum resurrectionis, quiescunt animæ Sanctorum. Sive altare illud significent tantùm locum quietis & pacis, qui vel altare, vel sinus Abrahæ, vel cubile interdum dicitur, juxta istud Psal. 149. v. 5. *Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.* Quidquid, inquam, nomine altaris intellexerit S. Joannes, certum est animas illas interfectorum, in cœlo esse & æterna felicitate potiri: quia v. 11. citati capitis, *illis* (animabus) *datæ sunt singulæ stolæ albæ.* Et c. 7. v. 9. dicuntur omnes, *stare ante Thronum in conspectu Agni, amictæ stolis albis, & palmæ in manibus earum.* Et c. 20. v. 4. S. Joannes ait se vidisse thronos, & sedes destinatas & datas animabus decollatorum propter testimonium Jesu. *Vidi*, inquit, *sedes, & sederunt super eas, & judicium datum est illis.* Quæ certè omnia clarè demonstrant, animabus illis jam tùm concessam fuisse æternam ex visione Dei felicitatem.

Cùm igitur animæ illæ clamare dicuntur, & à Deo vindictam postulare effusi sui sanguinis; clamor ille ac vindicta exprimit dumtaxat earum pro resumendis suis corporibus ardens desiderium, ac zelum divinæ justitiæ. Differtur autem illarum pro resumendis suis corporibus votum ac desiderium, usque ad ultimum ac generale Judicium, donec numerus fratrum compleatur; ante istud verò tempus, nondum completa est & adæquata Sanctorum felicitas. *Acceperunt*, ait S. Bernardus Serm. 3. in festo omnium Sanctorum n. 1. *jam singulas stolas: sed non vestiuntur duplicibus, donec vestiamur & nos..... stola enim prima ipsa est, quam diximus, felicitas & requies animarum: secunda verò, immortalitas & gloria corporum. Unde & dicunt: Vindica, Domine, sanguinem Sanctorum tuorum qui effusus est; non tanquam vindictæ cupidi ... sed ex desiderio resurrectionis & glorificationis corporum suorum, quam nimirum usque in diem Judicii differendam esse non dubitant.* Tom. 1. pagina 1033. E. F.

Instabis 1. S. Paulus Hebr. 11. hoc ipsum videtur confirmare quod dixerat S. Joannes, Sanctorum nempè felicitatem non priùs concedendam, quàm consummatus sit, seu expletus numerus omnium Sanctorum post generalem corporum resurrectionem. Agens quippè de Sanctis Veteris Testamenti, v. 13. ait: *Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus.* Et v. 16. *Nunc autem meliorem appetunt patriam (id est cœlestem.)* Et v. 39. *Hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem: Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur.*

Resp. Repromissiones illas quæ veteribus Patriarchis factæ sunt, spectare vel temporalem possessionem terræ Chanaan, vel æternam in cœlis felicitatem. Quocunque intelligantur sensu, verè dixit Apostolus sanctos illos Patriarchas toto illo tempore quod antecessit Christi adventum, adeptos non fuisse repromissiones: non terram Chanaan, quam non ipsi, sed eorum dumtaxat posteri obtinuerunt: non æternam in cœlo felicitatem, quæ nemini concessa fuit, priusquam Christus in cœlum ascendens, captivam secum duxerit captivitatem. Nondum enim reseratæ fuerant paradisi fores; nondum propalata Sanctorum via.

Cùm

Cùm igitur dicuntur illi, *nunc meliorem appetere patriam*, particula ista, *nunc*, ibi tempus non significat quo loquebatur Apostolus: quasi vellet eo ipso quo scribebat tempore, *nunc*, Sanctos illos felicitatem exoptare; quandoquidem ea tunc temporis fruebantur: descendens enim Christus ad inferos, extractas inde Sanctorum animas secum in cœlum transtulit. Particula ergo illa, *nunc*, in textu laudato, locum tenet adversativæ, *sed, atqui*; & sensus est, animas illas ante Christi in cœlum ascensum, repromissiones sibi factas adeptas non fuisse, sed eas expectasse, & tandem post adventum Christi liberatoris obtinuisse.

Cùm addit S. Paulus Sanctos Veteris Testamenti adeptos non fuisse repromissiones, *ut non sine nobis consummarentur*, vel intelligit felicitatem completam & adæquatam tùm corporis tùm animæ, vel felicitatem animæ dumtaxat: utroque autem sensu, vera est Apostoli propositio. Neque enim completa futura est beatitudo nostra, nisi post generalem corporum resurrectionem: omnes Sancti sive veteris sive novæ Legis, simul resurgent ad vitam immortalem. Felicitate etiam animæ donati non fuere veteres Patriarchæ ante Christianos, quia usque ad Christi adventum ac tempus Evangelicæ Legis, expectandum ipsius fuit, ut Deo apertè frui liceret: ne scilicet, in mente S. Pauli, sine nobis consummarentur. Finis quippè Legis Christus; & omnes electi sunt instar unius corporis, cujus caput est Christus.

Instabis 1. Matt. 25. v. 34. In ultimo dumtaxat Judicii die omnibus electis dicetur; *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi*. Ergo usque ad hanc diem in suspenso manet Sanctorum beatitudo.

Resp. distinguo consequens: in suspenso manet Sanctorum beatitudo completa & adæquata tùm corporis tùm animæ, concedo: incompleta & inadæquata respectu ipsius animæ, nego. Citato igitur cap. 25. S. Matth. describitur ultimum ac generale Judicium, in quo resumptis corporibus publicè & in conspectu omnium hominum, unicuique pro conditione ac merito operum, bonum vel malum etiam in corpore suo retribuetur. Quòd autem jam ante diem illam generalis Judicii, privatim unusquisque præmium reportet vel supplicium, demonstrat manifestè exemplum, tùm boni latronis, cui Christus dixit: *Hodie mecum eris in paradiso*; tùm divitis epulonis, qui statim à morte cruciatur in flamma.

Instabis 3. Dilationem beatitudinis usque ad ultimum Judicium non obscurè adumbrat parabola operariorum apud S. Matth. c. 20. v. 8. ubi denarius in mercedem laboris, non nisi sub vesperam solutus unicuique fuit: per vesperam autem ibi significatur dies ultimi ac generalis Judicii.

Resp. 1. Distinguo antecedens. Dilationem beatitudinis completæ & adæquatæ quæ corpus simul & animam spectat, quam S. Augustinus vocat felicitatem resurrectionis seu gloriam totius hominis, non obscurè adumbrat parabola operariorum, esto; beatitudinis incompletæ & solius animæ, quasi hæc ad ultimum usque Judicii diem differatur, nego.

Resp. 2. Per vesperam citato loco intelligi non immeritò posse, particulare uniuscujusque Judicium quod fit statim à morte, & in quo unicuique debita merces distribuitur, quocunque tempore vocatus à Deo fuerit, sive manè, sive in meridie, sive ad vesperam.

Resp. 3. cum S. Chrysostomo in hunc locum, in parabolis non omnia urgen-

da

da esse ac strictè intelligenda, sed præsertim attendi debere parabolæ scopum ac finem: Scopum autem præsentis parabolæ esse, ut omnes intelligant nemini de salute desperandum esse, quamdiu in vivis est; quandoquidem quocunque tempore vocatus à Deo fuerit, sive in juventute, sive in extrema vitæ periodo, si animo sincero & recto conversus ad Deum fuerit, & perseveraverit usque in finem, salutem certissimè assequetur. Quam quidem parabolam adversùs Judæos præcipuè direxit Christus, quòd illi ægrè ferrent Gentiles tam seriò ad lucem veritatis vocatos, iisdem tamen præmiis donari quibus & ipsi, qui Legis onera diu portaverant. Quòd autem in adducta parabola, non omnia sint strictè & ad litteram usurpanda, & æternæ Sanctorum felicitati adaptanda, patet manifestè: aliàs, inde sequeretur, 1. Deum non per sé ipsum, sed per procuratorem & œconomum, Sanctis mercedem esse redditurum. 2. Eandem omnibus felicitatis mensuram esse rependendam. 3. Murmur, invidiam & oculum nequam fore in cœlo; quæ certè omnia, totidem absurda sunt & statu felicitatis Sanctorum in cœlis longè aliena.

Instabis 4. 1. Joan. 3. v. 2. dicitur: *Scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Ergo antequam Christus appareat sedens in throno majestatis suæ judicaturus vivos & mortuos, non eum videbimus sicuti est.

Resp. Verba ista, *cùm apparuerit*, vel ad Christum referri posse, vel ad verba ista præcedentia, *quid erimus*: quocunque autem modo intelligantur, in tuto est dogma catholicum.

1. Contextus ipse facer apertè ostendit ista verba, *cùm apparuerit*, referenda esse ad ista præcedentia, *quid erimus*, ita ut iste sensus sit: Cùm apparuerit, hoc est, cùm omnibus notum ac manifestum fuerit quid erimus, resumpto scilicet corpore glorioso, tunc similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est, non tantùm oculis mentis, sed etiam & corporis glorioſi. Favet facer contextus: namque immediatè ante verba citata, dicitur: *Carissimi nunc filii Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus; scimus autem quoniam cùm apparuerit, &c.*

2. Si verba ista, *cùm apparuerit*, ad Christum ipsum referantur, sensus erit: Cùm apparuerit Christus in die ultimi Judicii, & omnia corpora à tumulis suscitata revixerint, tunc similes ei erimus, etiam ratione corporis glorioſi; & videbimus eum oculis animæ & corporis sicuti est, nempè quoad naturam divinam simul & humanam. Tunc enim adimplebitur quod ait Apostolus Philipp. 3. v. 20. *Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.*

Instabis 5. Ecclesiastes cap. 11. v. 1. ait: *Mitte panem tuum super transeuntes aquas: quia post tempora multa invenies illum.* Ergo non statim post mortem invenitur fructus eleemosynæ & merces boni operis, sed post tempora multa; hoc est in fine sæculi.

Resp. 1. Ea verba scripta esse multò ante Christi adventum, quando justi, dilata mercede beatitudinis, ad inferos descendebant.

Resp. 2. Simplicem & apertum videri sensum hujus loci, nempè abundè largiendum esse egentibus; quia quod dederis, si non statim, saltem post multum tempus pro certo recipies. Nam alii aliis citiùs evocantur ex hac vita; ac rursum alii aliis citiùs è Purgatorio liberantur.

Instabis denique, Dæmones nondum cruciantur, sed differtur eorum supplicium

cium usque ad mundi finem. Matth. 8. v. 29. *Quid.... venisti*, ajunt Christo, *ante tempus torquere nos?* Et Lucæ 8. v. 31. *rogabant illum* (Christum) *ne imperaret illis ut in abyssum irent*. Pariter igitur reprobi homines cruciandi non sunt nisi post ultimum Judicii diem.

Resp. Distinguo antecedens. Dæmones nondum cruciantur, complete, ut ita dicam, supplicio, concedo: nullatenus cruciantur; nego. S. enim Petrus Epistolæ 2. c. 2. v. 4. asserit, *Deum Angelis peccantibus non pepercisse, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidisse cruciandos*. Completum autem erit dæmonum supplicium, cùm in fine mundi æternis carceribus detenti non amplius inde exire, evagari, per hæc aera volitare, & hominibus nocere licebit: atque hoc ipsum est, quod maximè illi pertimescunt. Unde in Exorcismis quos Ecclesia usurpat, nulla re torqueri magis videntur, quàm comminatione futuri Judicii: in hunc enim ferè modum concludi solent Exorcismi: *Per eum qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem*. Verùm ante mundi finem licèt per aera volitent dæmones, (unde *Principes aeris hujus* ab Apostolo dicuntur Ephes. 2.) attamen jam nunc puniuntur pœna damni & sensus: *Ubicumque enim dæmones volitant*, ait Beda in Commentario c. 3. Epist. S. Jacobi, *vel in terris aut sub terris vagantur, sive detinentur, suarum secum ferunt semper tormenta flammarum*.

Solvuntur Objectiones ex Liturgiis & precibus Ecclesiæ.

OBjicies 1. Ecclesia in suis Liturgiis, generatim ac sine ullo discrimine orat pro omnibus defunctis, ut illis Deus locum quietis ac refrigerii concedere dignetur.

In Liturgia S. Gregorii.

In Canone Missæ Sacerdos ait: *Memento etiam Domine, famulorum famularumque tuarum, qui nos præcesserunt cum signo fidei & dormiunt in somno pacis. Ipsis, Domine, & omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerii, lucis & pacis, ut indulgeas deprecamur*. Quæ verba quotidie usurpamus.

In Liturgia S. Jacobi legimus pariter hæc verba: *Memento Domine Deus noster, spirituum & universæ carnis quorum memoriam egimus.... ab Abel justo usque ad hodiernam diem: fac eos requiescere in regione viventium in regno tuo, & deliciis Paradisi; in sinu Abrahæ, Isræl & Jacob*.

Idem habet Liturgia S. Basilii. *Memento*, inquit, *omnium qui prædormierunt in spe resurrectionis vitæ æternæ.... fac eos quiescere, ubi visitat lumen vultus tui*.

Idem & in Liturgia S. Cyrilli Catechesi 5. Mistag. *Deinde*, inquit, *pro defunctis sanctis Patribus & Episcopis: denique pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi sunt, maximum esse credentes animarum juvamen*.

Denique in Liturgia Æthiopum dicitur; *Rogamus te pro iis, qui dormierunt, & quieverunt in fide patres primi, principes Archiepiscoporum.... pro anima famuli tui N. & pro animabus omnium quos ipse vocasti... Quiescere fac eorum animas in loco amæno.... in sinu Abrahæ &c.*

Resp. Distinguo antecedens. Ecclesia generatim ac sine ullo discrimine orat pro omnibus fidelibus defunctis, ita ut orationes illæ per accommodam distributionem ad varium scopum & finem referantur, concedo: ita ut ad unum & eundem scopum & finem omnes referantur, nego. Itaque, generatim quidem ac sine ullo discrimine pro requie omnium fidelium defunctorum orat

Ecclesia

Ecclesia: verùm, orationes illæ per accommodam distributionem ita sunt ad varium finem & scopum referendæ, ut quibus aliquid post mortem luendum supereſt, liberationem à pœnis Purgatorii, & æternæ felicitatis possessionem quantociùs concedendam apprecentur: aliis verò, qui Deo intuitivè jam fruuntur, suos triumphos ac finem beatum gratulentur; Deo gratiarum actiones referant; ac Sanctorum apud ipsum gratiam & favorem pro nobis implorent. Non alium esse posse orationum illarum, respectu justorum qui plenè purgati sunt, usum ac finem, demonstrant evidenter quòtquot in confirmationem nostræ Conclusionis protulimus, tùm ex Liturgiis Ecclesiæ, tùm ex SS. Patribus, momenta.

Instabis 1. Atqui Ecclesia etiam orat pro [illegible], quibus certum est nihil luendum supereſſe. Ita teste Innocentio III. cap. *Cùm Marthæ*. Extra. *De celebratione Missarum*, vetus Liturgia latina in festo S. Leonis dicebat: *Annue quæsumus, Domine, ut animæ beati Leonis hæc profit oblatio*. Et licèt observet idem S.P. orationem illam subinde mutatam fuisse; adhuc tamen in secreta oratione, in die sacra Sancto Leoni dicitur: *Sancti Leonis Confessoris tui atque Pontificis, annua solemnitas, nos tibi reddat acceptos; ut per hæc pie placationis officia, & illum beata retributio comitetur, & nobis gratiæ tuæ dona conciliet*.

Resp. 1. Non sine causa mutatam fuisse priorem orationis formam, qua significari poterat, ita oblationem prodesse animæ S. Leonis, ut nondum felicitatem æternam assecuta supponatur. Quapropter in modernis Libris Sacramentorum, loco prioris orationis, hæc verba leguntur: *Annue nobis Domine, quæsumus, ut intercessione beati Leonis hæc nobis prosit oblatio*; qui profectò sensus longè diversus est à priori, & Ecclesiæ doctrinæ magis consonus. Quo verò tempore, & à quo facta fuerit illa immutatio, fatetur Innoc. III. Lib. 5. Epist. 121. se ignorare.

Resp. 2. cum Bellarmino ad mentem Innocent. III. loco citato 1. Cùm Ecclesia petit gloriam Sanctis, qui regnum cœlorum jam possident, non petere ut illi in gloria crescant; sed ut apud nos gloria eorum crescat: id est ut toti mundo gloria eorum innotescat, & illi ubique magis ac magis glorificentur. 2. Non videri absurdum, si petamus illis augmentum gloriæ alicujus accidentalis. 3. Fortasse peti gloriam corporis, quam consequentur in die generalis resurrectionis. Nam etsi gloriam illam certò sint assecuturi, cùm eorum meritis debita sit, absurdum tamen non est hanc ipsis desiderare, & pro ipsis à Deo postulare, ut pluribus nempè titulis debeatur. Cùm ergo, pergit Bellarminus, Augustinus dicit Serm. 17. de verbis Apostoli: *Injuriam facere Martyri, qui orat pro Martyre*, intelligitur de illis qui Martyri precantur remissionem peccati, vel gloriam essentialem, quasi illa careret. *Lib. 2. de purgat. ca. 18.*

Instabis 2. Etiam pro Apostolis, pro Martyribus, & ipsamet beata Virgine Maria, Ecclesia deprecatur, ut ipsis Deus gloriam & requiem retribuat; ergo supponit Ecclesia, nondum illis concessam æternam felicitatem.

Antecedens probatur

Ex Liturgia S. Marci, ubi dicitur: *Animabus patrum & fratrum nostrorum, qui ante in Christi fide dormierunt, dona requiem, Domine Deus noster, memor majorum nostrorum qui à seculo sunt, Patrum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum . . . . Horum omnium animabus dona requiem*

quiem....in ſanctis tuis tabernaculis, in regno tuo....eorum, inquam, animabus dona requiem, eaſque regno cœlorum dignare.

Ex Liturgia Gregorii Theologi, ubi dicitur: *Dignare, Domine, recordari omnium Sanctorum qui tibi placuerunt ab initio....Patriarcharum, Apoſtolorum....Martyrum....& omnium ſpirituum juſtorum, qui conſummati defuncti ſunt in fide....& præcipuè ſanctæ glorioſæ ſemperque Virginis Mariæ....*

Idem & in Liturgia S.Cyrilli Alexandrini, vel, ut aliis placet, S. Cyrilli Hieroſolymitani. *Miſerere Domine patrum noſtrorum....ſanctorum Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum & omnium ſpirituum, maximèque ſanctæ & glorioſæ ſemper Virginis Deigenitricis Mariæ.*

Denique idem legitur in Liturgia S.Chryſoſtomi: *Offerimus tibi*, inquit, *rationalem hunc cultum pro iis qui in fide requieſcunt, Majoribus, Patribus, Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis, Martyribus....præcipuè pro ſanctiſſima immaculata Maria.*

Reſp. ex mox dictis, orationes illas per accommodam diſtributionem ad varium finem & effectum referendas eſſe, pro varia conditione ac ſtatu eorum pro quibus ab Eccleſia funduntur. Diſcrimen illud apertè agnoſcunt & aſſignant SS. Eccleſiæ Doctores: imprimis verò

To.3.p. 2. pag. 709.D. S.Auguſtinus Tractatu 84. in Joan.n.1. *Ad ipſam*, inquit, *menſam non ſic eos* (Martyres) *commemoramus, quem admodum alios qui in pace requieſcunt, ut etiam pro eis oremus: ſed magis ut ipſi pro nobis, ut eorum veſtigiis adhæreamus.*

To.6.p. 238.C. Et in Enchiridio ad Laurentium cap.110. *Cùm*, inquit, *ſacrificia ſive altaris, ſive quarumcumque eleemoſynarum pro baptiſatis omnibus defunctis offeruntur, pro valdè bonis gratiarum actiones ſunt; pro non valdè malis propitiationes ſunt; pro valdè malis, etſi nulla ſint adjumenta mortuorum, qualeſcunque vivorum conſolationes ſunt.*

To.5.p. 765.G. Denique Serm.159. n.1. *Habet Eccleſiaſtica diſciplina, quod fideles noverunt, cùm Martyres eo loco recitantur ad altare Dei, ubi non pro ipſis oretur: pro ceteris autem commemoratis defunctis oratur. Injuria enim eſt, pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari.*

S.Cyrillus Jeroſolymitanus Catech. Myſtag. 5. *Hoc*, inquit, *ſacrificium tibi offerimus, ut meminerimus etiam eorum, qui ante nos obdormierunt: primùm* *Pagina 241.C.* *Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, ut Deus orationibus illorum & deprecationibus ſuſcipiat preces noſtras. Deinde pro defunctis ſanctis Patribus & Epiſcopis. Denique pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi ſunt: maximum eſſe credentes animarum juvamen, pro quibus offertur precatio.* Diſertè eò loci diſtinguit S.Doctor, tres defunctorum ordines: 1. Prophetarum, Apoſtolorum & Martyrum; atque eorum reſpectu, orationes, quas Eccleſia fundit, invocationes ſunt ac ſupplicationes, quibus eorum opem & gratiam, qua valent apud Deum, imploramus, ut Deus vota noſtra grata & accepta dignetur habere. 2. Sanctorum Patrum & Epiſcoporum. 3. Cæterorum omnium fidelium, quibus ſi aliquid poſt mortem purgandum ſuperfuerit, orationes, ac ſacrificium altaris propitiationes ſunt, ad eorum juvamen & refrigerium deſtinatæ.

S. Epiphanius hæreſi 75.n.7. *Juſtorum*, inquit, *pariter & peccatorum men-* *Pagina 911.B.* *tionem facimus: peccatorum quidem, ut iis à Domino miſericordiam imploremus: Juſtorum autem....Apoſtolorum.....Martyrum....ut Dominum Jeſum Chriſtum*

singulari quodam honore prosequentes, ab cæterorum hominum ordine segregemus.

Denique S. Joan. Chrysostomus (ut aliosbenè multos omittamus) Homilia 21. in Acta Apost. *Quid putas*, inquit, *pro Martyribus offerri, quòd vocantur in illa hora: licèt Martyres sint, etiam pro Martyribus magnus honor nominari Domino præsente . . . Insignis gloria in memoria tunc haberi . . . sicut quando regum trophæa statuuntur, tunc celebrantur . . . & quicunque victoriæ socii fuerunt.* Ed. Cõmel. p. 606. C. lib. D.

Itaque, non una est illarum Ecclesiæ precum ratio, non unus finis ac effectus.

1. Beatissimæ Virginis mentio fit, non ut ipsi gloriam vel animæ vel corporis apprecemur, qua abundè jam fruitur: sed ut memoriam ipsius, ad laudem & honorem celebremus; suam ipsi gloriam gratulemur, ejusque imploremus auxilium.

2. Prophetæ, Apostoli & Martyres appellantur: tùm ad eorum commendationem & laudem: tùm ut ipsis suos gratulemur triumphos; atque eorum exemplo, ad strenuè hac in vita decertandum excitemur: tùm ad gratias Deo pro acceptis beneficiis referendas: tùm ut ipsi Deo cui grati sunt, nos commendent: tùm denique ut & gloriam corporis, & novos semper felicitatis, saltem accidentalis, gradus acquirant.

3. Pro cæteris omnibus fidelibus defunctis, orationes illæ ac sacrificium altaris, suffragia sunt & supplicationes, quibus divina exoratur clementia, ut ipsis quietem, refrigerium ac æternam in cœlis, felicitatem quantociùs concedere dignetur.

Objicies 2. Exprecibus quas Ecclesia fundit pro defunctis, manifestè colligitur ipsi persuasum esse, suspensam adhuc remanere animarum sortem, nec in privato, quod præcesserit Judicio, illam esse omnino definitam. Namque diu etiam post mortem fidelium, Ecclesia Deum orat, ut fidelium defunctorum animas *liberet de morte æterna, in die illa tremenda, quando cœli movendi sunt & terra.* Ut eas liberet *de pœnis inferni & de profundo lacu: de ore leonis: ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum &c.* Supponit igitur Ecclesia, hujusmodi animas nondum definitiva sententia judicatas; adeoque in suspenso remanere illarum sortem, donec magna & luctuosa illa ultimi Judicii dies advenerit.

Neque juvat si dixeris, preces illas referri ad pœnas Purgatorii, quarum liberationem, aut saltem mitigationem Ecclesia à Deo postulat. Namque 1. absurdum planè est ac novum, pœnas Purgatorii appellare pœnas inferni, lacum profundum, Tartarum &c. 2. Quia frustra & immeritò postularet Ecclesia animas ab illis pœnis inferni liberari, quibus eas nunquam addicendas esse certò cognovit; at id certò scit Ecclesia de animabus in Purgatorio detentis.

Resp. 1. Nego antecedens. Namque etsi Ecclesia postulet à Deo, ut animas fidelium, etiam longo post mortem tempore, liberet à pœnis inferni; malè tamen inde colligitur, suspensam adhuc Ecclesiæ videri animarum illarum sortem: siquidem, & in ipso etiam mortis articulo, Ecclesia novit certam & irrevocabilem esse in præscientia & decreto Dei, illarum animarum sortem; & tamen pro illis orare non cessat. Quare? 1. Quia sortem illam ignoramus. 2. Quia ita fert Dei voluntas, & constans usus Ecclesiæ. 3. Quia sors illarum animarum, non nisi ex prævisis ac præordinatis à Deo futuris Ecclesiæ precibus definita fuit, quas proinde adimpleri necesse est.

Resp. 2. Ecclesiam, cùm longo etiam post obitum tempore orat pro defunctis, spectare diem ipsum mortis. & ad illum suas orationes dirigere. Ecclesia scilicet, rem præteritam velut futuram ex desiderii sui ardore considerat; atque Religionis mysteria, tametsi jamdiu adimpleta, festiva recordatione ita exprimit ac celebrat, quasi jam tum adimplerentur aut adimplenda forent. Ita tempore Adventus postulat ut citò veniat Christus: *Rorate*, inquit, *cœli desuper, & nubes pluant justum: aperiatur terra & germinet Salvatorem.* Et in festivitate Paschali ait: *Hodie Christum resurrexisse*: & ita de cæteris. Non quòd ignoret jam diu advenisse Christum, illum mortuum, & à mortuis suscitatum; sed quòd celebrando memoriam illius temporis quo natus est, mortuus, & à mortuis suscitatus, Nativitatem, Mortem & Resurrectionem spectat, quasi jam tum primùm implerentur. Ita rem exponit S. Aug. Epist. 98. aliàs 23. ad Bonifacium Episcopum. Hoc eodem sensu exponendæ sunt preces quas Ecclesia pro defunctis, etiam diu post eorum obitum, fundit ad Deum, ut eos liberet à pœnis inferni &c.

Solvuntur Objectiones ex Sanctis Patribus.

QUid ad auctoritatem nonnullorum ex antiquis Ecclesiæ Scriptoribus, qui tribus primis Ecclesiæ sæculis floruere, Justini nimirum, Irenæi, Tertulliani &c. respondendum sit, abundè diximus in ipso præsentis controversiæ exordio. Consule.

Ex quarto itaque, & subsequentibus sæculis objiciuntur nobis

SANCTUS HILARIUS.

DIstinguit S. ille Doctor non uno in loco regnum Christi, à regno Dei seu Patris: & Christi quidem regno non aliud attribuit tempus, quàm quod à morte cujusque justi ad diem Judicii excurrit. Inde autem incipit regnum Dei justis concedere.

Ed. no. p. 582. D. Regnum *verò Christi*, reponit S. Doctor, *in pace & unanimitate Sanctorum.* In Psal. 147. n. 2. Eo in regno, justi sub tutela & protectione Christi, ejus consortio & summa pace fruuntur, quò tendebat votum S. Pauli cùm dicebat: *Cupio dissolvi & esse cum Christo.* Ita S. Doctor in Psal. 119. n. 1.

P. 49. D. Regnum autem Dei est, ut ipse statuit in Psal. 2. n. 42. *Ubi peccatum vincitur, ubi mors perimitur, ubi non regnat hostis.* Quod fiet per gloriosam mortuorum resurrectionem, secundùm istud S. Aug. Serm. 233. n. 5. *Morietur & in nobis mors: sed quando? in fine sæculi, in resurrectione mortuorum.* Dei ergo To. 5. p. 986. D. regnum in mente S. Hilarii, est ipsamet gloriosa corporum resurrectio, tum cùm Christus *reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Philipp. 3. v. 20.

Quæstio verò est, utrum S. Hilarius ab illo regno Christi, in quo sancti permanebunt usque ad ultimum Judicii diem, excludat intuitivam Dei visionem. Dubitandi rationes istæ sunt.

P. 383. 1. Quia regnum Dei appellat *æternum*, in Psal. 144. n. 16. & in Psal. 148. n. 8. in Psal. verò 120. n. 16. appellat, *regnum cœleste, regnum cœlorum, æternum ac beatum regnum.* Nusquam verò sic appellat regnum Christi.

2. Do-

2. Docet per regnum Christi Sanctos pervenire ad regnum Dei. Ita in Psal. 148. nu. 8. *Quia*, inquit, *illud Sanctorum est regnum, per quod regnante Domino ad beatum regnum Dei Patris ascendent; Psalmum ita Prophetæ concluſit: Hymnus omnibus Sanctis ejus . . . Illis ergo proprius hic hymnus eſt, qui Deo propinquabunt, qui per hoc Jerusalem regnum beatum æterno regno proximi, poſt regnum Domini noſtri Jeſu Chriſti in regnum Dei Patris Domino congregante tranſibunt . . . . Regnat itaque Dominus, traditurus Deo Patri regnum; non regni poteſtate cariturus, ſed nos, qui regnum ejus ſumus, Deo Patri traditurus in regnum. Regni traditio, noſtra provectio eſt; ut qui in regno Filii erimus, in regno quoque ſimus & Patris.* Igitur, in mente S. Doctoris, priuſquam Sancti perveniant ad beatum regnum Dei, (hoc eſt regnum beatitudinis) neceſſe eſt illos toto temporis ſpatio, quod fluet à morte illorum uſque ad diem Judicii, manere in regno Chriſti. P. 589. F. P. 590. A. lb. C.

3. Expreſſiùs adhuc ac diſertiùs hoc ipſum declarare videtur in Pſalm. 120. n. 16. his verbis. *Exeuntes*, inquit, *de corpore ad introitum illum regni cæleſtis . . . per cuſtodiam Domini fideles omnes reſervabuntur, in ſinu ſcilicet interim Abrahæ collocati, quò adire impios interjectum cahos inhibet, quò uſque introeundi rurſum in regnum cælorum tempus adveniat. Cuſtodiet ergo Dominus exitum, cùm de corpore exeuntes, ſecreti ab impiis interjecto caho quieſcant.* Ergo Sancti uſque ad univerſale Judicium ſunt ſub cuſtodia, ſecreti quidem ab impiis, ſed nondum in regno cœlorum. Quod confirmat S. Doct. in Pſal. 138. nu. 22. *Humanæ*, inquit, *iſta lex neceſſitatis eſt, ut conſepultis corporibus ad inferos animæ deſcendant. Quam deſcenſionem Dominus ad conſummationem veri hominis non recuſavit.* Encuſtodia, de qua loquebatur in Pſalm. 120. *Inferi* ſcilicèt, ad quos deſcendit Chriſtus, ut aſcendens in cælum captivam ſecum duceret captivitatem. P. 583. E. P. 514. D.

4. Declarat S. Doctor in Pſal. 62. n. 3. animas in regno Chriſti collocatas, deſiderare Dei conſpectum; ergo illo non fruuntur. *Hoc animæ*, inquit, *deſiderium, hæc ſitis ſpei ejus eſt, ut Dei ſibi proveniat aſpectus, ut quàm primùm raptus in nubibus, Deo Chriſto obviam elevatus appareat.* Et Lib. 11. de Trin. n. 39. clarè aſſerit, Sanctos à Chriſto regnum Deo tradendos eſſe & tunc Deum eſſe viſuros. *Tradet*, inquit, *Chriſtus Deo patri regnum: & tunc quos regnum Deo tradiderit, Deum videbunt.* Ergo antea in regno Chriſti Deum non videbant. P. 152. E. Pag. 1104. B

5. Denique in Pſal. 2. n. 48. adhuc innuit ante ultimum Judicium nec beatitudinem nec pœnam rependendam eſſe, ſed utramque in ſuſpenſo remanſuram. *Judicii dies*, inquit, *vel beatitudinis retributio eſt æterna; vel pœnæ. Tempus verò mortis habet interim unumquemque ſuis legibus, dùm ad judicium unumquemque aut Abraham reſervat; aut pœna.* Pa. 52. D.

Reſp. Re ipſa S. Hilarium diſtinguere regnum Chriſti à regno Dei: at negamus illum à regno Chriſti excludere viſionem Dei intuitivam, qua beati, quibus nihil luendum ſupereſt, ſtatim à morte donantur.

Ad primam probationem: Eſto, regnum Chriſti non appellet S. Doctor, regnum æternum: at illud vocat, *requiem æternam*, in Pſalm. 57. n. 6. quam quidem requiem in Dei ſuſceptione ſitam eſſe ſignificat in Pſalm. 53. n. 10. *Habeat itaque*, ait, *hanc innocens religio fiduciam, ut . . . ſi quando iniuſtæ mortis vis afferatur, excedentem habitaculo corporis animam ſciat in Dei ſuſceptione requieſcere.* Pariter regnum illud Chriſti, in Pſal. 147. nu. 2. *Vocat conven-* P. 152. E. Pa. 99. A. B.

P. 582. D. *tum Beatorum, Sanctorum cœtum, civitatem vivis lapidibus extructam*: quę, quia civitas eſt pacis, *Jeruſalem dicta ſit*. Et in Pſal. 2. n. 48. appellat: *Sedem Beatorum*. In Pſal. 148. n. 8. *Sanctæ Jeruſalem regnum Beatum*. Et in Pſal. 141. P. 582. C. n. 5. *Terram viventium; paradiſi incolatum; regnum hæreditatis Chriſti*.

P. 590. B. Quòd verò eo in regno ſupponat S. Doctor Sanctorum animas Dei viſione frui; patet manifeſtè, tùm quia ait, ut mox vidimus, *eas in Dei ſuſceptione* P. 544. D. *requieſcere*: tùm quia in Pſalm. 118. Littera 18. n. 10. de beato Lazari exceſſu ſic loquitur, *Abrahæ ſinu continetur; & miſeriam vitæ laborioſæ, beatę quietis honore demutat*. Et in Pſal. 65. n. 23. *Martyres*, ait, *in cœlis domicilii habi-* P. 351. F. *tationem conſummatis hoſtiarum ſuarum ſacrificiis introierunt*. Tùm denique, quia in Pſal. 2. n. 48. clarè ac diſertè affirmat, ſine mora ſtatim à morte, vel præmium, vel ſupplicium nos manere. *Teſtes*, inquit, *nobis evangelicus di-* P. 452. C. *ves & pauper: quorum unum Angeli in ſedibus Beatorum & in Abrahæ ſinu locaverunt, alium ſtatim pœnæ regio ſuſcepit . . . . Nihil hic dilationis aut moræ eſt*.

Ad ſecundam diſtinguo. Sancti per regnum Chriſti pervenient ad regnum Dei, ratione gloriæ corporis, ac beatitudinis quæ tunc integra & conſummata futura eſt, concedo; ratione viſionis Dei intuitivæ, quaſi illa caruerint in regno Chriſti, nego. Regnum Dei, in mente S. Hilarii, poſitum eſt in glorioſa corporis reſurrectione: tunc autem integra, adæquata & conſummata futura eſt totius hominis felicitas.

Ad tertiam. Per cuſtodiam non intelligit S. Doctor locum aliquem tenebroſum carceri ſimilem, quo animæ Sanctorum detineantur; ſed intelligit Chriſti tutelam & protectionem, qua ab omni malo tutæ ac ſecuræ Chriſti conſortio ac ſumma pace fruuntur. Quo ſenſu dixit in Pſal. 119. n. 1. Nihil nobis à ſæculi violentia timendum, *Cùm Chriſti conſortium mors acquirat*.

P. 370. F. Ad confirmationem ex Pſal. 138. Miſſa eorum reſponſione, quibus placet S. Doctorem loqui de Sanctis Veteris Teſtamenti, quos certum eſt in ſecretioribus quibuſdam locis detentos fuiſſe, donec Chriſtus inde illos libera verit: dico veriſimile videri, S. Doctorem exiſtimaſſe poſt Tertullianum L. de anima c. 55. hanc omnibus Sanctis legem impoſitam eſſe, ut ad exemplum & imitationem Chriſti, ſaltem tranſeunter ad inferos deſcendant, ea loca luſtraturi, quæ Chriſtus ſua præſentia cohoneſtavit. Sed quidquid ſit de illa ſingulari opinione S. Hilarii, hoc pro certo haberi debet, illum Sanctis non denegaſſe, ante ultimum Judicii diem, viſionem Dei intuitivam, & beatitudinem animæ, ut vocant, incompletam & inadæquatam: quandoquidem in eo ipſo loco qui hic objicitur, Pſal. ſcilicèt 120. n. 16. ait: *Sanctos in cuſtodia Domini* P. 383. E. *reſervari, quouſque introeundi rurſum in regnum cœlorum tempus adveniat*. Quæ particula, *rurſum*, apertè indicat, eos jam antea in regno cœlorum fuiſſe, quamquam non in eo corporis ſplendore ac gloria, qua, reſumptis poſt reſurrectionem corporibus, donabuntur, rurſum ad plenam & conſummatam felicitatem in regno cœlorum collocandi.

Ad quartam. Animæ Sanctorum in regno Chriſti deſiderant Dei conſpectum; non quòd eo caruerint, ſed ut eo ſimul omnes fruantur, completè & adæquatè, tam ratione corporis quàm animæ: tunc enim Sanctis novus haud dubiè accedet felicitatis gradus, cùm omnes ſimul collecti, plenam in anima & corpore beatitudinem conſequentur.

Libro

Libro quidem de Trinit. 11. ait: *Tradet autem Chriſtus Deo Patri regnum & tunc quos regnum Deo tradiderit, Deum videbunt.* Verùm, non magis inde ſequitur quòd antea non viderint, quàm cùm Pſal. 65. n. 13. docet, *Chriſtum tunc ſæculo dominaturum, cùm evacuaverit omnem principatum*, non ſequatur eum antea dominatum non fuiſſe. Senſus ergo S. Doctoris eſt, quòd ſancti tunc, id eſt poſt generalem carnis reſurrectionem, Deum videbunt viſione perfecta, adæquata & conſummata. P. 1104. B. P. 178. B.

Ad quintam denique. Judicii dies, de qua loquitur, eſt dies Judicii, non ultimi & univerſalis, ſed particularis quod ſtatim à morte quilibet homo experitur. Quod ibidem probat S. Doctor, exemplo divitis epulonis & Lazari, qui uterque ſine mora ſtatim judicatus fuit; & iſte gloriam, ille verò debitam pœnam reportavit. Unde teſtimonium illud S. Hilarii favet plurimùm cauſæ catholicæ, nedum ipſi noceat.

SANCTUS AMBROSIUS.

Diſſimulandum non eſt, nonnulla circa rem præſentem ſcripſiſſe S. Ambroſium, quæ ſi crudè & ad litteram intelligerentur, difficilè admodum cum dogmate catholico conciliari poſſent.

Ait enim 1. Lib. de bono mortis c. 10. n. 45. *Animarum ſuperiora eſſe habitacula*: quod probat ex Lib. 4. Eſdræ c. 7. v. 32. ubi dicitur: *Habitacula reddent animas quæ his commendatæ ſunt.* Tùm addit: *Hæ ſunt habitationes de quibus dicit Dominus, multas manſiones eſſe apud Patrem ſuum.* Paulò poſt ſic pergit: *Satis fuerat illis* (Philoſophis) *dixiſſe, quòd liberatæ animæ de corporibus ad lucem peterent, id eſt, locum qui non videretur, quem locum latinè infernum dicimus.* Duo hìc docere videtur S. Ambroſius: primum; habitationes, de quibus Chriſtus ait: *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*, ea ipſa eſſe animarum receptacula, de quibus mentio fit L. 4. Eſdræ. Secundum: iſta receptacula ſubterranea eſſe, ſeu infernum ipſum in quo animæ Sanctorum detinentur uſque ad ultimum Judicii diem. T. 1. p. 407. F. Ib. pag. 408. A.

Ait 2. ibid. n. 46. in illis receptaculis, quæ Scriptura promptuaria nuncupat, omnes Sanctorum animas recipi, ac reſervari in diem ultimi Judicii: nempe ut omnes ſimul coronam percipiant; ac ne detur Veteribus conquerendi locus, qui jam diu his in locis detenti, debita mercede defraudari videntur. *Denique*, inquit, *Scriptura habitacula illa animarum promptuaria nuncupavit: quæ occurrens querelæ humanæ, eò quòd juſti qui præceſſerunt, videantur uſque ad Judicii diem, per plurimum ſcilicet temporis, debita ſibi remuneratione fraudari.* Ibid. B.

Ait 3. ſeptem eſſe ordines ſeu gradus, *per quos juſtarum animarum digeſtæ erit lætitia.* Ibid. c. 11. n. 48. Ordines autem iſti ſunt. *Primus, quòd vicerint carnem, nec eius illecebris inflexæ ſint. Secundus, quòd pro pretio ſedulitatis & innocentiæ ſuæ, ſecuritate potiantur. Tertius, quòd ſervatæ à ſe legis divino teſtimonio fulciantur, ut factorum ſuorum incertum ſupremo Judicio non revereantur eventum. Quartus, quia incipiunt intelligere requiem ſuam, & futuram ſui gloriam prævidere, eaque ſe conſolatione mulcentes, in habitaculis ſuis cum magna tranquillitate requieſcent ſtipatæ præſidiis Angelorum. Quintus autem ordo*, ait S. Doct. *exultationis uberrimæ habet ſuavitatem, quòd ex hoc corruptibilis corporis carcere in lucem libertatemque pervenerint, & repromiſſam ſibi poſſideant hæreditatem.* Ibi d. F. P. 409. A.

tatem. Sexto ordine demonſtrabitur iis, quòd vultus eorum ſicut Sol incipiat refulgere . . . Septimus verò ordo is erit, ut exultent cum fiducia, & ſine ulla cunctatione confidant, & ſine trepidatione lætentur feſtinantes vultum eius videre.

Porrò inter illos ſeptem ordines, non tantùm nullam S. Doctor facit mentionem conceſſæ jam animabus Sanctorum viſionis Dei intuitivæ, ſed potius hanc ipſis denegare videtur, & ad ultimum Judicii diem differre. Ait quippe in quarto ordine: *Sanctos incipere intelligere requiem ſuam, & futuram ſui gloriam prævidere.* Si futuram, non egre præſentem poſſident. Quod confirmat in ſeptimo ordine: cùm ait: *Sanctos ſine trepidatione lætari feſtinantes videre vultum Dei.* Si feſtinant & ſummo ardore deſiderant videre, ergo nondum vident.

Ibid. p. 209. f. Denique L. 2. de Cain & Abel c. 2. n. 9. versùs finem ſic ait: *Solvitur corpore anima, & poſt finem vitæ hujus adhuc tamen futuri Judicii ambiguo ſuſpenditur.* Ergo nondum poſt mortem eam ſecuritatem adepta eſt, quæ ab æterna felicitate ſejungi naſquam poteſt.

Reſp. Æquitatis eſſe, ut quæ obſcura ſunt & involuta, lucem mutuentur & exponantur ab iis quæ clara ſunt & aperta, qualia ſunt ea quæ inter probationes noſtræ Concluſionis ſuprà ex S. Ambroſio retulimus. Itaque

Ad primam probationem. Dico 1. Falsò prorſus ſupponi, S. Ambroſium confundere habitationes de quibus Chriſtus dixit, *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*, cum illis animarum receptaculis, de quibus Eſdras. Imò potius, mens S. Doctoris hæc eſſe videtur, manſiones ſcilicèt illas in novo Teſtamento, reſpondere iis receptaculis in quibus, quo tempore ſcribebat Eſdras, animæ veterum detinebantur; ac conſequenter, cùm manſiones illæ jam in cœlo ſint, ſupponit S. Doctor animas juſtorum novi Teſtamenti poſt mortem in cœlum mox recipi, ſi nihil obſtiterit.

Dico 2. S. Ambroſium loqui de tempore veteris Legis, cùm ait illa receptacula, in quibus animæ veterum Patriarcharum ac Prophetarum detinebantur, ſubterranea fuiſſe, quæ nos infernum appellamus: de iis enim loquitur, de quibus Eſdras quem laudat. Receptacula verò in quibus collocantur ſancti poſt Chriſtum, in mente S. Doctoris, ſunt, ex mox dictis, habitationes ſeu manſiones in cœlis; dicente Chriſto: *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.*

Ad ſecundam. Mens S. Doctoris eſt 1. Omnes Sanctos in diem ultimi Judicii reſervari, ut publicum ſimul coram univerſo mundo triumphum agentes, plenam ac conſummatam, tùm in corpore, tùm in anima, felicitatem adipiſcantur. Hæc enim propriè corona dicitur, quæ datur victoribus publicè cum

Ibid. p. 403. b. pompa & celebritate. *Corong enim dies expectatur ab omnibus*, ait S. Doctor, citato c. 10. L. de bono mortis n. 46. *ut intra eum diem & victi erubeſcant, & victores palmam adipiſcantur victoriæ.* 2. Plenam, integram, ac conſummatam non fore Sanctorum beatitudinem, niſi reſumptis in reſurrectione generali corporibus: at verò ante iſtud tempus, tametſi conſpectu Dei fruantur, deſiderio tamen reſumendi corpus tenentur ac retardantur, & quodammodo *ingemiſcunt*, ut loquitur S. Doctor. *Quamvis enim*, ut ipſe ait Epiſtola 35. ad

T. 2. f. 926. C. Oront. *de ſuo merito ſint ſecuri, tamen quia futura eſt adhuc redemptio totius corporis Eccleſiæ, compatiuntur. Cùm enim adhuc membra patiuntur corporis ſui, quomodo alia membra, licèt ſuperiora, non compatiantur?* Quòd autem animas juſtorum, etiam ante finem mundi, velit S. Ambroſius Dei conſpectu ac felicitate

citate animi frui, suadent hæc ipsius verba L. citato de bono mortis c. 10. nu. 47. Ergo, inquit, *dum expectatur plenitudo temporis, expectant animæ remunerationem debitam.* (plenam scilicèt & consummatam..) *Alias manet pœna, alias gloria:* (publica nimirum) *& tamen nec illę interim sine injuria, nec istę sine fructu sunt. Nam & illæ videntes servantibus legem Dei repositam esse mercedem gloriæ, conservari ab Angelis earum habitacula, sibi autem... supplicia futura... erubescunt in conspectum ejus* (Dei) *venire.* Vident ergo impii, docente Ambrosio, justis repositam esse mercedem gloriæ, etiam ante ultimi Judicii diem. To. 1. p. 408. D.

Ad tertiam: Falsò supponitur, ab illis septem ordinibus seu gradibus Sanctorum lætitiæ, S. Ambrosium excludere ipsam Dei visionem. Hanc enim non obscurè significant ista S. Doctoris verba, in quinto ordine. *Quintus autem ordo*, ait, *exultationis uberrimæ habet suavitatem, quòd ex hoc corruptibilis corporis carcere, in lucem libertatemque pervenerint & repromissam sibi possideant hæreditatem.* Quæ autem est illa repromissa hæreditas, nisi Dei possessio? Et paulò post n. 49. *Justi habent*, inquit, *hanc remunerationem, ut videant faciem Dei, & lumen illud quod illuminat omnem hominem.* Et c. 12. nu. 53. *Ibimus*, inquit, *eò ubi paradisus est jucunditatis... ubi & latro ipse regni cœlestis consortio gratulatur.* Cùm ergo S. Ambrosius in quarto ordine ait, *Sanctos incipere intelligere requiem suam, & futuram sui gloriam prævidere*, loquitur de gloria perfecta & consummata, qualis futura est in ultimo dumtaxat die Judicii. P. 409. B. P. 410. A. P. 411. C.

Ad quartam denique: Sensus S. Ambrosii esse non potest, animas adhuc de sorte sua quasi dubia & incerta foret, sollicitas esse: locis quippe mox adductis clarissimè testatur, alias de pœna, alias verò de gloria securas esse. Cùm ergo Lib. 2. de Cain & Abel ait, *eas adhuc ambiguo judicii suspendi*, loquitur de die futuri ultimi Judicii, quam quidem vel ipsi Sancti nesciunt.

S. JOANNES CHRYSOSTOMUS.

Opponuntur ex S. Chrysostomo 1. hæc verba ex Hom. 39. num. 1. ad Cor. *Si maneat anima, & millies sit immortalis, sicut est re vera, absque carne non accipiet bona illa ineffabilia, sicut nec punietur... Si enim non resurgit corpus, incoronata manet anima extra illam beatitudinem, quæ est in cœlis.* Anima igitur Deo non fruitur ante resurrectionem corporis. Edit. Comm. p. 676.

2. Homilia 28. in Epist. ad Heb. *Ne viderentur*, ait, *esse melioris quàm nos conditionis*, (sancti veteris Testamenti) *si primi coronarentur, definit omnibus unum tempus coronarum. Etiam qui tam multis ante te annis vicit, tecum accipit coronam.* Antea dixerat: *Quid ergo faciet Abeli, qui ante omnes vicit, & sedet non coronatus? Quid verò Noe, & quid iis, qui illis fuere temporibus, quòd te & eos qui post te erunt expectant?* Pag. 1935.

3. Homilia 52. in Matth. docet justos statim à morte ferri in sinum Abrahæ. *Hæc* (Misericordia) *non patitur*, inquit, *eò nos detrudi, ubi dives ille cruciatur, sed in sinum Abrahæ certo itinere ducit.* Sinus autem Abrahæ, in mente S. Chrysostomi, etsi paradisus sit, seu locus pacis & quietis, non tamen cœlum ubi Deus se conspiciendum præbet. Serm. enim 7. in Gen. loquens de bono latrone cui dixit Christus: *Hodie mecum eris in paradiso*: fatetur quidem illum in paradiso hac ipsa die fuisse, sed non in cœlo. *Quomodo igitur*, inquit, Edit. Comm. p. 471. A.

Ed. no. To.4.p. 681. B. *bona latro accepit? non enim se in paradisum nos introducturum promittit Deus, sed in ipsum cælum: neque regnum paradisi, sed regnum cælorum prædicavit.*

4. Denique, Hom. de S. Philogonio, postquam dixit, multa Angelorum millia esse in cœlo, addit: *Alibi sodalitia Prophetarum, alibi Martyrum chori, Apostolorum ordines, cunei justorum.* Ergo S. Chrysostomus existimat sos Angelos in cœlo versari, alios verò justos alibi detineri.

Ed. no. To.1.p. 494.C.

Resp. ad primum, S. Chrysostomum eò loci arguere ex hypothesi impiorum, qui negant futuram corporum resurrectionem; ac mentem ipsius esse, animas justorum, tametsi immortales sint, nullam post hanc vitam mercedem reportaturas, sive ipsa nulla futura sit (ut impii opinantur) corporum resurrectio: quia Deus eadem voluntate, & animæ & corpori suam repromisit futuram mercedem. Æquitas enim postulat, ut utraque hominis pars, quæ bonis operibus cooperata est, præmii ac mercedis fiat etiam particeps. Si ergo nulla est corporum resurrectio, consequenter necesse est corpus sua mercede defraudari, imò & animam ipsam, Deo sic ordinante ac statuente. Non quòd velit S. Chrysostomus, utramque corporis nimirum & animæ beatitudinem tempore connexam esse; sed tantùm virtute justitiæ, æquitatis & voluntatis divinæ. Non vult Chrysostomus dicere, ajunt Bellarminus & Estius, animam non frui bonis æternis ante resurrectionem; sed simpliciter, non fruitur ullis bonis cœlestibus, si caro non resurgat: quia nimirum, cùm tam animus, quàm caro laboraverint, par est, ut utraque pars suam mercedem habeat. Quòd si una non habebit, inde colligitur, nec alteram habituram, & è contrario, si caro suo tempore resurget & coronabitur; colligitur, nunc animam coram Deo vivere & coronari. Vide Theophilactum, qui in eundem locum Pauli scribens, Chrysostomi sensum clariùs proponit.

Lib. 1. de SS. beatit. c. 4. Estius in L. 4. Sentent. dist. 49. §. parag. 6.

Ad secundum. Chrysostomus loquitur de corona, quæ publicè, post corporum resurrectionem, omnibus Sanctis simul est concedenda; seu de perfecta & adæquata beatitudine tùm corporis, tùm animæ, qua veteres unà nobiscum donandi sunt.

Ad tertium. Chrysostomus, ut & alii è veteribus non pauci, dubius fuit non quidem circa beatitudinem animæ statim à morte Sanctis plenè purgatis concedendam; sed de loco in quo starent animæ illæ usque in diem ultimi Judicii: quem locum, alii sinum Abrahæ, alii paradisum, alii simpliciter animarum receptacula seu promptuaria nuncupavere.

Ad quartum. Significat dumtaxat his verbis S. Doctor, varios esse felicitatis gradus, quibus Prophetæ, Martyres, Apostoli &c. donantur: quamquam omnes claro & intuitivo Dei conspectu fruantur.

SANCTUS AUGUSTINUS.

JAm paulò superiùs observatum à nobis fuit, S. Augustinum antequam Episcopus consecraretur, (an. scilicèt 400.) in sententiam Millenariorum aliquatenus inclinasse, sicut fatetur ipsemet L. 20. de Civitate Dei c. 7. quam postea, re meliùs ac maturiùs expensa, deposuit, sicut manifestè declarant, quæ ex ipso superiùs testimonia laudavimus. Nonnulla tamen apud illum exstant, quæ aliqua indigent expositione.

To.1.p. 1060.C. 1. Serm. 259. n. 2. *Octavus ergo iste dies*, inquit, *in fine sæculi novam vi-*

tam

tam significat: septimus quietem futuram Sanctorum in hac terra. Regnabit enim Dominus in terra cum Sanctis suis, sicut dicunt Scripturæ, & habebit hic Ecclesiam, quò nullus malus intrabit, separaram atque purgatam ab omni contagione nequitiæ .... Et postea. Sextus autem dies iste cùm transierit, veniet requies post illam ventilationem, & sabbatizabunt Sancti & justi Dei. Post septimum autem cùm apparuerit in area dignitas messis, fulgor, meritumque Sanctorum, ibimus in illam vitam, & in illam requiem, de qua dictum, Oculus non vidit &c. *Ibid. p.* 1061. A. B.

2. Apertè pronuntiat S. Doctor, animas Sanctorum, usque ad ultimum Judicii diem, non in cœlo, ubi Deus videtur, quibusdam in receptaculis, ubi pace, & requie fruentur, collocandas esse.

In Psal. 36. Serm. 1. n. 10. *Post vitam istam parvam*, inquit, *nondum eris ubi erunt Sancti, quibus dicetur, Venite benedicti Patris mei .... Nondum ibi eris, quis nescit? sed jam poteris ibi esse, ubi illum quondam ulcerosum pauperem, dives ille superbus .... in tormentis vidit à longè requiescentem. In illa requie positus, certè securus expectas Judicii diem, quando recipias & corpus, quando immuteris, & Angelo æqueris.* *To. 4. p.* 263. C.

In Enchiridio ad Laurent. cap. 109. *Tempus*, inquit, *quòd inter hominis mortem & ultimam resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis continet, sicut unaquæque digna est vel requie vel ærumna, pro eo quod sortita est in carne, dum viveret.* *To. 6. p.* 237. F.

Lib. 1. de Civitate Dei c. 13. *Cùm desunt ea*, inquit, *quæ curandis funeribus condiendisque corporibus defunctorum adhiberi solent, non efficiunt miseros ita occultis piorum sedibus jam quietos.* *To. 7. p.* 14. E.

Lib. denique 12. de Civitate Dei c. 9. *Pars*, inquit, *quæ conjungenda immortalibus Angelis ex mortalibus hominibus congregatur, & nunc mortaliter peregrinatur in terris, vel in eis qui morte obierunt, secretis animarum receptaculis sedibusque requiescit.* *Ibid. p.* 308. D.

3. Non tantùm docet S. Aug. animas piorum, usque ad diem ultimi Judicii in aliquibus secretis receptaculis detineri, sed etiam Dei conspectu privari, donec per resurrectionem in Angelos transformemur.

Epistola 148. ad Fortunatianum, adducto quodam S. Hieronymi testimonio asserentis, *Nos esse visuros Deum facie ad faciem, quando de hominibus in Angelos profecerimus*, sic loquitur. *In his verbis hominis Dei, multa consideranda sunt. Primum, quia secundùm apertissimam Domini etiam sententiam ipse sentit tunc nos visuros faciem Dei, cùm in Angelos profecerimus, id est æquales Angelis facti fuerimus; quod erit utique in resurrectione mortuorum.* *To. 2. p.* 499. n. 8. C.

Et in Psal. 43. ad ista verba v. 5. *Qui mandas salutes Jacob. Illa*, inquit, *visio facie ad faciem, liberatis in resurrectione servatur.* *To. 4. p.* 373. F.

Tractatu 49. in Joan. *Promissa est*, inquit, *resurrectio carnis .... vita æterna cum Angelis. Hoc omnes simul accepturi sumus.* *To. 3. p.* 2. *pag.* 623. E.

Denique Lib. 1. Retract. c. 14. n. 2. *Quinam sint*, inquit, *illi beatissimi, qui jam sunt in possessione quò ducit hæc via, magna quæstio est. Et Angeli quidem sancti, quòd ibi sint, nulla quæstio est. Sed de sanctis hominibus jam defunctis; utrùm ipsi saltem dicendi sint jam in illa possessione consistere, meritò quæritur. Jam enim corpore quidem corruptibili, quo anima aggravatur, exuti sunt, sed adhuc expectant etiam ipsi redemptionem corporis sui, & caro eorum requiescit in spe, nondum in futura incorruptione clarescit. Sed utrum ad contemplandam cordis oculis veri-* *To. 1. p.* 22. C.

tatem,

tatem ſicut dictum eſt, facie ad faciem, nihil ex hoc minus habeant, non hic locus eſt diſputando inquirere. Ergo vel in ipſo vitæ ſuæ fine, cùm nempe hos Retractationum libros ſcripſit, anno ſcilicèt 426. & 427. (obiit autem S. Doctor anno 430.) adhuc dubius & anceps erat S. Auguſtinus utrùm Sanctorum animæ, ſtatim à morte, Deum clarè & apertè intuerentur, ſeu facie ad faciem.

Varia S. Auguſtini ſententia circa ſedes animarũ poſt mortẽ.

Reſp. ad primum. Re ipſa S. Auguſtinum in ea ſententia fuiſſe aliquando, Sanctos per mille annos cum Chriſto in terris regnaturos; verùm ab illa ſententia, ut dictum eſt, ſubinde receſſit.

Ad ſecundum. Fixa & conſtans non videtur fuiſſe S. Auguſtini ſententia circa ſedes, ſeu domicilia aut receptacula, in quæ animæ Sanctorum poſt mortem reciperentur.

Aliquando enim illa diſtinguit à cœlo: ita ferunt, quæ hìc opponuntur loca.

Aliquando illa confundit cum cœlo: ita Lib.2. quæſt. Evangelic. q.38.n.1.

To.1.p. 2. pag. 264. E. *Sinus Abrahæ*, inquit, *requies eſt beatorum pauperum, quorum eſt regnum cœlorum,*

Ibid. p. 266. A. *in quo poſt hanc vitam recipiuntur.* Ibid.nu.5. *Sinus Abrahæ intelligitur ſecretum Patris, quò poſt paſſionem reſurgens aſſumptus eſt Dominus.*

Aliquando rem illam in incerto reliquit: L.9. Conf. c.3. *Quidquid illud eſt,* inquit, *quod illo ſignificatur ſinu.* (nempe Abrahæ) Et Lib.12. de Gen.

To.1.p. 159. B. ad Litt.c.34. *Si tamen* (ait) *non aliquid unum eſt diverſis nominibus appellatum.*

To.3.p. 1. pag. 322. C. Verùm, duo hæc rata & fixa fuere apud S. Doctorem.

Primum, Sanctos apud inferos jam non eſſe, quemadmodum ad Chri-

To.7.p. 593. C. ſtum uſque fuere veteres: *Donec*, inquit L.20. de Civitate Dei c.14. *eos inde ſanguis Chriſti & ad ea loca deſcenſus erueret; profectò deinceps boni fideles effuſo illo pretio jam redempti, prorsùs inferos neſcunt.*

Secundum: Quocunque in loco eſſe animas Sanctorum poſt mortem ſtatuat S. Aug. eas divino conſpectu frui, ac felicitate potiri, conſtanter poſt Epiſcopatum affirmavit.

Ad tertium: Mens S. Doctoris eſt, animas Sanctorum videre quidem Deum, ſed non ita perfectè ac videbunt poſt reſurrectionem; propterea quòd naturale deſiderium recipiendi corpus non ſinat animas toto impetu ac conatu ferri in Deum: atque hoc eſſe diſcrimen inter Angelos & homines, quòd Angeli, cùm nihil amplius expectent, toti ferantur in Deum; animæ verò Sanctorum quodammodo retardantur deſiderio reſumendi corpus, ne pleno ac perfecto modo in Deum ferantur. *Quia*, inquit S. Doct. L.12.de Gen. c.

To.3.p. 1. pag. 122. n. 68. F. 35: *ineſt ei* (animæ) *naturalis quidam appetitus corpus adminiſtrandi; quo appetitu retardatur quodammodo, ne tota intentione pergat in illud ſummum cœlum, quandiu non ſubeſt corpus, cujus adminiſtratione appetitus ille conquieſcat.* Itaque non dicit S. Auguſtinus, animam à corpore ſeparatam non poſſe videre incommutabilem ſubſtantiam; ſed non poſſe videre eo modo, id eſt, tam perfectè ac ipſi Angeli vident, propter cauſam jam dictam.

Idem planè reponendum, & ad locum ex Lib.Retract.c.14. & ad Epiſt. 148. Manifeſtum enim eſt his in locis S. Doctorem loqui de viſione Dei perfecta & conſummata, qualis futura eſt poſt reſurrectionem corporum: non autem de viſione ſeu beatitudine inadæquata, qua donantur animæ Sanctorum ſtatim ab ipſa morte. An verò non tantùm extenſivè, ſed etiam intenſivè, ut ajunt, & quoad gradus, augenda ſit eſſentialis Sanctorum felicitas

poſt

post resumpta corpora, quæstio est in controversia apud Scholæ Doctores; de qua vide Bellarm. L.1. de Sanctorum beatitudine c.5

Ad locum ex Psalm.43. ait quidem S.Doctor, liberatis in resurrectione servari claram Dei visionem; sed non negat interim illam concedi Sanctis quibus nihil luendum supereſt: unum quippe ab alio excluditur.

SANCTUS BERNARDUS.

EX S.Bernardo multa opponuntur, quæ prima fronte tantam præse ferre difficultatem videntur, ut Durandus Meldensis Episcopus insurgens in opinionem Joannis XXII. neglecta S.Bernardi auctoritate in exponendis Scripturis, sententiam ipsius in re præsenti paulò duriùs insectatus est. *Est notandum*, inquiebat Durandus, *quòd licèt Bernardus fuerit vir magnæ devotionis in oratione & sermonibus, non fuit tamen magnæ auctoritatis in expositionibus: & ideo in talibus, qui vult, potest eum tenere vel negare sine reprehensione: attamen propter reverentiam eius*, pergit Durandus, *discurramus per dicta sua.* Refellit deinde præsèt Bernardi verba, ac minùs urbanè ait: *Putat* (Bernardus) *se habere sensum S.Joannis in Apocalypsi, & non habet.* Leguntur hæc apud Rainaldum ad ann.Christi 1333. n.57. qui n. sequenti observat eundem Durandum multorum invidiam subiisse, *& à fidei Censoribus, ob nonnullos errores, in ius vocatum*, non nisi gratia & protectione Regis Francorum censuram declinasse. T.15.

Ex S. itaque Bernardo hæc opponuntur.

I. Serm.2.n.4. in Festum omnium Sanctorum de statu piorum post mortem verba faciens: *Jam verò*, inquit, *consummato militiæ tempore gaudium habent Sancti etiam in spiritu suo, donec adveniat dies illa, qua introire mereantur in gaudium Domini sui .... Interim quippe sub altari eos esse, & non supra, ipse nos docet .... qui, ut scribit in Apocalypsi, sub altari ipso eorum etiam voces audivit. Adhuc ergo signatum est super eos lumen vultus Domini: & licèt non plenam, habent tamen lætitiam multam in corde suo, donec veniat dies illa, qua implebit eos lætitia cum vultu suo. Interim, inquam, converteruntur animæ illæ in requiem suam, donec veniat dies, qua introire mereantur in requiem Domini.* To.2. 1031. D. Ibid. E.

Tria hìc dicit S. Bernardus.

Primum. Animas illas Sanctorum post mortem esse sub altari, non suprà.

Secundum. Adhuc super eas signatum esse vultum Domini: quod certè visionem abstractivam, non verò intuitivam videtur designare.

Tertium. Eas lætitiam quidem habere, *donec veniat dies illa qua Deus implebit eas lætitia cum vultu suo*: Ergo ante diem illam, vultu Dei seu visione intuitiva non fruuntur.

II. Sermone 3. in Eundem Festum nu.3. tres distinguit sanctarum animarum status: primum, in corpore corruptibili; secundum sine corpore; tertium in beatitudine consummata. Primum in tabernaculis; secundum, in atriis, tertium, in domo Dei; tum addit: *Jam multi ex nobis in atriis stant expectantes donec recipiant corpora sua, donec impleatur numerus fratrum. In illam enim beatissimam domum nec sine nobis intrabunt, nec sine corporibus suis: id est, nec Sancti sine plebe, nec spiritus sine carne. Neque enim præstari decet integram beatitudinem, donec sit homo integer cui detur; nec perfectione donari Ecclesiam* Ibid. F. 1033. D. E.

ſiam imperfectam. Animæ porrò illæ quæ ſunt in atriis, non in domo; Deum intuitivè nondum vident.

III. Serm.4. in eundem Feſtum, per altare de quo S. Joannes in Apocalypſi, intelligit humanitatem Chriſti, ſub qua Sancti requieſcunt, donec ad claram Dei viſionem admittantur. Sic loquitur nu.2. *Altare ipſum, de quo nobis habendus eſt ſermo, nihil aliud arbitror eſſe, quàm corpus ipſum Domini Salvatoris.... Interim ergo ſub Chriſti humanitate feliciter Sancti quieſcunt, in quam nimirum deſiderant etiam Angeli ipſi proſpicere, donec veniat tempus, quando jam non ſub altari collocentur, ſed exaltentur ſuper altare. Sed quid dixi? Nunquid humanitatis Chriſti gloriam, non dicam hominum, ſed vel Angelorum aſſequi poterit quis, nedum ſuperare? Quoniam igitur modo ſuper altare dixerim exaltandos eos, qui nunc ſub altare quieſcunt? viſione utique & contemplatione, non prælatione. Oſtendet enim nobis Filius ſemetipſum, non in forma ſervi, ſed in forma Dei. Oſtendet nobis Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, ſine qua nimirum viſione nihil ſufficeret nobis.... Unde & beatus Joan. in Epiſtola ſua: Nunc, inquit, filii Dei ſumus; ſed nondum apparuit quid erimus. Scimus autem quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt.*

Ibid p. 1015. B. C. Ib. D.

Docere hic videtur apertè S.Bernardus Sanctos ſub altari, hoc eſt humanitate Chriſti quieſcentes, poſtea ſuper altare exaltandos; atque tunc Deum eſſe viſuros, ſicuti eſt in ſe, ea ipſa nempe viſione, de qua loquitur S.Joan. quæ certè intuitiva eſt ac beatifica; ergo antequam exaltentur ſuper altare, hoc eſt, ante generalem corporum reſurrectionem, Sancti divino conſpectu apertè non fruuntur.

Reſp. Hæc S.Bernardi teſtimonia, non eſſe ad ſolvendum difficiliora quàm quæ hactenùs ex SS.Hilario, Ambroſio, Chryſoſtomo, & Auguſtino laudata ſunt. Una enim eſt eorum omnium mens atque ſententia, unaque loquendi ratio.

Dico itaque S. Doctoris hanc mentem eſſe, animas ſcilicèt Sanctorum, perfecta & conſummata beatitudine donandas non eſſe, niſi poſt corporum reſurrectionem: tùm quia corpus ipſum, quod in partem boni operis aliquando venit, in ſocietatem quoque præmii vocari debet: tùm quia ipſa hominis anima naturali quodam pondere ad corpus ſuum inclinatur; ejuſque deſiderio retardatur, ne tam liberè & tam intensè circa Deum intuitivè videndum feratur, ac ferunturipſi Angeli tali corporis pondere expediti: unde in mente S.hujus Doctoris, animæ perfectiùs & intenſiùs Deum viſuræ ſunt poſt reſumpta corpora, quàm ante: tùm denique, quia cùm fideles omnes membra ſint ejuſdem corporis, reſervanda eſt plena & conſummata illorum felicitas, donec impleatur fratrum numerus; hoc eſt, congregati fuerint omnes electi.

De illa una beatitudine perfecta, adæquata & conſummta, tum in corpore, tum in anima, loqui S.Bernardum, res eſt manifeſta. Sermone enim 2.n.4. *Licèt*, inquit, *non plenam, habent tamen lætitiam multam*. Et nu.8. *Eſt ergo multitudo dulcedinis, quæ abſcondita eſt, magna quidem & magna valdè, nec-dum tamen perfecta....* Et poſtea. *Ad requiem exutæ à corporibus animæ ſanctæ protinus admittuntur: ad plenam autem gloriam regni non ita.* Et Sermone 3. n.1. *Neque enim præſtare decet integram beatitudinem, donec ſit homo integer cui detur, nec perfectione donari Eccleſiam imperfectam*. n.2. *Ipſarum ſine corpore compleri lætitia, perfici gloria, conſummari beatitudo non poteſt ..... ut nec dum*

Pagin. 1031. F. Pagin. 1033. A. Ibid. B. Ibid. E. Ibid. F

tota

tota earum affectio liberè pergat in Deum, sed contrahatur quodammodò, & rugam faciat, cùm inclinatur desiderio corporis. Denique Sermone 4. n. 3. *In æterna illa & perfecta beatitudine fruemur Deo ..... In hoc enim erit vita æterna & perfecta.* Vides itaque in his ipsis locis, unde objectio petitur, responsionem nostram contineri. Ex quibus facile est uno verbo ad singula reponere. *Pagin. 1036. E.*

Ad primum: Animæ quidem sunt sub altari; sed non privantur visione Dei simpliciter intuitiva, sed tantùm visione perfecta & integra.

Ad secundum: Super eas signatum quidem est lumen vultus Domini, sed modo longè perfectiori quàm in viatoribus: istis abstractiva, illis clara & intuitiva visio Dei conceditur.

Ad tertium: Post resurrectionem Deus lætitia quidem vultus sui plena, integra & consummata implebit Sanctos; sed antea fruuntur ea lætitia inenarrabili, quæ ex claro & intuitivo Dei conspectu nascitur.

Ad testimonium ex Sermone 3. patet responsio ex mox dictis. Sancti in atriis, seu sub humanitate Christi collocati, nondum sunt in domo, per visionem scilicèt completam & consummatam, concedo: per visionem simpliciter intuitivam, nego.

Eadem est responsio ad id quod ex Sermone 4. opponitur. Sancti nempe qui sunt sub altari, postea, cùm exaltati fuerint super altare Deum visuri sunt modo perfectiori quàm ante, concedo: Deum simpliciter visuri sunt, nego. Visio enim illa Dei clara & intuitiva, plures habet perfectionis gradus: est autem S. Bernardi sententia, etiam intensivè & quoad gradus augendam esse Sanctorum felicitatem, post generalem corporum resurrectionem.

Solvuntur Objectiones ex rationibus Theologicis.

OBjicies 1. Justi Veteris Testamenti, quamvis sanctissimi, ut Abraham aliique Patriarchæ & Prophetæ, non viderunt Dei essentiam statim à morte. Ergo nec vident sancti novi Testamenti: est enim utrobique paritas meritorum.

Resp. Nego consequens. Paritas quidem esse potest inter justos Veteris & Novi Testamenti, ex parte meritorum; sed diversitas est ex parte temporis. Nam ante Christum nondum tempus erat recipiendæ mercedis, non enim conveniebat ut animam Christi ulla alia tempore præcederet in regnum cœlorum, sed ut ipse alias ad Patris sui conspectum prævius ac præcursor introduceret: est quippe Christus fidelium caput, ac proinde necesse fuit eum membris suis præire.

Objicies 2. Christus ipse statim post mortem non ascendit in cœlum secundùm animam, sed descendit ad inferos; nec sine corpore ascendit in cœlum. Cùm igitur Sancti debeant Christo conformes fieri tanquam membra suo capiti; nec sit servus supra dominum, necesse est ut nec ipsi ad cœlestem gloriam priùs admittantur, quàm sua corpora receperint.

Resp. Licèt anima Christi in cœlum corporeum sine corpore non ascenderit, Deum tamen perfectissimè videbat jam inde ab initio suæ conceptionis, eratque proinde in cœlo spirituali, quod & ipsi etiam Angeli sancti, quocunque mittantur, nunquam desernnt. Deinde quamvis Sancti Christo conformari debeant in multis, non tamen planè in omnibus, quale est quòd ad

infe-

inferos descendit: non enim hoc fecit, ut nobis ad inferos vitam pararet, sed ut justorum detentas animas inde educeret: pariter quòd tertia die resurrexit; quòd corpus ejus non vidit corruptionem; quòd clamans expiraverit; quòd miracula fecit &c. non sunt facta ad imitationem, sed ad doctrinam & mysterium.

Objicies 3. Post resurrectionem publicum futurum est de omnibus Judicium; ergo tunc demum reddetur omnibus debita merces, seu gloria, seu pœna: hæc enim non nisi in Judicio publico decernuntur, non ante.

Resp. Ex dictis paulò antè, statim à morte unumquemque Judicio particulari reportare præmia vel penas pro conditione operum, nondum quidem in corpore, sed in anima sola; donec in publico ac generali Judicio completam in corpore & anima mercedem vel pœnam quisque recipiat.

Objicies 4. Anima non meretur sine corpore; ergo non debet coronari sine corpore.

Resp. Absonum non esse animam sine corpore & ante corpus coronari: tùm quia est bonorum operum causa principalis utens corpore ut instrumento: tùm quia anima non omnia bona opera exercet per corpus, sed quædam sola cogitatione ac voluntate; cùm è contra corpus agere non possit sine anima: tùm quia anima separata capax est gloriæ, non item corpus separatum.

Objicies denique. Anima sine corpore misera est, utpotè contra propriam inclinationem separata ac divisa ab eo, cum quo naturaliter unum quid constituit; ergo non est beata, & proinde non fruitur beatifica Dei visione.

Resp. Animam separatam retinere quidem desiderium sui corporis, atque eam ob causam completam & consummatam non esse ipsius beatitudinem, quamdiu suæ comparti non copulatur; nihilominus simpliciter illam beatam esse cùm Deum intuitivè videt, licèt beatior sit futura post corporis resurrectionem.

Quæ fuerit Joannis XXII. sententia circa beatitudinem Sanctorum.

RAinaldus ad an. Christi 1331. n. 43. narrat excitatam tunc temporis inter Theologos, de beatifica Dei visione Sanctis à morte concedenda vel protrahenda, controversiam, in qua magnas egit partes Joannes XXII. S.P. qui quidem, ut observat ibidem Historicus, in professione fidei quam tenet Romana Ecclesia, & quam ipse ad Armenos, ad Cathianos, ad Persas &c. transmiserat, hæc docuerat: *Tenet & prædicat sacrosancta Ecclesia .... illorum animas qui post sacrum baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam quæ post peccati contractam maculam, vel in suis manentes corporibus, vel eisdem exutæ sunt purgatæ, in cœlum mox recipi.* Hæc autem fidei professio, ea ipsa est quam in Concilio Lugdunensi II. anno 1274. & Florentino anno 1439. Ecclesia confirmavit. Quæ verò subinde fuerit Joannis XXII. mens, quæ sententia, controvertitur.

To. 14.

1. An reipsa affirmatè negaverit, justorum animas, ante ultimum Judicii diem, intuitivè Deum videre.

2. An Pontif. auctoritate quidquam eam in rem pronuntiaverit ac definierit.

3. An ad mortem usque dubius, & anceps circa istud fidei caput fuerit, aut sententiam suam priorem aliquando revocaverit.

Dico igitur 1. Re ipsa Joan. XXII. plus æquo in eam inclinasse sententiam, quæ

quæ visionem Dei intuitivam, non nisi post corporum resurrectionem, Sanctis esse concedendam arbitratur.

1. Non diffitente ipsomet Rainaldo, ad annum 1331. nu. 44. Joannes maxima sollicitudine undequaque pro ista sententia, tùm ex S. Scripturis, tùm ex SS. Patribus argumenta & testimonia conquisivit; quin & publicè inter concionandum multa dixisse fertur, quæ huic sententiæ plurimùm favent. Refert ibidem ex Codice Vaticano verba Joannis. Idem referunt, tùm Continuator Chronici Guilielmi Nangii ad an. 1333. tùm Nicolaus Gillius in Chronicis ad ann. 1332.

2. Fatetur ipsemet Joannes in Epistola quam scripsit ad Philippum Valesium Francorum Regem apud Rainaldum ad an. 1333. n. 46. & 47. se pro illa sententia Librum scripsisse, quem ad Rogerium Archiepiscopum Rothomagensem, olim Sorbonæ Provisorem, subinde Pontificem Romanum sub nomine Clementis VI. transmisit; in quo quæstionem illam, productis in medium Scripturæ ac SS. Patrum testimoniis, ventilavit: Regemque enixè rogat, ut velit unicuique, sentiendi ac disputandi circa caput istud, liberam indulgere licentiam. At Rex præsentiens ex ista controversia, quæ tanto animorum æstu Parisiis tunc agitabatur, Religionis & Imperii pacem turbari posse, convocatis priùs & in Saltu Vincennarum congregatis Theologis Parisiensibus, eorumque audita sententia, libertatem quam S. Pontifex postulabat non tantùm non concessit, sed etiam interminata mortis pœna severè prohibuit, ne quis docere auderet, Sanctorum animas intuitivo Dei conspectu non fruituras nisi post ultimum Judicii diem: datis etiam, eam in rem, paulò acerbioribus ad Joannem Epistolis.

3. Qui stabant pro sententia Joannis, omni gratia & favore ab ipso cumulabantur; imprimis Gerardus Minoritarum Præpositus generalis, qui publicè Parisiis, coram frequenti Scholarium cœtu; non sine multorum scandalo & offensione, sententiam illam proposuerat. Qui verò ab hac sententia diffidebant, malè ac durè omninò à Pontifice excipiebantur; qualis imprimis fuit Durandus Episcopus Meldensis, qui cùm dogma catholicum erudito Tractatu, quem refert Rainaldus ad an. 1333. nu. 49. & seq. egregiè propugnasset, multorum subiit invidiam; ac Censorum Judicium, non nisi patrocinio & auctoritate Regis tectus, declinavit. Talis etiam fuit, ut alios omittamus, Thomas Valesius, Religiosus Anglus è familia Dominicanorum, in carcerem conjectus, quòd Joannis opinionem publicè confutare ausus fuisset.

4. Benedictus XII. Joannis XXII. immediatus successor, die Purificationis in Concione publica dixit: *Sanctos clarè etiam nunc videre essentiam Dei, contra opinionem decessoris sui*; qui nempe in partem oppositam plurimùm inclinatus fuerat. Ita Ptolomæus Lucensis ad ann. 1335.

Dico 2. Joannem XXII. auctoritate Pontificia, &, ut ajunt, ex Cathedra, nihil circa quæstionem istam definisse, & ad credendum fidelibus proposuisse.

Ita declarant Theologi Parisienses, qui anno 1232. interrogati à Philippo Francorum Rege, ac jussi suam de beatitudine Sanctorum dicere sententiam, sic respondent apud Bullæum Tom. 4. Hist. Univers. *Quia, Princeps serenissime, vos ut Dominum nostrum carissimum Fundatorem, & Guardiatorem Parisiensis Studii, & nostræ ibidem Theologicæ Facultatis, Regemque præcellentem reverari tenemur & vestris jussionibus obedire, attendentes specialiter id quod ab* P. 237.

ore

ore veſtro ibidem audivimus, ſcilicèt quòd nihil in hac materia quærebatis; quod tangere poſſit ſanctiſſimum Patrem ac Dominum noſtrum Joannem digna Dei providentia ſacroſanctæ Romanæ ac univerſalis Eccleſiæ Summum Pontificem, cujus ſumus devoti ſervi & filii, quinimò ſicut filius ejus devotiſſimus honorem ſuum in his & aliis zelabatis, advertenteſque quod multorum fide dignorum relatione audivimus, quòd quidquid in hac materia Sanctitas ſua dixit, non aſſerendo ſeu opinando protulerit, ſed ſolummodo recitando. Deinde ſuam circa doctrinam de Sanctorum felicitate ad diem ultimi Judicii non retardanda, ſententiam aperiunt Magiſtri Pariſienſes, quam ſuprà deſcripſimus. Obſerva hic obiter, tam avitam ſemper fuiſſe, ac quaſi innatam Theologis Pariſienſibus erga Summos Pontifices obſervantiam ac reverentiam, ut non alia quaſi lege ac conditione ſua hic mentem ac ſententiam aperuerint, *quàm quòd nihil ab ipſis quæreretur, quod tangere poſſet S. P. Joannem*: quòd nempe Religioni ducerent, de illo quidquam pronuntiare, unde perſona ipſius lædi & offendi potuiſſet.

2. Ipſemet Joannes ſe ipſum hìc clarè exponit. Namque in Epiſtola jam citata ad Philippum Francorum Regem, declarat ſe multa eam in rem è SS. Patribus protuliſſe; nihil autem è ſuo dixiſſe. Propulſat ibidem calumniam illorum, qui cauſabantur miſſum eſſe Pariſios Geraldum Minorum Generalem, eo fine ut opinionem de retardanda poſt reſurrectionem Sanctorum beatitudine diſſeminaret. Tùm veras cauſas exponit quibus motus fuerat ut unà cum Arnaldo à S. Michaele illum in Gallias miſerit. Vide Rainaldum ad ann. 1334. n. 30. Ait etiam, ſe Cardinalibus, ac pluribus in Theologia Magiſtris mandaſſe, ut quæſtionem hanc ſedulò & accuratè verſarent in utramque partem, relicta unicuique, quod vellet, ſentiendi libertate. Studio itaque indagandæ veritatis, non animo errori pertinaciùs addicto, de iſta quæſtione diſputavit Joannes; multaque ex SS. Patribus collegit, quæ ab Archiepiſcopo Rothomagenſi Gallicè reddi, & Philippo Regi exponi exoptavit.

Nihil verò diſertiùs proferri hìc poteſt, quàm quod die tertia Januarii an. 1334. in publico Conſiſtorio, ad omnem à ſe ſuſpicionem amovendam, declaravit S. ipſe Pontifex Joannes, his verbis apud Rainaldum ad ann. 1334.
To. 15. n. 28. *Ne quis ſiniſtrè*, inquit, *interpretari poſſit, nos ſenſiſſe aliquid aut ſentire, quod ſacræ Scripturæ obviet aut fidei orthodoxæ, dicimus & proteſtamur expreſsè, quòd quidquid in quæſtione ſeu materia viſionis animarum, videlicet an animæ à peccatis & pœnis peccatorum purgatæ videant divinam eſſentiam illa viſione, quam Apoſtolus vocat facialem; ſeu quacunque alia materia in ſermonibus & collationibus noſtris diximus, allegavimus, ſeu propoſuimus, non intendentes aliquid determinare vel decidere ſeu credere, quod eſſet quovis modo Scripturæ ſacræ obvium, vel contrarium fidei orthodoxæ, ſed illud ſolùm tenere, & credere, quod & Scripturæ ſacræ poteſt, & poterat, & catholicæ fidei convenire: Et ſi forſan in prædictis ſermonibus vel collationibus, aliqua, quæ vel Scripturæ ſacræ ſeu fidei orthodoxæ quovis modo eſſent vel videruntur obvia, ipſa præter intentionem à nobis fuiſſe prolata dicimus & aſſerimus, eaque revocamus expreſsè, non intendentes illis adhærere, nec ea in preſenti defendere, nec etiam in futurum.* Hanc Joannis declarationem ſeu proteſtationem promulgavit ejus ſucceſſor Benedictus XII. apud Rainaldum ad ann. 1334. n. 35. Hujus meminere vel ipſi Joannis hoſtes, & æmuli,

æmuli, Bonagratia in ſuo Commentario, & Ptolomæus Lucenſis in ſua Hiſtoria. *In Conſiſtorio*, inquit Lucenſis, *proteſtatus fuit* (Joannes) *coram Cardinalibus, Prælatis, & Capellanis, quòd in prædicta quæſtione nihil deffiniendo ſed recitando dixerat: & quòd paratus eſſet revocare, ſi quæ enormia dixiſſet; & quæ plures auctores pro & contra collegerant, fecit tunc legi in Conſiſtorio quinque diebus.* Apud Rainaldum ibid. n. 29.

Idem teſtatur Ulricus inſignis Doctor Germanus L. 4. c. ultimo apud Rainaldum ad ann. 1331. n. 45. *Si ſermo Papalis*, inquit, *piè & ſanè intelligitur, non propriè ſermo, nec definitio, nec determinatio, ſeu prædicatio; ſed magis quaſi quædam ſcholaſtica diſputantium collatio aptiùs eſſe perpenditur.*

His porrò teſtimoniis longè potiùs habenda fides eſt, quàm Ochamo, Cæſennæ, aliiſque Joannis æmulis ac Schiſmaticis, qui Ludovico Bavaro, à quo Joannes depoſitus fuerat, intruſo in ejus locum Petro de Corbario, adhærebant; quique calumniis Pontificis famam onerabant, quaſi decretoriè pronuntiaſſet Sanctos intuitiva Dei viſione donandos non eſſe, niſi poſt generalem corporum reſurrectionem. Cæteri verò, ut Joannes Villanus, Gerſo, Adrianus VI. Nicolaus Gillius qui Joanni minùs favere videntur, hoc unum affirmant, propugnatam quidem ab illo ſententiam de retardanda Sanctorum beatitudine; at Decreto Pontificio definitam fuiſſe non aſſerunt.

Dico 3. Joannem XXII. morti proximum retractaſſe quæcunque in gratiam hujus ſententiæ ſcripſerat aut dixerat; ac clariſſimè ſuam mentem ac ſententiam his verbis declaraſſe die tertia Decemb. anno 1334. *Fatemur & credimus, quòd animæ purgatæ ſeparatæ à corporibus ſunt in cœlo, cœlorum regno & paradiſo, & cum Chriſto in conſortio Angelorum congregatæ, & vident Deum, ac divinam eſſentiam facie ad faciem clarè .... Si verò alia vel aliter circa materiam hujuſmodi per nos dicta, prædicata, ſeu ſcripta fuerunt, quoquo modo illa diximus, prædicavimus ſeu ſcripſimus recitando dicta Sacræ Scripturæ & Sanctorum & conferendo, & non determinando, nec etiam tenendo: & ſic & non aliter illa volumus eſſe dicta.* Et poſtea judicio Eccleſiæ ſubjicit quæcunque circa quæſtionem illam dixit aut ſcripſit. Apud Rainaldum ad an. 1334. n. 37.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum animæ Sanctorum, quibus aliquid poſt mortem luendum ſupereſt, in Purgatorio ad tempus detineantur; atque fidelium precibus ac ſuffragiis juventur ac ſubleventur.

Quid ſit Purgatorium.

PUrgatorii nomine, intelligitur à Catholicis locus in quo juſtorum animæ detinentur, donec juſtitiæ divinæ plenè ſatisfecerint, vel pro aliqua pœna temporali, quæ ipſis poſt condonatam culpam ſolvenda ſupereſt, vel pro levioribus ac venialibus quibuſdam noxis, illis, dum viverent, non remiſſis. Hic hæret dogma catholicum, nec ultrà progreditur. Quis enim ſit, & ubi locus ille, quodve pœnarum genus animæ illic ſuſtineant: an tantùm triſtitiæ cujuſdam & doloris, ob dilatam beatitudinem; an quòd obſcuro quodam & caliginoſo carcere recludantur; vel igne corporeo torqueantur, quo exco-

quitur ac purgatur quidquid in ipsis sordium superesse potest: pariter, quæ sit mensura, quis modus, quæ duratio, quis minister hujus pœnæ, Ecclesia silente nec definiente, certò affirmare nec possumus, nec debemus. Quamquam dissimulandum non sit, communiorem Theologorum opinionem eò propendere, verò scilicèt igne animas illas cruciari. Neque obstat trita & pervulgata ista difficultas, nempe intelligi non posse, qua ratione ignis materialis agere possit in animam spiritualem: hæc enim ratio, si valeret, dæmones aliosque reprobos à pœna ignis seu combustionis eximeret. Id quidem clarè non concipimus: sed quàm multa sunt vera & certa, quæ exponere non valemus? Nemo hactenus satis intellexit, quomodo anima spiritualis cum corpore tam intimè uniri possit. Ubi dogmatis substantiam Ecclesia proponit ad credendum, hic hærendum; de modo curiosiùs non inquirendum.

Qua ratione suffragia viventium juvent animas in Purgatorio detentas.

CErtum est 1. Justos quibus post mortem supereſt aliquid Juendum meriti actualis esse incapaces: quia sunt extra viam, in qua dumtaxat, ut libertati, sic & merito vel demerito locus esse potest. *Quapropter*, inquit Ecclesiastes c. 9. v. 10. *quodcunque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas.* Et Jo. 9. v. 4. Christus ait: *Venit nox, quando nemo potest operari.*

Certum est 2. Hujusmodi justis prodesse sacrificium Altaris, suffragia Ecclesiæ, aliaque officia pietatis & religionis, à fidelibus in eorum gratiam oblata. Prosunt viventes mortuis, tùm voto, tùm merito, ait Magister L. 4. dist. 45. voto per orationes & supplicationes; merito, per laboriosa opera. Prodest Missæ sacrificium, & impetratione & propitiatione; sicut ex mox dicendis patebit.

Certum est 3. Justos illos in Purgatorio detentos, ex merito bonorum operum & gratiæ sanctificantis in quibus finaliter perseveraverunt, jure communionis Sanctorum, meritis viventium participare, eorumque juvari suffragiis. Charitas igitur & justitia, in qua illi mortui sunt, vera est radix & prima causa cur illis prosint viventium preces ac suffragia. *Neque negandum est*, ait S. Aug. in Ench. c. 110. n. 29. *defunctorum animas in pietate suorum viventium relevari, cùm pro illis sacrificium Mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt. Sed hæc eis prosunt, qui cùm viverent, ut hæc sibi postea possent prodesse, meruerunt... Quocirca hic omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam relevari quispiam vel gravari.*

T. 6. p. 238. A.

Qui erraverint adversùs fidem Purgatorii.

1. Aerius de quo S. Epiphanius hæresi 75. & S. Aug. hæresi 53. orationes pro mortuis damnando, Purgatorium sustulit: inde enim sequitur, aut mortuos precibus non indigere, aut iis juvari non posse.

2. Valdenses, teste Guidone Carmelita, in Summa de hæreticis.

3. Apostolici, de quibus S. Bernardus, Serm. 66. in Cantica, ubi eos appellat viros agrestes & idiotas, *Qui non credunt*, inquit n. 11. *ignem purgatorium*

rium reſtare poſt mortem, ſed ſtatim animam ſolutam à corpore, vel ad requiem tranſire, vel ad damnationem. To.1.p. 1498.

Verùm, nulli audaciùs dogma Purgatorii oppugnavere quàm Lutherus & Calvinus.

Lutherus nullum eſſe docet poſt hanc vitam Purgatorium, ſed in vita dumtaxat & in morte ipſa: horror quippe ac pœna mortis purgat ſi quid purgandum ſupereſt. Et in Libro ad Valdenſes de Euchariſtia: *Cùm*, inquit, *negatis Purgatorium, damnatis Miſſas, Vigilias, Cœnobia, Monaſteria, & quidquid per hanc impoſturam erectum eſt; per omnia etiam probo.*

Calvinus L.3.Inſtit.c5. n.6. ait: *Purgatorium multis blaſphemiis conſtructum eſſe ..... exitiale eſſe ſatanæ commentum, quod Chriſti crucem evacuat, quod contumeliam Dei miſericordiæ non ferendam irrogat, quod fidem noſtram labefacit & evertit.* P.240. P.241. Quibus verbis apertè ſignificat Calvinus, errorem Purgatorii ſibi fundamentalem ſeu capitalem videri, quo fides penitus ſub vertitur.

Petrus Martyr, Locor.commun. Claſſ.3. c.9. paragr.52. de doctrina Patrum circa Purgatorium, ſic ſcribit: *De Patribus, quid ſenſerint hac de re, non habeo quid aliud referam, niſi majorem illorum partem in eam ſententiam eſſe propenſam, ut Purgatorium concedant: ſed apud nullos eorum memini me legiſſe, articulum eſſe fidei, ut qui ſecus opinatus fuerit, ſalutem habere non poſſit.* Contradicit hic apertè Calvino qui errorem hunc, ut ipſi videtur, capitalem arbitratur. Et in Epiſt.1.ad Cor. c.3. idem Petrus Martyr fatetur Eccleſiam ſemper oraſſe pro mortuis; ſed abſque Scripturarum auctoritate & exemplo id obſervaſſe. Quantùm ille à vero aberret, demonſtrabunt quæ mox dicturi ſumus.

Recedunt hìc Novatores à VVicleffo & Joanne Hus, quos tamen velut Doctores catholicos, & ad reformationem Eccleſiæ divinitùs excitatos venerantur, & à quibus Eccleſiarum ſuarum origines ducunt. Illi enim Purgatorii doctrinam amplexi ſunt. Sic quippe VVicleffus Dialog.Lib.2. cap.22. *Verè*, inquit, *dicitur Eccleſia corpus Chriſti mixtum, quod verbis prædeſtinationis æternis, eſt cum Chriſto ſponſo Eccleſiæ copulatum. Et talis eſt triplex Eccleſia, ſcilicet militans, dormiens & triumphans. Militans, eſt corpus prædeſtinatorum, dum hìc viat ad patriam. Eccleſia dormiens, eſt prædeſtinati in Purgatorio patientes: & Eccleſia triumphans, eſt beati in patria quieſcentes.* Et cap.40. *Cum multæ animæ ſint interim in Purgatorio expiandæ, nec decet univerſalem Dominum multiplicare ſic ſuum judicium, patet quòd oportet eſſe Judicium ultimatum.*

Similia docet Joannes Hus, in elucidatione fidei ſuæ, ubi eodem modo Eccleſiam dividit. Et Tractatu de corpore & ſanguine Domini c.4. iſtos recenſet effectus venerabilis Sacramenti: *Purgari à peccatis, proficere in virtutibus, liberari à pœna Purgatorii quam deberet homo pati.* Et in Sermone de exequiis, cauſam laudabilem illarum hanc aſſignat, *ut devotiùs orando pro mortuis, dormienti Eccleſiæ, id eſt Sanctis in Purgatorio, adiutorium impendamus.* Si Calvinò fides, exitialem ac peſtilentem errorem docuerunt VVicleffus, & Hus.

Denique, Thomas quidam Anglus in ſuo de medio animarum ſtatu Opuſculo, nullum alium eſſe cenſet purgatorium ignem, quàm ultimæ mundi conflagrationis; unde exiſtimat, animas illas, quibus aliquid ſupereſt purgandum, illo igne purgandas fore: interim verò, dolere quidem & angi, nec Deum viſuras eſſe, niſi poſtquam hoc igne maculas ſuas prorsùs abſterſerint;

Probatur dogma catholicum Purgatorii.

CONCLUSIO.

JUstorum animæ, quibus post mortem nonnihil expiandum supereſt, Purgatorii pœnis expurgare illud priùs tenentur, quàm ipſis concedatur aperto Dei conſpectu frui: atque ut mitiores fiant & breviores earum pœnæ, viventium ſuffragiis juvari poſſunt ac ſublevari.

Benè multis ex Scriptura tùm Veteris tùm Novi Teſtamenti locis, hanc Eccleſiæ fidem ac doctrinam confirmant Bellarminus, & alii vulgò polemici Theologi, ſed quod non diſſimulandum, non eadem videtur in ſingulis ad probandum vis & efficacia, tanta eſt in iis exponendis interpretum varietas ac diſcrepantia. Omiſſa igitur eorum omnium teſtimoniorum critica diſcuſſione, duobus dumtaxat ex Scriptura & Traditione certiſſimis momentis, fidem catholicam Purgatorii demonſtrabimus.

PRIMUM MOMENTUM.

Poſt condonatam in hac vita lethalem culpam, ſupereſt pœna temporalis hic vel in altera vita perſolvenda ſuntque peccata quæ poſt hanc vitam expiantur & remittuntur.

NEmo eſt, qui vim hujus argumenti ſtatim non ſentiat. Quippe ſi poſt condonatam hac in vita lethalem culpam & reatum pœnæ æternæ, aliqua ſupereſt divinæ juſtitiæ ſolvenda pœna quæ hic perſoluta non fuerit, neceſſe eſt ut poſt mortem exſolvatur: divinæ quippe juſtitiæ jura fruſtari & eludi non poſſunt. Pariter, ſi quædam peccata ſunt quæ in futuro ſæculo expiantur ac remittuntur; neceſſe planè eſt agnoſcere, alicubi & per aliquas pœnas peccata illa expiari: at hoc ipſum eſt, quod Catholici vocant Purgatorium.

Utrumque autem iſtud caput demonſtramus.

Primum, ex celebri loco 2. Lib. Regum c. 12. v. 13. & ſequent. David à Propheta Nathan reprehenſus, ait: *Peccavi Domino. Dixitque Nathan ad David: Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum .... verumtamen quoniam blaſphemare feciſti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius qui natus eſt tibi morte morietur.*

Divinam hanc juſtitiæ Dei œconomiam, ut nempe dimiſſa culpa, homo pœnæ temporali obnoxius adhuc remaneat, agnoſcit S. Aug. Tract. 124. in Joan. n. 5. *Cogitur*, inquit, *homo tolerare etiam remiſſis peccatis, quamvis ut in eam veniret miſeriam, primùm fuerit cauſa peccatum. Producti or eſt enim pœna, quàm culpa: ne parva putaretur culpa, ſi cum illa finiretur & pœna. Ac per hoc, vel ad demonſtrationem debitæ miſeriæ, vel ad emendationem labilis vitæ, vel ad exercitationem neceſſariæ patientiæ, temporaliter hominem detinet pœna, & quem jam ad damnationem ſempiternam reum non detinet culpa.*

To. 3. p. 2. pag. 821. F.

Alterum autem caput, nempe aliqua eſſe peccata quæ poſt hanc vitam expiantur ac remittuntur, colligitur & probatur ex c. 12. S. Matth. v. 32. ubi Chriſtus ait: *Quicunque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem*

autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro. Quandam hic peccatorum partitionem adducit Christus; ac evidenter supponit aliqua esse quæ in futuro sæculo remittuntur. Porrò non remittuntur damnatis, in inferno enim nulla redemptio: nec etiam remittuntur beatis in cælo degentibus, in quibus nulla ne leviſſima quidem macula reperitur; ergo iis qui in Purgatorio pœnas luunt, antequam ad clarum Dei conſpectum admittantur.

Ne dicas, apertum videri textus laudati ſenſum: nempe, Chriſtum hac loquendi ratione ſignificare voluiſſe, peccatum, de quo loquitur, eſſe hujuſmodi, ut nunquam dimittatur. Quod quidem ſimpliciter expreſſit S. Lucas c. 12. v. 10. *Non remittetur.* Et S. Marcus cap. 3. v. 29. *Non habebit remiſſionem in æternum.* Namque Chriſtus modo apud homines recepto ac conſueto locutus eſt. Porrò, niſi ſuppoſuiſſet aliqua eſſe peccata quæ in futuro ſæculo dimittuntur, ineptè omnino, quod vel cogitare impium eſt, locutus fuiſſet; ſicut ineptè omnino quis diceret: neque in hoc ſæculo nubam, neque in futuro; quia in futuro ſæculo nullæ futuræ ſunt nuptiæ.

Deinde verò, ita citatum locum intelligunt SS. Auguſtinus, Gregorius Magnus & Bernardus.

S. Auguſtinus Lib. 21. de Civitate Dei cap. 24. *Neque enim*, ait, *de quibuſdam veraciter diceretur, quòd non eis remittatur, neque in hoc ſæculo, neque in futuro, niſi eſſent, quibus, etſi non iſto, tamen remitteretur in futuro.* Et L. 6. contra Julian. c. 15. n. 45. *Et peccata quidem*, inquit, *nulla remittuntur in regno: ſed ſi nulla remitterentur in judicio illo noviſſimo, puto quòd Dominus non dixiſſet de quodam peccato, Non remittetur neque in hoc ſæculo, neque in futuro; quando ſibi remitti ſperabat latro ille, qui dicebat, Memento mei, cùm veneris in regnum tuum. De qua re, quoniam profundiſſima quæſtio eſt, non eſt modò præcipitanda ſententia.* To. 7. p. 642. n. 2. F. T. 10. p. 686. E.

S. Gregorius Magnus L. 4. Dialog. c. 39. *In qua*, inquit, *ſententia datur intelligi, quaſdam culpas in hoc ſæculo, quaſdam verò in futuro poſſe laxari.* Ed. ne. T. 2. p. 441. E.

Et S. Bernardus Serm. 66. in Cantica n. 11. adversùs eos qui Purgatorium impugnant, ſic ait: *Si non credunt ignem Purgatorii reſtare poſt mortem . . . . quærant ab eo, qui dixit, quoddam peccatum eſſe quod neque in hoc ſæculo, neque in futuro remitteretur.* To. 1. p. 1498.

Ad idem ſecundum caput probandum, multi ex Catholicis adducunt famoſum ex c. 3. v. 11. 1. Epiſt. ad Corinth. teſtimonium. *Fundamentum*, aiit Apoſtolus, *nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus. Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam, uniuſcujuſque opus manifeſtum erit: Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur; & uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probabit. Si cujus opus manſerit, quod ſuperædificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus arſerit, detrimentum patietur: ipſe autem ſalvus erit; ſic tamen quaſi per ignem.*

Per aurum, argentum & lapides pretioſos, multi hìc intelligunt opera charitatis, ſeu ex motivo charitatis elicita, qui ſupra fundamentum Chriſti ædificant, mercedem recipient. Per ligna verò, fœnum, ſtipulam, intelligunt leviores quaſdam ſeu veniales noxas, quæ charitatem quidem non extinguunt, nec fundamentum, quod Chriſtus eſt, evertunt, nec conſequenter æterna

ignis pœna plecti inferentur, sed tantùm aliqua transitoria & temporali: *Salvi erunt, sic tamen quasi per ignem. Ædificavent autem*, ait S. Aug. in Psal. 37. n. 3. *aurum, argentum, lapides pretiosos, & de utroque regne securi essent; non solum de illo æterno.... sed etiam de illo qui emendabit eos qui per ignem salvi erunt.* Augustinum sequitur Gregorius Magnus Lib. 4. Dialog. cap. 39.

To. 4 p. 295. C.

Textum hunc Apostoli obscurum esse, & ad intelligendum difficilem, fatetur ipsemet S. Augustinus Lib. de fide & operibus, aitque c. 16. *malle se audire intelligentiores atque doctiores.*

To. 6. f. 180. 2.

Bellarminus Lib. 1. de Purgatorio c. 5. observat, multa in eo Apostoli textu contineri, de quibus non consentiunt omnes Interpretes. 1. Quid intelligatur per ædificantes. 2. Quid per aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum & stipulam. 3. Quid per diem Domini. 4. Quid per ignem, qui in die Domini, uniuscujusque opus probabit, & de quo dicit Apostolus: *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Circa hæc discordes sunt Interpretes.

2. 27. B.

1. Per, *ædificantes*, intelligunt aliqui, quotquot operantur vel bona, quæ per metaphoram auri, argenti & lapidum pretiosorum designantur; vel mala seu venialia peccata, quæ dicuntur ligna, fœnum, stipula; quæ nimirum supra fundamentum Christi, quod non destruunt, ædificantur. Alii, per *ædificantes*, intelligunt præcones Evangelicos, qui fidem Christi annuntiant quidem, sed supra illam astruunt doctrinam quamdam, non quidem hæreticam qua destrueretur fundamentum, sed minùs solidam, minusque castigatam.

2. Alii, præsertim Græci, aurum, argentum, & lapides pretiosos, bona opera interpretantur: lignum verò, fœnum, stipulam, intelligunt mala opera æterno igne punienda. Eos autem qui hujusmodi opera fidei christianæ fundamento superædificaverint, salvos fore dicunt quasi per ignem: quia quamvis in ignem æternum mittendi sint, nunquam tamen consumentur, & servabuntur semper recentes ad pœnam.

Latini verò Patres, imprimis S. Augustinus & S. Gregorius Magnus, aurum, argentum, lapides pretiosos, interpretantur opera bona; ligna verò, fœnum & stipulam, inordinatos affectus ad res terrenas, quæ tamen Christo minimè præponuntur.

3. Per diem Domini qui uniuscujusque opus declarabit, intelligi potest, vel privatum ac singulare Judicium quod unusquisque statim à morte experitur; vel ultimum ac generale quod fiet in fine mundi, quod quidem propriè dies Domini stylo Scripturæ appellatur.

4. Per ignem per quem salvos fore ait Apostolus, qui super christianæ fidei fundamentum, lignum, fœnum, ac stipulam ædificaverint; quidam, ignem tartareum; alii, Purgatorium; alii, ignem ultimæ conflagrationis intelligunt cui postremo illos duos effectus tribuunt quos designat Apostolus, pro duplici: ipsius proprietate. 1. Sanctorum opera bona suo splendore illustrabit, declarabit ac probabit; quomodo aurum igne probatur; quomodo tres pueri in fornace probati sunt, non combusti, non cruciati. 2. Aliorum justorum opera mala, sed venialia, idem ignis calore suo aduret, castigabit, expurgabit; quo modo aduruntur, & consumuntur ligna, fœnum, stipula: & ita, justus salvus erit quasi per ignem; id est, non sine pœna: metaphora ducta ab iis, qui per ignem seu incendium aliquod non sine aliqua sui læsione transeunt, ut vitam conservent.

S. Au-

S. Auguſtinus Enchiridii c. 68. nomine ignis hìc intelligit tribulationes hujus vitæ. Eundem ſenſum approbat & ſequitur S. Gregorius Magnus L. 4. Dialog. c. 39.

Porrò, ex tam varia interpretum expoſitione evidens eſt, probabile dumtaxat, non invictum, ac demonſtrativum pro fide Purgatorii confirmanda deduci poſſe argumentum. Lege Bellarminum Lib. 1. de Purgatorio c. 5. Eſtium Comment. in c. 3. 1. ad Corinth. & in Lib. 4. Sent. diſt. 21. Maldonatum de Pœnitentia q. 1. de Purgatorio. Fratres VValenburgenſes Tractatu 5. de Purgatorio.

SECUNDUM MOMENTUM.

Juſti nondum plenè hac in vita purgati, viventium precibus ac ſuffragiis in altera juvari ac ſublevari poſſunt.

DEcretorium videtur ac invictum iſtud argumentum. Si enim juſti, viventium precibus, ſuffragiis, ac piis operibus juvari ac ſublevari poſſunt in altera vita; ergo aliquid ipſis luendum & expiandum ſupereſt; ergo ſub pœna ſunt conſtituti, quæ, viventium precibus, levior aut brevior fieri poteſt; atque hæc ipſa eſt catholica Purgatorii doctrina.

Primum argumentum ex Scriptura.

PRobatur 1. famoſo Judæ Machabæi facto, quod refertur L. 2. Machab. c. 12. v. 43. & ſequen. *Facta collatione*, ait ſacer Contextus v. 43. *duodecim millia drachmas argenti miſit Jeroſolymam offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium, benè & religioſè de reſurrectione cogitans .... Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur.*

Habes ex illo celebri teſtimonio 1. Poſſe mortuos poſt hanc vitam à peccatis ſolvi. 2. Sacrificia & orationes vivorum mortuis prodeſſe. 3. Omnes peccatorum reliquias non ſemper per mortem expiari, ut Luthero & Calvino placet. Illi enim, pro quibus Judas Machabæus ſacrificium offerri voluit, mortui erant morte violenta, & quidem pro Religione; atqui tamen perfuaſum habebat Judas, illos plenè purgatos non fuiſſe. 4. Poſſe hominem ſanctè & piè mori, & tamen habere debitum aliquod ſolvendum; ſive propter levia quædam & venialia peccata non remiſſa; ſive propter pœnam temporalem, quæ poſt condonatam culpam lethalem ſolvenda ſupereſt: teſtatur enim ſacer Contextus loco citato v. 45. eos pro quibus Judas orari juſſit, *cum pietate dormitionem accepiſſe*. 5. denique, Officia illa pietatis quæ defunctis exhibentur ad Religionem pertinere.

Vim & auctoritatem hujuſce teſtimonii, quod certè peremptorium eſt, ut eludant Novatores, tria potiſſimum reponunt.

Primum: Librum hunc Machabæorum Canonicum non eſſe, cùm in Canone Hebræorum non legatur: *Quod ex Machabæorum Hiſtoria proferunt*, ait Calvinus Libr. 3. Inſtit. cap. 5. numer. 8. *reſpenſione non dignabor, ne opus illud viderar in ſacrorum Librorum catalogum referre.* P. 241.

Secundum: Plus ex hoc teſtimonio, ſi Canonicum eſſet, probaretur, quàm

velimus; nempe, viventium preces iis etiam prodeſſe qui in peccato mortali mortui ſunt, quales fuere, pro quibus Judas ſacrificium juſſit offerri: ſub tunicis enim illorum quædam reperta ſunt de donariis Idolorum, quę illi ſubripuerant contra expreſſam prohibitionem latam à Deo Deuteron. 7. quam ob cauſam, illos interfectos fuiſſe, narrat citato capite Libri hujus Scriptor.

Tertium: In citato textu manifeſtum errorem contineri; nempe animas perire ſimul cum corporibus, & cum iis reſurgere. Si enim ſupponeret animas immortales eſſe nec perire cum corpore, non diceret vanum ac ſuperfluum eſſe orare pro mortuis, ſi mortui non reſurgunt: quia etſi corpus non reſurgeret, anima ſuperſtes illis orationibus ac ſuffragiis viventium juvari poſſet.

Verùm, Catholici hæc facillimè diluunt.

Ad Primum: Re vera, Librum hunc Machabæorum in Canone Hebraico non extare: nec certè mirum, quia ſcriptus non erat quo tempore Canon Hebræorum adornatus fuit. Nihilominus Eccleſia Catholica Librum hunc inter Canonicos admiſit, quod nobis ſatis eſt. At ſepoſita jam iſta quæſtione, quæ non videtur eſſe hujus loci, non minùs firmum & efficax eſt Catholicorum, ex citato textu, pro fide Purgatorii argumentum. Ut enim appoſitè differit Eſtius in 4. diſt. 45. paragr. 8. *Ex illo facto Judæ Machabæi colligitur, publicè tunc temporis perſuaſum fuiſſe, ſuperfluas non eſſe neque vanas viventium pro defunctis orationes. Judas enim, cùm eſſet ex genere Sacerdotali, credendus eſt hoc mandaſſe, quod ſciebat accepta à majoribus antiqua conſuetudine ſacrificiorum obſervari ſolitum, licèt id expreſsè ſcriptum non legatur. Unde intelligitur, quòd etiamſi auctori Lib. Machabæorum non aliud quàm humanam fidem hiſtoriæ tribuamus, ſatis tamen ex eo probetur pia conſuetudo Sacerdotum & aliorum fidelium hujus temporis, cum certa perſuaſione qua credebant, talia non fruſtra nec inaniter fieri.* Hæc Eſtius.

Ad ſecundum: Eſto, (quod abſit tamen ut concedamus) erraverit Judas Machabæus in facto illo ſingulari; cùm nempe arbitratus eſt mortuos illos de quibus agebatur, juvari poſſe viventium ſuffragiis: at ſaltem in publico jure ſeu dogmate non erravit, mortuos ſcilicèt à viventibus juvari poſſe; quod unum hic ad dogma noſtrum confirmandum ſufficit. Audiatur rursùs idem Eſtius loco jam citato.

Reſpondeo, inquit, illos omnes non ignoraſſe, quòd etſi qui ceciderant, polluti eſſent anathemate, potuerint tamen illius peccati veniam conſequi, ſi cum pietate qua pugnabant pro patriis Legibus, occubuiſſent, videlicet aut de peccato pœnitentiam veram concipientes ante mortem; vel quòd per ignorantiam legis, à peccato mortali poſſint excuſari; vel denique, quòd ſpolia quæ capiebant, Idolorum donaria eſſe neſcirent; vel denique, pergit Eſtius, ut demus eos erraſſe in qualitate peccati, ut veniale & expiabile putaverint eſſe, quod mortale erat & jam expiari non poterat, illud tamen reſtat, quod nobis in præſenti ſufficit, nimirum ex hiſtoria compertam eſſe conſuetudinem Sacerdotum, atque aliorum fidelium illius temporis, cum pia perſuaſione qua credebant defunctorum animas, qui cum pietate dormitionem accepiſſent, oblatione ſacrificiorum à peccatis abſolvi.

Ad tertium: Falsò prorsùs ſupponitur, negatam ab Auctore Libri 2. Machabæorum animæ immortalitatem: ſed pro more Judæorum, quæſtionem immor-

mortalitatis animæ, & resurrectionis corporum, simul conjunxit, quasi una foret: ita enim apud ipsos utraque quæstio connexa erat, ut utramque vel negarent vel admitterent. Ita Saducæi, utramque rejiciebant; Pharisei verò, admittebant utramque: & in disputatione Christi cum Saducæis Matth. 22. v. 31. 32. ambæ illæ quæstiones videntur connexæ. *Non legistis*, aiebant Christus, *quod dictum est à Deo dicente vobis: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & deus Jacob: Non est Deus mortuorum, sed vivientium.* Quod quidem argumentum, connexam supponit utramque quæstionem: aliàs, non ita firmum & efficax fuisset adversùs Saducæos, qui facilè reponere potuissent, equidem Deum vocatum fuisse Deum Abraham, & Deum Isaac, & Deum Jacob, quasi Deum viventium, non quia resurrectura essent de facto eorum corpora, sed quia eorum animæ vivebant, & quidem vita immortali numquam extinguenda: suppositâ verò utriusque quæstionis necessaria connexione, invictâ & efficaci ratione demonstrabat Christus, & corporum resurrectionem & immortalitatem animæ. Simili ferè argumento utitur Sanctus Paulus 1. Corinth. 15. v. 32. *Quid mihi prodest*, inquiebat, *si mortui non resurgunt? manducemus & bibamus: cras enim moriemur.* Quod argumentum oppositum non esset, nisi corporum resurrectionem cum immortalitate animarum necessariò conjunctam supponeret: quia scilicèt, etsi non resurgerent corpora, si tamen animæ sunt immortales, falsò cum impiis dicitur: *Manducemus & bibamus, cras enim moriemur.* Superstes enim est anima, cujus saluti expedit ut homo hìc piè ac sanctè vivat. Judas igitur Machabæus, considerata ista necessaria connexione resurrectionis corporum eum animarum immortalitate, verè omnino pronuntiavit; *superfluum esse ac vanum orare pro mortuis, si mortui non resurgunt*: quippe necessaria consecutionis lege, si mortui non resurgunt, corpus, quod in partem boni operis venit, mercede sua frustrabitur; & consequenter anima ipsa, quæ altera est hominis pars & quidem nobilior. Non patiuntur enim divinæ justitiæ leges, ut aliqua hominis pars remaneat vel sine præmio, si benè; vel sine pœna, si malè hac in vita operata est.

Secundum Argumentum ex usu & praxi Ecclesiæ universæ.

PRobatur 2. Ex perpetuo ac constanti usu Ecclesiæ, quæ pro mortuis publica suffragia ac incruentum Missæ sacrificium semper obtulit.

Tertullianus hujus consuetudinis meminit L. de corona militis c. 3. *Oblationes*, inquit, *pro defunctis pro natalitiis annua die facimus.* Et c. 4. *Harum & aliarum hujusmodi disciplinarum*, (quas inter oblationes pro defunctis enumeraverat) *si legem expostules Scripturarum, nullam invenies: Traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, fides observatrix.* P. 101. A. Ibid.

Et Lib. de Monogamia ultra medium, de officio viduæ fidelis erga maritum ita scribit. *Pro anima ejus orat, & refrigerium interim adpostulat ei, & in prima resurrectione consortium, & offert annuis diebus dormitionis ejus.* Et in Lib. de Exhortatione castitatis c. 11. *Ut jam*, inquit, *receptæ* (uxoris) *apud Dominum, pro cujus spiritu postulas, pro qua oblationes annuas reddis.* P. 531. A. P. 523.

S. Cyprianus Epist. 66. prohibet ne sacrificium offeratur pro defuncto Victore; quòd, contra præscriptam legem, Geminium Faustinum Presbyterum autus fuisset actorem constituere, seu ad tutelam vel curam nominare.

S. Am-

S. Ambrosius pro fratre suo Satyro, pro Valentiniano, Gratiano & Theodosio Imperatoribus defunctis, solemnes ad Deum supplicationes, ac Missæ sacrificium obtulisse legitur.

Sed ne plura hic exempla congeramus, quæ Novatores ipsi negare non ausi sunt; nemo nescit quod refert S. Aug. Lib. 9. Confessionum, Monicam matrem suam vehementer rogasse, ut sui memoria in peragendis mysteriis fieret ad altare; ac votis ejus reipsa satisfactum, *cum oblatum est pro ea sacrificium pretii nostri*, ait S. Doctor c. 12.

T. 1. p. 168. F. Et L. de cura pro mortuis gerenda c. 1. n. 3. *In Machabæorum Libris*, inquit, *legimus oblatum pro mortuis sacrificium. Sed etsi nusquam in Scripturis veteribus*
To. 6. p. 516. C. *omnino legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum.* Et c. 4. *Cum re-*
Ibid. p. 519. D. *tolit animus ubi sepultum sit carissimi corpus, & occurrit locus nomine Martyris venerabilis, eidem Martyri animam dilectam commendat recordantis & precantis affectus. Qui cùm defunctis à fidelibus carissimis exhibetur, eum prodesse non dubium est iis, qui cùm in corpore viverent, talia sibi post hanc vitam prodesse meruerunt. . . Non sunt prætermittendæ supplicationes pro spiritibus mortuorum: quas faciendas pro omnibus in Christiana & Catholica societate defunctis etiam tacitis nominibus eorum sub generali commemoratione suscepit Ecclesia, ut quibus ad ista desunt parentes aut filii, aut quicumque cognati vel amici, ab una eis exhibeatur pia matre communi.*

Idem rursus confirmat S. Doct. Sermone 172. aliàs 32. de verbis Apostoli, his
To. 5. p. 827. E. verbis n. 2. *Orationibus sanctæ Ecclesiæ, & sacrificio salutari, & eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adjuvari: ut eum eis misericordiùs agatur à Domino quàm eorum peccata meruerunt. Hoc enim à Patribus traditum universa observat Ecclesia, ut pro eis qui in corporis & sanguinis Christi communione defuncti sunt, cùm ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur. Cùm verò eorum commendandorum causa opera misericordiæ celebrantur, quis eis dubitet suffragari, pro quibus orationes Deo non inaniter allegantur? Non omnino ambigendum est, ista prodesse defuncti is; sed talibus qui ita vixerint*
P. 828. A. *ante mortem, ut possint eis hæc utilia esse post mortem . . .* Et Paulò post. *Non ergo mortuis nova merita comparantur, cùm pro eis boni aliquid operantur*
Ibid. B. *sui, sed eorum præcedentibus consequentia ista redduntur . . . Et ideo istam finiens quisque vitam, nisi quod meruit in ipsa, non poterit habere post ipsam.*

Tam publicam & constantem Ecclesiæ universæ praxim negare quidem non ausus est Calvinus, sed velut abusum improbare non erubuit. Monicæ votum, *anile votum* appellat L. 3. Inst. c. 5. n. 10. *quod filius* (Augustinus) *non exegit ad*
P. 143. *normam Scripturæ: sed pro naturæ affectu probari aliis voluit. Veteres*, addit ibid. *qui preces fundebant pro mortuis, & mandato Dei, & legitimo exemplo*
Ibid. *destituti erant; & in eo aliquid humani passi sunt: ideoque ad imitationem trahendum non est quod fecerunt.* Sic ille Traditionem ex Apostolis deriva-
T. 2. p. 126. C. tam inverecundè ac protervè carpit: immemor hujus Augustini sententiæ Epist. 54. ad Januar. aliàs 118. nu. 6. *Si quid tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare, insolentissimæ insaniæ est.*

Falsò igitur ad vim hujus probationis eludendam fingunt Novatores, non

ea

ea mente oraſſe veteres pro defunctis, ut eos juvarent; ſed ut gratum erga illos ſuum animum ſignificarent; ut ſe ipſos conſolarentur; ut à populari uſu non recederent. Miſera hæc ſunt deploratæ cauſæ ſubſidia: conſtat enim ex S. Aug. citato Libro de cura pro mortuis gerenda, & mortuos ſuffragiis viventium juvari; & vivos inde ſolatium percipere. Quæ apprimè diſtinguit S. ille Doct. c. 110. Enchiridii. *Cum*, inquit, *ſacrificia ſive altaris, ſive quæcumque eleemoſynarum pro baptiſatis defunctis omnibus offeruntur, pro valdè bonis gratiarum actiones ſunt; pro non valdè malis propitiationes ſunt; pro valdè malis etiamſi nulla ſint adjumenta mortuorum, qualeſcunque vivorum conſolationes ſunt.* To. 6. p. 238.

Tertium Argumentum ex more Chriſtianorum celebrandi exequias.

PRobatur 3. ex more Chriſtianorum celebrandi exequias. Nomine autem exequiarum, non hic intelligimus funus; ſed duo, nempe apparatum externum quo morui ſepeliuntur; & cæremonias ſeu ritus ad religionem pertinentes, quibus ſepeliuntur. Ita Paulinus in Epitaphio ad Pammach. interpretatur luctus illos Hebræorum erga ſuos mortuos: quod confirmat ex c. 38. Eccleſiaſtici v. 16. *Fili, in mortuum produc lachrymas, & quaſi dira paſſus incipe plorare, & ſecundùm judicium contege corpus illius, & non deſpicias ſepulturam illius.*

Ita pariter S. Hieronymus in Epiſt. ad Paulam de morte Bleſillæ, ait; plangum illum Chriſtianorum pro morte Stephani Act. 8. non fuiſſe tantùm lachrymas, ſed pompam & externos ritus. Inter cæremonias autem uſurpari ſolitas, una hæc erat ut Pſalmi decantarentur, & recitarentur orationes pro mortuis. Ita S. Hieronymus in vita Pauli Eremitæ, ubi vocat chriſtianam Traditionem: *Obvoluto*, inquit, *& prolato foras corpore, Hymnos quoque & Pſalmos de chriſtiana Traditione decantans, contriſtabatur Antonius*. Idem habemus ex Severo Sulpitio, de obitu S. Martini. Tom. 4. part. 2. p. 57. Ibid. p. 73.

Sanctus Auguſtinus Libro 9. Conf. c. 12. indicat ſolitum fuiſſe cantari Pſalm. centeſimum, *Miſericordiam & judicium cantabo tibi, Domine*. Ad hæc, adhibiti ſemper fuere Sacerdotes ad mortuos ſepeliendos; nempe ut pro illis orarent. Denique ad juvandos mortuos, ſolebant eorum cognati illa convivia pauperibus adhibere, quæ Tertullianus & alii antiqui *agapas* vocant. Ita colligitur ex S. Joan. Chryſoſt. Hom. 32. in Matth. *Cur*, inquit, *poſt mortem tuorum, pauperes convocas?* Cujus rei etiam hodie quædam extant veſtigia in aliquibus locis. Edit. Comm. p. 307. B.

Quartum Argumentum ex ſepulturis.

REm eſſe laudabilem ac Deo gratam ſepeliendis mortuis operam dare, patet ex L. 2. Reg. c. 2. v. 5. ubi David ad viros Jabes ait: *Benedicti vos à Domino, qui feciſtis miſericordiam hanc cum domino veſtro Saul, & ſepeliſtis eum. Et nunc retribuet vobis Dominus.*

Et Tobiæ 12. v. 12. Angelus commendat inter alia opera Tobiæ, quòd mortuos ſepeliret. Et Chriſtus ipſe Matth. 26. v. 10. laudat factum mulieris quæ ipſum unguento pretioſo perfuderat: *Quid moleſti eſtis*, inquit, *huic mulieri? opus enim bonum operata eſt in me . . . . Mittens enim hæc unguentum in corpus meum, ad ſepeliendum me fecit.*

S. Augu-

S. Auguſtinus Lib. de cura pro mortuis gerenda c. 4. quærit quidnam juvet mortuos, quòd ſepulti ſint in loco ſacro? Reſpondet, locum per ſe nihil juvare: ſed occaſionem loci juvare, quòd nempe Chriſtiani, qui ea loca frequentare ſolent, viſis monumentis mortuorum, orent pro illis. *Si autem*, ait S. Doct. *deeſſent iſtæ ſupplicationes, quæ fiunt rectâ fide ac pietate pro mortuis, puto quòd nihil prodeſſet ſpiritibus eorum quamlibet in locis ſanctis exanima corpora ponerentur.* Docet etiam Chriſtianos ſepeliri ſolitos juxta Baſilicas Martyrum, ob hanc ipſam cauſam: quæ loca Cæmeteria vocantur, quaſi dormitoria fidelium, utſcilicèt, ipſo nomine fidem reſurrectionis profiterentur. Atque res eò progreſſa aliquando fuit, ut multi Chriſtiani vellent, non tantùm in Cæmeteriis, ſed etiam intra ipſas Eccleſias ſepeliri, & quidem juxta altare: qui abuſus reprehenſus fuit in 1. Conc. Bracarenſi c. 36. & in Conc. Triburienſi c. 17. In Conc. autem Moguntino c. 52. & in Conc. Meldenſi c. 72. definitum fuit, ne quis in Eccleſia ſepeliretur, niſi Epiſcopi, aut Abbates, aut alii viri Eccleſiaſtici, qui exemplo vitæ meruiſſent illis in locis ſepeliri.

T. 5. p. 519. F.

Non tamen integrum ac liberum erat Chriſtianis, quo loco vellent, ſepeliri. Unde decretum fuit, titulo de Sepulturis c. 3. ut ſi quis Chriſtianus moriens dixerit, ſe velle ſepeliri extra Cæmeterium, in loco tamen ſacro ſepeliatur. Fuiſſe autem ſacra Cæmeteria, ut orationis cauſa ad illa venirent Chriſtiani, conſtat ex Conc. Eliberit. ubi prohibentur mulieres agere vigilias in Cæmeteriis. Puniuntur etiam pœna graviſſima, qui violant Cæmeteria, utpote loca ſacra & religioſa. Quapropter graviſſima pœna eſt, Eccleſiaſtica privari ſepultura in loco ſacro: ſicut privantur quicunque moriuntur vinculo excommunicationis innodati, ac certis quibuſdam publicis criminibus implicati.

Quintum Argumentum ex nonnullis ſuperſtitionibus quæ tamen indicant veram Religionem.

PRima fuit illa quorundam Hæreticorum, qui pro mortuis non baptiſatis baptiſabantur; ut ea nempe ratione illos à pœna liberarent. Quod Philaſter ſcribit Cataphrygas, Chryſoſtomus & Theophilactus, in caput 15. 1. ad Corinth. nonnullos Marcionitas, Tertullianus L. de reſurrectione carnis, & L. 5. contra Marcionem, & Epiphanius hæreſi 28. nonnullos innominatos hæreticos obſervaſſe.

Secunda nonnullorum ſuperſtitio eò devenit, ut ex nimio & inordinato juvandi mortuos ſtudio, Euchariſtiam in os eorum infunderent, qui, ea non percepta, ex hac vita migraſſent. Ita colligimus ex Conc. Carthaginenſi III. c. 6. & ex ſexta Synodo generali c. 83.

Quæ certè omnia eò tendunt, ut probent Chriſtianorum mentibus hoc altè inſitum eſſe, viventium precibus atque ſuffragiis mortuos juvari ac ſublevari.

Sextum Argumentum ex publicis fidei profeſſionibus & definitionibus Conciliorum.

PErpetuam hanc Eccleſiæ fidem ac doctrinam legimus accuratè expreſſam in publicis fidei profeſſionibus, qualis ea eſt quam Clemens IV. obtulit Michaeli Paleologo Imperatori an. 1267. apud Rainaldum ad illum annum n. 76.

& ea

& ea quam anno 1274. Gregorius X. in Conc. Lugdunensi à Græcis acccpit : iisdem enim omnino verbis concepta est. *Si verè pœnitentes*, ait formula fidei, *in charitate decesserint, antequam dignis pœnitentes fructibus de commissis satisfecerint & omissis: eorum animas in penis purgatoriis post mortem purgari: & ad pœnas huiusmodi relevandas prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicèt sacrificia, orationes & eleemosynas & alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus fieri consuverunt secundùm Ecclesiæ institutа.* To. 11. Conc p. 963. E.

Idem quoque confirmarunt Concilia, Carthaginense III. c. 29. quo decernitur, *ut Sacramenta altaris non nisi à jejunis celebrentur, excepto uno die anniversario, quo Cœna Domini celebratur. Nam si aliquorum pomeridiano tempore defunctorum commemoratio facienda est, solis orationibus fiat, si illi qui faciunt jam pransi reperiantur.* Tom. 2. Conc. p. 1171. C.

Carthaginense IV. c. 79. *Pœnitentes*, inquit, *qui attentè leges pœnitentiæ exequuntur, si casu in itinere vel in mari mortui fuerint, ubi eis subveniri non possit, memoria eorum & orationibus & oblationibus commendetur.* Ibid. p. 1206. B.

Lateranense sub Innoc. III. cap. 66. ubi dogma Purgatorii Traditione & usu constare supponit: si quidem preces pro requie fidelium defunctorum approbat; quas turpis lucri gratia fieri prohibet. *Pravas exactiones super his fieri prohibemus.* Aiunt Patres Concilii. To. 11. Conc. p. 220. E.

Florentinum sess. ultima in decreto de Purgatorio, cui Græci subscripsere. Repetitur ibi eadem professio fidei, quam in Conc. Lugdunensi à Græcis accepit Gregorius X.

Conc. denique Tridentinum Sess. 25. Decreto de Purgatorio, docet: *Purgatorium esse; animasque ibi detentas, fidelium suffragiis, potissimùm verò acceptabili altaris sacrificio juvari; atque Episcopis præcipit, ut sanam de Purgatorio doctrinam à SS. Patribus & sacris Conciliis traditam à Christi fidelibus credi, teneri, doceri, & ubique prædicari diligenter studeant. Apud rudem verò plebem, difficiliores ac subtiliores quæstiones, quæque ad ædificationem non faciunt, & ex quibus plerumque nulla fit pietatis accessio, à popularibus concionibus secludantur. Incerta item, vel quæ specie falsi laborant, evulgari ac tractari non permittant. Ea verò, quæ ad curiositatem quamdam aut superstitionem spectant, vel turpe lucrum sapiunt, tanquam scandala & fidelium offendicula prohibeant.* Nihil eo Decreto sapientius; & ad præcavendas Novatorum querelas & calumnias, consultius nihil. To. 14. Conc p. 894. D.

Et Sess. 22. c. 2. de sacrificio Missæ ait: *Illud, non solùm pro fidelium vivorum peccatis, penis, satisfactionibus & aliis necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis, ritè juxta Apostolorum traditionem offerri.* Ibid. p. 853. D. E.

Denique Sess. 6. Can. 30. *Si quis post acceptam justificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, & reatum pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exsolvendæ, vel in hoc sæculo, vel in futuro in Purgatorio, antequam ad regna cœlorum aditus patere possit, anathema sit.* Ibid. p. 767. E.

Nec prætermittendum hic judicium Theologorum Parisiensium, qui an. 1332. consulti à Philippo Francorum Rege, circa beatitudinem Sanctorum, responderunt: *Fidelium animas nihil habentes purgabile, vel quæ jam in Purgatorio sunt purgatæ, ad visionem essentiæ Dei nudam, claram, beatificam, intuitivam & immediatam admitti.*

Et an. 1541. inter plures articulos quos totidem erroribus Lutheri oppositurunt,

runt, hic unus est: *Firmiter credendum & nullatenus dubitandum, esse Purgatorium, in quo animæ detentæ, oratione, jejunio, eleemosynis, aliisque bonis operibus juvantur, ut citiùs liberentur à pœnis.*

Septimum Argumentum ex rationibus Theologicis.

DOgma Purgatorii cum aliis nonnullis catholicæ doctrinæ capitibus ita connexum est, ut ab iis necessariò inferatur & pendeat.

1. Ex dictis antea, certum est apud omnes Orthodoxos, remissa per pœnitentiam culpa mortali & reatu pœnæ æternæ, superesse pœnam aliquam temporalem, justitiæ divinæ personi vendam sive in ista, sive in altera vita. Atque in eo distinguitur baptismus à pœnitentia; quòd per baptismum omnis relaxetur ac remittatur pœna, non item per pœnitentiam: unde nulla pœna seu satisfactio repetitur à baptisatis, sicut à pœnitentibus qui post baptismum lapsi sunt. Ita declarat Conc. Trid. Sess. 5. Can. 30. *Si quis post acceptam justificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, & reatum pœnæ æternæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exsolvendæ, vel in hoc sæculo, vel in futuro in Purgatorio, antequam ad regna cœlorum aditus patere possit, anathema sit.* Rationem reddit S. Thomas Lib. 4. contra Gentes c. 91. *Alioquin*, ait, *melioris conditionis essent negligentes quam solliciti, si pœnam quam hic pro peccatis non implent, non sustineant in futuro. Retardantur igitur animæ bonorum qui habent aliquid purgabile in hoc mundo, à præmii consecutione, quousque pœnas purgatorias sustineant.*

To. 14. Conc. p. 767. E.

To. 14. p. 824. col. 2. D.

2. Non minùs certum apud Catholicos, inter peccata, alia esse mortalia quæ charitatem extinguunt, & animæ mortem inferunt; alia verò dumtaxat venialia & quotidiana, pro quibus agenda est quotidiana pœnitentia. Ita docet S. Aug. Homilia 27. & 50. & L. 83. quæstionum q. 26. *Alia*, inquit, *sunt peccata infirmitatis, alia imperitiæ, alia malitiæ. Infirmitas, contraria est virtuti: imperitia, sapientiæ: malitia, contraria est bonitati. Quisquis igitur novit quid sit virtus & sapientia Dei, potest existimare quæ sint venialia peccata. Et quisquis novit quid sit bonitas Dei, potest existimare quibus peccatis certa pœna debeatur, & hic & in futuro sæculo. Quibus benè tractatis, probabiliter judicari potest, qui non sint cogendi ad pœnitentiam luctuosam & lamentabilem, quamvis peccata fateantur; & quibus nulla omnino speranda sit salus, nisi sacrificium obtulerint Deo spiritum contribulatum per pœnitentiam.*

To. 6 p. 7. B.

Porrò, quàm multi sunt, etiam inter Justos, qui cum levioribus illis ac venialibus peccatis extremum diem obeunt, quorum veniam hic non impetrant; sive quòd morte præveniantur, sive quòd minùs ardens & intensa in eis sit charitas? Illi autem in conspectum Dei non admittentur, nisi priùs purgatæ ac deterſæ fuerint leves illæ sordes: *Nihil enim coinquinatum intrabit in Jerusalem cœlestem.* Apocal. 21. v. 27.

3. Denique certum est, quod fert Symbolum Apostolorum, quamdam esse Sanctorum Communionem, qui communi charitatis vinculo inter se colligati mutuam sibi opem ferunt. Omnes enim sancti ac fideles unius corporis Ecclesiæ membra sunt: *Membra autem corporis*, ait Apostolus 1. Corinth. 12. v. 25. *pro invicem sollicita sunt; & si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra.* Atque hæc est vera radix & causa cur mortui, viventium precibus

cibus ac ſuffragiis; ac viciſſim, Sanctorum in cœlo degentium orationibus viventes ſublevari poſſint. *Suffragia vivorum*, ait S. Thomas in ſupplemento qu. 73. art. 9. *proſunt defunctis ſecundùm quod uniuntur viventibus in charitate*. Et S. Aug. Serm. 172. antea citato. *Mortuis*, inquit, *non nova merita comparantur, cum pro eis boni aliquid operantur ſui, ſed eorum præcedentibus conſequentia iſta redduntur*. Jure nimirum communionis quæ eſt inter omnia unius Eccleſiæ membra. Eſt quippe Eccleſia, militans in terris, aut in cœlo triumphans, aut patiens in Purgatorio, una & eadem quoad ſubſtantiam; diverſa tantùm quoad modum & ſtatum. T. 5. p. 821. A.

Solvuntur Objectiones.

OBjicies 1. Scriptura teſtatur nullum pro peccatis in hac vita commiſſis & non condonatis, ſupereſſe in altera remedium. Eccleſiaſtæ 9. v. 10. *Quodcumque facere poteſt manus tua, inſtanter operare: quia nec opus, nec ſapientia, nec ſcientia, erunt apud inferos, quò tu properas.*

Et c. 11. v. 3. *Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.*

Reſp. ad primum. Interpretes locum iſtum variè exponunt. Sunt qui contendunt, hæc à Salomone dici in perſona impiorum, qui non modò Purgatorium, ſed etiam gehennam omnino tollunt; & nihil prorſus poſt hanc vitam futurum eſſe credunt. Dicunt alii, hic à Salomone irrideri impios, ac ſuppoſita eorum prava perſuaſione, eos exhortari, non ſeriò quidem ſed per irriſionem, ut vivant hilariter, ac bonis & voluptatibus hujus vitæ tranquillè fruantur; quandoquidem nihil ipſis poſt hanc vitam ſperandum eſt. S. Gregorius Magnus L. 4. Dialog. c. 39. citatum textum ſatis aptè accommodat ad eos etiam qui in Purgatorio detinentur, qui cùm in altera vita nova ſibi merita comparare non poſſint, ſuis in præſenti bonis operibus allaborare debent, ut poſt mortem aliorum ſuffragiis ac meritis juvari mereantur.

Ad ſecundum. Senſus eſt, poſt hanc vitam duplicem dumtaxat eſſe ſtatum fixum ac permanentem: unum juſtitiæ in cœlo, à quo nunquam excident Sancti; alterum, impietatis in inferno, unde nunquam liberandi ſunt reprobi. At inter utrumque illum ſtatum fixum & immobilem, datur aliquis temporalis & tranſitorius, juſtorum ſcilicèt quibus aliquid ſupereſt pœnis Purgatorii expiandum. Quòd ſi poſtremum hunc textum de vita corporis placeat intelligere, non eſt ad rem noſtram præſentem: ſenſus enim eſt, corpus exanime hic ſtare ubi ceciderit, donec aliena manu aliò transferatur.

Objicies 2. Duos tantùm ordines Scriptura commemorat eorum qui è vita decedunt: juſtorum ſcilicèt qui ſtatim Deo apertè fruuntur; & impiorum qui torquentur in inferis. Tertius igitur non ſupereſt Purgatorii locus.

Antecedens pluribus conſtat Scripturæ teſtimoniis.

Matth. 25. v. 34. electis dicitur: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete regnum . . .*; aliis verò: *Ite maledicti in ignem æternum.*

Joan. 4. v. 24. *Amen amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui miſit me, habet vitam æternam, & in judicium non venit, ſed tranſit à morte in vitam.*

Apocal. 14. v. 13. *Beati mortui qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit ſpiritus,*

ſpiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis: opera enim illorum ſequuntur illos. At pii omnes in Domino moriuntur: omnes igitur pii poſt mortem ſunt in requie; ergo eorum nullus pœna torquetur.

Sapientiæ 3. v. 1. *Juſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis.* Et c. 4. v. 7. *Juſtus ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Ergo non in pœna: ergo juſtis in charitate defunctis nihil ſupereſt luendum.

Rom. 8. v. 1. *Nihil damnationis eſt iis qui ſunt in Chriſto Jeſu.* At omnes juſti ſunt in Chriſto Jeſu.

2. Cor. 5. v. 1. *Scimus, quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis.*

Denique ibid. v. 10. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.*

Reſp. Ex his Scripturæ teſtimoniis iſta dumtaxat colligi meritò poſſe, quæ vera & certa ſunt, ſed quæ nullatenus pugnant cum doctrina Purgatorii.

Primum: In ultimo ac publico Judicio quod in fine mundi declarabitur, duos dumtaxat fore hominum ordines: unum juſtorum qui ad regnum; alterum verò impiorum, qui ad ignem mittentur æternum: tunc etenim nullus amplius erit Purgatorio locus. Interim impii æternis ſuppliciis addicuntur; ſicut juſti qui ad plenum hic purgati fuere, æterna fruuntur felicitate: qui verò nonnihil vel culpæ levioris, vel temporalis pœnæ luendum habent, in Purgatorio detinentur ac mundantur. De illo extremo ac publico Judicio loqui Chriſtum Matth. 25. res eſt per ſe manifeſta. Ad idem ultimum Judicium, non ad ſtatum animarum juſtarum ante illius Judicii diem, referenda eſſe citata verba S. Joannis, oſtendunt quæ ſequuntur v. 25. *Amen dico vobis, quia venit hora & nunc eſt, quando mortui audient vocem Filii Dei; & qui audierint vivent.* Et v. 28. *Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem Filii Dei: & procedent qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in reſurrectionem judicii.*

Secundum: In privato uniuſcujuſque Judicio, ſtatim ab ipſa morte, æternam uniuſcujuſque ſortem, ſeu beatam in cœlis, ſeu miſeram in inferis, certam ac determinatam eſſe. Unde juſti in Purgatorio detenti, dicuntur eſſe *in manu Dei*, id eſt, in tutiſſima apud Deum cuſtodia; tuti ab omni tentatione ac periculo, atque de ſua æterna beatitudine ſecuri. Unde & dormire dicuntur in ſomno pacis, ut legimus in Canone Miſſæ. Aliquo etiam ſenſu dicuntur eſſe in refrigerio; tùm quia ſpe certa futuræ felicitatis ſe ipſos ſolantur: tùm quia non patiuntur amplius æſtum tentationum hujus ſæculi. Nihilominus tamen in eodem Miſſæ Canone, Eccleſia ſupplex à Deo poſtulat, ut eis refrigerii & pacis locus concedatur; ut ardore pœnarum, quibus cruciantur, extincto, perfectam in cœlo pacem ac felicitatem aſſequantur.

Tertium: Juſtos, quorum ardens & eximia eſt charitas, ſtatim à morte ad cœlos evolare, nullo interjecto Purgatorii loco; quia nihil ipſi purgandum habent: de quibus dicitur in loco citato Apocalypſeos: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur, &c.* Tales ſunt omnes Martyres, & ii omnes qui ſtatim à percepto baptiſmate ex hac vita rapiuntur; de quibus meritò Apoſtolus dicit: *Nihil damnationis eſt iis qui ſunt in Chriſto Jeſu.* Quamquam & iis qui in Purgatorio detinentur, nihil quoque damnationis eſſe meritò dici poteſt,

teſt, cùm certa ſit æterna eorum ſalus. Quòd ſi textus ex cap. 14. Apocalyp. laudatus, intelligatur, ut nonnullis placet, de miſeriis ac calamitatibus hujus vitæ, ad rem noſtram non facit. Senſus enim eſt, Sanctos illos à doloribus & cruciatibus, quibus hac in vita obnoxii fuere, per mortem tandem liberari; tametſi nonnihil in Purgatorio ad plenam & perfectam munditiem patiantur.

Quartum denique: Quod ex citatis Scripturæ locis inferri poteſt, iſtud eſt: nimirum juſtos in altera vita ſuffragiis viventium juvari, pro conditione ac menſura bonorum operum quæ illi hac in vita fecerunt. Non enim ipſis nova poſt iſtam vitam accreſcunt merita, ſed ex præcedentibus merentur ut juvari poſſint à viventibus: quo ſenſu meritò dixit S. Paulus: *Ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.* Ita textum Apoſtoli exponit S. Auguſtinus cap. 110. Enchiridii, his verbis: *Hic omne meritum comparatur, quo poſſit poſt hanc vitam relevari quiſpiam vel gravari. Nemo autem ſe ſperet, quod hic neglexerit, cùm obierit, apud Deum promereri. Non igitur iſta, quæ pro defunctis commendandis frequentat Eccleſia, illi Apoſtolicæ ſunt adverſa ſententiæ, qua dicitum eſt, Omnes enim adſtabimus ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque ſecundùm ea quæ per corpus geſſit, ſive bonum, ſive malum. Quia etiam hoc meritum ſibi quiſque, cùm in corpore viveret, comparavit, ut ei poſſent iſta prodeſſe. Non enim omnibus proſunt: & quare non omnibus proſunt, niſi propter differentiam vitæ, quàm quiſque geſſit in corpore?* To. 6. p. 238. B.

Eodem prorſus ſenſu intelligi debet iſtud Apoſtoli ad Galatas 6. v. 5. *Unuſquiſque onus ſuum portabit.* Sive, quia non propter aliena, ſed propter propria peccata quiſque punietur: ſive, quia aliorum meritis non juvabitur poſt mortem, niſi propria ipſius in hac vita præceſſerint: ſive denique, quia in ultimo Judicio, nemo aliorum ſuffragiis ac precibus juvari poterit, ſed quiſque ex iis quæ geſſit in corpore judicabitur. Non alius videtur eſſe S. Hieronymi ſenſus, cùm in citatum Apoſtoli locum ex c. 6. Epiſtolæ ad Galatas, ſcripſit: *Dum in præſenti ſæculo ſumus, ſive orationibus, ſive conſiliis invicem poſſe nos coadiuvari: cùm autem ante tribunal Chriſti venerimus, non Job, non Daniel, nec Noe rogare poſſe pro quoquam: ſed unumquemque portare onus ſuum.* To. 4. p. 1. pag. 311.

Inſtabis 1. Ezechielis 18. v. 21. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt.... omnium iniquitatum ejus non recordabor.* At qua ratione Deus iniquitatum amicorum ſuorum non recordatur, in quas tam ſeveris Purgatorii pœnis animadvertit?

Reſp. 1. Non recordari iniquitatum idem eſſe ac illas æternùm non punire. Nam cùm legamus ibidem: *Si juſtus averterit ſe à juſtitia.... omnes juſtitiæ ejus non recordabuntur*: cogimur ita exponere, ut juſtitiæ hoc ſenſu oblivioni tradi dicantur, non quòd ipſæ puniantur, ſed quòd à gehenna non liberent. Ita quoque Deus dicitur iniquitatum impii pœnitentis non recordari, non quòd eas ab omni pœna temporali velit eſſe immunes, ſed quòd æterno non puniat ſupplicio.

Reſp. 2. Impium illum pœnitentem, cujus iniquitatum Deus non recordatur quidem ut eas æternùm puniat ſed tantùm ut temporali aliqua pœna caſtiget, perfectam & omninò completam non egiſſe pœnitentiam: ſufficientem ille quidem egit, ut liberetur à gehenna æterna, non verò à tranſitoria Purgatorii pœna.

Instabis 2. Latroni in extrema hora converso Christus ait, Lucæ 23. v. 43. *Hodie mecum eris in paradiso*. Ergo conversio cordis perfecta sufficit ad salutem sine satisfactoria pœna. Quo supposito, funditus ruit Purgatorii fundamentum; quo sensu dixit S. Joannes Chrysostomus in Psal. 50. *Ubi misericordia est, pœnæ non expetuntur*. At in omnes sanctos seu justos exercetur Dei misericordia; ergo nullæ ab illis pœnæ repeti debent: dona enim Dei sunt sine pœnitentia.

Edit. Cram. p. 997. C.

Confirmatur. Nulla pœna seu satisfactio ab iis est exigenda, pro quibus Christus plenè ac superabundanter satisfecit: atqui Christus pro omnibus peccatis nostris plenè ac superabundanter satisfecit: *Lavit enim nos à peccatis nostris in sanguine suo*. Apoc. 1. v. 50. *Et propitiatio est pro peccatis nostris*. 1. Joan. 2. v. 2. Inde est, quòd S. Ambrosius in cap. 22. S. Lucæ asserat, S. Petrum pro peccato suæ negationis certè gravissimo, nullam obtulisse Deo satisfactionem. *Lachrymas Petri lego, satisfactionem non lego*.

To 1. p. 1523. A

Resp. 1. Distinguo consequens. Ergo conversio cordis perfecta sufficit ad salutem sine ulla post hanc vitam satisfactione; si tanta fuerit charitatis vehementia ac tantus ardor, ut omnem penitus maculam peccati & reatum pœnæ etiam temporalis eluat, ut contingit in Martyribus: majorem enim charitatem nemo habet, quàm qui animam ponit pro amicis suis, concedo: secus, nego. Porrò, necesse est summam in latrone illo fuisse, Deo donante, charitatem: quamquam & gravissimam ille pœnitentiam egit, cùm durissimam ac turpissimam mortem constanti ac patienti animo toleravit. Pœnitentia etenim non semper ex diuturnitate temporis æstimanda est, sed ex ardore charitatis.

Ad istud S. Chrysostomi dictum: *Ubi misericordia est, pœnæ non expetuntur*, distinguo: pœnæ non expetuntur ad ruinam & perditionem peccatoris, concedo: ad ejus purgationem, & ad satisfaciendum divinæ justitiæ, cujus jura semper servanda sunt, nego. Hinc S. Chrysostomus ibidem exponens cur David postquam audivit à Propheta Nathan, *Dominus transtulit peccatum tuum*, adhuc misericordiam divinam imploret, ipsum sic respondentem inducit: *Sublatum quidem est peccatum meum; at etiam tolli cicatricem cupio: sublatum est ulcus; at etiam pulchritudinem meam recipere cupio*. Unde lachrymis ac jejuniis Deum suppliciter orat, ut ampliùs à peccato abluatur: *Amplius lava me*, inquit, *ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me*. Ablutionis enim adhuc opus habeo, ut qui ingentem fœtorem ex peccato contraxerim. Sic eum loquentem inducit S. Chrysostomus.

Edit. Cram. p. 995. D.

Ad confirmationem, nego majorem. Christi enim satisfactio etsi superabundans, nostras non tollit nec impedit, sed magis perficit: quidquid enim pretii ac valoris habent humana nostra opera, derivatur à meritis Christi. Reipsa quidem plenè pro nobis satisfecit Christus pretio sanguinis sui, sed pretium illud nobis applicari debet per sacramenta & per bona nostra opera: unde inanes ac superfluæ non sunt nostræ satisfactiones, sed omninò necessariæ. *Cohæredes Christi, si tamen compatimur, ut & conglorificemur*. Necesse quippè est, ut membra capiti conformentur; & sicuti passus est Christus, ita & nos crucem nostram cum ipso feramus.

Rom. 8. v. 17.

Apud S. Ambrosium citatum, nomen satisfactionis propriè non significat satisfactionem quæ pars est pœnitentiæ, de qua hic agitur; sed populari modo sumitur pro excusatione quæ verbis fieri solet: satisfacere quippè alicui dicimur

mur, apud quem nos verbis purgamus. Laudat itaque S. Petrum Ambrosius, quòd ingenuè culpam suam confessus fuerit, non excusa verit. *Petrus*, inquit, *doluit & flevit, quia erravit ut homo. Non invenio quid dixerit, invenio quòd fleverit: lacrymas ejus lego, satisfactionem non lego: sed quod defendi non potest, ablui potest.* To. 1. p. 1523. n. 88. A.

Instabis 3. Crescente culpa, crescit & pœna; ergo culpa decrescente, decrescit & pœna; ergo remissa omni culpa, remittitur etiam omnis pœna.

Resp. Nego consequens. Licèt enim in effectibus qui à causis pendent non solùm ut sint, sed ut conserventur, sicut splendor ab igne, effectus crescat crescente causa, eadem verò decrescente minuatur, ea demum sublata pereat; sicut igne crescente, splendor augetur; eo deficiente minuitur; extincto evanescit: tamen in effectibus qui permanentes sunt & independenter à causis suis conservantur, non sequitur quòd causa sublata, deleantur; licèt ipsa crescente, & ipsi crescant. Sic vulnus est effectus gladii, & quò major est gladius majus est vulnus: sed tamen statim atque tollitur gladius, vulnus non curatur. Cùm itaque pœnæ reatus sit effectus culpæ, quomodo vulnus & cicatrix effectus est gladii; rectè colligitur eò majori pœnæ obnoxium esse peccatorem, quò major est ejus culpa: sed non rectè infertur, nullius omninò pœnæ reatum remanere quando culpa per pœnitentiam expuncta est.

Instabis 4. Psal. 126. v. 3. dicitur. *Cùm dederit dilectis suis somnum: ecce hæreditas Domini.* Ergo Purgatorium non medium est inter mortem fidelium, & cœlestis hæreditatis consecutionem.

Resp. Nego consequens. Verba enim illa exponi possunt, vel de certa securitate assequendæ hæreditatis; vel de gloriosa carnis resurrectione, quæ Christi hæreditas est, quam sanguine suo nobis acquisivit, ac sanctis suis in ultimo Judicio retribuet; vel de illis justis, qui summa Dei charitate succensi, ac dirissima quæque pro Christo perpessi, (quales fuere Martyres) nihil post vitæ hujus labores ac tolerata fortiter tyrannorum supplicia, expiandum ac purgandum habent.

Objicies 3. Græci à Latinis dissentiunt circa doctrinam Purgatorii, de qua multùm inter eos disputatum fuit in Concilio Florentino.

Resp. Distinguo antecedens. Græci à Latinis dissentiunt circa locum & pœnæ genus, an scilicet Purgatorii locus sit ab inferno distinctus, & an veri ignis pœna ibi sustineatur; an hoc vel illo Scripturæ testimonio invictè probetur, concedo: dissentiunt circa substantiam, hoc est circa necessitatem & usum suffragiorum Ecclesiæ in gratiam defunctorum, nego. De fide igitur Purgatorii, nulla Græcos inter & Latinos discordia fuit: quotquot enim extant Græcorum Liturgiæ, mentionem faciunt commemorationis defunctorum, pro quibus offertur altaris sacrificium, & precesad Deum funduntur. Vide Rituale Græcorum apud Goarium p. 525. & sequentibus.

Eustrathius Presbyter Ecclesiæ Constantinopolitanæ sexto sæculo, de animis defunctorum tractatum scripsit in tres partes divisum, apud Photium in Bibliotheca, Codice 171. in tertia verò parte *hoc studiosè prosequitur*, ait Photius, *oblata pro iis, qui in fide obierant, à sacerdotibus sacrificia atque donaria, vel preces alioquin supplicationesque & eleemosynas pro iisdem factas ad fidelium salutem, ac delictorum remissionem iis valere omninò, pro quibus hæc offerantur.* Nihil hoc testimonio in gratiam fidei Catholicæ illustrius. Habent etiam Græci, antiquam Pagina 383.

Dialogorum S. Gregorii verſionem, qua non ſine fructu uſi fuere: in eo verò Opere, frequens occurrit Purgatorii mentio. Si qui ergo recentiores Græci ſchiſmatici hìc obloquantur, audiendi non ſunt: eorum quippè Majores, certam & indubitatam habuere Purgatorii fidem; tametſi, ut dictum eſt, de loco, de pœnæ genere, menſura & duratione, imò & de modo quo ex nonnullis Scripturæ locis probari poſſit, circa quæ nihil Eccleſia pronuntiavit, diſcordes fuerint cum Latinis.

Objicies 4. S. Auguſtinus nonnullis in locis de Purgatorio anxius ac dubius fuiſſe videtur. Ita Enchiridii c. 68. Lib. 21. de Civitate Dei c. 26. Lib. de fide & operibus, c. 16. Lib. de octo Dulcitii quæſtionibus q. 1.

Reſp. Nego antecedens. Cujus falſitatem demonſtrant aperte, quæ ex ſancto Doctore protulimus teſtimonia. Igitur in locis mox citatis non dubitat an ſit Purgatorium, ſed an certa quædam peccata ibi puniantur, & quidem igne: v. g. nimia adhæſio ad res temporales; nimius amor uxoris, mariti, filiorum, parentum, amicorum, qui tamen Deo minimè præponuntur. Ita citato loco Enchiridii. In prima verò quæſtione inter octo Dulcitii, non dubitat etiam utrum defunctorum animæ in Purgatorio pœnas patiantur, ſed utrum amorem illum adhuc patiantur quo rebus terrenis adhæſerunt, earumque illecebris tangantur ex priſtini ſtatus recordatione. Lib. denique 21. de Civitate Dei c. 26. non loquitur de pœnis Purgatorii ſimpliciter in ſe ſpectatis, ſed de modo illarum, nempè an ſint *ignis tranſitoriæ tribulationis*, quo eorum ligna, fœnum & ſtipula, id eſt terreni amores conſumantur, qui in fundamento Chriſtum habuerunt, id eſt nec licita & conceſſa ipſi præpoſuere.

To. 7. p. 649. B.

Inſtabis 1. Ex eodem S. Doctore Epiſtola 199. aliàs 80. n. 2. *In quo quemque invenerit ſuus noviſſimus dies, in hoc eum comprehendet mundi noviſſimus dies: quoniam qualis in die iſto quiſque moritur, talis in die illo judicabitur.* Et tractatu 49. in Joan. n. 10. *Requiem*, inquit, *quæ continuò poſt mortem datur, ſi ea dignus ſit, tunc accipit quiſque cùm moritur.*

To. 2. p. 741. B.

To. 3. p. 2. pag. 613. E.

Reſp. ad primum: hoc unum hìc velle S. Auguſt. nempè poſt vitam præſentem, merita vel demerita non creſcere; ſed unumquemque talem futurum in ultimo judicio, in ordine ad gloriam vel gehennam, qualem poſtrema vitæ dies illum invenerit. Non excludit autem S. Doctor intermedium quemdam ac tranſitorium ſtatum, in quo animæ juſtorum purgentur, ſi quid ipſis purgandum ſupereſt.

Ad ſecundum: Patet ex ipſo textu ſolutio. Conditio enim iſta quam apponit S. Aug. *ſi dignus ſit*, manifeſtè declarat mentem illius eſſe, juſtum, requiem illam non adipiſci, niſi dignus fuerit; hoc eſt, ad plenum purgatus fuerit. Ergo purgatorio igne priùs mundari debet, ſi quid ſordium adhuc animæ adhæreſcit, quàm illa perfecta requie fruatur.

Inſtabis 2. Lib. 2. de peccat. meritis & remiſſ. c. 33. dicit, *peccata hìc remiſſa non obeſſe poſt hanc vitam*. Et L. de ſpiritu & litt. c. 28. aſſerit, *peccata venialia hominem juſtum non impedire à vita æterna*.

To. 10. p. 68. C. Ibid. p. 111. G.

Reſp. Ad primum: peccata quoad culpam & reatum pœnæ æternæ hìc remiſſa non obeſſe poſt hanc vitam, conſequendæ gloriæ tardiùs aut citiùs, prout magis vel minùs quis mundus fuerit à levioribus noxis, aut temporali pœnæ plùs aut minùs obnoxius.

Ad ſecundum: Veriſſima eſt Auguſtini propoſitio. Peccata enim venialia non extin-

extinguunt charitatem; & consequenter non impediunt justum à vita æterna suo tempore consequenda, post plenam scilicet ac perfectam satisfactionem Deo persolutam.

Instabis 4. Idem S. Doctor in Psal. 31. exponens ista verba: *Beati quorum tecta sunt peccata*, sic ait: *Si texit peccata, noluit advertere: si noluit advertere, noluit animadvertere: si noluit animadvertere, noluit punire: si noluit punire, noluit agnoscere, maluit ignoscere.* Ergo Deus dimissa semel peccata non punit. To. 4. p. 176. n. 9. F.

Resp. Distinguo consequens. Peccata semel dimissa non punit, æterna pœna: concedo: temporali, si quæ forte venda superstit, nego.

Objicies 5. Communis est ac pervulgata SS. Patrum doctrina, satisfactioni & emendationi locum non relinqui post hanc vitam.

S. Cyprianus ad Demetrianum, in fine: *Quando*, inquit, *isthinc excessum fuerit, nullus jam pœnitentiæ locus est, nullus satisfactionis effectus.* P. 204.

S. Chrysostomus Hom. 2. de Lazaro. *Donec hic fuerimus, spes habemus præclaras: simulatque verò discesserimus illinc, non est postea in nobis situm pœnitere, neque commissa diluere.* Ed. no. to. 1. p. 730. B.

S. Gregorius Nazianzenus Orat. 15. *Satius est*, inquit, *nunc castigari ac purgari, quam ad crutiatum illum transmitti, cùm jam pœnæ tempus erit, non purgationis.* To. 1. f. 229. B.

Denique S. Cyrillus Hierosol. Catech. 18. *Pœnitentiæ*, inquit, *& remissionis peccatorum tantùm in hac vita præscriptum tempus habemus.* Pagina 206. D.

Resp. Distinguo antecedens. Post hanc vitam nullus est satisfactioni & purgationi locus, quantùm ad remissionem culpæ mortalis, & reatum pœnæ æternæ, ac conversionem cordis, concedo: nullus etenim tunc erit merito vel demerito locus. Quantùm ad remissionem vel culpæ venialis, vel temporalis pœnæ quæ luenda supereſt, nego. Porrò certum est, laudatos SS. Patres loqui dumtaxat de remissione culpæ moltalis, & reatus pœnæ æternæ.

Objicies 6. Ubi nullum est meritum, ibi non est vera satisfactio: atqui post hanc vitam nullum est meritum; ergo &c.

Resp. 1. Nego majorem. Qui enim ex Judicis sententia pœnas coactus & invitus luit pro patrato crimine, is certè non meretur, & tamen satisfacit. Ratio discriminis inter meritum & satisfactionem in eo est, quòd ad meritum requiritur libertas, non tantùm à coactione, sed etiam à necessitate, ad satisfaciendum autem, satis est quòd quis pœnam patiatur, & ita divinæ vel humanæ justitiæ satisfaciat. In hac autem vita, ut pœnæ ac calamitates quas patimur, sint meritoriæ, debent ultro ac liberè acceptari: quapropter monet S. Petrus Epistola 1. cap. 4. v. 15. *Utnemo*, (fidelis) *patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor.*

Resp. 2. Distinguo minorem. In altera vita justi non merentur, merito actuali quod ipsis de novo accrescat: concedo: merito quod præcessit dum erant in via, & quod post mortem remanet, estque vera causa cur ipsis viventium suffragia prosint, nego. *Hic*, ait S. Augustinus Enchiridii cap. 110. *omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam relevari quispiam vel gravari.* Et Serm. antea citato 172. alias 32. de verbis Apostoli. *Non omninò ambigendum est*, ait S. Aug. *ista prodesse defunctis; sed talibus qui ita vixerint ante mortem, ut possint hæc eis utilia esse post mortem.* To. 6. p. 238. B. To. 4. p. 827. F.

Instabis 1. Duo ex ista solutione consectaria sunt, quæ nō videntur admittenda.

Primum: etiam ipsos dæmones alioſque damnatos, divinæ juſtitiæ, tametſi coactos, ſatisfacere poſſe.

Alterum: juſtos, pro quibus nulla fierent ſuffragia, æternùm in Purgatorio permanſuros.

Reſp. ad primum: Dæmones cæteroſque damnatos, divinæ quidem juſtitiæ ſatisfacere, at ſine ulla refrigerii aut ſolatii ſpe; atque tamdiu illos torqueri neceſſe eſſe, quamdiu remanet reatus culpæ mortalis ac pœnæ æternæ: at reatus ille æternùm remanebit: *In inferno enim nulla eſt redemptio*; ergo æterna erit eorum pœna; & quidem eò gravior, quòd cum ſumma animi deſperatione, ac conſummato Dei odio conjuncta ſemper erit. Juſti autem qui in Purgatorio ad tempus detinentur, pœnas quidem luunt ſine novo merito; at cum certa ſpe & fiducia brevi conſequendæ felicitatis, & animo divinæ juſtitiæ legibus perfectè ſubjecto.

Ad ſecundum: falſa prorſus eſt hypotheſis. Etſi parentes, vel amici, vel alii cognati huic erga mortuos pietatis officio deeſſent, non deeſt tamen pia & communis mater Eccleſia, ut obſervat S. Auguſtinus L. de cura pro mortuis gerenda c. 4.

Inſtabis 2. Se habet charitas ad æterna præmia, ſicut peccatum mortale ad æterna ſupplicia: ſed qui moriuntur in peccato mortali, ſtatim detruduntur in infernum; ergo pariter qui moriuntur in charitate, ſtatim in cœlum convolant.

Reſp. Nego majorem. Ut enim fert vulgare axioma, bonum ex integra cauſa, malum ex minimo defectu. Bonum non fit perfectè bonum ex qualibet virtute, ſed ex vinculo & unione omnium: malum è contra fit abſolutè ac perfectè malum ex quolibet vitio. Propterea qui in charitate moriuntur poſſunt cum illa ſimul nonnihil habere, quod impediat ne ſtatim æternum felicitatis præmium conſequantur.

Inſtabis 3. Deus longè propenſior eſt ad miſerendum quàm ad puniendum: eos autem qui moriuntur in peccato mortali, ſtatim plectit æterna pœna; ergo multò magis æterno præmio amicos ſuos afficere debet, qui cum gratia ſanctificante ex hac vita decedunt.

Reſp. Propoſitionem adductam veram eſſe cùm omnia ſunt paria: hìc verò paria non ſunt. Namque homo peccator qui peccati lethalis reus moritur, nihil habet unde poſſit Deo gratus eſſe; adeoque ſtatim à morte puniendus eſt: è contra, qui gratia ſanctificante inſtructus moritur, acceptus quidem Deo eſt in ordine ad vitam æternam ſuo tempore obtinendam; verùm, cùm aliquid in ipſo expiandum ac purgandum ſuperſit, neceſſe eſt ut juſtitiæ divinæ in Purgatorio ſatisfaciat, donec plenè purgatus fuerit.

Inſtabis 4. Poſt remiſſam culpam nulla remanet pœna; namque remiſſio culpæ fit per meritum paſſionis Chriſti, quod eſt infinitum, & ſufficientiſſimum ad tollendam omnem culpam & pœnam; nihil igitur purgandum remanet poſt juſtificationem.

Reſp. 1. Nego majorem. Remanent enim pœnalitates hujus vitæ, mors, morbi & alia hujuſmodi, quibus ſubjacemus, tametſi Chriſtus pro nobis perfectè ſatisfecerit.

Reſp. 2. Diſtinguo majorem. Poſt remiſſam culpam nulla remanet pœna æterna ſolvenda, concedo: pœna temporalis, nego. Re ipſa quidem, merita Chriſti abundè ſufficiunt ad omnem culpam & pœnam tollendam: verùm,

ut

ut efficacia illa sint, debent nobis applicari: applicantur autem per sacramenta & bona nostra opera. Per sacramenta, si debitè percipiantur, tollitur reatus culpæ lethalis & pœnæ æternæ: per opera verò nostra satisfactoria, applicantur ad tollendam pœnam temporalem. Pœna quippè æterna commutatur in temporalem, quando culpa remittitur: quia cùm remittitur culpa, redditur amicitia, & consequenter jus ad gloriam; ac proindè non ampliùs locus est æternæ punitioni: attamen exigunt justitiæ divinæ jura, ut peccatum aliqua ratione puniatur; & idcircò mutatur pœna æterna in temporalem. Punienda ergo sunt peccata, vel in præsenti, vel in altera vita.

Instabis 5. Nullæ pœnæ luendæ sunt iis qui statim à percepto baptismate moriuntur; ergo nec iis qui per sacramentum Pœnitentiæ mundati sunt & absoluti.

Resp. Nego paritatem. Ratio discriminis est, quòd Baptismus sacramentum sit regenerationis & innovationis, à quo omnis culpa simul & pœna expungitur: pœnitentia verò sit sacramentum sanationis, in quo majores ex parte hominis pœnitentis dispositiones requiruntur; gravius quippè peccatum est, quod post baptismum committitur, quàm quod ante. Discrimen istud assignant Patres Tridentini sess. 14. c. 2. de Pœnitentiæ sacramento. *Alius est*, inquiunt *baptismi, alius pœnitentiæ fructus. Per baptismum enim Christum induentes, nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam & integram peccatorum omnium remissionem consequentes: ad quam tamen novitatem & integritatem per Sacramentum Pœnitentiæ sine magnis nostris fletibus & laboribus, divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possumus: ut meritò pœnitentia laboriosus quidam baptismus dictus fuerit.* Et cap. 8. *Divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter verò, qui semel à peccati & dæmonis servitute liberati, & accepto Spiritus sancti dono, scienter templum Dei violare, & Spiritum sanctum contristare non formidaverint.* T. 14. p. Pagina 816. D. Pagina 820. E.

Instabis 6. Peccata venialia remitti non possunt post hanc vitam: quia non remittuntur absque pœnitentia, cui post obitum locus non remanet; ergo inutile prorsus Purgatorium.

Resp. 1. Nego antecedens & consequens. Quia etsi omnia peccata venialia justo morienti remitterentur; vel in primo instanti separationis animæ à corpore, virtute meritorum præcedentium expungerentur, ut docet Scotus, superesset tamen reatus pœnæ in Purgatorio luendæ. Sed antecedens falsum existimat S. Thomas, & oraculo Evangelico, sententiisque Sanctorum, & Ecclesiæ precibus repugnans. Neque necessariam veram & propriè dictam pœnitentiam, ad remissionem venialium censet; sed virtualem displicientiam in hac vita, vel pœnam purgatoriam in altera. Cùm enim hujusmodi pœna quadamtenus voluntaria sit, *virtute gratiæ vim habet expiandi culpam omnem quæ simul cum gratia stare potest.*

Resp. 2. Modum quo venialia peccata justis in Purgatorio remittuntur, an scilicet in morte, an post mortem; an pœnitentia, an charitatis fervore, & displicientia virtuali: an perseverantiæ dono, an satisfactione vel pœna, ad fidem non pertinere, nec à Synodo Tridentina esse definitum: sed solùm, quòd non ita remittatur culpa, & reatus æternæ pœnæ deleatur, quin aliquis remaneat reatus pœnæ temporalis exsolvendæ, vel in hoc sæculo,

vel in futuro, in Purgatorio, antequam ad regna cœlorum liberior aditus patere possit.

Instabis denique. Qui in ultima mundi hujus periodo morientur, illi immunes erunt à pœnis Purgatorii, quibus nullus erit amplius locus.

Resp. Justos hujusmodi quibus aliquid post hanc vitam luendum erit, purgandos fore igne ultimæ conflagrationis; ita ut acerbitas pœnæ, brevem illius durationem sit compensatura.

Quæres ubi sit Purgatorii locus: quod genus pœnæ ibi sustineatur: quæ ipsius duratio: quis minister?

Resp. Hæc omnia incerta esse de quibus nihil Ecclesia pronuntiavit. Alii reponunt Purgatorium in inferno: alii in aere, alii subtus terram. Alii pœnam veri ignis: alii tantùm obscuritatem & tenebras, cum angore quodam & animi tristitia admittunt. Ecclesia autem suis precibus à Deo postulat, ut illis concedere velit, *refrigerii sedem, quietis beatitudinem & luminis claritatem*. Acerbissimam esse Purgatorii pœnam nemo dubitat: quæ verò sit ejus duratio; quæ mensura, quis definire potest? Dominicus Soto in 4. Sent. Dist. 19. q. 3. art. 2. cui suffragatur Maldonatus de Pœnit. q. 5. de Purgatorio, existimat neminem manere in Purgatorio ad decem annos. Ratio ipsis est, quòd verisimile non videatur, pœnas tam graves futuras esse tam diuturnas, quia si pœnam temporalem, in quam pœna æterna commutatur, levibus & brevibus pœnitentiis in vita persolvimus, probabile his Theologis videtur, tam diuturnas non fore pœnas acerbissimas Purgatorii. Verùm, ut jam diximus, meræ illæ sunt conjecturæ, ac fictæ suspiciones. Hoc certum, Ecclesiam solere anniversaria sacra celebrare pro defunctis qui ante centum vel ducentos annos extremum diem obierunt: an verò id observaret, si quid certi ac solidi haberet dicta Dominici Soti sententia?

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum in hac vita mortali aliquibus intuitiva Dei visio concessa fuerit.

TRia hìc certa sunt, & extra omnem quæstionem.

Primum: Lege Dei ordinaria & consueta, neminem hac in vita constitutum, divinam substantiam intuitivè videre posse. Ita post S. Thomam 1. p. q. 12. art. 11. communiter omnes Theologi.

Secundum; Ex potentia Dei absoluta & extraordinaria lege, posse nonnullos ad visionem illam admitti: nihil enim repugnare videtur.

Tertium: Quæstionem hìc non moveri de Christo, sed de homine puro. Certum quippè est, Christo, in ipso primo conceptionis instanti, concessam esse intuitivam & beatificam Dei visionem: unde simul & viator fuit, & comprehensor.

Quæstio igitur in eo dumtaxat versatur, an re ipsa nonnullis hac in vita prærogativa hæc concessa fuerit, ut transeunter saltem divinam essentiam clarè & intuitivè conspexerint, maximè Moyses & S. Paulus, de quibus potissimùm controvertitur. Affirmat S. Thomas hìc q. 12. art. 11. ad 2. Et 2. 2. q. 174. art. 4. S. Augustinum pro ista sententia laudat, quem re vera ita sensisse, nonnulli existimant Theologi. Alii verò è contra asserunt, S. Doctorem

ea

ea de re dubium aliquando fuisse; aliquando etiam in affirmantem partem inclinasse, quamquam multò pluribus in locis negantem sequatur. Itaque sit

CONCLUSIO.

Nemini mortalium, quamdiu in vivis fuit, concessa est, nequidem ad breve tempus, intuitiva Dei visio.

Probatur 1. Extat in Scripturis expressa lex generalis de non videndo Deo hac in vita: cujus quidem legis nulla exceptio debet admitti, nisi expressa pariter fuerit in verbo Dei, seu scripto seu tradito.

Exodi 33. v. 18. & 20. Moysi à Deo postulanti, ut suam ipsi gloriam ostenderet, responsum à Deo est: *Ego ostendam tibi omne bonum .... Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo & vivet.* En lex generalis, cujus ne pro Moyse quidem ulla fit exceptio: si quidem loco vultus Dei, quem ille videre cupiebat, solummodo posteriora Dei, hoc est, quosdam insigniores divinæ potentiæ ac providentiæ effectus vidit: *Ecce*, ait Deus v. 21. *est locus apud me, & stabis supra petram. Cùmque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam dextera mea donec transeam: tollamque manum meam, & videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.* Quæ verba non videntur ad litteram intelligenda: neque enim legimus Moysen in foramine petræ aliquando constitutum; sed interpretanda sunt de miris potentiæ ac providentiæ Dei effectibus, quorum ipse Moyses testis fuit ac minister.

Eadem lex generalis confirmatur in novo Testamento.

Joan. 1. v. 18. *Deum nemo vidit unquam.* Et cap. 6. v. 45. *Omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me. Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is, qui est à Deo, hic vidit Patrem.*

1. Ad Timoth. 6. v. 16. *Qui solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem: Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Supple, in hac vita. Unde idem Apostolus 1. Corinth. 13. v. 12. opponens statum hujus vitæ cum futuro, ait: *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.*

Probatur 2. Quia hæc videtur esse communior SS. Patrum sententia.

S. Irenæus L. 4. cont. hæreses c. 20. aliàs 37. n. 10. *Manifestiùs autem adhuc*, inquit, *& per Ezechielem factum est, quoniam ex parte dispositiones Dei, sed non ipsum videbant Prophetæ propriè Deum..... Igitur si neque Moyses vidit Deum, nec Elias, nec Ezechiel qui multa de cœlestibus viderunt; quæ autem ab his videbantur, erant similitudines claritatis Domini..... Manifestum est quoniam Pater quidem invisibilis, de quo & Dominus dixit: Deum nemo vidit unquam. Verbum autem ejus, quemadmodum volebat ipse, & ad utilitatem videntium, claritatem monstrabat Patris, & dispositiones exponebat. Sensibili quadam & extranea forma indutum*, ut dixit antea S. Irenæus. Ed. no. pagina 2560.

Origenes in cap. 1. Isaiæ. *Faciem* (Dei) inquit, *non vidit Isaias, nec Moyses vidit: posteriora vidit, ut scriptum est, Moyses.* Part. 1. pagina 350. M

Tertullianus Lib. contra Praxeam c. 14. omnes Dei apparitiones quæ antiquis Prophetis aut Patriarchis factæ narrantur, ait *fuisse secundùm hominum capacitatem, non secundùm plenitudinem divinitatis .... Invisibilem Patrem,* Pagina 507. D.

ait,

ait, *intelligamus, pro plenitudine majestatis: visibilem verò filium agnoscamus, pro modulo derivationis.* Ibidem ostendit Moysen non vidisse faciem Dei, istis momentis. 1. Quia hæc visio ipsi servabatur in futurum. 2. Si eam vidisset, ut quid eam postea videre desideraſſet? 3. Quia si ea prærogativa donatus fuisset Moyses, non dixisset Deus: *Non videbit me homo, & vivet.* Et L.4. contra Marcionem c.22. visionem Moysis explicat *de specie hominis, quem Deus erat gestaturus.*

S. Ambrosius: omnium, inquit dignissimus erat Moyses qui Deum videret, sed impar erat qui Deum videre posset: *Et tamen sic visus accipitur, ut alicujus conspicabilis, ut dixi, materiæ dispositione assumpta videretur, salva scilicet invisibilitate ejus.*

Idem S. Ambrosius, & cum eo S.Aug. & alii, ubi refellunt argumentum Arianorum contra divinitatem Filii, ex eo ductum quòd Filius sæpius in Scripturis visus sit, cùm tamen Deus sit invisibilis, reponunt: *Visum quidem Filium in specie quam voluntas elegit, non quam natura formavit*; adeoque illum perinde ac Patrem, natura & substantia invisibilem esse.

To.8.p. 788.B. D. S. Aug. multis in locis mentem suam exponit. L. 2. de Trinit. c.16. *Moyses*, inquit, *veram visionem Dei spiritaliter requirebat.....sed cùm hoc nec desideranti fuerit concessum, quis audeat dicere per similes formas, quæ huic visibiliter apparuerant, non creaturam Deo servientem, sed hoc ipsum quod Deus est cujusquam oculis apparuisse?* Idem repetit Tract.3.in Jo.n.17.*Quid*, inquit, *vidit Moyses? Moyses vidit nubem, vidit Angelum, vidit ignem: omnis illa creatura est: typum Domini sui gerebat, non ipsius Domini præsentiam exhibebat.... Invenis Moysen dicentem....Videam te.....responsum accepit, Non potes videre faciem meam. Loquebatur ergo, fratres mei, cum Moyse Angelus, portans typum Domini: non erant illa substantia Dei.*

To.3.p. 2. pag. 310.C. N.18. E

In Epistola 147. aliàs 112. ad Paulinam, quæ tota est de videndo Deo, fusè præsens argumentum prosequitur. Cap.5. n.14. postquam non semel repetiit ista Pauli verba: *Quem nemo hominum vidit, sed nec videre potest.* Quærit, *quomodo ergo Deum viderit Abraham, Isaac, Jacob, Job, Moyses &c.* Sic respondet n.19. *Deus natura invisibilis est. Illi autem ideo viderunt, quicunque Deum viderunt, quia cui voluerit, sicut voluerit, apparet ea specie, quam voluntas elegerit, etiam latente natura.* Et n.20. *Ipse ergo*, pergit S. Doctor, *erat in ea specie, qua apparere voluerat; non autem ipse apparebat in natura propria, quam Moyses videre cupiebat. Ea quippè promittitur sanctis in alia vita. Unde quod responsum est Moysi* (Non videbit me homo, & vivet) *verum est, quia nemo potest faciem Dei videre & vivere; id est, nemo potest eum in hac vita videre vivens sicut est.*

To.1.p. 480. F. Pagina 481. E.

Denique, ut multa alia hic prætereamus, quæstione 154. in Exodum n.5. ex professo explicans Moysis petitionem, & responsionem Dei, *Non videbit homo faciem meam & vivet*: sic loquitur. *Ostendens huic vitæ, quæ agitur in sensibus mortalibus corruptibilis carnis, Deum sicuti est apparere non posse: id est, sicuti est, videri in illa vita potest, ubi ut vivatur, huic vitæ moriendum est.*

To.1.p. 2. pag. 468.D.

Qui existimant S. Augustinum in contraria opinione fuisse, ad citata mox testimonia respondent, S. Doctorem loqui dumtaxat de visione Dei per oculos corporis, quam meritò affirmat Moysi denegatam fuisse.

Verùm, huic responsioni hæc obstant. 1. Moysi ea Dei visio denegata fuit, quam

quam poſtulaverat: at poſtulaverat videre Deum per mentem, non verò per oculos corporis: noverat enim haud dubiè Moyſes, naturam Dei ſpiritalem eſſe, adeoque ſenſibus corporis omninò imperviam. 2. Si ſolam viſionem Dei per oculos corporis excludere voluiſſet S. Auguſtinus, cur id clarè ac diſtinctè non explicat? Cur ſemper confugit ad formas ſeu ſpecies quaſdam ſenſibiles, ut exponat quomodo Deus ab aliquibus viſus fuerit; & diſertè non affirmat, per oculos mentis aliquando hac in vita viſum illum fuiſſe? 3. Conſtat manifeſtè ex citato cap. 16. Lib. 2. de Trinit. Moyſen viſionem Dei *ſpiritaliter* requiſiſſe; quam tamen non obtinuit. Loquitur ergo S. Auguſtinus de viſione Dei, non tantùm per oculos corporis, ſed etiam per oculos mentis: quod expreſsè adhuc teſtatur S. Doctor Lib. 12. de Gen. ad litt. cap. 26. ubi loca Numerorum de viſione intuitiva mentis vult eſſe intelligenda. *Non os corporis*, inquit, *ſed mentis: ſicut intelligendum arbitror quod de Moyſe ſcriptum eſt*. 4. Ea ipſa Dei viſio Moyſi denegata fuit hac in vita, quæ Sanctis promittitur in altera: at non alia illis promittitur ſubſtantiæ Dei viſio, quàm ea quæ fit per mentem; ergo &c. To. 3. p. 1. pag. 317. A.

Non eſt quòd in quæſtione, quæ ſubſtantiam dogmatis catholici non attingit, ſed meram de facto controverſiam, plura ex SS. Patribus teſtimonia congeramus. Unum hìc obſervaſſe ſufficiet: tam perſuaſum fuiſſe Judæis, non poſſe ab homine mortali Deum intuitivè videri, ut Iſaiam ſerra medium diviſerint, quòd dixiſſet ſe vidiſſe Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum. Ita referunt S. Hilarius Lib. 5. de Trinit. versùs finem, & Rupertus Lib. 3. de victoria Verbi Dei c. 28.

Solvuntur Objectiones.

OBjicies 1. ea omnia Scripturæ teſtimonia, quæ aſſerunt Deum à multis Patriarchis & Prophetis olim viſum fuiſſe.

Reſp. patere reſponſionem ad hæc omnia teſtimonia, ex iis quæ ſuprà diximus Q. 10. Art. 1. in ſolutione objectionum pag. 488. & ſeq. Conſule, ne bis eadem repetere teneamur.

Objicies 2. Num. 12. v. 6. dicitur: *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum. At non talis ſervus meus Moyſes, qui in omni domo mea fidelisſimus eſt: ore enim ad os loquor ei & palam; & non per ænigmata & figuras Dominum videt.* Exodi 33. v. 11. *Loquebatur autem Dominus ad Moyſen facie ad faciem, ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum.* Et v. 19. Deus Moyſi promittit ſe ipſi oſtenſurum omne bonum: *Oſtendam tibi omne bonum.*

Ex quibus teſtimoniis, ingratiam Moyſis hæc urgeri poſſunt.

1. Major hìc ſtatuitur Moyſis, quàm aliorum Prophetarum prærogativa: iſtis, vel per ſpecies ſenſibiles, vel in ſomnis Deus loquebatur; Moyſi verò, os ad os, & non per ænigmata & figuras. At nulla foret major illa prærogativa, ſi Moyſes Deum clarè non vidiſſet: & certè, viſio quæ fit os ad os, & quæ opponitur viſioni ænigmaticæ ac per figuras, eſt viſio clara & intuitiva.

2. Viſio quæ fit facie ad faciem, verè intuitiva eſt; & illam Apoſtolus opponit viſioni ænigmaticæ. 1. Corinth. 13. v. 12. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.*

3. Deus

3. Deus Moysi promittit se omne bonum illi ostensurum: at omnium bonorum primum ac præcipuum est clara Dei visio.

Resp. ad primum: nego minorem. Major enim Moysis prærogativa in eo fuit, quòd longè familiarius cum illo ageret Deus, quàm cum aliis Prophetis; quòd voluntatem suam clariùs longè ipsi manifestaret, quàm aliis, quibus non nisi figuris quibusdam obscuris obvolutam declarabat. Quare dicitur Deus os ad os, & facie ad faciem loqui cum Moyse; non quòd suam ipsi substantiam clarè conspiciendam exhiberet, sed quòd comparatione facta ad alios, clariùs cum ipso ageret. Rem ita esse patet.

1. Quia postquam dixit Scriptura, Moysen cum Deo loqui os ad os, & facie ad faciem, inducitur postea Moyses, rogans Deum ut ejus faciem videret; ergo illam non viderat.

2. Loqui *os ad os & facie ad faciem*, non idem semper est ac Deum clarè intueri. Namque Deuter. 5. v. 4. *Deus facie ad faciem loqui dicitur Israelitis in monte de medio ignis*. Et tamen c. 4. v. 12. dicitur: *Vocem verborum eius audistis, & formam penitùs non vidistis*. Et vers. 15. *Non vidistis aliquam similitudinem, in die qua locutus est Dominus in Horeb de medio ignis*.

3. Propheta Ozee cap. 12. v. 3. innuit Angelum fuisse qui cum Jacob luctatus est, & S. Stephanus Act. 7. vers. 38. testatur Angelum etiam cum Moyse aliisque Patriarchis collocutum fuisse; non ergo Deus ipse immediatè Moysi apparuit.

4. Verba hæc, *facie ad faciem*, paraphrasis Chaldaica vertit, *verbum ad verbum*. Et 70. Interpretes, *præsens præsenti*: alii, *familiariter*. Inde patet solutio.

Ad secundum: Verba ista, *facie ad faciem*, apud Apostolum 1. Cor. 13. denotant quidem claram & intuitivam substantiæ Dei cognitionem, quia loquitur Apostolus de visione quæ propria erit alterius vitæ: sed in locis ex Veteri Testamento adductis, verba ista, *os ad os & facie ad faciem*, significant dumtaxat Deum cum Moyse minùs involutè & obscurè egisse, quàm cùm aliis Prophetis.

Ad tertium: Deus promisit Moysi se omne bonum ipsi ostensurum, excepta scilicet naturæ suæ aperta cognitione: expressè enim ait, *faciem meam videre non poteris*.

Objicies 3. S. Paulus 2. Corinth. 12. v. 2. de se ipso ait: *Scio hominem in Christo ante annos 14. raptum usque ad tertium cœlum ..... & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui*. Et Act. 26. v. 16. Christus ad S. Paulum: *Ad hoc apparui tibi, ut constituam te ministrum .... eorum quæ vidisti*. Ergo S. Paulus Deum vidit.

Resp. Nego consequens. 1. Quia Apostolus longè post raptum, 1. ad Timoth. 6. asserit, *quòd nullus hominum viderit Deum, nec videre possit*. 2. Visio intuitiva sic vivida est ac splendida, ut qui ea donatur, statum suum ignorare non possit. Ignorabat autem Paulus an in corpore, an extra corpus raptus fuisset. 3. Ait quidem Apostolus se audivisse arcana verba, id est multa in hoc raptu abscondita mysteria cognovisse; at de concessa sibi clara essentiæ Dei visione, ne verbum quidem. 4. Si tali prærogativa fuisset ornatus, hanc procul dubio non omisisset, cùm Apostolatum suum extollit & commendat. Cùm igitur Christus Act. 26. Paulo dixit: *Constituam te ministrum eorum quæ vidi-*

vidisti, non ipsam intelligit divinam substantiam, sed mysteria & sacramenta, quæ ipsi fuerant in raptu revelata.

Objicies 4. auctoritatem S. Augustini duobus in locis Epistola 147. aliàs 112. c. 13. n. 31. hoc Moysi concessum fuisse docet, ut Deum, visione saltem transeunte & in extasi, clarè conspexerit. *Non est incredibile*, inquit, *quibusdam Sanctis nondum ita defunctis, ut sepelienda cadavera remanerent, etiam istam excellentiam revelationis fuisse concessam.* Et postea n. 32. *Quid ergo est quòd eum* (Moysen) *sic fecit exceptum, nisi fortè quia illa contemplatione dignum etiam tunc habuit populi sui talem rectorem & ministrum in tota domo sua fidelem, ut quemadmodum concupiverat, videret Deum sicuti est, quæ contemplatio cunctis fidelibus in fine promittitur?* To. 2. p. 486. A. ibid. E.

Et Lib. 12. de Gen. ad litt. cap. 27. postquam dixit, Exodi aut potius Numerorum testimonia de visione mentis intuitiva intelligenda esse, sic pergit: *Concupierat* (Moyses), inquit, *videre Deum; non utique sicut viderat in monte.... sed per speciem suam.... Nisi tamen concupitam & desideratam Dei claritatem Moyses videre meruisset, non in Libro Numerorum diceret Deus ad Aaron & Mariam.... Os ad os loquar ad illum in specie, & non per ænigmata, & claritatem Domini vidit. Neque enim hoc, secundùm substantiam corporis quæ carnis sensibus præsentatur, intelligendum est.* To. 3. p. 1. pag. 316. A. ibid. D.

Ad illud verò quod objici poterat, neminem posse videre Deum simul & vivere; reponit duplicem distingui posse mortem: alteram veram, quæ posita est in separatione animæ à corpore; alteram, quæ consistat in alienatione à sensibus: alterutram autem sufficere.

Resp. ad primum. Ea in Epist. nihil assertivè pronuntiare S. Doctorem, sed sub dubio rem proponere. *Non est incredibile.* inquit, *Fortè illa contemplatione dignus fuit Moyses.* Quiloquendi modus non certam ac fixam, sed dubiam exprimit S. Doctoris mentem ac sententiam.

Ad secundum: fatendum est eò loci magis assertivè loqui S. Augustinum & in eam inclinare sententiam, Moysi nempè concessum fuisse, ut Deum intuitivè contemplaretur.

Verùm, notum est, quòd ipsemet S. Doctor de Libris illis de Gen. ad litteram dixerit Lib. 2. Retract. c. 24. *Plura scilicet in iis quæsita fuisse quàm inventa fuerint; & eorum quæ inventa sunt, pauciora firmata: cætera verò ita posita, velut adhuc requirenda sint.* Igitur rem penitùs hìc non expendit, quam aliis in locis sedulò discussam definivit. To. 1. p. 50. D.

Objicies 5. S. Bernardus Serm. 9. de diversis, de S. Benedicto ait: *Ad hanc excellentiam videndi Deum, absque vehiculo creaturæ, licèt ad modicum, rapta videtur illa anima* (Benedicti) *quæ collectum sub uno solis radio mundum universum conspexit, de quo miraculo B. Papa Gregorius.* (Dialog. L. 2. c. 35.) To. 1. p. 1104. E.

Resp. S. Bernardum aut loqui tantùm de raptu, in quo B. Benedictus ad altiorem divinitatis contemplationem elevatus fuit; aut si de intuitiva Dei visione qua raptim ac transeunter donatus fuerit S. Benedictus, dubitanter non assertivè id proponere. Et verò, sequitur hìc Bernardus S. Gregorium Magnum qui de altiori contemplatione in raptu loquitur, non de clara & aperta Dei visione. Quapropter S. ipse Thomas, tametsi nobis hic adversetur 2. 2. q. 180. art. 5. ad 3. relatis D. Gregorii verbis, ait: *Ex his non datur intelligi, quòd Sanctus Benedictus Deum in illa visione per essentiam viderit.*

Objicies

Objicies denique. Multi è SS. Patribus docent hanc unam fuisse prærogativam status innocentiæ, Angelorum & hominis; quòd clara Dei visione, gloria, & felicitate perfecta fruerentur. Ita sensisse videntur SS. Augustinus in Psal.70. Gregorius Magnus in Psal.4. pœnitentialem. Bernardus Serm. 3. in pervigilio Nativitatis.

Resp. Mentem illorum Sanctorum esse, nimirum Angelos & hominem in statu innocentiæ, cùm nec invidia, nec ullo inordinato affectu excæcarentur, in perfecta animæ pace & quiete Deum clarè intellexisse & vidisse: non quidem visione intuitiva, sed abstractiva, eaque perfectissima; ut pote quæ nullis peccati tenebris, nulla vitiosi affectus caligine obscurata foret.

QUÆSTIO DECIMATERTIA.

De principiis effectivis visionis Dei intuitivæ.

TRia hic distingui possunt effectiva visionis Dei principia.

Unum ex parte objecti; & est species ipsius repræsentativa.

Secundum ex parte Dei; vel lumen gloriæ, vel concursus ejus supernaturalis & extraordinarius.

Tertium ex parte hominis; & est intellectus ipse. De his principiis, tribus sequentibus articulis breviter disputabimus.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum in visione Dei intuitiva admittenda sit aliqua Dei species sive impressa, sive expressa.

A Philosophis ad Theologos fluxit præsens quæstio. Ut enim illi disputant, qua ratione anima, quæ spiritalis est, res sive corporeas, sive spiritales percipiat; ita & isti quærunt, qua ratione mens beata Deum intuitivè videat: an immediatè; an per quamdam imaginem seu speciem Dei vicariam.

Duplicem itaque speciem distinguunt, unam impressam, alteram expressam.

Species impressa, est virtualis objecti similitudo, seu imago & repræsentatio objecti, quæ facultati imprimitur, & simul cum ea ad cognitionem objecti concurrit: unde dicitur objecti vicaria & quasi semen; quia cùm objectum per se præsens non possit menti adesse, maximè si materiale fuerit, necesse est ipsius vices suppleri per quamdam similitudinem seu imaginem illius, quæ vocatur species impressa.

Species expressa est formalis & actualis rei cognitio ab intellectu expressa, quæ vulgò dicitur verbum mentis, seu sermo interior.

De utraque illa specie quæritur, an sit admittenda, vel saltem an sit possibilis. Admittendam esse speciem impressam in visione Dei intuitiva, docent nonnulli cum Henrico in Summa art.33. quæst. 2. ad 3. Ægidio Lib.8. de beatitudine quæst.3. art.3. paragr.1. Illam verò impossibilem esse docent communiter S. Thomæ discipuli.

PRI-

PRIMA CONCLUSIO.

Nulla datur in visione Dei beatifica, species impressa.

Probatur. Quia talis species planè inutilis videtur. Admittitur enim vulgò à Philosophis, ad supplendam objecti vel absentiam, vel improportionem: atqui Deus in visione beatifica per se præsens est, & intimior intimo nostro, ait S. Augustinus: est etiam attemperatus intellectui nostro, beneficio luminis gloriæ; ergo planè inutilis ac rejicienda videtur illa species Dei impressa, in visione beatifica.

Dices: quando objectum facultatis vires excedit, tàm debet admitti species ex parte objecti ad tollendam improportionem, quàm auxilium ex parte ipsius facultatis: atqui in visione beatifica admittitur auxilium ex parte facultatis, nempè lumen gloriæ; quidni ergo & species quædam ex parte objecti quæ illud repræsentet?

Resp. Nego majorem. Quia in visione beatifica, improportio non se tenet ex parte objecti quod per se præsens est ac intelligibile, sed ex parte facultatis: unde requiritur lumen ex parte potentiæ, non verò species ex parte objecti.

Instabis 1. Deus supplere non potest officium speciei, cujus hoc proprium est, ut uniat objectum cum facultate; ut facultatem informet, eique adhæreat: Deus etenim hærere non potest tanquam accidens subjecto.

Resp. Distinguo antecedens. Deus supplere non potest, in genere causæ formalis inhærendo, informando, concedo: in genere causæ efficientis, movendo per se ipsum potentiam, & cum ea concurrendo ad eliciendum actum visionis seu cognitionis, nego.

Instabis 2. Deus per se immediatè id non operatur quod æquè commodè præstare potest per causas secundas: sed æquè commodè fieri potest visio per speciem impressam, quæ sit objecti imago quædam vicaria.

Resp. Nego minorem. Cùm enim visio sit actio præstantissima, ab ipso objecto immediatè & per se concurrente, non verò per speciem ab ipso distinctam elici debet.

Instabis 3. Potentia longè connaturaliùs agit per formam sibi intrinsecùs inhærentem, quàm assistentem extrinsecùs.

Resp. Distinguo antecedens. Si forma illa requiratur ex parte potentiæ, concedo: Si ex parte objecti, nego. Porrò species requiritur ex parte objecti, non verò potentiæ. Cùm igitur objectum in visione beatifica sit intimè præsens intellectui, non indiget sui quasi vicaria specie ut cognoscatur; sed per semetipsum immediatè cognoscitur.

Instabis denique. Visio est actio vitalis; ergo non potest esse à Deo extrinsecùs movente.

Resp. Distinguo consequens. Non potest esse à Deo, quatenus est actio vitalis & sub ea ratione formali, concedo: quatenus est repræsentativa objecti, nego.

SECUNDA CONCLUSIO.

Species impressa Dei in visione beatifica non videtur omninò impossibilis.

Pro-

Probatur: Quia nulla proferri potest ratio satis firma & efficax hujusce impossibilitatis.

Duplex à Theologis adversæ partis vulgò ratio profertur:

Prima est, quòd omnis species repræsentativa objecti, debeat esse in eodem gradu puritatis, perfectionis & immaterialitatis cum objecto quod repræsentat; impossibilis verò sit species aliqua creata, quæ sit in eodem gradu perfectionis & immaterialitatis cum Deo, ut per se patet.

Secunda ratio est, quia cùm Deus sit per se ac essentialiter intelligibilis, non potest per aliud intelligibilis reddi; sicut non potest per aliud esse infinitus, immensus &c.

Atqui duplex ista ratio satis efficax & firma nobis non videtur.

Non prima, quæ falsum supponit. Namque contingit aliquando, speciem puriorem esse ac magis immaterialem ipsomet objecto cognito. V. g. cùm res materiales & corporeas cognoscimus; species enim illarum quas cupit intellectus, longè sunt à materia defæcatiores, quàm sit objectum ipsum corporeum & materiale quod cognoscitur. Ex adverso, species non ita pura est, perfecta & immaterialis ac objectum quod repræsentat: v.g. cùm Angelus inferior superiorem cognoscit per ejus speciem; & cùm accidens repræsentat substantiam intentionaliter, ut ajunt. Cujus quidem ratio hæc est, quòd speciei perfectio vel imperfectio non petitur ex parte objecti, sed ex parte potentiæ seu facultatis in qua recipitur; & pro majori vel minori facultatis perfectione, species magis aut minùs perfectæ sunt. Sufficit igitur, ut species repræsentativè & intentionaliter eandem habeat cum objecto perfectionem: hoc est, quòd objectum perfectè repræsentet; non verò ut illam objecti perfectionem omnem in se entitativè contineat.

Non secunda. Namque Deus est quidem per se intelligibilis, sed liberè & ex beneplacito suo; ac potest, si velit, suum concursum suspendere in ratione objecti, quem si suspenderet, tunc intelligibilis fieret per aliud: non quidem in actu primo, quia hoc habet ex natura sua, quòd intelligi possit; sed in actu secundo, quia actu per aliud intelligeretur. Unde patet disparitas infinitatis & immensitatis Dei; si quidem istæ perfectiones non pendent à libera Dei voluntate, cùm sint ex necessitate ipsius naturæ: non ita, quòd Deus actu clarè & intuitivè ab mente creata videatur; quod ab ejus libera voluntate omninò pendet.

Dices. Corpus non potest spiritum repræsentare; ergo nec species creata Deum.

Resp. Nego consequentiam & paritatem. Disparitas est, quòd spiritus nullatenus contineatur intra limites objecti specificativi facultatis corporeæ; è contra, species creata Dei contineri possit intra limites facultatis intelligentis: uno verbo, spiritus ab oculo corporis videri non potest; benè autem species intelligibilis, à facultate intelligente.

Instabis 1. Species illa Deum quodammodo perficeret, esset enim accidens: omne autem accidens quodammodo perficit subjectum cui inest.

Resp. Nego antecedens: ad probationem distinguo. Omne accidens subjectivum, seu quod subjecto inhæret, illud quodammodo perficit, esto: accidens objectivum, hoc est, quod repræsentat objectum, nego. Porrò species illa, si daretur, esset accidens dumtaxat objectivum, non verò subjectivum.

Insta-

Instabis 2. Si talis species Deum repræsentaret, haud dubiè illum ut infinitum repræsentaret: sed hoc implicat.

Resp. Nego sequelam antecedentis. Species enim illa nihil plùs efficeret quàm Deus ipse in ratione objecti: sed Deus non unitur menti Beatorum, ut infinitus, seu modo infinito; ergo nec species illa, si daretur, Deum infinito modo repræsentaret. Ratio est, quia species illa semper sequitur conditionem subjecti in quo est; juxta vulgare axioma, Quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur.

Instabis 3. Deus, etiam absolutè loquendo, non potest non esse præsens intellectui creato.

Resp. Distinguo antecedens. Non potest non esse præsens, per immensitatem, concedo: in ratione objecti intelligibilis actu moventis potentiam, nego.

Instabis 4. Deus non potest non concurrere cum intellectu creato, supposito quòd intelligat; aliàs, non intelligeret: nihil enim potest homo facere, sine concursu Dei sive naturali sive supernaturali; ergo per se immediatè concurrit.

Resp. Distinguo antecedens. Deus non potest non concurrere, tanquam causa efficiens & physica, concedo: tanquam objectum per se movens facultatem ad intelligendum seu cognoscendum, nego.

Instabis denique. Ex S. Dionysio Lib. de divinis nominibus cap. 1. Quod est ordinis inferioris, non potest repræsentare aliquid superioris ordinis; ergo species illa creata, quæ ordinis foret inferioris respectu Dei, eum repræsentare non posset.

Resp. Nego consequens. S. enim Dionysius, aut quisquis auctor est Lib. de divinis nominibus, loquitur de cognitione Dei per creaturas; ac mens illius est, ex creaturis non posse hominem perfectam divinæ essentiæ cognitionem habere, quod ultrò fatemur: sed istud extra propositum nostrum excurrit.

TERTIA CONCLUSIO.

Datur in visione Dei beatifica species quæ dicitur expressa seu verbum mentis.

Probatur 1. ex S. Aug. Lib. 9. de Trinit. c. 11. ubi generatim ostendit, animum, cùm se ipsum aut quodlibet aliud intelligit, rei cognitæ similitudinem & speciem quamdam intra se efformare; atque inde, pluribus ibidem Verbi divini generationem prosequitur S. Doctor n. 16. *Cùm Deum novimus*, inquit, *fit aliqua Dei similitudo illa notitia; tamen inferior est, quia in inferiore natura est: creatura quippe animus, creator autem Deus.* Et Lib. 15. c. 16. n. 16. *Illud quoque fatendum est*, inquit, *quòd etiam cùm similes ei erimus, quando videbimus eum sicuti est . . . . Et tunc quidem verbum nostrum non erit falsum, quia neque mentiemur, neque fallemur.* *To. 8. p. 886. C.* *Ibid. p. 986. G.* *Ibid. p. 987. A.*

Probatur 2. Quia species expressa, est ipsum verbum mentis, seu similitudo formalis, & actualis nostræ cognitionis terminus: atqui datur tale verbum mentis in visione Dei. Tùm quia intellectio vera est actio mentis; omnis verò actio habet aliquem terminum: sed terminus formalis intellectionis, vocatur species expressa seu verbum mentis. Tùm quia, mens nostra reddi non potest actu & formaliter intelligens nisi per aliquid ipsi intrinsecum; quia

nempe vitalis est facultas: illud verò intrinsecum ac formale, est speecis expressa.

Dices. Nulla requiritur species expressa, quando objectum est per se ac immediatè præsens: atqui Deus per se ac immediatè præsens est menti Beatorum; ergo &c.

Resp. Nego majorem. Quia species illa expressa necessaria non est, nec destinatur ad supplendam objecti absentiam, quod proprium est speciei impressæ officium; sed ut sit terminus formalis intellectionis. Et verò, cùm Pater æternus seipsum cognoscit, sibi intimè præsentem habet divinam essentiam, & tamen se ipsum intelligendo Verbum producit. Igitur & mens humana, servata proportione, cùm Deum intuitivè cognoscit, producit terminum suæ cognitionis, qui verbum dicitur. Dixi, servata proportione: quia Pater æternus seipsum cognoscendo, producit terminum substantialem, hoc est, Filium ejusdem cum ipso naturæ ac substantiæ; mens verò creata producit dumtaxat terminum accidentalem, seu, ut vocant, intentionalem.

Instabis 1. In visione beatifica, essentia divina immediatè ac per se est terminus cognitionis intellectus.

Resp. Distinguo antecedens. Divina essentia est terminus cognitionis objectivus & externus, concedo: formalis, internus ac vitalis, nego. Implicat enim facultatem vitalem cognoscere cognitione formali alterius.

Instabis 2. Species finita non potest repræsentare intuitivè ac clarè objectum infinitum.

Resp. Distinguo antecedens. Species finita objectiva, quæ priùs cognita ducat in cognitionem alterius, concedo: species formalis & intentionalis, quæ incognita ducit in cognitionem alterius, nego. Porrò species expressa est formalis, ut sæpiùs dictum est.

Instabis 3. Si Deus videretur per speciem expressam, videretur per aliud; ergo non intuitivè ac immediatè per se videretur.

Resp. Distinguo antecedens. Videretur per aliud, tanquam per medium quo, seu per terminum formalem & productum, concedo: tanquam per medium quod, seu objectum priùs cognitum, nego. Porrò species expressa est dumtaxat medium formale & quo: tale autem medium non officit intuitivæ cognitioni, cujus est terminus formalis.

Instabis 4. Falsò supponimus omnem vitalem actionem cognitionis producere aliquem terminum: siquidem Filius & Spiritus sanctus in divinis, seipsos suamque naturam intelligunt, & tamen nullum producunt terminum suæ cognitionis: pariter motus localis est actio, & tamen nihil producit.

Resp. Nego antecedens. Ad probationem dico, Verbum divinum & Spiritum sanctum intelligendo non producere Verbum, quia jam supponitur productum per intellectionem Patris, quæ cùm eadem sit cum intellectione Filii & Spiritus sancti, tota exhauritur per productionem Verbi infiniti. Motus localis propriè non est actio producta, sed applicativa dumtaxat & adductiva: hoc est, quæ corpus loco applicat, aut ad locum adducit. Quamquam & in motu duo distingui possunt, impetus scilicet qui producitur ab eo qui movet; & locus qui acquiritur. Terminus motus, quatenus est actio productiva, est impetus: terminus verò motus, quatenus est actio applicativa & adductiva, est locus. Verùm, de hisce quæstionibus consulantur Philosophi; ex illis enim,

enim, ut jam monuimus, ad Theologos Scholæ fluxit controverſia de ſpecie impreſſa vel expreſſa in viſione Dei beatifica.

ARTICULUS SECUNDUS.

De lumine gloriæ.

Quæ ipſius natura, quæ neceſſitas, quæ officia?

CUm intellectus humanus ſibi relictus non poſſit aſſurgere ad viſionem Dei intuitivam, quæ ſupernaturalis eſt, indiget auxilio quo elevetur ac roboretur. Auxilium verò illud, lumen gloriæ ſolet appellari: tùm quia idem præſtat reſpectu intellectus, quod lumen corporale reſpectu oculorum: tùm quia ſic appellatur à Scriptura & à Conc. Viennenſi. Pſalm. 35. v. 10. *Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Et Apoc. 22. v. 5. *Videbunt faciem ejus . . . & non egebunt lumine lucernæ, neque lumine Solis, quia Dominus Deus illuminabit eos, & regnabunt in ſæcula ſæculorum.* Tùm denique, quia per illud lumen, æterna gloria & claritate illuſtrabimur.

Circa lumen gloriæ hæ moventur à Scholæ Theologis quæſtiones.

Prima: Quid ſit. Scotus in 3. diſt. 3. exiſtimat charitatem quæ eſt in anima beata augeri actuali quodam & extraordinario concurſu, qui abſque ullo alio habitu ſuperaddito ſufficit, ut anima Deum intuitivè videat. Alii exiſtimant lumen illud nihil aliud eſſe, quàm ipſum Deum beatis aſſiſtentem, eoſque adjuvantem ad actum illum ſupernaturalem eliciendum. Vide Petavium L. 7. de Deo cap. 8.

Secunda: An ſit neceſſarium, & quæ ipſius officia. An tantùm ut intellectus recipiat viſionem beatificam, ut putat Major in 3. diſt. 14. qu. 2. dubio 2. & in 4. diſt. 49. q. 4. An ut diſponat intellectum ad recipiendam eſſentiam divinam in ratione ſpeciei impreſſæ, ut nonnulli putant cum Capreolo in 4. diſt. 49. q. 4. art. 1. concl. 2. An ut ipſum objectum uniat potentiæ, & objecti vices ſuppleat, ut docet Vaſques diſp. 43. c. 7. An verò, quod communiter docent Scholaſtici, ut elevet ac roboret intellectum, & cum illo concurrat ad eliciendam viſionem beatificam.

Tertia: An tantæ neceſſitatis ſit lumen illud adhærens intellectui, ut ſuppleri non poſſit per uberiorem Dei concurſum. Affirmant Capreolus in 4. diſt. 49. q. 4. art. 3. Ferrarienſis 3. contra Gentes c. 54. negant alii.

Quarta: Utrum lumen gloriæ poſſit alicui creaturæ intellectuali eſſe connaturale: vel utrum creari poſſit intellectus ita perfectus, ut ſine auxilio elevante ſuperaddito, Deum intuitivè videre poſſit: quod affirmant Major in 4. diſt. 49. q. 4. Molina hic diſp. 7. Ex iſta ſentiendi varietate, ſatis conſtat rem fidei hic non pertractari; ſed meram, eamque liberam Scholæ diſputationem.

PRIMA CONCLUSIO.

Lumen gloriæ eſt habitus intellectualis ſupernaturalis elevans intellectum ad eliciendam viſionem Dei.

Probatur declarando ſingulas hujus definitionis partes.

1. Dicitur habitus; id est, qualitas fixa & permanens; tùm quia visio beatifica est permanens & fixa: tùm quia potentia longè connaturaliùs & faciliùs agit per formam inhærentem, quàm per auxilium exteriùs assistens. Eò enim actio magis est connaturalis, quò propiùs accedit ad modum agendi naturalem.

2. Dicitur intellectualis: quia in intellectu recipitur, eumque adjuvat.

3. Dicitur supernaturalis; quia naturales humani intellectus vires superat.

4. Dicitur ad eliciendam Dei visionem; qua in re, præcipuum ejus officium positum est, ut mox dicemus.

SECUNDA CONCLUSIO.

Lumen gloriæ necessarium est ad eliciendam beatificam Dei visionem.

Probatur ex definitione Concilii Viennensis contra Beguardos & Beguinas qui contendebant, *animam non indigere lumine gloriæ ipsam elevante ad Deum videndum & eo beatè fruendum*. *Nos*, ait Clemens V. *Sacro approbante Concilio fectam ipsam* (Beguardorum & Beguinarum) *cum præmissis erroribus de lumine gloriæ damnamus & reprobamus*. Inde tamen non inferas docere fidem, lumen illud esse habitualem qualitatem animæ inhærentem: hoc enim unum hìc spectat definitio Ecclesiæ, necessarium scilicet esse aliquod auxilium supernaturale, quo anima juvetur ac roboretur ad Deum clarè & intuitivè videndum; quodcunque tandem sit illud auxilium, & cujusc unque naturæ.

Ratio est, quia intellectus suis solis viribus relictus, non est capax actionis supernaturalis, ad quam non nisi remotam habet proportionem, quæ necessariò compleri ac perfici debet, ut in actum erumpat. Ita fine, fide spe & charitate, in Deum credere, sperare, eumque diligere non possumus. Atque auxilium hujusmodi necessarium est, non tantùm ut facilius & promptiùs, sed etiam ut simpliciter & absolutè actus illos eliciamus.

Dixi lumen gloriæ necessarium esse ad eliciendam beatificam Dei visionem, quod quidem ipsius præcipuum munus & officium est: datur enim lumen illud ad supplendam incapacitatem & infirmitatem intellectus, in ordine ad Deum clarè & intuitivè videndum; sed incapacitatem illam supplet, evehendo intellectum, & roborando ad eliciendam Dei visionem: qua ratione habitus fidei, spei & charitatis animam juvant & roborant ad actus fidei, spei & charitatis producendos. Non igitur lumen illud supplet incapacitatem intellectus, vel eum disponendo ad recipiendam Dei essentiam per modum formæ intelligibilis: namque divina essentia hoc modo considerata, solummodo extrinsecùs assisteret intellectui, non autem inhæreret; at requiritur aliquid intrinsecum, quod intimè afficiat intellectum eique adhærescat: vel etiam eum disponendo ad recipiendam Dei visionem: tùm quia visio est actio vitalis quæ fluit ab intrinseco principio, nec ab alio extrinseco haberi potest: tùm quia si requiritur lumen tanquam dispositio necessaria ad recipiendam visionem supernaturalem, alia etiam necessaria erit dispositio ad ipsum lumen, quod etiam supernaturale est, recipiendum; & ita dabitur progressus in infinitum. Igitur lumen gloriæ supplet, perficit ac roborat intellectus creati incapacitatem, ad Deum clarè & intuitivè conspiciendum.

Modus

Modus autem quo lumen gloriæ juvat, non fit intendendo ipsius intellectus ſubſtantiam, quæ intenſionis ſicut & remiſſionis eſt incapax: ſed adjungendo ſe intellectui, velut comprincipium ejuſdem actionis ſeu intellectionis.

TERTIA CONCLUSIO.

Lumen gloriæ ſuppleri abſolutè poteſt per uberiorem Dei concurſum ſupernaturalem.

Probatur. Quia nulla ſatis firma & efficaci ratione, aut ex parte Dei, aue ex parte hominis, probatur non poſſe ſuppleri lumen gloriæ.

1. Non ex parte Dei: quia Deus ſupplere poteſt id omne quod neque formale eſt, neque vitale, ſed merè effectivum: ita poteſt calorem ſine igne, lumen ſine Sole producere. Atqui lumen gloriæ non eſt quid vel formale, vel vitale: non formale; quia formalis cauſa viſionis, eſt ipſamet actio mentis Deum videntis: quòd verò lumen gloriæ inhæreat intellectui eumque informet, planè eſt per accidens; quia nimirum eſt qualitas quæ poſtulat inhærere. Non eſt etiam quid vitale; quia quidquid vitale eſt, fit à principio vitali intrinſeco: at lumen gloriæ tale non eſt, cùm ſit à principio ſeu à cauſa extrinſeca; ergo lumen gloriæ concurrit ad viſionem beatificam in genere dumtaxat cauſæ efficientis.

2. Non ex parte intellectus: namque ex duplici tantùm capite oriri poſſet hæc implicantia: aut quia viſio eſt ſupernaturalis, aut quia eſt vitalis: atqui ex neutro capite probatur ita neceſſarium eſſe lumen gloriæ, ut ſuppleri non poſſit per uberiorem Dei concurſum. Non ex primo: namque actus fidei, ſpei & charitatis qui præcedunt juſtificationem, ſunt etiam ſupernaturales, nec tamen procedunt ab habitibus fidei, ſpei & charitatis. Non ex ſecundo capite: quia, ut jam dictum eſt, lumen gloriæ non eſt quid vitale. Deinde verò, intellectus inchoatam ſaltem & remotam habet proportionem, quæ dicitur habitudinis cum Deo videndo; & indiget dumtaxat auxilio quo proximè ac perfectè compleatur incapacitas illa & inſufficientia qua laborat, ut actu & de facto Deum intuitivè videat: at concurſus Dei extraordinarius id efficere poteſt.

Dices. Habitus ſupernaturalis qui datur non tantùm ad faciliùs, ſed etiam ad eliciendam ſimpliciter actionem, ſuppleri non poteſt: atqui lumen gloriæ eſt habitus ſupernaturalis; ergo &c.

Reſp. Nego majorem. Namque concurſus Dei ſupernaturalis idem efficere poteſt, quod habitus infuſus & inhærens. Equidem facultas connaturaliùs agit ex forma ſibi inhærente; ſed abſolutè ſine illa poteſt agere, præſertim cùm remotam habeat & incompletam cum objecto proportionem.

Inſtabis 1. Intellectus intrinſecam habet incapacitatem ad Deum clarè & intuitivè videndum, quia talis actio eſt verè ſupernaturalis; ergo incapacitas illa intrinſeca tolli debet per aliquid intrinſecum & inhærens.

Reſp. Nego conſequens. Quia concurſus Dei ſupernaturalis ſufficit ad tollendam illam incapacitatem proximam: maximè cùm, ut dictum eſt, ſit in anima capacitas ſeu potentia inchoata & remota ad Deum videndum.

Inſtabis 2. Niſi intellectus fiat completè ac proximè potens per auxilium intrinſecum & inhærens, erit actus ſecundus, nempe viſio, ſine actu primo

interno; quia entitas ipsa intellectus non potest esse actus ille primus: atqui hoc implicat; ergo &c.

Resp. Nego majorem. Erit enim actus primus, nimirum ipsa intellectus substantia, quæ capax est illius visionis, accedente Dei concursu; & intellectus connotans divinam omnipotentiam, per quam evehi potest & roborari ad actum supernaturalem, se habet per modum actus primi. Et verò, si quid roboris haberet istud argumentum, probaret Deum nunquam posse uti creatura ad aliquem effectum supernaturalem, v. g. aqua Baptismatis ad producendam gratiam, quin priùs ipsi virtutem quamdam per modum actus primi indidisset; quod quidem absurdum videtur.

Instabis 3. Deus supplere non potest ipsammet visionem, seu actionem mentis videntis; ergo nec lumen gloriæ, quod est medium seu instrumentum necessarium ad videndum Deum.

Resp. Nego consequentiam & paritatem. Disparitas est, quòd visio sit actio vitalis quæ necessariò fluit ab interno & vitali principio: non ita lumen gloriæ, quod nec vitale quid est nec formale, sed tantùm causa effectiva instrumentalis visionis beatificæ.

QUARTA CONCLUSIO.

Nulli creaturæ possibili naturale ac debitum esse potest lumen gloriæ.

Probatur 1. auctoritate S. Aug. & ratione qua ipse utitur. Nempe: creatura cui naturale foret ac debitum lumen gloriæ, ex propria & intima naturæ suæ conditione beata foret & impeccabilis; hæc enim duo necessariæ sunt visionis Dei appendices: atqui nulla creatura propria & intima naturæ suæ conditione beata esse potest & impeccabilis. Non primum: *Quia*, inquit S. Aug. Lib. 12. de Civitate Dei c. 1. n. 2. *quamvis non omnis beata possit esse creatura (neque enim hoc munus adipiscuntur, aut capiunt feræ, ligna, saxa &c.) ea tamen quæ potest, non ex se ipsa potest, quia ex nihilo creata est; sed ex illo, à quo creata est.* Atqui creatura quælibet possibilis ex nihilo est; ergo ex sese, judice S. Aug. beata esse non potest. Non secundum: quia ut idem S. Doctor ait Lib. 14. de Trinitate c. 4. agens de creatura intellectuali, *Quamquam magna natura sit, vitiari tamen potuit, quia summa non est.* Et in Enchiridio cap. 12. *Naturæ igitur omnes*, inquit, *quoniam naturarum prorsus omnium Conditor summè bonus est, bonæ sunt, ideo in eis & minui bonum & augeri potest.* Ratio igitur à priori cur creatura quælibet intelligens deficere possit ac peccare, hæc est, quia est è nihilo producta: atqui talis foret quælibet creatura etiam possibilis; eò enim quòd creatura est, ex nihilo est.

To 7. f. 501. A.
To. 8. f. 951. C.
To. 6. f. 199. C.

Probatur 2. Quia creatura cui naturale ac debitum foret lumen gloriæ, esset supernaturalis: atqui nulla dari potest substantia creata supernaturalis; nec liquidò satis explicari potest, in quo consisteret illa ratio supernaturalitatis. An in eò quòd à solo Deo produci posset? at Angelus & anima rationalis à solo Deo produci possunt, nec tamen sunt supernaturales. An in eo quòd alias creaturas superaret sua substantiali perfectione? at si hæc ratio aliquid momenti haberet, perfectissima, quæ nunc extat substantia, supernaturalis diceretur, quod est absurdum. An ex eo quòd esset ordinis superioris respectu aliarum creaturarum? Sed nec id videtur dici posse: nam vivens est in superiori

riori ordine reſpectu non viventis, & homo reſpectu brutorum animantium; & tamen nec vivens, nec homo ſunt ordinis ſupernaturalis. An ex eo quòd eſſet ordinis divini? Sed quid illud ſit, vix intelligitur. Vel enim ita eſſet, quòd participaret aliquam Dei perfectionem quæ formaliter eſſet in Deo: at & Angelus & anima rationalis, communem habent cum Deo formalem ſpiritus naturam, (quamquam in diverſo gradu & ordine) nec tamen Angelus & anima rationalis ſunt ſubſtantiæ ſupernaturales. An quòd ejuſdem ordinis foret cum lumine gloriæ & viſione beatifica? Sed nec iſtud quidquam ponderis habet. Recurret enim quæſtio; quomodo ſcilicèt ejuſdem ſit ordinis cum lumine gloriæ, & quomodo ſit ſupernaturalis; ac vitioſus foret circulus: probaretur enim ſupernaturalitas luminis gloriæ, ex ſupernaturalitate illius ſubſtantiæ; & viciſſim, ſupernaturalitas ſubſtantiæ ex ſupernaturalitate luminis gloriæ: ſed id abſurdum videtur; ergo intelligi & explicari ſatis non poteſt, unde deſumeretur ſupernaturalitas illius ſubſtantiæ poſſibilis.

Dices: dari poteſt, & re ipſa datur accidens ſupernaturale, v. gr. fides, ſpes, charitas: quidni ergo & ſubſtantia ſupernaturalis? quandoquidem omne accidens dicit ordinem ad aliquod ſubjectum ipſi proportionatum.

Reſp. Nego conſequens. Argumentum enim iſtud, ſi valeret, probaret non tantùm poſſibile eſſe, ſed etiam actu exiſtere ſubſtantiam ſupernaturalem; quemadmodum actu dantur accidentia ſupernaturalia. Diſparitatis ratio in eo eſt, quòd accidens ſupernaturale etſi tendat ad Deum, non tamen ejuſdem ſit cum ipſo ſubſtantiæ & ordinis, ſicut eſſet ſubſtantia ſupernaturalis, ſi daretur, quæ ex ſeſe beata foret & impeccabilis. Re vera omne accidens ordinem dicit ad aliquod ſubjectum, illudquè exigit; at non idcirco ſubjecto debitum eſt. Sic v. g. gratia ſubjectum quidem aliquod poſtulat cui inſit; nec tamen propterea ipſi debita eſt, aliàs gratia non eſſet.

Inſtabis 1. Nulla proferri poteſt ratio, cur repugnet ſubſtantia ſupernaturalis, & non repugnet accidens ſupernaturale: non ex eo quòd ſit ſubſtantia; Deus enim eſt ſubſtantia & ſupernaturalis: non ex eo quòd ſit creata; accidens enim ſupernaturale, creatum eſt.

Reſp. Subſtantiam ſupernaturalem ex hoc duplici capite repugnare, quòd ſit ſubſtantia, & quòd ſit creata. Quatenùs ſubſtantia, eſt in ordine ad ſe; nec quidquam exigere poteſt, niſi quod naturale eſt: quatenùs creata, eſt ex nihilo adeoque defectibilis; accidens verò non eſt ad ſe, ſed ad aliud quod perficit: unde, Deo ita volente, deſtinari poteſt ad ordinem ſupernaturalem, atque ita in entitate ſua eſſe ſupernaturale.

Inſtabis 2. Accidens ſupernaturale v. g. charitas, Chriſto connaturalis erat.

Reſp. Diſtinguo antecedens. Chriſto connaturalis erat, ratione divini ſuppoſiti, concedo: ratione humanitatis, nego.

Inſtabis 3. Intellectus ſimul cum lumine gloriæ eſt quid finitum; ergo poteſt Deus creare intellectum cui naturale ſit lumen gloriæ.

Reſp. Nego conſequens. Neque enim poteſt Deus efficere id omne quod finitum eſt, quando illud implicat & contradictionem involvit. Ita non poteſt efficere ut homo agat independenter à ſuo concurſu, tametſi actio illa hominis ſit finita.

Inſtabis 4. Creatura cui connaturale foret lumen gloriæ, Deus non eſſet, aut formaliter, aut virtualiter, aut eminenter; ergo non implicat.

Reſp. Eſto, nullo ex his modis Deus foret; at ſaltem indirectè evaderet creaturam ad participationem eſſentiæ divinæ, in quantùm creatura illa ex ſe beata foret & impeccabilis.

Inſtabis 5. Deus poteſt producere intellectum perfectiorem in infinitum; ergo & ita perfectum ut naturaliter Deum videat.

Reſp. Diſtinguo antecedens. Poteſt producere intellectum perfectiorem in infinitum, intra ordinem naturæ debitum, concedo: extra illum ordinem, nego.

Inſtabis 6. Poteſt objectum infinitum videri viſione infinita; ergo & objectum ſupernaturale attingi poteſt viſione naturali.

Reſp. Nego conſequentiam & paritatem. Diſparitas eſt, quia objectum quantumlibet infinitum, non videtur quatenus eſt infinitum, & modo infinito: at verò objectum ſupernaturale, non poteſt attingi niſi quatenus eſt ſupernaturale; adeoque à potentia ſupernaturali quodam auxilio elevata & roborata.

Inſtabis 7. Quidquid Deus conferre poteſt per qualitatem ſuperadditam, hoc poteſt & per naturam; ergo poteſt creare intellectum ita perfectum, ut ipſi connaturalis ſit aperta Dei viſio.

Reſp. Nego antecedens. Poteſt enim Deus conferre v. g. aquæ, per qualitatatem ſuperadditam, ut calefaciat, quod non poteſt per naturam; quia natura ſua frigida eſt, non calida.

Inſtabis 8. Quod ſuperiori competit in gradu intenſo, poteſt inferiori competere in remiſſo: ſic calor qui in ſummo gradu naturalis eſt igni, in remiſſo poteſt aeri competere; ergo videre Deum per naturam, quod Deo in gradu perfectiſſimo convenit, creaturæ convenire poteſt in remiſſo & inferiori quodam gradu.

Reſp. Diſtinguo antecedens. Si res illæ ſint intra eundem ordinem naturæ, nec ulla ſit aliunde implicantia, concedo: ſi ſint in diverſo ordine, & ſit aliunde aliqua implicantia, nego. Porrò Deus & creatura, per reſpectum ad viſionem beatificam, ſunt in diverſo prorſus ordine; & aliunde, ut probatum eſt, implicat creaturam eſſe naturaliter beatam & impeccabilem.

Inſtabis 9. Viſio Dei eſt actio vitalis: ſed omnis actio vitalis eſt connaturalis potentiæ vitali; ergo ſupponit potentiam cui ſit connaturalis.

Reſp. Diſtinguo minorem. Omnis vitalis actio prout vitalis eſt, potentiæ vitali connaturalis eſt, concedo: prout eſt ſupernaturalis, nego. Viſio igitur præcisè, ut vitalis eſt, intellectui creato eſt connaturalis; ſed quatenus ſupernaturalis, omnem ejus exigentiam & capacitatem naturalem ſuperat.

Inſtabis 10. Cæteræ Dei perfectiones ſupernaturales communicari poſſunt creaturæ, v. g. ſapientia, charitas &c. ergo & ſubſtantia.

Reſp. 1. Aliquas eſſe Dei perfectiones quæ creaturis communicari non poſſunt; v. g. independentia, omnimoda puritas, & ſimplicitas perfecta. 2. Inter illas Dei perfectiones, quæ creaturis communicantur, & ejus ſubſtantiam ſupernaturalem, diſcrimen eſt, quòd perfectiones illæ, quantùmlibet ſint in creaturis, non tamen ſunt ipſis propriæ, eſſentiales & connaturales, ſed accidentariæ: è contra verò, ratio ſubſtantiæ ſupernaturalis, ſi creaturæ

turæ conveniret ipsi foret intranea, propria & essentialis; omnis enim substantia est ad se, non ad aliud.

Instabis denique. Datur modus substantialis supernaturalis, quo duæ naturæ in Christo hypostaticè uniuntur: quidni & substantia supernaturalis?

Resp. Nego consequens. Disparitas est, quòd modi perinde ac accidentis conditio attenditur per ordinem ad aliud, nempe rei cujus est modus; ac consequenter, cùm modus rem supernaturalem afficit, ipse quoque supernaturalis est: è contra, substantiæ ratio tota est ad se. Cùm igitur substantia creata non possit esse actus purus, sua beatitudo &c. consequenter non potest esse supernaturalis.

ARTICULUS TERTIUS.

An, & quomodo intellectus concurrat ad visionem Dei intuitivam.

PRIMA CONCLUSIO.

Intellectus activè concurrit ad eliciendam visionem beatificam.

Probatur. Quia intellectus activè concurrit ad omnem veram intellectionem; est enim proximum & immediatum principium vitale intellectionis vitalis: atqui visio Dei intuitiva est vera actio vitalis; ergo &c.

Et verò, si quæ ratio obstaret quominùs intellectus activè concurreret ad visionem Dei, maximè quia hæc est supernaturalis; sed hæc ratio nulla est: actus enim fidei, spei, & charitatis sunt supernaturales, ad illos tamen liberum hominis arbitrium activè concurrere, docet catholica fides.

SECUNDA CONCLUSIO.

Intellectus concurrit ad visionem Dei eliciendam, per virtutem sibi propriam & innatam, elevatum tamen per lumen gloriæ.

Probatur. Quia intellectus concurrit ad visionem beatificam, prout est potentia vitalis se se movens ab intrinseco: atqui potentia vitalis propria est, innata & intrinseca; ergo &c.

Elevari tamen debet & roborari intellectus per auxilium supernaturale, ut Deum clarè inspiciat: quia actio hæc supernaturalis est, & excedens vires ejus naturales; quæ consequenter exigit supernaturale quoddam auxilium, quo facultas vitalis juvari possit ad actionem illam supernaturalem eliciendam.

Et verò, licèt voluntas indigeat auxilio gratiæ ad eliciendos actus fidei, spei & charitatis, eos tamen per suum liberum arbitrium divinæ gratia roboratum & adjutum producit.

TERTIA CONCLUSIO.

Intellectus concurrit ad visionem beatificam, ut causa principalis: lumen verò gloriæ, ut instrumentum Dei.

Pro-

Probatur. Quia causa principalis ea est quæ agit ex virtute sibi propria & innata: atqui talis est intellectus in elicienda visione Dei beatifica.

Lumen verò gloriæ, etsi intellectui inhæreat, nihilominùs agit tanquam instrumentum Dei, potiùs quàm intellectus; quia accidens supernaturale magis censeri debet instrumentum illius à quo est, quàm illius in quo est: sed lumen gloriæ est à Deo; ergo potiùs est instrumentum Dei, quàm intellectus.

QUÆSTIO DECIMA QUARTA.

De objecto visionis Dei intuitivæ.

DUplex distingui solet visionis Dei objectum: unum primarium, alterum secundarium. Primarium dicitur, quod ratione sui & immediatè videtur; & est ratio videndi cætera. Secundarium, quod non ratione sui, sed alterius in quo continetur, videtur. Essentia divina cum suis Attributis tùm absolutis tùm relativis, est objectum primarium: creaturæ verò, sunt objectum secundarium visionis Dei beatificæ. De utroque objecto, duobus Articulis differemus.

ARTICULUS PRIMUS.

De primario objecto visionis beatificæ.

DUo hìc quæruntur 1. Videnne beati divinam essentiam, cum omnibus attributis sive absolutis sive relativis? 2. Fieri nepotest, ut essentia sine attributis, & unum attributum sine alio videatur? Affirmat Scotus in 4. dist. 49. qu. 3. art. 3. concl. 2. Fundamentum hujus opinionis est distinctio realis formalis quam ille excogitavit essentiam inter & divina attributa. Negant communiter alii Theologi.

Postremam hanc quæstionem, non nisi invito ac reluctante animo hìc attingimus; quòd eam inutilem planè ac otiosam existimemus.

PRIMA CONCLUSIO.

Beati vident omnia quæ sunt in Deo formaliter ac necessariò, secundùm proprias & necessarias eorum rationes; non verò secundùm rationes secundarias, seu varios ad creaturas respectus.

Tres sunt Conclusionis partes.

Probatur prima pars. Quia visio illa intuitiva est, quidditativa & beatifica: atqui triplici hoc titulo, debet se extendere ad id omne quod est in Deo formaliter. 1. Quia est visio intuitiva 1. Corinth. 13. v. 12. *Videmus nunc per speculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* At, si quid Deo intrinsecum & essentiale lateret mentem beatam, quomodo videret facie ad faciem? 2. Quia visio illa est quidditativa 1. Joan. 3. v. 2. *Videbimus eum sicuti est.* Atqui essentiæ simplicissimæ visio quidditativa dici non posset, quæ quidditatem omnem & essentiam objecti non attingeret. Hinc meritò Christus Joan. 14. v. 9. *Qui videt me, videt & Patrem ...., quia ego in Patre, & Pater in me est.*

est. 3. denique, Quia hæc visio beatifica est. Joan. 17. v. 3. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* Ergo illa visio debet perfectè respondere fidei cujus merces est. Cùm igitur necesse sit omnium mysteriorum fidem habere in terris; consequenter necesse est, ut eorum omnium claram notitiam in cœlis Beati consequantur. Hinc S. Aug. Lib. 20. de Civitate Dei c. 21. n. 1. *Ibi videbimus*, inquit, *& gaudebit cor nostrum. Nec expressit quid tunc videbimus, sed quid nisi Deum? . . . & omnia illa, quæ nunc non videmus, credentes autem, pro modulo capacitatis humanæ, longè minùs quàm sunt, atque incomparabiliter cogitamus. Et videbitis, inquit, & gaudebit cor vestrum. Hic creditis, ibi videbitis.* T. 6. p. 238. E.

Probatur secunda pars: nempe Beatos ea solummodo videre quæ sunt in Deo formaliter ac necessariò. Namque, etsi decreta Dei libera in ipso sint formaliter, non tamen ea omnia Beati cognoscunt: quia nempe libera sunt, & varios dicunt ad creaturas respectus, à quibus specificantur in ratione liberi. Cùm igitur Beati non vident necessariò omnes creaturas, consequenter non vident etiam decreta libera quæ ad creaturas terminantur. Vident quidem voluntatem Dei ejusque decreta quoad entitatem spectata, prout nempe sunt ipsamet Dei essentia; sed non vident illa formaliter ut libera sunt, saltem ea non vident necessariò: quamquam nonnulla videant, Deo ita concedente, quorum cognitio ad eorum statum, conditionem ac beatitudinem pertinet.

Probatur tertia pars: nempe divina attributa videri à Beatis, & primarias ac specificas eorum rationes, non autem secundarias; hoc est, respectus omnes quos attributa divina dicunt ad creaturas. Atque ita visa omnipotentia, videtur quidem generatim ejus objectum, ens nempe possibile: sed non videntur entia singula, ad quę extendi potest Dei omnipotentia. Idem dici debet de scientia Dei. Ratio est, quia non visis omnibus illis terminis creatis, adhuc tamen quidditative videtur omnipotentia quæ extenditur ad omne possibile, sicut scientia ad omne cognoscibile.

SECUNDA CONCLUSIO.

De potentia Dei absoluta non potest videri essentia sine attributis; nec unum attributum sine alio; una persona sine alia.

Probatur 1. iisdem tribus momentis, quibus in probanda prima Conclusione usi sumus. Quia nempe visio illa Dei est intuitiva quidditativa & beatifica; atqui talis non foret, si essentia sine attributis, aut unum attributum sine alio videri posset. Patet istud ex mox dictis.

Probatur 2. Quia objectum quod est maximè simplex videri non potest intuitivè, non visis iis quæ sunt de ipsius entitate & natura: implicare istud videtur. Porrò Deus est ens maximè simplex. Atque sicut in hac vita non possumus divinam essentiam concipere, quin saltem in genere ac confusè omnes perfectiones cogitemus: ita & Beati in cœlo divinam intueri non possunt substantiam, quin clarè & intuitivè omnes Dei perfectiones contemplentur.

Dices: Nulla ex tribus adductis rationibus probat non posse videri divinam essentiam sine attributis; aut unum attributum sine alio.

Non prima: Namque dari potest visio intuitiva, quæ sit inadæquata, ali-

cujus

cujus nempè partis objecti. V. g. potest intuitivè color videri, non visa coloris inhærentia, omnibusque aliis ejus proprietatibus.

Non secunda; Namque etsi summa sit entitatis divinæ simplicitas, nihilominus distinctio virtualis sufficit, ut essentia sine attributis, & unum attributum sine alio videri possit. Sufficit quippè distinctio ista, ut communicetur Filio divinitas Patris, non communicata ejus personalitate: quidni pariter sufficere potest, ut unum sine alio conspici possit?

Non tertia: namque 1. Essentia sine attributis est summum bonum; ergo perfectè beatos redderet, qui eam viderent. 2. Pater divinus, in illo priori instanti originis quo Filium præcedit, perfectè beatus est; neque tamen pro illo instanti supponitur Filii aut Spiritus sancti personam cognoscere, siquidem nondum in eo instanti esse concipiuntur.

Resp. Nego antecedens.

Ad primum, distinguo antecedens. Potest esse visio intuitiva & inadæquata objecti, quod simplex non est, concedo: objecti simplicissimi, qualis est Deus, nego. Ad exemplum coloris & aliorum hujusmodi, dico nihil mirum esse, si viso colore non videatur inhærentia, quia hæc non est visibilis: at nulla est in Deo perfectio quæ cognosci non possit à Beatis, quia nulla est quæ non sit objectum facultatis intellectivæ.

Ad secundum. Re vera distinctio virtualis sufficit ut communicata natura, non communicetur relatio seu personalitas: at non sufficit, ut una videri possit sine altera. Non enim par est ratio communicationis in Deo, ac visionis. Communicatur essentia, & non communicatur relatio; quia est de natura essentiæ, ut communicetur; sicut est de natura relationis, ut non communicetur. Ratio aperta est, quia cùm divinæ personæ ad se invicem opponantur per relationes, impossibile est ut relatio v. gr. paternitas, Filio communicetur, per quam ipsi opponitur. E contrà, cùm essentia simul & attributa seu absoluta seu relativa, unam & eandem habeant indivisam intelligibilitatem in simplici entitate fundatam, unum sine alio intuitivè non potest cognosci. Unde sedulò hìc observari debet, virtualem distinctionem non esse formalem, ut ita dicam, causam, cur communicetur essentia non communicata relatione; sed causam hanc non aliam assignari debere, præter nativam ipsam conditionem essentiæ & relationis.

Ad tertium. Falsum est hominem perfectè beatum fore, si essentiam dumtaxat videret sine attributis; quia semper desideraret id omne videre, quod intelligitad Dei substantiam pertinere. Ad secundum, nego pro illo priori originis instanti quo Pater Filium producit, non cognosci Filium: instans enim illud, durationis non est, sed solius originis: unde meritò probant Theologi, Filium procedere ex cognitione trium divinarum personarum; atque adeò ex summetipsius cognitione. Ratio est, quia Filius ab ipsa essentia seu natura Dei non distinguitur: cùm ergo procedit ex cognitione essentiæ, ex sui ipsius cognitione procedere meritò dicitur.

Instabis. Deus liber est in concedenda sui manifesta visione; ergo potest essentiam sine attributis, aut unum attributum sine alio manifestare.

Resp. Distinguo antecedens. Deus liber est absolutè, eo sensu quòd possit se videndum exhibere vel non exhibere, concedo: liber est hypotheticè, hoc est, supposito quòd se clarè conspiciendum Beatis exhibeat, potest essentiam

tiam ſine attributis, aut unum attributum ſine alio manifeſtare, nego. Cùm enim Deus ſimpliciſſimus ſit; vel nullatenus, vel ſe totum, ſicuti eſt, conſpiciendum exhibet.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Obiecto ſecundario viſionis beatificæ.

SEcundarium viſionis beatificæ objectum ſunt creaturæ.

Tria verò in controverſiam hic adducuntur. Primum: An & quas creaturas Beati videant. Secundum: An omnes, ſive exiſtentes ſive poſſibiles, videre poſſint. Tertium: Quomodo illas videant, an formaliter in Verbo, vi viſionis ipſius beatificæ, an verò cauſaliter & efficienter.

PRIMA CONCLUSIO.

Beati vident aliquas creaturas, non tamen omnes futuras vel poſſibiles.

Duæ ſunt Concluſionis partes.

Probatur prima pars, ex ipſa beatitudinis natura. Eſt enim ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus, qui ſine cognitione creaturarum ſtare non poteſt. Unde meritò S.Gregorius Magnus Lib.4.Dialog.c.33.*Quid eſt*, inquit, *quod ibi neſciant, ubi ſcientem omnia ſciunt?* *Ed.no. T.2.p. 425.A.*

Quæ verò à Beatis cognoſcuntur, ad tria univerſim capita revocantur. 1. Ad ea quæ ordinem naturæ. 2. Ad ea quę ad diſpenſationem gratiæ. 3. Ad ea quæ proprium uniuſcujuſque ſtatum ſpectant.

I. Cognoſcunt Beati creaturas exiſtentes, rerum naturalium cauſas, ſpecies, vires, proprietates. *O ſapientia*, exclamat S.Bernardus Serm.de triplici genere bonorum n.7. *qua tunc omnia quæ in cęlo, & quæ in terra ſunt, perfectiſſimè cognoſcemus, in ipſo fonte ſapientiæ rerum omnium cognitionem bibentes? Angeli*, ait S.Auguſtinus Lib.4.de Gen.ad litt.c.24. idem (dicendum de aliis Beatis) *Angeli... procul dubio univerſam creaturam, in qua ipſi ſunt principaliter conditi in ipſo Verbo Dei priùs noverunt, in quo ſunt omnium, etiam quæ temporaliter facta ſunt, æternæ rationes, tanquam in eo per quod facta ſunt omnia.* *T.1. p. 1117. D.* *To 3 p. 1. pag. 175. B.*

II. Quantum ad diſpenſationem gratiæ; vident Beati clarè omnia fidei myſteria, quorum obſcuram & ænigmaticam hac in mortali vita notitiam ſeu fidem habuerunt. 2.Corinth.3. v.18. *Nos revelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eamdem imaginem transformamur à claritate in claritatem.* Aliquas tamen myſteriorum circumſtantias ſemper non agnovere beati Angeli, v.g.Incarnationis tempus. Quapropter Epheſ.3.v.8. & ſeq. Apoſtolus de ſe ipſo ait: *Mihi data eſt grátia hæc: in gentibus evangelizare inveſtigabiles divitias Chriſti, & illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio ſacramenti abſconditi à ſæculis in Deo .... ut innoteſcat principatibus, & poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam, multiformis ſapientia Dei.* Inde eſt quòd S. Chryſoſtomus in hunc locum, appellat Paulum Angelorum Doctorem:

2. Vident in cęlis Beati, ſummam Dei erga ſe miſericordiam; nec ſine gratulatione & perenni gratiarum actione vident ſuos ſocios, ac beatæ patriæ concives norunt, ut & intimas eorum cogitationes. Ita docent S.Aug. *To.5.p. 1014. D.*

Cogi-

cogitationes, quas modò non videt nisi Deus, ait Serm. 43 alias 16. de diverſ. cap. 5. *omnes invicem videbunt, in illa ſocietate Sanctorum. Nemo ibi vult tectum eſſe quod cogitat, quia nemo ibi malè cogitat.*

Tertullianus Lib. de Monogamia cap. 10. *In meliorem ſtatum*, inquit, *deſtinamur, reſurrecturi in ſpiritale conſortium, agnituri tam noſmetipſos quàm* P. 531. *& noſtros.*

S. Cyprianus Lib. de mortalitate versùs finem loquens de cœleſti patria: *Magnus, inquit, illic nos chororum numerus expectat ..... ad horum conſpectum* P. 214. *& complexum venire, quanta & illis & nobis in commune lætitia eſt?*

S. Ambroſius de obitu Valentiniani: *Tunc*, inquit, *nihil latebit proximum, nec erit quod ſuis quiſque aperiat, abſcondat alienis, ubi nullus erit alienus.* 3. Vident pœnas damnatorum, & ultricem Dei juſtitiam 66. v. 24. *Egredientur, & videbunt cadavera virorum qui prævaricati ſunt in me; vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Et Abraham Lucæ 16. v. 25. divitem Epulonem flammis cruciatum ſic alloquitur: *Fili, recordare quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala.*

III. Vident beati quæ ad proprium ſuum ſtatum pertinent. Pontifices Summi, quæ ad Eccleſiæ totius regimen; Reges, quæ ad regnorum pacem & concordiam &c. Sic Elias poſtquam è vita deceſſit, cognovit quæ pertinebant ad regnum Iſrael, in quo Propheta fuerat. Paralipom. 2. c. 21. v. 12. 2. Petri c. 1. v. 15. *Dabo operam*, inquit Apoſtolorum Princeps, *& frequenter habere vos poſt obitum meum, ut horum memoriam faciatis.* Ita S. Ambroſius de obitu Theodoſii, docet eum in cœlo curam habiturum Honorii & Arcadii liberorum. S. Auguſtinus Epiſt. 259. ad Cornelium n. 5. *Tua conjux*, inquit, Tom. 2. p. 886. D. *te recordatur .... te caſta non vult ad pœnas venire mœchorum.* Conc. Senenſe 2. 14. ſeu Pariſienſe in Decretis fidei cap. 13. ait: *Beatis pervium eſſe divinitatis* Conc. p. 456. B. *ſpeculum, in quo quidquid eorum interſit illuceſcat.* Denique S. Thomas 3. p. qu. 10. docet Beatos in Verbo ea omnia cognoſcere quæ ad ipſos ſpectant. Vident quoque Beati preces quas viventes ad eos dirigunt: licèt enim illi de ſua immortalitate ſint ſecuri, adhuc tamen de noſtra ſalute ſunt ſolliciti; ait S. Cyprianus Lib. de mortalitate in fine.

Probatur ſecunda pars Concluſionis. Scilicèt Beatos non videre omnes creaturas, aut futuras in aliqua temporis differentia, aut poſſibiles. Patet ex mox dictis, Angelos ſtatim non cognoviſſe omnes Incarnationis Verbi circumſtantias: nec etiam cognoſcunt jam ultimum Judicii diem, affirmante Chriſto apud S. Matth. cap. 24. v. 36. *de die illa & hora neminem ſcire.* Neque etiam ſecreta cordis nec futura contingentia.

SECUNDA CONCLUSIO.

Beati videre poſſunt omnes creaturas aliquando futuras, quin & omnes poſſibiles.

Probatur. Nulla nobis ſatis firma & efficax ratio videtur quæ oppoſitum demonſtret. Quæ enim præcipua ſolet adduci, nempe inde conſequens futurum, ut beati divinam comprehenderent omnipotentiam, falſa eſt. Ex dictis enim ſuperiùs, comprehenſio duo includit: nempè, ut res adæquatè cognoſcatur, & tanta cognitionis perfectione, quanta cognoſci poteſt & exigit, at etiam

at etiam ſuppoſita cognitione creaturarum omnium poſſibilium; viderentur quidem extenſivè omnes effectus & reſpectus divinæ potentiæ, ſed propterea divina omnipotentia intenſivè non videretur; hoc eſt, ea omni claritate ac perfectione qua videri poteſt & exigit, ac reipſa videtur à Deo ipſo.

Plùs difficultatis habet quod tertio loco inquirendum nobis eſt; quo nimirum modo creaturæ cognoſcantur in Deo. De modo quo creaturæ in Deo cognoſcuntur.

Obſerva 1. Creaturas ſpectari poſſe ſecundùm eſſe eminens quod habent in Deo: vel ſecundùm eſſe proprium & reale quod habent in ſe; quo ſenſu à Deo diſtinguuntur.

Obſerva 2. Creaturas duobus potiſſimum modis cognoſci poſſe in Verbo: nempe cauſaliter & formaliter. Cauſaliter, quando diverſo & diſtincto actu cognoſcitur eſſentia Dei, & creatura; ita ut tamen cognitio eſſentiæ cauſa ſit cognitionis creaturarum, quæ fiat vel per revelationem, vel per ſpecies à Deo infuſas, vel quocunque alio modo: formaliter verò illud dicitur in Verbo cognoſci, quod eodem & indiſtincto actu cognoſcitur in eſſentia Dei, tanquam in motivo formali & medio priùs cognito.

Ut autem unum in alio formaliter cognoſci dicatur, triplex conditio requiritur. Prima, ut utrumque eodem actu cognoſcatur. Hujus conditionis defectu, concluſiones quæ per diſcurſum cognoſcuntur, non dicuntur cognoſci in præmiſſis, ſed ex præmiſſis. Secunda, ut ſit aliqua connexio inter res eodem actu cognitas. Defectu hujus conditionis oculus plures in prato flores inſpiciens, non unum in alio, ſed unum ſimul cum alio videre dicitur. Tertia, ut talis ordo ſeu connexio in eo ſit, quòd unum ſit ratio formalis & motiva cognoſcendi aliud. Cujus conditionis defectu, unum correlatum non dicitur cognoſci in alio, ſed ſimul cum alio.

Quæritur igitur, an creaturæ, ſecundùm eſſe proprium quod habent in ſe, videantur in Verbo formaliter, vi ipſius beatificæ viſionis. Certum quippe eſt, multas creaturas cauſaliter in Deo videri. Certum non minùs; creaturas ſecundùm eſſe eminens quod habent in Deo, videri formaliter in Deo à Beatis. Itaque ſit

TERTIA CONCLUSIO.

Beati vident in Deo formaliter & vi viſionis beatificæ aliquas creaturas.

Probatur. Quia hæc videtur eſſe ſanctorum Auguſt. & Bernardi ſententia:

S. Auguſt. Lib. 4. de Gen. ad litt. c. 23. duplicem diſtinguit Angelorum cognitionem: unam, quam appellat matutinam, quæ fit in Verbo; alteram verò veſpertinam, quæ fit extra Verbum. *Nam*, inquit, *in comparatione lucis illius quæ in Verbo Dei conſpicitur, omnis cognitio qua creaturam quamlibet in ſe ipſa novimus, non immeritò nox dici poteſt.* T. 3. p. 1. pag. 174. F. Et L. 11. de Civitate Dei c. 7. *Cognitio creaturæ in ſe decoloratior eſt, ut ita dicam, quàm cùm in ſapientia Dei cognoſcitur, velut in arte qua facta eſt.* T. 7. p. 177. D.

S. Bernardus Lib. 5. de Conſider. c. 1. n. 1. *Videt*, inquit (Beatus) *Verbum, & in Verbo facta per Verbum: nec opus habet ex his quæ facta ſunt, factoris notitiam mendicare. Neque enim ut vel ipſa noverit, ad ipſa deſcendit, quæ ibi alla videt, ubi longè meliùs ſunt quàm in ſe ipſis.* T. 1. p. 445. D.

Probatur 2. Quia illud videtur in Deo formaliter vi beatificæ viſionis, quod

quod in ipso continetur formaliter objectivè, ac necessariam cum ipso connexionem habet: sed creaturæ formaliter objectivè continentur in Deo, siquidem divina essentia vim habet infinitam ad objecta repræsentanda; quæ necessariam habent cum Deo connexionem, non solùm in ratione causæ & effectus, per quam creaturæ possibiles absolutè ac necessariò, futuræ autem & existentes ex hypothesi decreti ab ipso pendent; verùm & in ratione objecti primarii & secundarii, per quam essentia divina tanquam primarium & motivum objectum priùs ratione cognitum, ipsas creaturas tanquam secundarium objectum in se contentum menti Beatorum exhibet: ergo Beati vident in Deo formaliter aliquas creaturas.

Dices 1. Quod omnino absolutum est, non potest esse medium formale cognoscendi aliud: sed divina essentia est omnino absoluta; ergo &c.

Resp. Nego majorem. Relatio enim quam Deus habet ad creaturas, transcendentalis est: relatio autem transcendentalis non tollit ab ente rationem absoluti.

Instabis. Essentia divina non habet connexionem necessariam cum creaturis: tùm quia ab illis dependeret: tùm quia, si nullæ creaturæ forent possibiles, Deus semper idem in se foret; neque tamen ullas creaturas repræsentaret. Porrò non potest divina essentia esse motivum formale videndi creaturas, si necessariam cum illis connexionem non habeat.

Resp. Distinguo antecedens. Essentia divina non habet absolutè & simpliciter connexionem necessariam cum creaturis esto: ex hypothesi quòd creaturæ possibiles sint, vel existentes, nego. Ad primam probationem pariter distinguo. Deus à creaturis dependeret, si cum illis absolutè ac necessariò connecteretur, concedo: si tantùm ex hypothesi, nego. Vel aliter distingui potest. Deus à creaturis dependeret, dependentia connexionis, esto: dependentia naturæ, aut existentiæ, nego. Ad secundam, verum est quòd si nullæ creaturæ supponerentur possibiles, (quæ tamen suppositio nugatoria est) adhuc tamen Deus idem esset: quia non ex defectu virtutis & potentiæ in ipso, sed ex defectu possibilitatis in objecto, creaturæ possibiles non essent.

Dices 2. Si divina essentia esset medium formale cognoscendi creaturas, omnes creaturæ à singulis Beatis cognoscerentur.

Resp. Nego sequelam majoris. Etsi enim creaturæ omnes in essentia Dei contineantur, cùm tamen essentia, in ratione objecti & medii repræsentativi, liberè moveat intellectum, ac sit, ut loquuntur Theologi, speculum voluntarium, consequenter Beati non omnes, sed eas dumtaxat vident creaturas, quas Deus illis pro beneplacito vult manifestare.

Quæres 1. Sub qua ratione divina essentia creaturas manifestet?

Resp. multiplici ratione. 1. Tanquam species intelligibilis, quæ in repræsentando est infinita. 2. Tanquam causa creaturarum. 3. Tanquam exemplar, & forma rerum omnium.

Quæres 2. Quasnam creaturas Beati videant formaliter in Verbo?

Resp. Eas omnes ab illis videri quæ pertinent ad essentialem uniuscujusque beatitudinem, & quas in ipso primo suæ beatitudinis momento cognoscunt. Aliæ enim quæ ad accidentalem dumtaxat eorum felicitatem spectant, quæque decursu temporis ipsis manifestantur, extra Verbum cognoscuntur vel per species, vel per revelationem à Deo factam. Ratio est, quia visio beati-

fica

fica eſſentialis non mutatur: mutaretur autem, ſi formaliter & vi viſionis Dei ſucceſſivè aliqua cognoſcerentur.

QUÆSTIO DECIMA QUINTA.

De proprietatibus viſionis beatificæ.

EX multis proprietatibus viſionis beatificæ, unam hìc expendere neceſſe eſt, utpotè quæ ſola difficultatis aliquid patiatur; nempè æqualitatem aut inæqualitatem: circa quam tria quæruntur.

Primum: An viſio beatifica tùm Angelorum, tùm hominum, ejuſdem ſit ſpeciei.

Secundum: An viſio Deo beatifica æqualis ſit in omnibus Beatis.

Tertium: Unde oriatur illa inæqualitas.

ARTICULUS PRIMUS.

An viſio beatifica Angelorum & hominum ſit ejuſdem ſpeciei.

CONCLUSIO.

VIſio beatifica Angelorum & hominum ejuſdem eſt ſpeciei.

Probatur. Quia illa viſio ejuſdem eſt ſpeciei, cujus principium proximum & objectum formale ejuſdem eſt ſpeciei: atqui principium proximum & objectum formale viſionis beatificæ in Angelis & hominibus ejuſdem eſt ſpeciei. Namque triplex dumtaxat excogitari poteſt principium viſionis. 1. Intellectus elevatus per lumen gloriæ. 2. Lumen ipſum gloriæ. 3. Divina eſſentia gerens vices ſpeciei intelligibilis. Atqui hæc tria ſunt ejuſdem prorſus naturæ, tùm in Angelis, tùm in hominibus. De lumine gloriæ, ac eſſentia divina, res eſt per ſe manifeſta: de uno intellectu moveri poteſt difficultas, eò quòd certum videatur, intellectum ſpecie differre in Angelo & homine. Verùm, facilè difficultas illa diluitur: quia nempè non ſpectatur hìc intellectus, prout naturalis eſt, ſed prout elevatur & roboratur per lumen gloriæ. Porrò cùm lumen gloriæ ſit ejuſdem naturæ in Angelis & hominibus, conſequenter, viſio beatifica, quæ per auxilium illud luminis gloriæ elicitur, ejuſdem eſt ſpeciei in Angelis & hominibus.

ARTICULUS SECUNDUS.

An viſio Beatifica æqualis ſit in omnibus Beatis.

JOvinianus, quem confutavit ex profeſſo Sanctus Hieronymus, ut æqualia peccata, ita & merita faciebat. *Qui in ſaturitate Epicureus eſt*, ait S. Doctor, *ſubitò in retributione meritorum, Stoicus efficitur.*

CONCLUSIO.

Æqualis non eſt in omnibus Beatis viſio Dei beatifica.

Probatur 1. ex Scripturis. Joan.14.v.2. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*. Quod quidem de manſionibus in cœlo intelligendum eſſe demonſtrant verba hæc ſequentia: *Vado parare vobis locum.*

1.Corinth.3.v.8. *Unuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem.* Et cap.15.v.41. *Alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, & alia claritas ſtellarum. Stella enim à ſtella differt in claritate: ſic & reſurrectio mortuorum.* 2. Corinth.9.v.6. *Qui parcè ſeminat, parcè & metet.*

Act. fid. p.32.n.10. Probatur 2. ex conſtanti SS. Patrum traditione.

S.Polycarpus in actis paſſionis, judicem alloquens ſupplicia intentantem: *Merita mea*, inquiebat, *doloris æſtimatione penſabo. Quantò graviora pertulero, tantò præmia majora percipiam.*

Edit.n. pa.243. col.1. S.Irenæus Lib.4.contra Hæreſes cap.13. aliàs 27. n.3. *Plùs Deum diligamus*, ait. *Quantò autem plùs eum dilexerimus, hoc majorem ab eo gloriam accipiemus.*

Tertullianus in Scorpiaco cap.6. *Quomodo*, inquit, *multæ manſiones apud Patrem, ſi non pro varietate meritorum? Quomodo & ſtella à ſtella diſtabit in gloria, niſi pro diverſitate radiorum?*

Pagina 492.C. S.Cyprian. L. de habitu Virginum in fine, ſic Virgines alloquitur: *Cùm habitationes multas apud Patrem ſuum dicat,* (Chriſtus) *melioris habitaculi*

P. 168. *hoſpitia demonſtrat: habitacula illa meliora vos petitis, carnis deſideria caſtrantes majoris gratiæ præmium in cœleſtibus obtinetis.*

S.Hieronymus ex profeſſo Jovinianum aſſerentem omnia merita perinde ac peccata æqualia eſſe confutavit.

Idem cum ſuis prædeceſſoribus docent SS. Ambroſius in Pſal.38.v.6. Hilarius in Pſal.64. Auguſtinus Tract.67. in Joan.& Lib.de ſancta Virginitate. Chryſoſtomus Homilia 41. in priorem ad Corinth.

Communem hanc Eccleſiæ fidem & doctrinam declararunt ac definierunt Conc. Florentinum & Tridentinum.

Conc.Florentinum in Decreto unionis, declarat Sanctorum animas in cœlum mox recipi, & intueri clarè ipſum Deum trinum & unum ſicuti eſt, pro meritorum tamen diverſitate, alium alio perfectiùs.

To 14. Conc p. 768.A. Conc. Tridentinum Seſſ.6. c.16. & Can.32. docet gloriam ſeu vitam æternam tanquam mercedem merito bonorum operum retribui. *Si quis dixerit, hominis juſtificati bona opera ita eſſe dona Dei, ut non ſint etiam bona ipſius juſtificati merita; aut ipſum juſtificatum, bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Jeſu Chriſti meritum, cujus vivum membrum eſt, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ, ſi tamen in gratia deceſſerit, conſecutionem, atque etiam gloriæ augmentum, anathema ſit.*

Probatur denique: Quia juſtitiæ diſtributivæ ratio hoc neceſſariò exigit, ut pro diverſitate meriti, ſit quoque merces diverſa; ſicut juſtitia vindex graviores pœnas ac ſupplicia à damnatis repetit, pro majori peccatorum numero vel gravitate: juxta iſtud Apocal.18. v.7. *Quantùm glorificavit ſe & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum.*

Dices; Matth.20.v.9. operariis qui diverſis temporibus ad opus vocati fuerunt, & quorum labor diverſus fuit & inæqualis, idem tamen denarius ſeu merces à Patrefamilias rependitur. Denarius autem ille, figura eſt beatitudinis quæ æquali menſura omnibus ſanctis retribuenda eſt, tametſi longè diverſa ſint eorum merita.

Reſp.

Resp. Distinguo minorem. Denarius figura est beatitudinis objectivè sumptæ, & ratione durationis æternæ quæ æqualis futura est in omnibus Sanctis, concedo: ratione intensionis seu perfectionis, nego. Itaque, omnibus Beatis eadem quidem beatitudo objectiva, hoc est, Deus ipse proponitur: eadem quoque est in omnibus Beatis duratio felicitatis æternæ quæ nullum habebit finem; at non eadem mensura perfectionis, seu graduum intensionis in illa felicitate.

Ita denarium illum interpretatur S. Aug. Serm. 87. aliàs 59. de verbis Domini cap. 4. num. 6. *Denarius*, inquit, *est vita æterna, & in vita æterna omnes æquales erunt. Quamvis enim meritorum diversitate fulgebunt, alius magis, alius minùs: quod tamen ad vitam æternam pertinet, æqualis erit omnibus. Non enim alteri erit longius, alteri brevius, quod pariter sempiternum est.* Vide superiùs quæ de hoc ipso Scripturæ textu diximus. To. 5. p. 464. D.

At, inquies, si inæqualis futura sit felicitas Sanctorum, nonne unus alteri invidebit? Unde certè turbari posset summa illa pax & quies quæ in cœlo regnare debet.

Respondet S. Augustinus Lib. 22. de Civit. Dei c. 30. n. 2. *Id beata civitas illa magnum in se bonum videbit, quòd nulli superiori ullus inferior invidebit, sicut nunc non invident Archangelis Angeli ceteri: tamque nollet esse unusquisque quod non accepit.... quàm nec in corpore vult oculus esse qui est digitus.* To. 7. p. 700. E.

ARTICULUS TERTIUS.

De principio inæqualitatis visionis beatificæ.

COmmunis est Theologorum sententia, bona justorum opera seu merita esse causam moralem; lumen verò gloriæ, esse causam physicam inæqualitatis visionis beatificæ: sed controvertitur utrum lumen gloriæ sit causa physica totalis & adæquata hujus inæqualitatis. Scotus enim in 4. dist. 50. existimat, inæqualitatem illam partim ex lumine gloriæ, partim ex majori vel minori intellectus perspicacia tanquam à physica causa, saltem inadæquata & partiali, repetendam esse.

CONCLUSIO.

Inæqualitas visionis beatificæ oritur ab inæqualitate luminis gloriæ, tanquam à causa physica totali & adæquata, non verò à majori vel minori perfectione seu perspicacia intellectus.

Probatur. Quia visionis beatificæ inæqualitas ab illo physico principio unicè repetenda videtur, quod est in beatis inæquale: atqui solum lumen gloriæ est principium physicum quod in beatis est inæquale. Namque 1. Intellectus in visione Dei non agit ut est potentia naturalis, sed ut elevata & facta supernaturalis per lumen gloriæ: at sub illa ratione nulla est in intellectu seu mente Beatorum inæqualitas. Potentia quippè obedientialis, quæ nihil aliud est quàm perfecta creaturæ ad Deum subjectio, in omnibus prorsus eadem est ac æqualis: ergo, tametsi supponeremus unum intellectum esse alio perfectiorem, quia tamen non agit præcisè ut perfectior est, sed simpliciter

citer ut à Deo evehitur ad actionem supernaturalem, idcircò nihil confert hæc major perfectio naturalis ad inæqualitatem visionis. 2. Gratis & sine ullo fundamento supponitur in animabus separatis major vel minor perfectio naturalis: omnes enim æquales sunt, & major vel minor earum acies seu perspicacia, in variam organorum structuram & dispositionem refundi debet.

Præterea, si pro diversitate naturali intellectuum diversa & inæqualis foret visio beatifica, sequeretur aliquem beatitudinis gradum correspondere majori perfectioni intellectus creati: at id supponi non debet; quandoquidem omnis beatitudinis perfectio, à solis meritis tanquam à causa morali, & à lumine gloriæ tanquam à causa physica repetenda est: aliàs actio quæ tota supernaturalis est, flueret, saltem ex parte, à causa naturali, quod implicat.

Dices. Intellectus concurrit ut potentia vitalis ad visionem beatificam: ergo etiam concurrit, prout magis vel minùs perfectus est.

Resp. Distinguo antecedens. Intellectus concurrit ut potentia vitalis elevata & supernaturalis, concedo: naturalis, nego.

Instabis 1. Major aut minor perfectio intellectus non distinguitur ab ipsa substantia seu vitalitate intellectus; ergo si concurrit ad visionem ut est potentia vitalis, concurrit etiam prout magis vel minùs perfectus est.

Resp. 1. Gratis supponi majorem vel minorem esse in animabus separatis naturalem perfectionem.

2. Licèt illa perfectio intellectus non distinguatur ab ejus naturali substantia, non inde sequitur quòd agat prout magis vel minùs est perfectus; quia scilicet non agit ut potentia naturalis, sed ut supernaturalis & elevata: unde & perfectio illa pariter elevatur; ac consequenter, tota visionis inæqualitas physicè fluit ab inæqualitate luminis gloriæ facultatem ipsam elevantis.

Instabis 2. Sint duo intellectus eodem habitu fidei & charitatis instructi; diversos tamen & quoad intentionem inæquales actus fidei & charitatis elicient, pro majori facultatum naturalium perfectione: ergo à pari &c.

Resp. Nego antecedens. Si quæ enim occurrat inæqualitas inter actus fidei & charitatis, hæc tota oritur ex majori vel minori intentione habitus fidei & charitatis, saltem quantùm ad id quod est in illis actibus supernaturale: si quid enim naturale fuerit, v.g. in actu fidei clarior terminorum apprehensio quibus veritas fidei proponitur, illud in naturalem facultatis dispositionem refundi potest.

Instabis 3. Oculus eodem lumine collustratus, si vegetior & perspicacior fuerit, objectum clariùs apprehendit; ergo pariter, mens beata cum eodem lumine gloriæ Deum clariùs intuebitur, si alia perfectior fuerit.

Resp. Nego paritatem. Disparitas est quia lumen supponit oculum corporis sanum & benè dispositum: at lumen gloriæ, cùm sit habitus supernaturalis, potentiam seu facultatem complet ac simpliciter perficit in ordine ad actum supernaturalem, completam verò ac perfectam non supponit.

Atque hæc dicta sint circa primam partem Prælectionum de Deo ac divinis Attributis, in quibus si quid minùs sanum ac rectum nobis incautis excidisse deprehendatur, illud pro non dicto ac revocato habemus.

QUÆ-

QUÆSTIO DECIMASEXTA.

De scientia Dei.

OMnis de scientia Dei disquisitio ad hæc generatim capita revocari potest.

I. An sit in Deo propriè loquendo, veri nominis scientia.

II. Quod sit objectum divinæ scientiæ.

III. Quod sit medium in quo Deus omnia cognoscit.

IV. Quæ sit divinæ scientiæ virtus & efficacia: seu an scientia Dei sit causa rerum.

V. Quotuplex sit in Deo scientia: seu de variis divinæ scientiæ divisionibus.

ARTICULUS PRIMUS.

An sit in Deo propriè ac strictè loquendo, veri nominis scientia.

HUic quæstioni locum dedisse videtur idea & notio scientiæ creatæ, quæ certas quasdam admixtas habet imperfectiones, quibus profectò obnoxia esse non potest divina scientia.

His autem seclusis imperfectionibus, quæ scientiæ in se spectatæ, prout abstrahit à divina & creata, propriæ non sunt, facilè est definire, esse in Deo veri nominis scientiam, eamque perfectissimam.

CONCLUSIO.

Est in Deo veri nominis scientia, eaque perfectissima.

Probatur 1. manifestis Scripturæ testimoniis.

Esther 14. v. 14. *Domine qui habes omnium scientiam, & nosti quia oderim gloriam iniquorum.*

Eccli. 42. v. 19. *Cognovit Dominus omnem scientiam.*

Roman. 11. v. 33. *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei!*

Coloss. 2. v. 3. *In quo* (Christo) *sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.*

Probatur 2. Quia scientiæ nomine hic intelligimus certam & evidentem rei cognitionem: atqui est in Deo rerum omnium certa & evidens cognitio. Est enim Deus, omnium consensu, ens perfectissimum quo nihil melius esse & excogitari potest. *Nec enim quisquam inveniri potest*, ait S. Augustinus L. 1. de doctrina Christiana c. 7. *qui hoc Deum credat esse, quo melius aliquid est.* At ens perfectissimum, immateriale & actus purissimus, res omnes scientia seu cognitione perfectissima necessariò complectitur. To. 3. 1. p. 7. F

Scientia verò Dei iis omnibus imperfectionibus non subjacet, quibus scientia creata: non est habitus, sed actus simpliciſſimus ac purissimus: non est qualitas seu accidens, sed ipsamet Dei substantia: non est discursiva, seu

An Deus ſemetipſum perfectè cognoſcat ac comprehendat?

CONCLUSIO.

Deus ſemetipſum cognoſcit perfectè, intuitivè, quidditativè & comprehenſivè, tanquam objectum formale motivum, & primarium terminativum ſuæ cognitionis.

Tres ſunt partes Concluſionis.

Prima pars probatur ex Scripturis.

Joan.10.v.15. *Sicut novit me Pater, & ego agnoſco Patrem.*

Matth.11. v.27. *Nemo novit Filium niſi Pater, neque Patrem quis novit niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare.*

1.Cor.2.v.11. *Quis enim hominum ſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt? ita & quæ Dei ſunt nemo cognovit niſi ſpiritus Dei.* Et v.10. dixerat: *Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei.*

Secunda pars etiam manifeſta eſt. Deus enim eſt ens perfectiſſimum, puriſſimum, ſimpliciſſimum; ergo omnium perfectiſſima cognitio ipſi tribuenda, qualis eſt comprehenſiva. *Illud autem comprehenditur*, ait S.Thomas 1.p. q. 12.art.7. *quod tantum cognoſcitur, quantum eſt cognoſcibile.* Hoc eſt, quod extenſivè & intenſivè adæquat totam objecti latitudinem, magnitudinem & cognoſcibilitatem: nempè ut non tantùm nihil lateat videntem, ſed etiam ut tanta perfectione objectum videat quanta videri poteſt & exigit. *Totum videndo comprehenditur*, ait S Auguſtinus Epiſtola ad Paulinam 147.aliàs 112. cap.9.n.21. *quod ita videtur, ut nihil illius lateat videntem.* Et Lib.4. de Gen.ad lit.cap.6. *Si ſanctis*, inquit, *Angelis jam æquales, non utique nobis ita eſſet nota divina ſubſtantia, ſicut ipſa ſibi.* Et tamen conſtat eam fore nobis notam intuitivè. Removet igitur à nobis S. Doctor cognitionem Dei comprehenſivam, quam ſoli Deo reſervat. *Deus enim*, ut ait Minutius in ſuo Octavio, *ſoli ſibi tantus quantus eſt notus.* To.2.p. 481.G. To.3.p. 1. pag. 164.G.

Tertia pars oſtenditur. Illud eſt objectum tùm motivum & formale, tùm terminativum primarium divinæ cognitionis, quod primò per ſe ac immediatè movet divinum intellectum, & eſt ratio cognoſcendi cætera: atqui Deus ipſe ſeu divina eſſentia primò per ſe ac immediatè movet intellectum divinum, & eſt formalis ratio cognoſcendi cætera; perfectiſſimo quippè enti intelligenti aſſignari debet formale objectum & terminativum perfectiſſimum, talis verò eſt divina eſſentia cum ſuis attributis; ergo divina eſſentia cum ſuis attributis rationem habet objecti formalis & motivi, & objecti primarii terminativi. Ed.Ri-galt.p. 14.C.

Dices 1. Ex S.Auguſtino L.12. de Civit. Dei c.18. *Quidquid ſcientia comprehenditur, ſcientis comprehenſione finitur.* At Deus nulla prorſus ratione finiri poteſt; ergo &c. To.7.p. 317. F.

Reſp.Diſt.maj. finitur impropriè, hoc eſt, cognitio adæquat totam rei cognoſcibilitatem, concedo: finitur propriè, hoc eſt, ipſi meta vel terminus aliquis præſcribitur, nego. Diſt. min. Deus non finitur, nec termino clauditur, propriè, concedo: impropriè, quaſi perfecta & adæquata cognitione ſe ipſum non cognoſcat, nego. Citato quippè loco S. Auguſtinus

ait; *Omnis infinitas Deo ineffabili quodam modo finita est, quia scientiæ ipsius incomprehensibilis non est.* Unde S. Thomas hic q. 14. art. 3. observat hujusmodi locutionem negativè intelligendam esse, non positivè. Quia sensus non est, Deum se cognoscendo positivè attingere ultimum aliquem terminum suæ cognoscibilitatis; sed negativè, hoc sensu, quòd Deus tam perfectè se ipsum cognoscat, quàm cognosci possit tùm extensivè, tùm intensivè.

Dices 2. Deus se cognoscit in ipsius creaturis quas comprehendendo novit à se dependere; ergo in se ipso non se cognoscit.

Resp. Nego conseq. Quamvis enim Deus quodammodo se in creaturis cognoscat tanquam in termino secundario, nihil obstat quin primariò se ipsum in se ipso perfectissimè cognoscat.

Dices 3. Si Deus se ipsum cognoscit cognitione comprehensiva, cognoscit etiam perfectiones omnes & attributa quæ continet; ergo cùm ipsa cognitio quam habet de se ipso, sit una ex Dei perfectionibus, necesse est ut eam quoque cognoscat. Et rursus, cùm cognitio per quam cognoscit cognitionem sui comprehensivam, sit aliqua Dei perfectio, debet illam pariter cognoscere; & sic erit progressus in infinitum, in admittendis cognitionum cognitionibus supra se ipsas reflexis.

Resp. Cognitionem divinam cùm sit infinitè perfecta, atque distinctè repræsentet quidquid perfectionis est in Deo, & se ipsam & reliqua Dei attributa repræsentare; atque hoc modo esse supra se ipsam reflexam: neque tamen propterea necesse est admittere infinitas reflexiones inter se virtualiter distinctas, cùm unica reflexio sufficiat, per quam, utpotè infinitam, intellectio divina, ita se ipsam cum cæteris Dei attributis repræsentet, ut cognoscat se esse visionem perfectam divinarum perfectionum & suimet ipsius.

Dices 4. Omnis scientia est relativa ad suum objectum; ergo distinguitur realiter ab objecto circa quod versatur: atqui nihil est in Deo realiter distinctum ab ejus natura, quia Deus summè simplex est; ergo non datur in Deo cognitio per quam se ipsum perfectè cognoscat.

Resp. Disting. maj. Scientia est relativa ad suum objectum, relatione transcendentali & essentiali sine qua non potest concipi nisi ejus objectum concipiatur, concedo: relatione prædicamentali seu accidentali, nego. Relatio autem transcendentalis cùm essentialis sit & intrinseca fundamento, non arguit realem distinctionem inter rem quæ refertur & terminum ad quem refertur: è contrà contingit in relatione prædicamentali, quæ cùm sit denominatio partim intrinseca, partim extrinseca fundamento cui convenit, necesse est ut excludat terminum realiter à fundamento distinctum. Nam si terminus esset realiter idem cum fundamento, relatio consequenter foret adæquatè intrinseca fundamento.

An

An Deus cognoscat sigillatim omnes creaturas seu possibiles, seu existentes, omnia secreta cordis, omnia mala seu pœnæ seu culpæ.

PRIMA CONCLUSIO.

Deus certò, distinctè ac sigillatim cognoscit omnem creaturam.

Probatur manifestis Scripturæ testimoniis.

Job 28. v. 3. *Universorum finem ipse considerat, lapidem quoque caliginis & umbram mortis.* Et v. 24. *Ipse fines mundi intuetur, & omnia quæ sub cœlo sunt respicit.*

Eccli. 1. v. 2. *Arenam maris & pluviæ guttas & dies sæculi quis dinumeravit? Altitudinem cœli, & latitudinem terræ, & profundum abyssi quis dimensus est? .... Unus est altissimus Creator omnipotens.*

Psalm. 138. v. 5. *Ecce Domine tu cognovisti omnia novissima & antiqua.*

Rom. 11. v. 33. *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei!*

Hebr. 4 v. 13. *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda & aperta sunt oculis ejus.* Majorem claritatem hæc præseferunt, quàm ut expositione aliqua indigeant.

Conclusionem hanc quam fides certissimam esse docet, auctoritate sua & eximia ratione confirmat ac illustrat S. Augustinus L. 11. de Civit. Dei cap. 10. ubi de sapientia Dei sic loquitur: *In qua sunt inconcussi quidam atque infiniti thesauri rerum intelligibilium, in quibus sunt omnes invisibiles atque incommutabiles rationes rerum, etiam visibilium & mutabilium, quæ per ipsam factæ sunt. Quoniam Deus non aliquid nesciens fecit, quod nec de quolibet homine artifice rectè dici potest: porrò si sciens fecit omnia, ea utique fecit quæ noverat. Ex quo occurrit animo quoddam mirum, sed tamen verum, quòd iste mundus nobis notus esse non potest, nisi esset; Deo autem, nisi notus esset, esse non posset.* To. 7. p. 281. A. B.

SECUNDA CONCLUSIO.

Deus certò cognoscit creaturas omnes possibiles.

Probatur ex Scripturis. Eccli. 23. v. 29. *Domino Deo antequam crearentur, omnia sunt agnita: sic & post perfectum respicit omnia.*

Roman. 4. v. 17. *Vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt.* Jeremiæ 1. v. 5. *Priusquàm te formarem in utero, novi te.*

Hoc ipsum demonstrat mox adductum ex sancto Augustino testimonium, unde sic arguimus: Deus non facit aliquid nesciens & cœco modo, sed facit sciens omnia quæ facit: atqui Deus rerum omnium est creator, nullaque est creatura seu existens seu possibilis, quæ ab ipso non dependeat, vel ut existat, vel ut existere possit; necesse est igitur ut Deus omnes & singulas creaturas possibiles perfectè cognoscat.

Et verò Deus se ipsum perfectè comprehendit, adeoque & suam omnipotentiam omnesque ipsius terminos; ergo creaturas omnes ad quas se extendere potest divina virtus & omnipotentia, perfectè Deus cognoscit.

TER-

TERTIA CONCLUSIO.

Deus certò cognoscit omnia præsentia, singularia etiam viliſſima, bona & mala ſeu pœnæ, ſeu culpæ, occultas etiam cordium cogitationes.

Probatur excurrendo per ſingulas partes.

I. Novit Deus omnia ſingularia etiam viliſſima. Nihil paſſere vilius, nihil capillis minutius; & tamen Matth. 10. v. 29. & 30. dicitur. *Nonne duo paſſeres aſſe veneunt, & unus ex illis non cadet ſuper terram ſine Patre veſtro? Veſtri autem capilli capitis omnes numerati ſunt.*

Eccli. 1. v. 2. *Arenam maris & pluviæ guttas & dies ſæculi quis dinumeravit? . . . . Unus altiſſimus Creator omnipotens.*

II. Omnia bona quæ fecit, perfectè cognoſcit Deus.

Gen. 1. v. 31. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.*

III. Omnia mala cognoſcit ſive ſint naturæ, ut monſtra; ſive culpæ, ut peccata; ſive pœnæ, ut morbi, afflictiones &c.

Mala naturæ: Sapientiæ 8. v. 8. *Signa & monſtra ſcit antequam fiant.*

Mala pœnæ. Eccli. 11. v. 14. *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honeſtas à Deo ſunt.*

Iſaiæ 45. v. 7. *Ego Dominus, & non eſt alter, formans lucem & creans tenebras; faciens pacem & creans malum: Ego Dominus faciens hæc omnia.*

Proverb. 15. v. 11. *Infernus & perditio coram Domino.*

Denique Amos 3. v. 6. *Si erit malum in civitate, quod non fecerit Dominus.* Ad quæ verba S. Auguſtinus Lib. contra Adimantum Manichæum cap. 26. *Malum hoc loco,* inquit, *non peccatum, ſed pœna intelligenda eſt. Dupliciter enim* To. 8. p. 146. E. *appellatur malum, unum quod homo facit, alterum, quod patitur: quod facit, peccatum eſt; quod patitur, pœna. De pœnis ergo loquebatur Propheta, cùm hoc diceret. Divina enim providentia cuncta moderante & gubernante, ita homo malè facit quod vult, ut malè patiatur quod non vult . . . . .* Et poſtea. *Ipſe* Ibid. F. (Deus) *quantùm ad ſe pertinet, bonum facit; quia omne juſtum, bonum eſt, & juſta eſt illa vindicta.*

Mala culpæ ſeu peccata Deus etiam certiſſimè novit. Pſal. 68. v. 6. *Deus tu ſcis inſipientiam meam: & delicta mea à te non ſunt abſcondita.* Gen. 6. dicitur: *Videns Deus quòd multa malitia hominum eſſet in terra.* Hujuſmodi autem mala per ſimplicem notitiam, & quidem improbando Deus cognoſcit; non autem per ſcientiam quæ dicitur approbationis, hoc eſt, per ſcientiam conjunctam cum complacentia circa objectum. *Mundi enim ſunt oculi* To. 1. p. 1600. *tui*, ait Propheta Abacuc cap. 1. *& reſpicere ad iniquitatem non poteruut.* Quia inquit ſanctus Hieronymus in hunc locum, *non libenter illud aſpicit.* Et Pſal. 100. v. 4. *Declinantem*, inquit Deus, *à me malignum non cognoſcebam. Quid eſt,* To. 4. p. 1085. F. ait S. Auguſtinus in hunc locum, *Non cognoſcebam? Non approbabam, non laudabam, non mihi placebat. Cognoſcere enim inveniuntur in Scripturis aliquando dici pro eo quod eſt placere nobis.*

Si verò quæras quomodo Deus malum culpæ cognoſcat: reſpondet S. Th. 1. p. q. 14. art. 10. in corp. *Sic autem eſt cognoſcibile unumquodque ſecundùm quod eſt: unde cùm hoc ſit eſſe mali, quod eſt privatio boni, per hoc ipſum quòd Deus cognoſcit bona, cognoſcit etiam mala; ſicut per lucem cognoſcuntur tenebræ.*

nebræ. Et certè ſi actus aliquis malus eſt, quia privat ſubjectum in quo eſt, aliquo bono virtutis; qui actum illum cognoſcit, & bonum virtutis quo privat, continuò cognoſcit eum privare ſubjectum ſuum tali bono, atque ita talem habere malitiam.

IV. denique, occultas cordium cogitationes ſcrutatur & clarè Deus cognoſcit. Proverb. 16. v. 2. *Omnes viæ hominis patent oculis ejus; ſpirituum ponderator eſt Dominus*. Pſal. 7. v. 10. *Scrutans corda & renes Deus*. Unde Pſ. 138. v. 3. idem Pſalmiſta ait: *Intellexiſti cogitationes meas de longè*. Et Pſal. 43. v. 22. *Novit abſcondita cordis*. Eccli. 23. v. 25. *Omnis homo qui tranſgreditur... contemnens in animam ſuam & dicens: Quis me videt? Tenebræ circumdant me.... delictorum meorum non memorabitur Altiſſimus. Et non intelligit quoniam omnia videt oculus illius.... Et non cognoſcit quoniam oculi Domini multò plus lucidiores ſunt ſuper ſolem.... hominum corda intuentes in abſconditas partes*.

Superfluum nobis videtur Concluſionem noſtram tam clarè in Scripturis expreſſam, & apud omnes Theologos certam & indubitatam, variis SS. Patrum teſtimoniis munire; ſufficiat ſtrictim hic eas rationes aſſignare quibus paſſim utuntur ſancti Doctores. Nimirum ſuprema veritas, ſuprema mens ac ſapientia, ſuprema vita, ſuprema potentia, uno verbo, ens perfectiſſimum omnia perfectè cognoſcere debet. Ut ſuprema veritas, omne verum intelligibile attingit, cujus ipſa regula eſt. Ut ſuprema mens ac ſapientia, omnia intelligit & ordinat, quia omnium exemplar eſt ac forma. Ut ſuprema vita, eſt in actu vitæ intellectualis perfectiſſimo; alius porrò fingi non poteſt quàm perfectiſſima & ſimpliciſſima rerum omnium cognitio. Ut ſuprema potentia, ea omnia novit quæ vel facit vel fieri permittit. Denique ut ens perfectiſſimum in omni genere perfectionis ſimpliciter infinitum, res omnes certa & explorata ſcientia pervadere debet; & ſi quid ipſum latere poſſet, perfectiſſimum non eſſet, quo perfectius poſſet excogitari.

Dices 1. Non videtur Deus omnia ſingularia ſaltem viliſſima cognoſcere. Ita S. Hieronymus in caput 1. Habacuc, ubi ait: *abſurdum eſſe, ad hoc Dei deducere majeſtatem, ut ſciat per momenta ſingula, quot naſcantur culices; quotve moriantur &c.* To. 3. p. 1601. Edit. Cömel.

Idem ſentire videtur S. Chryſ. hom. 35. in Matth. cùm ait Deum capillos humano more non numerare. p. 336. D.

Reſp. Nego antecedens. Ad S. Hieronymum

Dico 1. S. Doctorem non excludere à Deo perfectam rerum etiam viliſſimarum notitiam, ſed eam tantùm quæ mutationi & ſucceſſioni obnoxia eſt, quæ nimirum pro varia rerum productione aut interitu per ſingula momenta Deo accreſcat. *Deus enim*, ut loquitur S. Auguſtinus L. 15. de Trinit. cap. 14. *non particulatim aut ſigillatim, velut alternante conſpectu hinc illuc & inde huc; & rurſus inde vel inde in aliud atque aliud, ut aliqua videre non poſſit niſi non videns alia: ſed ſimul omnia videt, quorum nullum eſt quod non ſemper videt*. Hunc ſenſum à S. Hieronymo dumtaxat excludi, innuunt verba iſta laudata: *Deum per ſingula momenta non ſcire quot naſcantur aut moriantur muſcæ*. To. 8. p. 984. G.

Dico 2. S. Hieronymum citato loco comparatè loqui de ſcientia & providentia Dei reſpectu hominum & rerum viliſſimarum, ac velle non tam ſpecialem eſſe Dei providentiam erga res illas, quàm erga creaturas ratione

ne præditas. Unamquamque enim creaturam Deus providentia sua & sapientia regit ac moderatur, modo earum naturæ accommodato; quod negari certè non potest, ipsomet Christo pronunciante, Matth. 6. v. 26. *Respicite volatilia cæli, quoniam non seruntneque congregant in horrea; & Pater vester cœlestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis?* Sensum hunc probant quæ sequuntur verba apud Hieronymum: *Non simus tam fatui adulatores Dei*, ait, *ut dum potentiam ejus ad ima detrahimus, in nos ipsos iniuriosi simus, eandem rationabilium, quàm irrationabilium providentiam esse dicentes.*

To. 3. p. 1601.

Quòd verò rerum etiam minutissimarum cognitionem, curam & providentiam Deo non denegaverit S. Hieronymus, demonstrant hæc ipsius verba ex Commentario in caput 10. S. Matth. ad ista, *Vestri capilli capitis numerati sunt. Immensam*, inquit, *Dei erga homines ostendit providentiam, & ineffabilem signat affectum, quòd nihil noxium lateat Deum; & etiam parva & otiosè dicta, ejus scientiam non fugiant.*

To. 4. p. 39.

Non alia etiam est S. Chrysostomi mens atque sententia, quàm ut excludat à Deo, non quidem simplicem rerum etiam abjectissimarum notitiam, sed anxiam illam solummodo, scrupulosam ac morosam per singula momenta divisam capillorum enumerationem. *Quid vilius passeribus?* ait loco citato S. Doctor, *sed tamen nunquam ignorante Deo capiuntur.*

Pagina 336. A.

Dices 2. Deus ignorat internos animi nostri motus, ac secretas cordis cogitationes. Gen. 22. v. 1. Tentavit Deus Abrahamum ut ejus fidelitatem exploraret; unde v. 12. Deus ait, *Nunc cognovi quòd times Deum.* Igitur antea id eum latebat. Et cap. 18. v. 21. *Descendam & videbo utrum clamorem qui venit ad me, opere compleverint: an non est ita, ut sciam.* Quæ loquendi ratio indicare videtur dubium & incertum aliquando fuisse Deum, nec nisi ex ipso facto seu experimento compertum habuisse, quod antea ignorabat.

Resp. Nego ant. Ad probationem, falsum est ignotam Deo fuisse Abrahami fidem, antequam publico experimento illam omnibus apertam & manifestam redderet. Gen. enim cap. 18. v. 19. dixerat Deus: *Scio quòd præceptur us sit filiis suis, ut custodiant viam Domini, & faciant judicium & justitiam.* Abrahamum igitur tentavit, non quòd ignoraret ejus fidem & animi affectum, sed ex sapientissima providentia & merendi occasionem subministravit, & meriti sublimitatem ac præstantiam quæ alios latebat, palam ac publicè voluit esse manifestam. Cùm ergo Deus ait: *Nunc cognovi quòd timeas Deum*, phrasis est Scripturæ familiaris, qua significat fidem Abrahami publico experimento tunc omnibus apertam patuisse. Illud enim in stylo Scripturæ, Deus cognoscere aut nescire dicitur, quod aliis declarat, vel non declarat: quo sensu dicebat Christus, nulli notum esse ultimi Judicii diem; non quòd ipse illum ignoraret, qui Judex est constitutus vivorum & mortuorum, sed quòd eum non manifestaret.

Dici etiam potest Scripturam citatis locis, humano, quod sæpè fit, modo loqui, ut se nobis accommodet. Id quippè perfectè scire dicimur, quod experimento comprobatur ac oculis nostris veluti subjicitur.

Pariter dicitur Deus descendere ut videat clamorem & scelera Sodomitarum, non quòd illum ignoraret, siquidem v. 20. dixerat: *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est*; sed ad institutionem & doctrinam nostram

ſtram ita loquitur Scriptura, nempè ut innuat debere Judices ad exemplum Dei accuratè ac omnibus depoſitis præjudiciis, propiùs inſpicere & examinare reorum crimina; nihil temerè vel præcipitanter moliri in pœnis decernendis. *Veritatem enim*, ait Seneca L. 2. de ira, *dies aperit; poteſtque pœna dilata exigi, exacta revocari non poteſt.*

Dices 3. Ut Deus aliquid cognoſcat, neceſſe eſt ut ſit illius cauſa efficiens aut exemplaris: non alia quippè cauſa & ratio reddi poteſt, cur Deus omnes creaturas perfectè cognoſcat, quàm quòd ſit earum cauſa efficiens vel exemplaris. Atqui Deus nullo modo eſt cauſa peccatorum; ergo Deus certò peccata non cognoſcit.

Reſp. Neg. maj. Poteſt enim Deus multa cognoſcere quorum non eſt cauſa efficiens vel exemplaris. Ita cognoſcit entia rationis, quatenus in ſe ipſo cognoſcit entia poſſibilia, quibus cognitis neceſſariò cognoſcit impoſſibilia. Eodem modo cognoſcere poteſt peccata, quamvis nec ſit illorum cauſa per ſe efficiens nec exemplaris; media videlicet cognitione recti ac boni, cujus cauſa eſt efficiens & exemplaris.

Dices 4. Si Deus alia à ſe cognoſceret, ejus cognitio à rebus creatis quodammodo penderet, & ab ipſis ſuam veluti ſpeciem mutuaretur; pendet enim potentia & actus ab objecto à quo ſpecificantur. 2. Cognitio illa Dei foret obnoxia mutationi, pro conditione mutabilis creaturæ. 3. Indecens videtur ut mens præſtantiſſima & infinita occupetur circa res viliſſimas & maximè abjectas.

Reſp. Nullius planè momenti eſſe hujuſcemodi objectiones è ratione philoſophica deductas, quæ non tam divinæ ſcientiæ, ut ita dicam, ſubſtantiam ac veritatem, quàm ejus modum attingunt. Deum res omnes cognoſcere, res eſt tam certa ex fide ac ipſa ratione, ut in dubium revocari ab homine ſanæ mentis non poſſit: quo verò modo res omnes Deus cognoſcat, exponi à nobis liquidò & explicari non poteſt, ſicut rectè docet S. Aug. L. 2. ad Simplic. q. 2. Nihilominus tamen facilè diluuntur quæ objectio proponit.

I. Si quæ ſit facultatis intelligentis ab objecto dependentia, merè objectiva illa eſt ac terminativa, quæ ne vel minimùm quidem dignitati ac præſtantiæ facultatis derogare poteſt.

II. Falsò prorſus ſupponitur mutationi obnoxiam fore divinam ſcientiam pro conditione mutabilis creaturæ: quia Deus unico & ſimpliciſſimo actu, eoque æterno, omnia ſimul cognoſcit & intuetur; totaque mutatio cadit in terminum cognitionis, nempè creaturam, non in ipſam facultatem aut actionem cognoſcentis.

III. Neque etiam indecens eſt Deum viliſſima cognoſcere, quaſi vilis & abjecta objecti cogniti conditio recideret in ipſam facultatem cognoſcentem. An inficitur radius Solis, cùm loca fœdiſſima penetrat? An inficitur acies oculi, cùm vilia & abjecta inſpicit? Apage nugas.

An Deus certò cognoſcat futura contingentia.

Futura contingentia ea hìc vocamus quæ liberè futura ſunt, qualia ſunt bona vel mala hominum opera. Tametſi enim poſſint eſſe vel non eſſe, quia libera ſunt & contingentia; quia tamen aliquando ſunt futura, quæritur an Deus ea certiſſimè cognoſcat.

Impio-

Impiorum hic error est, qui apud Job c.22. v.13. ajunt. *Quid enim novit Deus? & quasi per caliginem judicat.* Et Psal.93.v.7. *Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob.*

Tullius L.2. de divinatione, ignorans qua ratione Dei præsentia conciliari posset cum humana libertate, maluit Deo negare futurorum præscientiam, quàm homini suam libertatem: *atque ut homines faceret liberos*, ait S. Aug. Lib.5. de Civit. Dei cap.9. *fecit sacrilegos.*

To.7.p. 122.E.

Marcion & præscientiam, & bonitatem & omnipotentiam Deo detrahebat, eò quòd primum hominem in peccatum labi passus fuisset. Vide Tertull. L.2. adversùs ipsum cap.5.

Joannes Hus in oppositum Ciceronis errorem delapsus, libertatem hominis negavit, quam cum divina præscientia conciliare non potuit. Vide Conc. Constantiense sess.25.

Sociniani eò etiam dementiæ devenere, ut dicerent, futura libera contingentia conjecturis dumtaxat quibusdam ac verisimilibus rationibus Deo nota esse, non certa ac firma cognitione: quia futura hæc non sunt in genere scibilium, cùm non habeant, ut illis placet, determinatam objectivam veritatem. Ita Socinus Prælection. c.11. Crellius L. 1. cap.24. Smalcius contra Frantzium disput.12. Adversùs illos sit

CONCLUSIO.

Deus certissimè cognoscit futura omnia libera & contingentia.

Probatur ex Scripturis.

Sapientiæ 8. v.8. *Scit præterita, de futuris æstimat ..... Signa & monstra scit antequam fiant, & eventus temporum & sæculorum.*

Eccli.23.v.28. *Domino Deo antequam crearentur, omnia sunt agnita.*

Psal.138.v.3. *Intellexisti cogitationes meas de longè.*

Jeremiæ 1.v.5. *Priusquam te formarem in utero, novi te.*

Isaiæ48. v.8. *Scio quia prævaricans prævaricaberis, & transgressorem ex utero vocavi te.*

Joan.6. v.65. *Sciebat ab initio Jesus qui essent non credentes, & quis traditurus esset eum.*

Perspicua sunt hæc; nec ulla indigent elucidatione.

Probatur 2. Quia rerum liberè ac contingenter futurarum præscientia ac prædictio certum ac invictum est divinitatis argumentum: Hinc Deus ipse apud Isaiam cap.41.v.22. irridens aliarum gentium Deos, *Accedant*, inquit, *& nuntient vobis quæcunque ventura sunt .... Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia dii estis vos.* Hinc Tertullianus L.2.contra Marcion.c.5.ait, *præscientiam Dei tantos habere testes; quantos fecit prophetas.* Et in Apologet. c.20. *Idoneum*, inquit, *testimonium divinitatis, veritas divinationis.* Et S.Aug.L.5. de Civit. Dei c.9. *Confiteri esse Deum*, inquit, *& negare præscium futurorum, apertissima insania est.*

Pagina 384.A.

P.8.D.

To.7.p. 121. F.

Porrò Deum multa futura Prophetis revelasse quæ ipsi scriptis mandarunt, quis adeo pervicax qui negare audeat? Deus ipse apud Isaiam c.48. Judæorum incredulitatem ac contumaciam ex eo maximè increpat, quòd cùm fu-

futura eorum peccata & calamitates longè antè prædixisset, nihilò plùs commoti in sua infidelitate contumaciter obdurarint. *Prædixi tibi ex tunc*, ait Deus v.5. *antequam venerint indicavi tibi, ne fortè diceres, Idola mea fecerunt hæc, &c.* Et verò si Prophetarum oracula ac prædictiones cum subsequente eventu conferantur, patebit manifestè prædictionibus eventum aptè respondere, seu res prædictas eo ipso modo evenire, quo prædictæ fuerunt. De quo argumento aureum Opus edidit Eusebius, sub titulo de demonstratione Evangelica.

Favet apertè ratio sæpius adducta ex ente scilicet perfectissimo, cujus scientia perfectissima esse debet, cùm sit essentiæ divinæ comprehensiva, quæ consequenter ad omne objectum cognoscibile debet extendi. Porrò futura libera & contingentia sunt in genere seu ordine rerum quæ sciri & cognosci possunt; ergo divinæ menti semper & ab æterno præsentia sunt. *Deus*, ait S. Aug. L.15. de Trinit. c.7. *ita omnia cognovit, ut nec ea quæ dicuntur præterita, ibi præterierant, nec ea quæ dicuntur futura, quasi desint expectentur ut veniant; sed & præterita & futura cum præsentibus sint cuncta præsentia.* To.8.p. 975.C.

Reponunt Sociniani: 1. prædictiones illas conjecturis solummodò innixas fuisse, non constanti ac certa notitia. 2. prædictiones illas earum rerum non esse quæ liberè futuræ sunt ex parte hominum, sed earum quas futuras esse Deus absolutè decreverat. 3. prædictiones illas fuisse potius comminationes, quàm prædictiones. 4. Denique, revera Deum aliqua futura cognoscere, sed non omnia.

Verùm nihil ea evasione insultius, infirmius nihil. 1. Quid Deo indignum magis ac repugnans, quàm fingere illum conjecturis dumtaxat, non certa notitia futura cognoscere; quasi conciliari istud posset cum idea entis perfectissimi, supremæ veritatis, supremæ mentis ac intelligentiæ? Cognoscit homo quid facturus est; & non cognoscet Deus, sine quo vel jubente, vel permittente nihil prorsus fieri potest? 2. Prædicuntur futura peccata, ex dictis: at illa liberè futura sunt ex parte hominis, Deo, ut mox dictum est, ea saltem permittente. 3. In multis prædictionibus nullæ prorsus comminationes deprehenduntur, ut eas expendenti constabit; ergo gratis omninò ficta est illa responsio: quamquam si aliquæ comminationes admixtæ forent, an idcircò excideret veritas prædictionis in se consideratæ? non certè. 4. Nulla ratio proferri potest, cur Deus, ex multis quæ futura sunt, unum potius quàm aliud certò cognoscat; quandoquidem ejus infinita & comprehensiva scientia ad omne cognoscibile ex æquo fertur.

Omittimus hic non sine consilio, vulgatam in Scholis Philosophorum rationem ductam ex determinata veritate objectiva futurorum contingentium, de quibus fiunt propositiones contradictoriæ: tùm quia principium istud philosophicum non admittunt Sociniani, (quamquam immeritò) qui idcircò negant à Deo futura libera certò cognosci, quòd contendant ea non esse in genere rerum scibilium: tùm quia rem tam clarè in Scripturis definitam, mero è Philosophia petito argumento confirmare, & quasi philosophicæ rationi subjicere, nec decet nec expedit. Suus postea erit rationibus philosophicis locus & quidem amplissimus, cùm inquiremus quo in medio Deus futura cognoscat; est enim ista controversia merè Scholastica, quæ ad fidem non pertinet: at hic rem fidei agimus, quæ Scripturæ auctoritate, to-

totius Traditionis testimonio, ac judicio Ecclesiæ definienda est, non philosophica ratione. Et verò tametsi explicare satis non possemus modum quo Deus omnia cognoscit, an propterea minùs firma nobis videri deberet scientiæ divinæ firmitas ac certitudo? absit. Modò enim veritas fidei in tuto sit, de modo quo potest illa explicari, non multùm solliciti esse debemus. Ne tamen insultent nobis fidei hostes, atque nos sana Philosophia superari jactitent, eorum argutias & sophismata è ratione ducta etiam diluere non detrectabimus.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Scriptura ubi de rerum liberè ac contingenter futurarum cognitione loquitur, particulam istam, *fortè*, *forsitan*, usurpat, quæ certè dubiam & conjecturalem, non autem certam omninò & exploratam cognitionem in Deo arguit. Jeremiæ 26. v. 3. *Noli subtrahere verbum, si fortè audiant & convertantur*. Ezechielis 2. v. 5. *Hæc dicit Dominus: Si fortè vel ipsi audiant, & si fortè quiescant*. Joan. 4. v. 10. ad Samaritanam sic loquitur Christus: *Si scires donum Dei, & quis est qui dicit tibi, Da mihi bibere, tu forsitan petiisses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam*. Et cap. 5. v. 46. *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi*.

Resp. Nego ant. Ad probationem, Scriptura usurpat particulas istas, *fortè*, *forsitan*, non quidem ad denotandam dubiam & conjecturalem futuri cognitionem, sed aliis de causis.

I. Humano more Scriptura loquitur, ut significet rei futuræ eventum semper incertum esse respectu nostri, non verò respectu Dei. Ita S. August. in Psalm. 2. *Nequando irascatur Dominus, cum dubitatione positum est*, inquit, *non secundùm visionem Prophetæ, cui certum est: sed secundùm eos ipsos qui monentur; quia cum dubitatione solent cogitare iram Dei, quibus non apertè revelatur*. To. 4. p. 6. D.

II. Ut doceat ex prævisione rei futuræ, humanum non lædi liberum arbitrium. Ita S. Hieronymus in caput 26. Jeremiæ. *Verbum*, inquit, *ambiguum forsitan majestati Domini non potest convenire, sed nostro loquitur affectu; ut liberum homini servetur arbitrium: ne ex præscientia ejus, quasi necessitate vel facere quid, vel non facere cogatur*. To. 3. p. 653.

III. Denique sic loquitur Scriptura, vel ad designandam rei difficultatem, vel ad increpandam hominum malitiam & pervicaciam. Ita S. Augustinus Tract. 37. in Joan. ad hæc verba: *Si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis. Ille qui omnia scit*, ait; *quando dicit forsitan, non dubitat, sed increpat.... Dubitationis verbum est, quando dicitur ab homine, ideo dubitante quia nesciente: cùm verò dicitur a Deo verbum dubitationis, cùm Deum nihil lateat, illa dubitatione arguitur infidelitas, non opinatur divinitas*. To. 3. p. 2. pag. 551. C.

Objicies 2. Multa prænuntiantur tanquam futura, quæ re ipsa non sunt futura, V. g. Isaiæ 38. v. 1. mors Ezechiæ denuntiatur futura, *Dispone domui tuæ, quia morieris*: nec tamen ille tunc mortuus est. Pariter Jonæ 3. v. 4. prænuntiatur subversio & ruina proximè impendens urbi Ninive: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur*; nec tamen subversa fuit.

Resp. Ea non prænuntiari absolutè futura, sed tantùm sub conditione. Ita mors Ezechiæ prædicitur, supposito quòd ordo & cursus causarum secundarum

darum non immutetur, qui quidem mortem illius exigebat; sed cùm immutatus ille fuerit, Deo ita jubente, salvus evasit Ezechias. Sic explicat S. Aug. Lib. 6. de Gen. ad lit. cap. 17. Ita pariter prænuntiatur ruina & subversio proxima Ninitivarum, si nempe illi pœnitentiam non agant: at cùm in cilicio & cinere eam egerint, comminatio, quæ conditionata dumtaxat fuit, eventum non habit.

Objicies 3. Si certa sit in Deo futurorum contingentium cognitio, duo gravissima sequuntur incommoda: primum, futura illa non amplius liberè ac contingenter, sed necessariò esse futura; quia cùm falli non possit Dei præscientia, necesse est ea evenire quæ præscivit: secundum, inutilem omnino & superfluam esse mortalium curam & sollicitudinem in suis rebus sive hujus, sive alterius vitæ promovendis: ad quid enim anxietas illa & sollicitudo? quocunque enim se convertant, quidquid faciant, necesse est ea evenire, quæ Deus futura esse prænovit. Argumentum istud diu fatigavit vel præstantissima Philosophorum ingenia, eòque aliquando adduxit, ut vel à Deo præscientiam, vel ab homine libertatem auferrent: adeò difficile illis visum est, libertatem hominis & præscientiam Dei simul conciliare.

Resp. 1. Quòd etsi angusta & tenuis mens nostra hujus argumenti pondere oppressa succumberet, nec satis liquidò ab eo sese posset expedire, nonidcirco tamen neganda foret aut Deo præscientia futuri certissima, aut homini sua expedita libertas; quandoquidem utramque tam clarè ac disertè astruant divinæ Scripturæ: præscientiam quidem, testimoniis antea relatis: libertatem verò hominis, infinitis propemodum in locis, ex quibus hoc unum hìc seligo testimonium ex c. 15. Eccli. v. 12. & seq. *Non dicas: Ille me implanavit . . . Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui. Adiecit mandata & præcepta sua . . . Appositi tibi aquam & ignem; ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi.* Utrumque verum est, quamquam conciliare facile non sit.

II. Præscientia Dei præcisè ut est rerum nuda cognitio, non magis tollit rei futuræ libertatem, quàm vel cognitio rei præsentis, vel memoria rei præteritæ. Video hominem sibi violentas manus inferentem: cùm video, non possum revera quin videam; sed cùm videam rem ut est, & homo ille sponte ac liberè violentas sibi manus inferat, mea cognitio rem illam supponit, non facit, nec consequenter vel minimam ipsi necessitatem imponit. Pariter memoria præteritorum non facit ut præterita illa necessaria fuerint. *Sicut tu memoria tua*, inquit S. Augustinus Lib. 3. de lib. arb. cap. 4. *non cogis facta esse, quæ præterierunt, sic Deus præscientia sua non cogit facienda, quæ futura sunt.* Quod quidem illustratur alio exemplo, periti nempe medici, qui prævidet ex tali morbo talem secuturum effectum, qui re ipsa sequitur. An dices effectum illum propterea necessariò sequi, quia medicus prædixit? Non puto. Sed ideo sequitur, quia hunc postulat morbi natura & conditio, quam medicus ille rectè perspectam habens, effectum illum futurum prænovit. To. 1. p. 614. E

Ratio autem velut à priori hujusce responsionis, est quia ex vulgata SS. Patrum doctrina, non ideo res futuræ sunt quia Deus eas præscivit, quasi ejus præscientia sit ratio & causa futuritionis; sed ideò potius Deus eas præscivit,

quia futuræ sunt: ergo Dei præscientia res futuras supponit, non facit. Ita Origenes in c. 8. Epist. ad Rom. Theodoret. in eundem locum. S. Aug. L. 5. de Civit. Dei c. 10. & L. 3. de lib. arb. c. 4. S. Chrysost. hom. 60. in Matth. S. Hieron. in illud Isaiæ. *Hoc verbum quod locutus est Dominus ad Moab.* S. Joan. Damasc. Dial. adv. Manichæos, quorum verba postea referemus.

Cùm verò nonnulli ex SS. Patribus dicunt res ideo futuras esse quia præsciuntur à Deo, particula illa causalis, *quia*, non causam formalem aut à priori significat, sed argumentum dumtaxat seu signum à posteriori; quia nempe præscientia Dei certissimum est signum rei futuræ: atque optima est hæc conclusio, Deus hoc præscivit, ergo futurum est.

III. Cùm præscientiæ Dei res attingat quales futuræ sunt, atque futura contingentia sint liberè futura, Deus sua scientia cognovit ea liberè futura esse, ac consequenter nullam ipsis imponit necessitatem. Ita S. Aug. L. 3. de lib. arb.

T. 1. p. 613. F. c. 3. *Cùm*, inquit, *Deus præscius sit voluntatis nostræ, cujus est præscius, ipsa erit. Voluntas ergo erit, quia voluntatis est præscius: nec voluntas esse poterit, si in potestate non erit. Ergo & potestatis est præscius.* Et L. 5. de Civ.

T. 7. p. 123. C. Dei c. 9. objicienti Ciceroni, *omnia fato fieri debere, si certus sit ordo causarum à Deo scitus quo omnia fiant*, respondet, *Non esse consequens ut si Deo certus est omnium ordo causarum, ideo nihil sit in nostræ voluntatis arbitrio. Et ipsæ quippe nostræ voluntates in causarum ordine sunt, qui certus est Deo ejusque præscientia continetur; quoniam & humanæ voluntates humanorum operum causæ sunt. Atque ita qui rerum causas præscivit, profectò in eis causis etiam voluntates nostras ignorare non potuit, quas nostrorum operum causas esse præscivit.*

Ex his facile est solvere argumentum istud antea propositum; nempe, Quæ Deus præscivit necessariò futura sunt, quia ejus præscientia falli non potest, distinguo: necessariò futura sunt necessitate consequente & hypothetica quæ ex libera hominis determinatione pendet, concedo: necessitate antecedente & absoluta, nego. Ita cùm loquor, necesse est necessitate consequente me loqui, quia actum cum non actu componere simul non possum: at necessarium non est necessitate antecedente, si quidem me ad loquendum liberè determinavi. Ita quoque de divina præscientia ratiocinandum. Quæ Deus præscivit necessariò futura sunt, necessitate consequente liberam voluntatis determinationem, quam Deus liberam futuram esse cognovit: non autem necessitate antecedente, quia res non sunt idcirco futuræ quia præsciuntur à Deo; sed potius ideo præsciuntur, quia futuræ sunt: res quippe illas divina præscientia non facit, sed supponit.

Atque hinc facile est intelligere quomodo divina præscientia inutilem non reddat humanam curam & sollicitudinem: siquidem hanc ipsam curam & sollicitudinem necessariam esse Deus novit, nec nisi ea mediante futurum ut homo rebus suis seu temporalibus seu spiritualibus prospiciat. Unde meritò 2. Petri 1. v. 10. dicitur: *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Quia nempe nonnisi per bona opera obtinendam esse salutem æternam Deus præscivit ac præordinavit: quæ si non fierent, nec salus obtineretur, nec Deus obtinendam prævidisset.

Objicies 4. Si Deus futura mala præscivit, quare, cùm potens sit, ea non impedivit? Ita Marcio apud Tertull. L. 2. adversùs illum c. 5.

Resp.

Resp. causam esse: 1. quòd Deus hominem liberum condidit, & suæ libertati permittit, ut sit meriti ac demeriti, præmii vel supplicii capax. 2. quia Deus provisor est generalis, qui ex malo etiam bonum eruere novit, atque in manifestationem gloriæ ac justitiæ suæ hominum peccata convertit. Lege Tertull. L. 2. c. Marc. c. 5. 6. & 7. ubi hanc Marcionis objectionem proponit ac dissolvit.

Objicies 5. Illud non potest certò à Deo cognosci, quod determinatam non habet veritatem: sed talia sunt futura libera, neque enim determinata sunt aut in se, aut in suis causis. Non in se, quia non sunt; non in causis, quæ cùm liberæ sint, possunt agere vel non agere: neque idcirco imperfecta dici debet divina scientia, quòd id non cognoscat quod non est cognoscibile; sicut imperfecta dici non potest divina potentia, quòd ea non possit quæ sunt in se impossibilia.

Resp. nego min. Futura enim illa determinatam habent veritatem, tùm in scientia Dei qua cognoscuntur, tùm in se ipsis & in causis liberis, non quidem pro præsenti, sed pro futuro: quod enim aliquando certè ac liberè futurum est, dici potest jam habere veritatem certam & determinatam pro futuro, saltem respectu Dei, licèt eam nos ignoremus. Inde manifesta est ratio disparitatis inter res liberè futuras, & res impossibiles: res quippe futuræ objectivam habent veritatem, ac consequenter cognosci à Deo & possunt & debent; quæ autem impossibilia sunt, nulla ratione possunt esse objectum divinæ potentiæ.

Objicies 6. Nonnulli ex antiquis negant esse in Deo veram præscientiam. Ita S. Aug. L. 2. ad Simplic. q. 2. S. Gregor. Magn. L. 20. Moral. c. 23. Boetius L. 5. Consolat. phil. prosa 6.

Resp. Distinguo ant. Nonnulli ex antiquis negant in Deo veram præscientiam; quoad nomen, concedo: quoad rem nomine significatam, nego. Cùm enim præscientia vi nominis sit futuri scientia, atque Deo propriè nihil futurum sit cui sunt omnia maximè præsentia, consequenter nulla in eo propriè & quoad nomen est præscientia; sed tantùm scientia quæ ad res futuras, velut ad præsentes extenditur. Ita rem explicat S. Aug. citata q. 2. Lib. 2. ad Simplic. *Quid est*, inquit, *præscientia, nisi scientia futurorum? Quid autem futurum est Deo, qui omnia supergreditur tempora? Si enim scientia Dei res ipsas habet, non sunt ei futuræ, sed præsentes; ac per hoc non jam præscientia, sed tantùm scientia dici potest.* To. 6. p. 112. E.

An Deus certò cognoscat futura conditionata.

Futurum conditionatum illud dicitur, quod re ipsa non est futurum, sed futurum esset si aliqua poneretur conditio: atque hujuscemodi futurum medium veluti locum occupat inter merè possibile, & absolutè futurum. V. g. conversio Tyriorum & Sydoniorum quæ Matth. 11. futura prædicitur, si apud ipsos fierent virtutes ac miracula quæ facta sunt apud Corosaitas & Bethsaiditas, conversio, inquam, illa futura erat sub conditione quæ nunquam tamen impleta fuit; adeoque videtur nec merè possibilis, neque etiam absolutè futura, sed quæ futura fuisset, si aliqua posita fuisset conditio.

Quæstio est an Deus certam & infallibilem; an verò incertam dumta-

xat & conjecturalem habeat rerum sub conditione futurarum notitiam.

Certam esse affirmant quotquot stant pro scientia media, quæ in illa conditionatorum notitia tanquam fundamento nititur; atque contrariam sententiam in fide periculosam asserere non pertimescunt: imò & accusant è veteribus Thomistis non paucos, quasi scientiam illam conditionatorum Deo denegaverint.

Testatur hoc inter Thomistas Gonzales de Albelda in 1. p. disp. 44. sect. 2. Reclamant è contra recentiores Thomistæ, Joannes à S. Thoma disp. 20. in 1. p. art. 1. Gonetus disp. 5. de scientia conditionatorum ar. 1. ubi Cabreram, Ledesmam & Zumel benignè interpretari conatur, *quamvis*, ut ipse fatetur, *illi videantur recedere aliquo modo à communi sententia*. Et re ipsa quidem eos à communi sententia hic recedere, vel ex uno Ledesma manifestè demonstratur: in Opere enim de Auxiliis disp. 2. difficul. 2. pronuntiat, *Deum posse per conjecturas aliquo modo cognoscere quid causa libera faceret, si in tali occasione cum istis vel illis conditionibus constitueretur; non tamen posse certa & infallibili scientia id cognoscere: atque adeo posse Deum judicare, quid foret verosimiliùs. vel probabiliùs in tali eventu; non tamen posse definitivum judicium ferre, quod hoc esset aut erit, si illud fiat vel fieret*. Post quæ subdit: *Hanc sententiam sequuntur omnes discipuli S. Thomæ, qui hac tempestate interpretantur illum, ut omnes qui sequuntur eius doctrinam in materia de auxiliis divinæ gratiæ.*

Sed quidquid sit de sententia illorum Thomistarum, hoc certum videtur, esse inter recentiores nonnullos, qui certam illam conditionatorum scientiam Deo abjudicant. Imprimis Curiel Lib. Controversiarum contr. 7. Tiphanius è Societate Jesu Theologus Lib. de ordine & de priori ac posteriori c. 25. Alii verò nonnulli etsi scientiam illam diserte primùm adstruant, subinde verò exempla & testimonia Scripturæ quibus illa probari solet, cum mox citato Tiphanio sic eludunt, ut vel nullum huic scientiæ proprium objectum conservent, vel illam meris conjecturis innixam esse contendant. Sit itaque

CONCLUSIO.

Deus certa & infallibili scientia novit futura conditionata.

Probatur 1. Quia ea Deus certò cognoscit, quæ prædicit; neque enim falli potest divina prædictio: atqui futura sub conditione Deus prædixit. Ex multis exemplis quæ Scriptura suppeditat, tria dumtaxat seligimus.

Primum ex Lib. 1. Regum cap. 23. Cùm David ingressus fuisset Ceilam, & Saul hoc audito statuisset illum in urbe concludere, David Dominum de duobus interrogat. 1. Utrum si remaneret, Saul esset venturus ad obsidendam civitatem. 2. Utrum viri Ceilitæ tunc se ipsum & viros quos secum habebat, tradituri essent in manus Saul. *Si tradent me*, inquit, *viri Ceilitæ in manus eius? & si descendet Saul, sicut audivit servus tuus? Domine Deus Israel indica servo tuo. Et ait Dominus: descendet. . . tradent*. David eò loci Deum non interrogat de mero possibili, nec de periculo seu discrimine in quod adduci poterat; noverat enim possibile esse ut veniret Saul, & ut tra-

deretur

deretur à Ceilitis: periculum etiam ipse sentiebat, nec de illo dubitabat. Igitur Deum interrogat de eo quod futurum esset suppositâ aliqua conditione; nempe suppositò quòd veniret Saul: Deus verò affirmativè respondet: *Descendet . . . tradent*. Non ex probabili conjectura (quæ Deum dedecet) ita Deus loquitur, sed ex certa scientia.

Secundum exemplum ac testimonium petitur ex c. 11. S. Matth. v. 21. ubi dicitur: *Væ tibi Corozaïn, væ tibi Bethsaïda: quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent*. Et v. 23. *Et tu Capharnaum, numquid usque in cœlum exaltaberis? Usque in infernum descendes, quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem*. Ubi particula, *forte*, non est dubitantis, sed increpantis; atque idem significat ac, *utique*. Sicut cùm Jo. 8. v. 19. dicitur: *Si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis*: particula, *forsitan*, æquivalet isti, *utique*. Ita enim exponitur c. 14. v. 7. *Si cognovissetis me, & Patrem meum utique cognovissetis*. Porrò hic agi de futura conversione Tyriorum & Sidoniorum sub conditione, si nempe Christi miracula vidissent, res est per se clara & manifesta.

Tertium exemplum ac testimonium desumitur ex c. 4. Sapientiæ v. 11. ubi de justo immatura morte sublato dicitur: *Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius*. Ubi certè futura justi perversio prænoscitur sub conditione non implenda, si nimirum diutius in vivis stetisset.

Probatur 2. ex SS. Patribus.

S. Gregorius Nyssenus Oratione de infantibus morte immatura sublatis, asserit id beneficii loco habendum esse. *Verisimile est enim*, inquit, *eum, qui id quod futurum est æquè atque præteritum cognovit, progressum vitæ infantis ad perfectionem prohibere, ne quod vi præscia malum animadversum est, in eo qui ita victurus fuisset, perficiatur, atque ei qui ea voluntate arbitrioque victurus fuisset, vitii nequitiæque materia vita fiat*. T. 2. p. 754. D.

S. Joan. Chrysostomus L. 1. ad Stagirium rationem reddens quare *Deus Adamum admisso peccato statim è paradiso proturbaverit: Quo circa*, inquit, *primum hominem à principio è paradiso expulit, quia ex honore sibi præstito deterior effectus esset, si post spretum violatumque mandatum, immotus ille stabilisque duraret*. Ed. no. To. 1. p. 160. B.

S. Cyrillus Alexandrinus L. 3. contra Julian. probat Porphirii sententiam, nempe *Deum, qui futura novit, alios propter pietatem adhuc juvenes vitæ præripere; alios verò propter eas quæ necessariis clades futuræ sunt per eos*. To. 6. p. 95. B.

S. Aug. Lib. de dono perse ver. c. 9. *Numquid possumus dicere*, ait, *etiam Tyrios & Sidonios talibus apud se virtutibus factis credere noluisse, aut credituros non fuisse si fierent? cùm eis ipsis Dominus attestetur, quòd acturi essent magnæ humilitatis pœnitentiam, si in eis facta essent illa signa virtutum*. T. 10 p. 832. B.

Et sub finem capitis confutans errorem Semipelagianorum asserentium dari gratiam à Deo infantibus nonnullis per baptismum, propter bona opera quæ acturi essent si ad usum rationis pervenirent; aliis verò gratiam baptismi non dari, propter mala opera quæ prævidentur facturi si ad pleniorem servarentur ætatem, hæc subjicit. *Porrò si etiam secundùm facta, quæ facturi essent si viverent, mortui judicantur: profectò quia fideles futuri erant isti* (nem- lib. 1.

pe Tyrii & Sidonii) *si eis cum tantis miraculis fuisset prædicatum Evangelium, non sunt utique puniendi; punientur autem: falsum est igitur & secundùm ea mortuos judicari quæ facturi essent si ad viventes Evangelium perveniret. Et si hoc falsum est, non est cur dicatur de infantibus qui pereunt, sine baptismate morientes, hoc in eis meritò fieri, quia præscivit eos Deus, si viverent, prædicatumque illis fuisset Evangelium, infideliter audituros.*

Et Lib.de corrept. & gratia c.8. idem versans argumentum sic loquitur:

Ib. pag. 760. C. *De his dixerimus, qui perseverantiam bonitatis non habent, sed ex bono in malum deficiente bona voluntate moriuntur. Respondeant, si possunt, cur illos Deus cùm fideliter & piè viverent, non tunc de vitæ hujus periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, & ne fictio deciperet animas eorum. Utrum hoc in potestate non habuit, an eorum mala futura nescivit? Nempe nihil horum, nisi perversissimè atque insanissimè dicitur. Cur ergo non facit? Respondeant qui nos irrident, quando in rebus talibus exclamamus, Quàm inscrutabilia sunt Judicia ejus,*

Ibid. E. *& investigabiles viæ ejus! .. Sicut ergo cognitur fateri, donum Dei esse ut finiat homo vitam istam, antequam ex bono mutetur in malum; cur autem aliis donetur, aliis non donetur, ignorant: ita donum Dei esse in bono perseverantiam secundùm Scripturas de quibus testimonia multa jam posui, fateantur nobiscum; & cur aliis detur, aliis non detur, sine murmure adversus Deum dignentur ignorare nobiscum.*

Ed. no. To.1.p. 1098. C. Accedat & S.Greg.Magnus Lib.33. Moral. cap.19. alias 17. ubi observat in bonum justis cedere si aliquando vexentur. *Quia*, inquit, *mira potentia prævidet* (Deus) *quòd si quieti ac liberi in tranquillitate persisterent, tentationes ferre adversarii non valentes, mentis prostrati vulneribus jacerent.*

Solvuntur objectiones.

Objicies 1. In mente ac doctrina SS.Augustini, Prosperi, ac Fulgentii, nulla est in Deo præscientia nisi rerum quæ reipsa futuræ sunt: quin irridentur illi ac damnant in Pelagianis & Semipelagianis præscientiam futurorum sub conditione.

T.10.p. 345. C. S.Augustinus L.1. de anima & ejus origine c.12. *Ipsa*, inquit, *exinanitur omnino præscientia, si quod præscitur non erit. Quomodo enim rectè dicitur præsciri futurum, quod non est futurum?* Et Lib.de prædest.SS. cap.14.

Ibid. p. 807. F. exponens istud, *Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus. Dictum est*, inquit, *secundùm pericula hujus vitæ, non secundùm præscientiam Dei, qui hoc præscivit quod futurum erat, non quod futurum non erat: id est, quòd ei mortem immaturam fuerat largiturus, ut tentationum subtraheretur incerto; non quòd peccaturus esset, qui mansurus in tentatione non esset.*

P. 441. S.Fulgentius L.1. de veritate prædestinationis c.7. *Absurdè dicitur*, inquit, *Deum præscisse parvuli futura peccata, quæ futura non erant. Neque enim Dominus rerum omnium conditor facienda præsciisset, quæ facienda non essent Scimus namque præscientiam Dei sic esse veram atque incommutabilem, ut quæ futura præscit, verè futura sint.*

Inter Aug. 225.T. 2. pag. 823 A. S.Prosper in Epistola ad S.August. loquens de Semipelagianis, *In tantum*, inquit, *quibuscunque commentitiis meritis electionem Dei subjiciunt, ut quia prætarita non extant, futura quæ non sint futura, confingant, novoque apud illos absurditatis genere, & non agenda præcita sint, & præscita non acta sint.*

Resp.

Resp. ad 1. distinguo ant. Nulla est in Deo præscientia rei absolutè futuræ, nisi res illa futura sit, concedo: rei futuræ sub conditione, nego. Itaque Dei præscientia versatur & circa ea quæ sunt absolutè futura, & circa ea quæ sunt dumtaxat futura sub conditione: Deus enim res cognoscit quales sunt aut erunt, aut futuræ essent si aliqua poneretur conditio. Locis in confirmationem Conclusionis nostræ laudatis, S. Augustinus disertè agnoscit præscientiam futurorum sub conditione; testimoniis verò quæ hic objiciuntur, agnoscit præscientiam rerum absolutè futurarum: una verò aliam non excludit, & utraque aptè ac commodè utitur S. Doctor ut Pelagianos & Semipelagianos refellat. Scientia quidem absolutè futurorum, ut probet ea dumtaxat hominum opera præmio vel supplicio afficienda esse, quæ re ipsa futura sunt absolutè, non verò quæ futura dumtaxat fuissent ex aliqua conditione nunquam ponenda, sicut dicebant Semipelagiani: scientia verò conditionatorum, ut ostendat adversùs eosdem res futuras sub conditione, non esse Deo causam & motivum, cur alios ad gratiam & gloriam prædestinet, alios verò reprobet. Quod ut clarius adhuc elucescat,

Resp. ad 2. SS. Augustinus, Prosper ac Fulgentius damnant & irridentes in Semipelagianis scientiam conditionatorum, distinguo, ratione abusus, & errorum quibus scientiam illam involvebant, concedo: ratione scientiæ ipsius in se spectatæ & quoad substantiam, nego.

Itaque ut penitiùs mens illorum Doctorum introspiciatur, præ oculis haberi semper debet institutum illorum in confutandis erroribus Pelagianorum & Semipelagianorum, circa scientiam Deifive absolutè, sive conditionatè futurorum.

I. Pelagiani docebant fundamentum prædestinationis ad fidem Evangelii, & ad gloriam, esse merita merè humana ex solis viribus liberi arbitrii, quæ Deus absolutè futura prævidebat. Erat hic capitalis illorum error, in quem perpetuò oculos convertit Augustinus, cùm probat prædestinationem ad gratiam, & ad gloriam gratuitam esse; per exclusionem scilicèt meritorum naturæ. Utrum enim prædestinatio ad gloriam antecedat vel sequatur prævisionem meritorum ex gratia, non videtur S. Doct. hujusmodi controversiam ad sensum Scholæ, agitasse.

Semipelagiani verò, etsi ad fidem & bona opera gratiam necessariam esse agnoscerent, ad initium tamen fidei, seu ad quemdam pium credulitatis affectum prævium, naturam & vires liberi arbitrii sufficere contendebant: atque pium illum credulitatis affectum, quem Deus prævidebat, ajebant Deo esse causam ac motivum ut fidei gratiam concederet: quem errorem strenuè insequitur ac refellit S. Aug. Libro integro de prædestinatione Sanctorum.

II. Iidem Semipelagiani abutebantur scientia conditionatorum, circa prædestinationem tùm adultorum tùm parvulorum: dicebant scilicèt, bonum vel malum usum gratiæ quem Deus futurum esse prævidebat, si eam nonnullis adultis concederet, esse causam seu motivum quo Deus movebatur ut hanc gratiam nonnullis certò concederet, aliis verò denegaret. Quod quidem manifestè falsum & absurdum esse ostendebat S. Aug. vel exemo Tyriorum & Sidoniorum exemplo, qui quidem prævidebantur crediturí si miracula Christi vidissent, Matth. 11. nec tamen ea viderunt, nec crediderunt.

Quantùm verò ad infantes, qui merito pares, occulto tamen Dei judicio ità ſecernuntur, ut eorum nonnulli abſque percepto baptiſmo morientes æternùm pereant, alii verò percepto baptiſmo ſalutem æternam conſequantur; Semipelagiani recurrebant ad merita vel demerita eorum, quæ Deus futura fuiſſe prævidebat, ſi diutiùs illi vixiſſent. Ita referunt SS. Auguſtinus & Proſper. *Deus*, inquiunt apud S. Auguſtinum Epiſtola 194. alias 105. ad
T.10.p. 728.B. Sixtum nu.42. *in eis quos hinc auſert, prævidet quemadmodum victurus eſſet quiſque ſi videret: & ideo quem nequiter novit fuiſſe victurum, ſine baptiſmo facit emori, ſic in eo puniens opera mala, non quæ fecit, ſed quæ facturus fuit.*

Ibid.p. 812.F. &T.10. p. 781. S. Proſper in Epiſtola ad S. Auguſt. quæ eſt de erroribus Maſſilienſium. *Cùm*, inquit, *innumerabilium illis multitudo objicitur parvulorum, qui utique excepto originali peccato .... nullas adhuc habentes voluntates, nullas proprias actiones, non ſine Dei judicio ſecernuntur; ut ante diſcretionem boni ac mali de uſu vitæ iſtius auferendi, alii per regenerationem inter cæleſtis regni aſſumantur hæredes, alii ſine baptiſmo inter mortis perpetuæ tranſeant debitores, tales aiunt perdi, taleſque ſalvari, quales futuros illos in annis majoribus, ſi ad activam ſervaverint ætatem, ſcientia divina præviderit.* Abſurdam illam ſententiam meritò explodit, & irridet S. Aug. multiſque confutat argumentis, iſto imprimis: quòd nempe nullus vel præmio vel ſupplicio affici debeat propter ea bona vel mala quæ facturus fuiſſet, ſed propter ea quæ re ipſa fecit; pronunciante Apoſtolo 2. Corinth. 5. v. 10. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit ſive bonum*
T.10.p. 833.B. *ſive malum. Nullus mortuus*, ait S. Aug. L. de dono perſev. c. 9. *judicatur ex bonis ſeu malis quæ fuerat, ſi non moreretur, acturus: alioquin Tyrii & Sydonii non ſecundùm ea quæ geſſerunt, pœnas luerent; ſed potiùs ſecundùm ea quæ geſturi fuerant, ſi in eis illæ virtutes Evangelicæ factæ fuiſſent, per grandem pœnitentiam & per Chriſti fidem conſequerentur ſalutem.*

Atque iſte Semipelagianorum abuſus Auguſtinum aliquandò impulit, ut ſcriberet *futura quæ non ſunt futura à Deo non præſciri*; ſed intellige, non præſciri ad ſenſum & mentem Semipelagianorum, & ad eum finem ac uſum quem illi confinxerant; verum eſt, non præſciri omnino ac ſimpliciter, negamus.

To.8.p. 436.D. Inſtabis ex S. Aug. L. 26. c. Fauſtum cap. 4. *Omnia quæ verè futura ſunt, ſine dubio fient; ſi autem facta non fuerint, futura non erant.* At quæ futura ſunt ſub conditione non ponenda, nunquam fient; ergo non ſunt futura.

Reſp. diſtinguo maj. Si autem facta non fuerint, futura non erant, abſolutè, concedo: futura non erant, aut potiùs non fuiſſent, aliqua poſita conditione, nego. Ex hoc S. Auguſtini teſtimonio inferri dumtaxat poteſt, quod omnes fatentur, futura ſub conditione non ponenda, revera non eſſe futura; ſed malè inde infertur illa futura non fuiſſe, ſi certa quædam conditio poneretur; ac conſequenter perperam infertur ea certò à Deo non cognoſci.

Objicies 2. S. Thomas affirmat rem contingentem non poſſe certò cognoſci, niſi prout eſt actu in ſe ipſa, & ſic conſideratur, inquit, *ut præſens*, atqui futurum conditionatum non eſt actu in ſe ipſo; cùm non ſit, ſed eſſet ſi poneretur certa conditio: ergo non poteſt certò à Deo cognoſci.

Confir. Quia idem S. Doct. affirmat futurum contingens videri à Deo, quia eſt divinæ æternitati præſens: atqui futurum ſub conditione, cùm de facto non exiſtat, non eſt divinæ æternitati præſens; ergo certò non poteſt à Deo cognoſci.

Præ-

Præterea juxta eundem S. Doctorem 1. p. q. 14. art. 13. veritas propositionis conditionalis consistit in bonitate consequentiæ: atqui in propositione de futuro contingenti conditionato non reperitur bonitas illationis, cùm non sit necessaria connexio inter antecedens & consequens; ergo propositio de futuro conditionato non est vera.

Resp. ad 1. distinguo maj. Res contingens non potest cognosci nisi prout est actu in se ipsa, vel simpliciter & absolutè, vel conditionatè, concedo: nisi sit actu in se ipsa absolutè ac simpliciter, nego. Distinguo min. Atqui res conditionatè futura non est actu in se ipsa simpliciter & absolutè, concedo: non est sub conditione, nego. Licèt enim absolutè non existat, existeret tamen actu extra suas causas, si poneretur certa conditio. Hinc fit, ut æquè certò cognosci à Deo possit, ac quod futurum est absolutè.

Ad 2. distinguo min. Futurum conditionatum non est divinæ æternitati præsens tanquam absolutè futurum, concedo: tanquam futurum conditionatè, nego. Divinæ quippe æternitati præsens est modo suo, id est conditionatè.

Ad 3. dico S. Thomam loco citato agere de cognitione discursiva per quam unum ex alio deducitur, in quo propositionis genere non reperitur veritas, nisi antecedens sit necessariò connexum cum consequente: at verò in propositione quæ simpliciter & sine discursu aliquid enuntiat futurum sub aliqua hypothesi, veritas illius non consistit in necessaria connexione antecedentis cum consequente, sed in eo præcisè quòd ponatur effectus, modò ponatur talis conditio: quod fieri potest sive effectus sequatur necessariò, sive contingenter ex aliqua conditione.

Objicies 3. Licèt Deus in Scripturis utatur aliquando oratione discursiva, non tamen inde benè colligitur verum esse in ipso discursum: pariter licèt utatur enuntiationibus vocalibus, non est tamen in divino intellectu compositio mentalis, qualis significatur enuntiatione vocali; ergo similiter quamvis in Scriptura Deus dicatur scire futura conditionata, non sequitur tamen in eo revera esse certam & infallibilem illorum notitiam.

Confirmatur. Quia sicut discursus & enuntiatio dicunt imperfectionem Deo repugnantem, ita & scientia conditionatorum: sicut enim discursus importat multiplicitatem & successionem actuum in intellectu, & enuntiatio compositionem ac unionem prædicati cum subjecto; ita scientia futurorum sub conditione dicit suspensionem & hæsitationem in mente divina, cùm sit de objecto suspenso & à conditione pendente.

Resp. nego conseq. Namque præscientia futuri sub conditione nullam involvit imperfectionem, sicut involvit discursus & enuntiatio mentalis.

Ad confirmationem. Licèt scientia futurorum sub conditione sit de objecto suspenso ratione conditionis à qua pendet, non est tamen ipsa præscientia suspensa, aut anceps, sed certa, infallibilis ac simplex, quæ unico ac simplici intuitu futura hujusmodi attingit.

Objicies 4. Nullum futurum potest certò cognosci ante Decretum Dei, quia sine illo decreto nihil futurum: at nullum est in Deo decretum actuale & absolutum pro re nunquam futura, inutile enim prorsus illud foret; ergo &c.

Resp. distinguo min. Nullum est in Deo decretum actuale & absolutum pro re nunquam futura, concedo: decretum conditionatum, quod nempe sit

pars

pars illius conditionis sub qua res esset futura, nego. V.g. cùm Deus prædixit futuram Tyriorum conversionem, vidit Tyrios convertendos sub ista conditione: Si voluissem apud illos fieri miracula Christi, & eam ipsis gratiam concedere quæ necessaria fuisset ut visis Christi miraculis credidissent, conversi illi fuissent. Decretum ergo Dei quod esset, includitur tanquam pars, in conditione sub qua futura illa conditionata videntur; adeoque vera est in rigore ista propositio: Nihil futurum cognoscitur ante decretum Dei, vel quod est, si res sit absolutè futura; vel quod fuisset, si res dumtaxat futura sit sub conditione nunquam ponenda.

ARTICULUS TERTIUS.

De medio in quo Deus omnia cognoscit.

QUæ hactenus dicta sunt de objecto, amplitudine, & certitudine divinæ scientiæ, adeo certa sunt & explorata apud omnes Theologos, ut vix salva fide negari possint. Non ita est profectò de præsenti controversia circa modum seu medium quo Deus omnia cognoscit, quæ tota est Scholastica ad exercitium Scholæ accommodata, ac meris conjecturis & ratiociniis subnixa: in qua proinde nihil Ecclesia præscribit, nisi hoc unum, ut in tanta opinionum, quas permittit, libertate ac varietate, pax Christi ab omnibus servetur, nulla censoria nota inusta cuicunque opinioni quæ liberè ac salva fide in Scholis agitatur. Modus etenim divinæ scientiæ mysterium est humanæ menti impervium, ac meritò cum Apostolo hic exclamandum: *O altitudo sapientiæ & scientiæ Dei*:

T. 4. p. 454. D. Quapropter S. Aug. in Psalm. 49. *Non audeamus dicere*, inquit, *Quomodo novit Deus? Ne fortè hoc à me fratres expecteris ut explicem vobis, quomodo cognoscat Deus: hoc solùm dico, non sic cognoscit ut homo, non sic cognoscit ut Angelus: & quomodo cognoscit, dicere non audeo, quoniam & scire non possum.*

Quisque igitur hic se contineat intra modestiæ fines, nec jactantiùs hoc sibi audeat sumere, quam tuetur sententiam hanc solam esse veram, alias verò falsas.

Nobis satis otii non est ut singulas infinitorum propemodum Scholasticorum opiniones hic recenseamus: satis nobis erit, quam verisimiliorem putamus, exponere.

Eundem verò sequemur ordinem quem Articulo superiori; ac varia divinæ scientiæ objecta percurrendo, de medio in quo Deus ea cognoscat, inquiremus.

Medium autem cognitionis illud dicitur, in quo res aliqua cognoscitur; seu quod priùs cognitum, ducit in cognitionem alterius.

Quo in medio Deus semetipsum cognoscat.

CONCLUSIO.

Deus absque ullo medio se ipsum per seipsum immediatè cognoscit.

Vix ulla probatione indiget ista Conclusio, adeo est per sese clara & manifesta. Nihil enim in Deo prius est ipsius essentia, nihil quod veluti causa sit cognitio-

gnitionis essentiæ divinæ. Imò essentia divina ratio & causa est in qua Deus omnia cognoscit, cùm vim habeat intelligendi infinitam.

Quo in medio Deus alia à se seu creaturas cognoscat.

CONCLUSIO.

Deus cognoscit in sua essentia res omnes creatas.

Probatur. Quia indecens foret ac Deo indignum, rerum creaturarum cognitionem illum à rebus ipsis quasi emendicare, cùm habeat in se ipso clarissimum speculum in quo omnia nitidissimè intuetur, divinam scilicet essentiam, cujus innita & inexhausta est vis intelligendi, & quæ res omnes tanquam effectus in causa, in se continet. Unde Joan. 1. dicitur: *Quod factum est in ipso vita erat. In qua vita*, ait S. Aug. L. 5. de Gen. ad Lit. cap. 15. *Deus vidit omnia.* T. 3. p. 1. 192. A.

Ita docent sancti Patres.

S. Dionysius L. 7. de divinis nominibus (si tamen auctor est hujus Operis) *Neque enim*, inquit, *ea quæ sunt ex iis quæ sunt discens novit divina mens, sed ex se & in se per causam, rerum omnium cognitionem, scientiam essentiamque anticipatam, & antè comprehensam habet: non quòd per speciem singula consideret, sed quòd uno causæ complexu omnia sciat & contineat.* Ed. Parisi. 1615. p. 236. D.

S. Ambrosius cap. 1. in Symbolum. *Licèt*, inquit, *omnia cœlestia & terrestria ac minima quæque perspiciat* (Deus) *nihil tamen extra se intelligere, sed singula in se intueri dicitur.* Ed. vet. T. 4. p. 87. H.

Sanctus Aug. L. 15. de Trinit. c. 14. *Novit omnia Deus Pater in se ipso, novit in Filio: sed in se ipso, tanquam se ipsum; in Filio tanquam Verbum suum, quod est de his omnibus quæ sunt in se ipso.* T. 8. p. 984. F.

Et L. 5. de Gen. ad Litt. c. 15. *Vidit omnia Deus*, inquit, *quando fecit; & sicut vidit, ita fecit: non præter se ipsum videns, sed in se ipso.* Unde idem S. Doct. antea laudatus Conclusione 3. Art. 2. Q. 14. docet cognitionem creaturarum extra Deum *imperfectiorem esse & decoloratiorem.* T. 3. p. 1. pag. 192. A.

Gravis est difficultas, quæ Scholasticos nostros plurimùm exercet, variasque in partes distrahit, sub qua nempe præcisa ratione divina essentia medium sit formale quo creaturæ cognoscuntur; an ut species intelligibilis infinita in virtute repræsentandi? an ut causa rerum? an ut medium formale incognitum, seu verbum mentis quod Deum primò, tùm creaturas in se ipsis repræsentet? Difficultas autem ista spectat creaturas tùm possibiles, tùm contingenter & liberè aliquando futuras, tùm eas quæ futuræ essent si aliqua poneretur conditio, quæ nunquam tamen ponenda est. De quibus sigillatim disserendum.

Quo in medio Deus videat creaturas possibiles.

Certum est Deum antecedenter ad omne decretum quo velit aliquas creaturas producere & alias non producere, cognoscere omnes quæ esse possunt: si enim eas non cognosceret, non posset velle aliquas producere, & alias imprudactas relinquere.

Quæ-

Quæritur autem quomodo seu in quo medio priùs cognito Deus possibilia cognoscat: an in sua omnipotentia seu essentia, tanquam rerum omnium causa. Ita vulgò sentiunt Thomistæ. Vasques è contra 1. p. disp. 60. c. 2. fatetur quidem Deum omnia in sua essentia intueri, non tanquam in causa, sed tanquam in verbo & specie expressa.

CONCLUSIO.

Deus omnia possibilia certò cognoscit in sua omnipotentia seu essentia, tanquam in causa rerum omnium effectrice.

Probatur tùm ex S. Dionysio loco Conclusione præcedente citato, tùm ex S. Thoma in Lib. 1. Sentent. dist. 35. q. 1. art. 2. in argumento sed contra. *Deus,* T. 7. p. 312. col. 1. C. inquit, *cognoscit essentiam suam: sed per essentiam suam est principium rerum: ergo ipse cognoscit se esse principium rerum: Sed impossibile est quòd cognoscatur aliquid esse principium, nisi cognoscatur aliquid cujus est principium: quia qui novit unum relativorum, cognoscit & reliquum, ut in prædicamentis dicitur.* Et Lib. 1. contra Gentiles cap. 49. *Effectus cognitio,* inquit, T. 13. p. 159. B. *sufficienter habetur per cognitionem suæ causæ. Unde scire dicimur unumquodque, cùm causam ejus cognoscimus. Ipse autem Deus est per suam essentiam causa essendi aliis: cùm igitur suam essentiam plenissimè cognoscat, oportet ponere quòd etiam alia cognoscat.*

Eandem doctrinam inculcat 1. p. q. 12. art. 8. ubi supponit tanquam certum, cùm omnia sint in Deo tanquam effectus in sua causa, in eo omnia videri sicut effectus videntur in causa. Hinc verò concludit, nullum intellectum creatum videre in Deo omnes creaturas possibiles, *Quia,* inquit, *intellectus ille potest in causa cognoscere omnes causæ effectus, & omnes rationes effectuum, qui causam totaliter comprehendit. Nullus autem intellectus creatus totaliter Deum comprehendere potest. Nullus igitur intellectus creatus videndo Deum potest cognoscere omnia quæ Deus facit vel potest facere.*

Ratio manifesta est: quia Deus seipsum perfectè seu comprehensivè cognoscit; ergo & illa omnia quæ in ipso tanquam in causa continentur; pariter cognoscit tanquam in medio priùs cognito.

Dices 1. Si Deus distinctè cognoscit creaturas possibiles in se ipso tanquam in causa efficiente, necesse est admittere in Deo quemdam respectum transcendentalem ad creaturas: atqui hoc falsum est. 1. Quia relatio transcendentalis specificatur à termino, nulla autem perfectio divina specificatur à creatura. 2. Id quod refertur ad aliud, ad illud ordinatur: atqui Deus non ordinatur ad creaturas, sed potius creaturæ ordinantur ad Deum. 3. Quod aliud respicit, per illud potest perfici: at Deus perfici non potest per creaturas.

Resp. objectionem istam totam esse de nomine: nam si nomine relationis transcendentalis intelligitur ratio seu perfectio, quæ secundùm se est hujusmodi ut perfectè concipi nequeat quin concipiatur aliud ab ipsa distinctum, fateor Deum quatenus est causa efficiens creaturarum, ad eas hoc sensu transcendentaliter referri; & in hoc nulla prorsus includitur imperfectio. Quòd si per relationem transcendentalem intelligitur

gitur id quod ordinatur ad aliud tanquam ad ſuum perfectibile, hoc eſt tanquam ad formam per quam ſpecificatur atque perficitur, negamus hoc ſenſu Deum reſpicere relatione tranſcendentali creaturas poſſibiles.

Dices 2. Deus omnia unico & ſimpliciſſimo intuitu cognoſcit: ergo priùs non cognoſcit eſſentiam, tùm alia quæ ſunt ab ea diſtincta.

Reſp. diſtinguo conſeq. Non cognoſcit priùs prioritate temporis aut durationis, imò nec prioritate naturæ, concedo: non cognoſcit priùs prioritate quadam rationis, nego. Licèt igitur Deus omnia ſimul cognoſcat, non tantùm tempore & duratione, ſed & natura, quia nempe ſimpliciſſima eſt ejus cognitio; poteſt tamen aſſignari prioritas quædam rationis, quatenus ſcilicet ex parte objectorum quæ cognoſcuntur, unum concipitur à nobis veluti ratio qua Deus aliud cognoſcit, eò quòd unum ſit magis conjunctum ipſi Deo intelligenti, quàm aliud.

Quo in medio Deus contingenter & liberè futura cognoſcat.

Præſens controverſia videtur origo fuiſſe, radix ac initium omnium diſcordiarum quæ tanto animorum æſtu excitatæ ſunt in famoſis Congregationibus de Auxiliis, inter Patres Dominicanos ex una parte, & Molinæ ſectatores ex altera: cujus quidem plena ſolutio tota ferè pendet ex varia circa gratiæ vim & efficaciam ſententia. Quippe ſi admittatur gratia ex ſe ſe ſeu natura ſua efficax, hoc eſt, quæ ex natura ſua certam, infallibilem & eſſentialem habeat cum voluntatis conſenſu connexionem independenter à præviſo illo conſenſu, pronum eſt aſſerere, Deum liberè & contingenter futura ſupernaturalis ordinis certò cognoſcere in virtute gratiæ, ſeu in decreto abſoluto quo ſtatuit gratiam illam conferre. Si verò non admittatur hujuſmodi gratia ex ſe ſe efficax, procul dubio in illa, ſeu in decreto abſoluto eam concedendi, tanquam in medio, non poteſt Deus futura illa certò & infallibiliter cognoſcere. Cui quidem quæſtioni ut viam præmuniamus

Obſervandum eſt I. inter futura libera & contingentia, alia eſſe naturalis ordinis, alia verò ſupernaturalis & gratiæ.

II. Alia eſſe bona & meritoria, alia verò mala ſeu peccata.

III. Humanam naturam conſiderari hìc poſſe in duplici ſtatu: innocentiæ nimirum, in qua primus homo conditus eſt; & peccati, in quod ſubinde lapſus fuit, ſuo lapſu ac ruina univerſum genus humanum involvens.

IV. Varias in partes diſtractos ac diviſos hìc eſſe Scholæ Theologos.

Prima ſententia Thomiſtarum eſt, qui contendunt Deum futura libera cujuſcunque ordinis, ſeu naturalis ſeu ſupernaturalis, certò cognoſcere in ſuis decretis abſolutis phyſicè præmoventibus ſeu determinantibus: quorum decretorum neceſſitatem illi repetunt ex parte quidem Dei, ex ſupremo ejus in res omnes dominio; ex titulo primæ cauſæ, cauſæ univerſaliſſimæ, primi moventis & agentis: ex parte verò creaturæ, ex omnimoda ipſius dependentia & ſubordinatione à Creatore, cauſæ ſecundæ à prima; ex potentialitate, ut ajunt & indeterminatione creaturæ, qua fit ut in actum erumpere non poſſit, niſi Deo phyſicè præmovente, & prædeterminante voluntatem ad agendum, determinetur. Atqui inde eſt quòd contendant phyſicam illam præmotionem

in

in ipso etiam innocentis naturæ statu necessariam fuisse, quia in eo locum habuissent rationes illæ omnes ac causæ quibus necessitatem illam astruunt.

Quæstionis verò propositæ difficultatem eludere hìc videntur quotquot asserunt futura contingentia certò à Deo videri in reali eorum cum divina æternitate, coexistentia: quæ certè quæstio nihil habet commune cum decretis absolutis physicè præmoventibus.

Quod verò spectat peccatorum cognitionem, iidem Thomistæ duo in peccato distinguunt, malitiam scilicet actus, & subſtantiam seu entitatem. Malitiam quidem in decreto permissivo, entitatem verò in decreto præmovente certò à Deo videri plures ex illis affirmant. Dico plures; nonnulli enim rejiciunt prædefinitiones malorum seu peccatorum, ut testatur Petrus Ledesma Ordinis Prædicatorum q. unica de auxiliis art. 18. Hos inter eminet Gonzales de Albelda ejusdem Ordinis, qui disput. 59. in 1. partem S. Th. sect. 2. *Dico* 3. consutat Didacum Alvares pariter Thomistam, docentem Lib. 3. de auxiliis disput. 24. Deum prædefinire totam entitatem actus peccaminosi: quam doctrinam ita refellit Gonzales ut contendat eam pugnare contra mentem S. Thomæ ejusque discipulorum.

Secunda sententia est discipulorum Jansenii, qui Augustiniani esse ac dici amant. Ii cùm vim & efficaciam gratiæ hoc in statu repetant ex delectatione cœlesti relativè superiori ac victrice, id est, quæ gradibus superior est delectatione oppositæ concupiscentiæ, consequenter in hujusmodi gratia, seu decreto absoluto illam conferendi, futura libera supernaturalis ordinis à Deo certò cognosci affirmant. A Thomistis verò hìc dissident in duobus: 1. quòd gratiam illam ex se efficacem ac victricem & decreta præmoventia non admittant nisi pro statu naturæ lapsæ, ob corruptionem scilicet & infirmitatem naturæ ex peccato derivatam; non autem pro statu naturæ innocentis, in quo gratia versatilis libero voluntatis arbitrio permissa sufficiebat. 2. In eo quòd Thomistæ vim & efficaciam gratiæ velint esse absolutam, eamque repetant ex physica Dei præmotione; Augustiniani verò contendant illam esse relativam, per oppositionem scilicet ad oppositam concupiscentiam, quæ cùm gradibus inferior est, gratia victrix ac efficax evadit.

Obiter hìc observa, gratiam illam versatilem, quam Augustiniani in statu præsenti tantopere deprimunt, ab illis nihilominus agnosci in statu innocentiæ: quo uno significant, eam talem in se non esse qualem illi traducunt, quasi verò si Deo injuriosa foret; si derogaret ejus virtuti & omnipotentiæ; si Creatorem creaturæ subjiceret; si humanæ voluntatis foret pedissequa, sicut illi perpetuò obtrudunt, aliquo in statu posset admitti. Aut igitur, gratia hujusmodi ab omni penitùs statu eliminanda, quod illi non concedunt; aut (quod longè consultius) in nullo damnanda est.

Tertia sententia eorum est, qui efficacem à se gratiam sensu tùm Thomistico tùm Janseniano, ac decreta absoluta præmoventia rejiciunt, quòd existiment ea cum humana libertate conciliari satis non posse. Contendunt igitur illi Theologi, Deum circa liberas hominis actiones nihil omnino absolutè statuere ac prædefinire, nisi priùs cognoverit quid homo facturus esset si in his vel illis circumstantiis collocaretur, si hæc vel illa gratia ipsi conferretur: non quòd prævisus sub tali gratia voluntatis consensus sit Deo causa & ratio

tio quæ illum certò moveat atque determinet ad gratiam concedendam; quot enim sunt quorum futurus prævidetur consensus quibus tamen gratia illa occulto, sed justo Dei judicio denegatur? Sed ut nostro concipiendi modo Deus dirigatur in suis decretis absolutis formandis, ac salva remaneat sub efficaci Dei motione, humana libertas.

Defensores hujus opinionis agnoscunt gratiam esse efficacem in ratione doni ac beneficii, quando nempe ex multis congruis auxiliis quæ Deus habet in sua potestate, & quibus, si dentur, prævidet hominem consensurum, ista potiùs quàm alia eligit ac largitur: quod certè doni cujusdam ac beneficii singularis loco haberi debet.

Agnoscunt etiam gratiam efficacem esse in actu primo: hoc est, habere ex se se vim excitandi, movendi & alliciendi voluntatem; non tamen efficacem in actu secundo, nisi accedente voluntatis consensu, qui consensus semper est à virtute gratiæ prævenientis, adjuvantis, concomitantis, seu simul cum libero arbitrio ad opus bonum concurrentis.

Quapropter totus hujusce famosæ controversiæ cardo in eo esse videtur, utrum nempe gratia, ex qua voluntas bonum operatur, debeat certò & invictè præmovere seu prædeterminare physicè vel moraliter voluntatem ad benè agendum; an verò sufficiat, si præveniat, comitetur, concurrat ac simul operetur cum voluntate. En quò tandem recidit grandis illa & operosa controversiarum moles quæ à sæculo & ampliùs Theologos nostros tam durè exercent: aliæ verò quæstiones accessoriæ sunt, quæ ex objectionibus, vel ex earum solutione enatæ magis videntur, quàm ex visceribus seu substantia rerum.

Porrò per se clarum est, in isto postremo systemate futura libera non videri, aut in decreto Dei absoluto, quod nullum est, aut in voluntate creata, quæ ante decretum suspensa est & indeterminata; sed in essentia Dei, tanquam specie intelligibili in repræsentando infinita. His præmissis sit

PRIMA CONCLUSIO.

Deus futura contingentia non cognoscit aut in reali eorum cum æternitate coexistentia, aut in proximis eorum causis tanquam in medio priùs cognito.

Duæ sunt Conclusionis partes.

Prima pars probatur 1. Quia quod non est ab æterno secundùm suum esse proprium & reale, non potest alteri ab æterno coexistere: atqui futura contingentia non sunt ab æterno secundùm suum esse proprium & reale, ut fides docet; ergo &c.

Major propositio aperta est. Namque coexistentia duorum est simultanea illorum existentia: est enim quædam relatio, cujus fundamentum aliud non potest assignari præter existentiam utriusque termini; ergo cùm futura contingentia ab æterno non existant, non possunt etiam divinæ æternitati coexistere.

II. Præcipua ratio qua ducuntur nonnulli Theologi ut hanc futurorum realem cum æternitate coexistentiam defendant, petitur ex infinitate & indivisibilitate divinæ æternitatis, qua fit ut sit tota simul, omnesque temporis differentias absque divisione contineat: atqui ratio hæc non videtur efficax;

probat

probat enim dumtaxat res, quando sunt, coexistere toti æternitati, non autem quando non sunt; & probatur exemplo & paritate divinæ immensitatis: scilicet, etsi immensitas Dei æquè indivisibilis sit in partes permanentes, ac æternitas in partes successivas, tamque infinita sit in ordine ad omnia spatia replenda, quàm æternitas ad omne tempus complectendum; attamen quæcumque ei aliquando præsentia futura sunt in aliqua parte loci, jam nunc præsentia esse dici non possunt: ergo pariter futura contingentia non coexistunt divinæ æternitati, sed coexistent, quando erunt; & quidem coexistent absque ulla ex parte ipsius æternitatis mutatione aut divisione.

To.3.p. 2.pag. 193.D.

Probatur 3. auctoritate S. Aug. Lib. 5. de Gen. ad Litt. cap. 18. nu. 36. *Hæc*, inquit, *antequam fierent utique non erant. Quomodo ergo Deo nota erant quæ non erant? Et rursus quomodo ea faceret, quæ sibi nota non erant? Non enim quidquam fecit ignorans. Nota ergo fecit, non facta cognovit. Proinde antequam fierent, & erant, & non erant: erant in Dei scientia, non erant in sua natura.* Nihil disertius proferri potest.

Secunda pars Conclusionis probatur. Quia causa futuri liberi, humana scilicèt voluntas, vel spectatur in se præcisè ac nudè, vel in certis quibusdam circumstantiis posita, vel tandem in ipsamet actione: atqui nullo ex his modis potest Deo esse certum & infallibile medium cognitionis. Non primo, quia sic planè suspensa est ac indeterminata voluntas indifferens ad utrumque oppositum; in causa autem indeterminata nihil certi cognosci potest. Non secundo, quia quibuslibet suppositis circumstantiis adhuc libera remanet, & agere potest vel non agere: quòd si unam in partem potius quàm in aliam inclinanda prævidetur, non certò, sed conjecturaliter dumtaxat id prævidetur; procul autem à Deo est omnis incerta & conjecturalis cognitio. Non denique tertio, quia videre causam agentem, non est videre actionem in causa, sed in seipsa: non diffitemur autem futuras illas liberas actiones à Deo videri in seipsis terminativè, ut vocant: at non motivè ac formaliter, quo sensu intelligenda est nostra Conclusio.

Dices 1. contra primam Conclusionis partem. Æternita s est infinita & indivisibilis, & tota simul; ergo omnia futura ei simul coexistunt.

Resp. nego conseq. Sequitur dumtaxat ea futura divinæ æternitati coextitura esse quando erunt; & quidem, ut diximus, sine ulla mutatione aut divisione in æternitate; sed non sequitur quòd actu ac realiter coexistant. Quomodo enim coexisterent æternitati, quæ non existunt in se? Priùs enim est existere simpliciter, quàm alteri coexistere.

Coexistunt, ait Gonetus disput. 4. de scientia futurorum contingentium ar. 7. parag. 1. *per coextensionem scilicèt ipsius æternitatis ad illam differentiam temporis* in qua res futuræ sunt. At non satis intelligitur, quid sit æternitatem actu & realiter coextendi ad id quod nondum est actu & realiter: coextensio enim illa terminum supponit ad quem tendat, sed ab æterno terminus ille realis non est; ergo ad illum divina æternitas actu & realiter tendere, seu ei coexistere non potest.

To.8.p. 844.A. To.4.p. 1107. B.

Instabis 1. Respectu eternitatis nihil est futurum, nihil præteritum. *Apud Deum*, ait S Augu. L. 5. de Trinit. c. 16. *nec præterita transierunt, & futura jam facta sunt.* Et in Psal. 101. *Nihil ibi est præteritum quasi non sit, nihil ibi est futurum, quasi nondum sit. . . . sed quidquid ibi est, non nisi est.*

Resp.

Resp. Distinguo antecedens. Respectu æternitatis adæquatè sumptæ, & secundùm id quod dicit in recto, nihil est futurum, concedo: quia illi omnia præsentia sunt eo ipso tempore quo fiunt, & secundùm id quod dicit in recto, divinam scilicet existentiam, omninò immutabilis est: eo ferè modo quo (servata proportione) pons in medio fluminis erectus, vel arbor ad ripam illius plantata immota in se manens aquas successivè præterfluentes respicit ac connotat. Respectu æternitatis inadæquatè sumptæ, & secundùm id quod dicit in obliquo & connotativè, ipsam nimirum temporis successionem, nihil est futurum, nego.

Instabis 2. SS. Patres affirmant Deum nihil cognoscere ut futurum, sed omnia ipsius æternitati esse præsentia. Ita S. Aug. Lib. 2. ad Simpl. q. 2. S. Gregorius Magnus Lib. 9. Moral. cap. 25. & alii.

Resp. Distinguo ant. SS. Patres affirmant divinæ æternitati omnia esse præsentia, objectivè & quoad cognitionem, concedo: realiter & quoad existentiam, nego. Non alia igitur est mens SS. Patrum quàm Deum ita clarè ac certò futura omnia intueri, ac si præsentia essent, non autem tantùm futura: unde videntur negare esse in Deo veri nominis præscientiam. *Quid enim est præscientia*, inquit S. Augustinus Lib. 2. ad Simplic. q. 2. *nisi scientia futurorum? Quid autem futurum est Deo, qui omnia supergreditur tempora?* Qua loquendi ratione significare non vult sanctus Doctor, Deum futura non cognoscere; non ita est: sed vult dumtaxat imperfectiones scientiæ creatæ à scientia Dei excludere ac removere; quòd nempè circa res futuras anceps illa & dubia non sit, non confusa, non divisa, non composita ut in nobis, sed certa, clara, indivisa & maximè simplex. *Tom. 9. 112. E.*

Dices 2. contra secundam Conclusionis partem. Qui comprehendit aliquam causam, vi hujus comprehensivæ cognitionis potest omnes illius effectus certò cognoscere: atqui Deus cognitione sua omnes causas comprehendit; ergo &c.

Resp. Distinguo maj. Potest omnes illius effectus certò cognoscere ut possibiles, concedo: ut existentes aut futuros, subdistinguo: si causa sit necessaria, concedo: si sit libera, nego. Quando enim causa libera est, remanet semper ad agendum ex se indifferens & indeterminata. Revera quidem Deus prævidet futurum ut creatura ad agendum seipsam sit determinatura, sed actionem illam præcisè non videt in sua causa creata tanquam in medio, sed eam videt & in seme ipsa objectivè ac terminativè, & in sua divina essentia motivè.

SECUNDA CONCLUSIO.

Deus futura libera naturalis ordinis non videt in suis decretis absolutis ac præmoventibus.

Probatur. Quia futura illa libera naturalis ordinis sunt actiones humanæ quæ vel physicè vel moraliter considerantur; vel bonæ vel malæ sunt: atqui hujusmodi actiones non videt Deus in suis decretis æternis absolutis ac præmoventibus.

I. Quia ad actiones illas physicè consideratas, qualis est v.g. deambulatio & alia hujusce generis, planè superfluum videtur ac inutile decretum

Dei abſolutum ac prærmovens. Siquidem homo plenam habet in ſe ac completam facultatem ad hujuſmodi actiones mediante divino concurſu exercendas, ad quid ergo decretum Dei abſolutum ac prærmovens?

Quæ ratio etiam demonſtrat, neceſſarium non eſſe decretum Dei abſolutum ac phyſicè prærmovens ad actiones moraliter bonas naturalis ordinis.

Et certè rationes illæ ac cauſæ generales in quibus Thomiſtæ fundant neceſſitatem prærmotionis phyſicæ, quas paulò antè attigimus, æquè militant pro malis ac pro bonis actionibus, ut attendenti patebit. Atque ita neceſſe erit in ea opinione 1. Deum ab æterno præfiniiſſe ac decreviſſe actum illum intolerandæ ſuperbiæ, quo Angeli Deo æquales eſſe voluerunt; actum quo Adamus voluit contra legem Dei manducare de fructu vetito; actum denique quo proditor Judas Chriſtum tradere conſtituit. 2. Neceſſe erit ut Deus in executionem ſui decreti in tempore, prærmoveat ac phyſicè prædeterminet Angelum ad actum ſuperbiæ, Adamum ad actum inobedientiæ, Judam ad actum proditionis ac perfidiæ: ex quo manifeſtè ſequitur Deum auctorem eſſe peccati; qui antecedenter ad præviſam voluntatis creatæ determinationem, ſtatuit actus illos fieri & ad illos phyſicè prærmovet, à quibus inſeparabilis eſt peccati malitia. Multò enim magis auctor eſt peccati qui phyſicè movet & applicat voluntatem ad actum peccati, quàm qui moraliter tantùm ſuadet aut præcipit: ſuaſio enim & præceptum ſolùm objectivè movent, eiſque facilè reſiſti poteſt; prædeterminatio verò eſſentiam voluntatis penetrat, & intrinſecus in opus format.

Et verò communis eſt SS. Patrum doctrina, res non ideo futuras eſſe quia cognoſcuntur à Deo, ſed potiùs ideo cognoſci, quòd futuræ ſunt. Verba SS. Patrum inferiùs referemus, cùm quæſtio erit, utrum ſcientia Dei ſit cauſa rerum: quæ quidem SS. Patrum teſtimonia eò efficaciùs premunt Theologos quos hic refellimus, quòd iidem, dum ſtatuunt ſcientiam Dei eſſe rerum cauſam effectricem, ſibique objiciunt indicata ſuperiùs SS. Patrum teſtimonia, reponunt ea non de bonis, ſed de malis actionibus, hoc eſt peccatis, eſſe interpretanda: vide Gonetum diſput. 3. de cauſalitate ſcientiæ Dei art. 3. paragr. 2. Ergo hac ſua reſponſione fatentur ſcientiam Dei mala ſupponere, ea verò non operari; adeoque Deum illa, etiam quoad entitatem ſpectata, certò non intueri in ſuis decretis abſolutis ac prærmoventibus.

Favet manifeſtè S. Auguſtinus cùm aſſerit Deum multa ſcire quæ non prædeſtinat nec facit. Sic loquitur Lib. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 10. *Prædeſtinatio ſine præſcientia eſſe non poteſt: poteſt autem eſſe ſine prædeſtinatione præſcientia. Prædeſtinatione quippè Deus ea præſcivit quæ fuerat ipſe facturus . . . præſcire autem potens eſt etiam quæ ipſe non facit, ſicut quecunque peccata.*

T. 10 p. 803. E.

Pagina 218. E.

Et S. Proſper in reſponſionibus ad capitula Gallorum cap. 15. *Qui præſcientiam Dei*, inquit, *in nullo ab ejus prædeſtinatione diſcernit, quod tribuendum eſt Deo de bonis, hoc etiam de malis conatur adſcribere.*

Multiplex reſpõſio refelletur.

Ad emolliendam hujus ſententiæ duritiem quæ multos certè offendit, multa reſpondent qui hanc ſententiam tuentur.

I. Malitiam ipſam ſeu defectum actionis Deum nec velle nec intendere; imò potiùs eam averſari ac prohibere; ergo peccati auctor dici non poteſt.

II. Deum velle quidem entitatem actus peccati & ad eam prærmovere, non verò deformitatem actus ſeu malitiam, quæ tametſi ſequatur ex ipſa entitate actus,

actus, consecutione, ut vocant, logica seu illationis, non tamen consecutione physica & intrinseca, ex natura ipsa actus quatenus est ens, sed quatenus est à voluntate creata deficiente: unde malitia seu deformitas actus non in Deum refundi debet, sed in creaturam. Quod explicant exemplo motus claudicationis, qui etsi ab anima sit movente & applicante tibiam, defectus tamen seu claudicatio animæ tribui non debet, sed tibiæ. Pariter, inquiunt, cùm scriba movet & applicat manum pueri ad scribendum & ad exarandos caracteres, defectus scripturæ non imputatur magistro moventi & applicanti, sed discipulo deficienti. Ita planè fit in actione Dei præmoventis ad entitatem actus mali.

III. In communi Theologorum sententia Deus concurrit cum creata voluntate ad actum peccati, nec tamen idcircò dicitur peccati auctor & causa. Ergo pariter illius causa dici non debet, licèt ad illum actum voluntatem determinet ac physicè præmoveat. Probatur consequentia, quia non minùs censeri deberet auctor peccati qui ad illud concurrit, quàm qui ad illud præmovet.

IV. Nonnulli ajunt Deum auctorem esse actus peccati, non ut causam moralem, sed ut causam naturalem & physicam: quippè voluntatem movet non imperando aut suadendo malum, sed concurrendo cum illa, sicut cum aliis causis naturalibus.

V. Denique ajunt Deum cognoscere futura peccata in decreto permissivo.

Verùm vim propositi argumenti non elidunt nec imminuunt momenta hæc seu potiùs effugia.

Non primum: Nam qui directè vult actum positivum cui annexa est malitia, ille consequenter censetur velle ipsammet malitiam. Neque alia de causa homo reus est peccati, quàm quòd ad illud opus se determinat, cui adjuncta est deformitas seu malitia moralis. An verò ad peccandum necesse est ut quis malitiam ipsam directè velit? Non ita profectò. Quàm multi enim hac ratione à peccatis excusari possent? An verò putandi sunt Novatores Joannes Hus, Lutherus ac Calvinus idcircò ab Ecclesia proscripti, quòd docuerint Deum directè velle ipsam peccati malitiam? Minimè: sed quòd ipsum opus malum à Deo prædefinitum fuisse dicerent; adeo ut sit proprium ejus opus, non minùs proditio Judæ quàm vocatio Pauli: reverà enim ita est, neque enim Deus magis moveret, in ea sententia, ad bonum & ad vocationem, quàm ad malum. Quid enim est vocatio, nisi illuminatio intellectus, & pia affectio seu motio ad bonum, quam Deus operatur quando voluntatem ad eam determinat ac præmovet? Atqui non minùs determinat eam ad opus malum; ergo non minùs operatur opus malum, quàm ipsam vocationem ad bonum. *Videmus*, ait Calvinus Lib. 1. Instit. cap. 18. n. 4. *ut Deus perfidiam nolendo, defectionem tamen alio fine justè velit*. Per defectionem intelligit opus positivum quo populus defecit à familia David. Idem Pa. 75. multis exemplis ostendere nititur, ea omnia quæ diabolus & impii volunt perversa voluntate, Deum bona voluntate velle, ut ea velint & faciant. Nihilominus tamen omnium Catholicorum judicio, Calvinus reipsa Deum facit peccati auctorem. *A Deo ipso*, ait idem Calvinus cap. citato n. 2. *manat efficacia erroris, ut mendaciis credant qui renuunt parere veritati*. Sed in Pa. 74. opinione quam refellimus, à Deo ipso manat entitas & substantia actus, à qua sejungi ac separari malitia non potest.

Non ſecundum, quod ex mox dictis funditùs ruit: quandoquidem ex entitate actus peccaminoſi v.g. odii Dei, malitia ſequitur, non quidem, ſi volueris, conſecutione metaphyſica vel phyſica, ſed morali, quæ certè in rebus moralibus, qualia ſunt peccata, ſufficit ut malitia ei imputetur qui actum ipſum vult, & ad eum voluntatem movet & applicat. Porrò mala hominis voluntas à Deo non eſt, ut rectè ait S. Auguſtinus Lib. de ſpiritu & littera cap. 31. *Nuſquam legimus in Scripturis*, ait, *Non eſt voluntas niſi à Deo.* 8. 10. p. 116. A. *Et rectè non ſcriptum eſt, quia verum non eſt: alioquin etiam peccatorum, quod abſit, auctor eſt Deus, ſi non eſt voluntas niſi ab illo: quoniam mala voluntas jam ſola peccatum eſt, etiam ſi deſit effectus, id eſt, ſi non habeat poteſtatem.*

Exempla verò adducta accommodata non videntur ad rem præſentem: hic enim non agitur de phyſico defectu, qualis eſt claudicatio, quæ non animæ ipſi moventi, ſed inſtrumento quo anima utitur imputari debet; ſed agitur de morali defectu, qui in cauſam primò moventem & ad illum impellentem refundi debet.

Non tertium: Diſparenim hic ratio eſt concurſus & phyſicæ prædeterminationis. Deus quippè ut cauſa univerſalis, ex pacto quod poſuit, tenetur concurrere cum creatura quoties illa agere voluerit. Inde eſt quòd per Iſaiam cap. 43. Deus conqueratur ſe à peccatoribus adigi ut ſuis ſerviat iniquitatibus: *Servire me feciſtis in peccatis veſtris.* Deus igitur per creaturam determinatur ut cum illa concurrat; è contra verò in ſententia adverſa, Deus præmovet ac prædeterminat creaturam ad agendum. Unde in concurſu actionis deformitas tribui debet cauſæ ſecundæ, non primæ: in ſententia verò præmotionis phyſicæ tribui deberet etiam cauſæ primæ.

Non quartum: Namque licèt Deus non ſit cauſa moralis illius operis, tamen illud cauſat volendo, & voluntariè concurſum determinando, & determinantem præbendo: qui ſanè modus cauſandi ſufficit, ut opus & malitia annexa imputetur ei tanquam auctori; maximè cùm hic modus longè efficacior ſit quàm per imperium vel conſilium.

Non quintum denique, quod non cohæret cum principiis adverſæ ſententiæ. Siquidem decretum illud permiſſivum vel ſupponit decretum abſolutum & prævium de futuro ſaltem materiali actionis peccaminoſæ, vel non ſupponit: ſi ſupponit, ut reverà dici debet ea in opinione, recurrit argumentum, qua nempè ratione fieri poſſit ut Deus non ſit auctor illius peccati? Deinde ad quid utile eſſe poteſt decretum illum permiſſivum? Siquidem ſtante priori decreto præmovente ad materiale peccati, certò ac infallibiliter Deus peccatum futurum cognoſcit. Inutile igitur eſt tale decretum permiſſivum; ac fucum nobis faciunt adverſarii, cùm illud obtendunt ad declinandam invidiam opinionis tam duræ. Si verò decretum poſitivum non ſupponitur, ruit totum præmotionis phyſicæ fundamentum; ruunt generales illæ rationes & cauſæ, de quibus antea diximus: nempè ex parte Dei, titulus cauſæ primæ cauſæ univerſaliſſimæ, primi moventis &c. ex parte verè creaturæ, dependentia ipſius omnimoda à Creatore, ejus potentialitas & indeterminatio &c. Præterea, decreta Dei abſoluta & phyſicè præmoventia aliud involvunt graviſſimum incommodum, ruinam ſcilicet humanæ libertatis, quæ ſtare non poteſt cum neceſſitate antecedente & ineluctabili quam imponunt decreta prævia, abſoluta & phyſicè præmoventia: fruſtrari etenim non poteſt abſo-

luta

lutum Dei decretum; ac necesse est illud adimpleri, & quidem necessitate prævia & antecedente voluntatis determinationem, quam quidem decretum illud facit, non supponit.

Scimus tritam & communem responsionem, Deum scilicet sua præmotione conservare modum agendi liberè creatæ voluntatis, cùm res præmoveat modo earum naturæ accommodato; necessarias quidem necessario, liberas libero. At scimus etiam difficile prorsus intelligi, qua ratione conservari possit modus agendi liberè, cùm voluntas seipsam non determinet, sed ab alio physica & antecedente motione invincibili & insuperabili applicatur & determinatur ad agendum: nullus profectò est qui clarè istud concipiat. Mysterium est, inquies, concordia libertatis cum divinis decretis, fateor: sed vel mysterium illud utcunque explicari potest, & sublevari mens humana in eo intelligendo; vel non potest. Si non potest, ut quid in eo exponendo laborat & defatigatur Theologorum industria? Si verò utcunque potest, æquitas & ratio postulat, ut rejecto illo explicandi modo qui de facto rem non explicat sed magis involvit, alter seligatur qui salvis fidei juribus apertior est ac facilior, aut saltem minores secum trahit difficultates. Sed isto jam sepositò argumento, de quo recurret infrà dicendi locus, ubi de scientia media in utramque partem disputabimus, sit

TERTIA CONCLUSIO.

Deus futura libera naturalis ordinis certò cognoscit in sua essentia, tanquam specie intelligibili in repræsentando infinita.

Patet ista Conclusio ex jam dictis & probatis. Si enim Deus ea non videt, neque in eorum causis, neque in decreto absoluto ac præmovente, necesse est ut ea videat quemadmodum & possibilia, in sua nempè essentia, tanquam specie intelligibili infinita in repræsentando.

Hoc modo Deus peccata cognoscit, terminativè, ut ajunt, & objectivè in sua essentia; non quidem directè ac ratione sui, sed indirectè seu ratione boni, in quantùm scilicet, bono cognito, ipsius privationem, nempè malum, prænoscit.

QUARTA CONCLUSIO.

Deus futura libera ordinis supernaturalis in statu naturæ seu innocentis seu lapsæ non cognovit in suis decretis absolutis physicè præmoventibus.

Probatur. Quia hujusmodi decreta in nullo naturæ statu, seu innocentis seu lapsæ, videntur admittenda:

Non in statu innocentiæ, (quod ultrò fatentur Augustiniani seu Janseniani, reclamantibus licèt Thomistis) quia videtur hæc esse mens & doctrina S. Augustini, qui discrimen utriusque status in eo maximè reponit, quòd Adamus innocens opus dumtaxat habuerit auxilio *sine quo non*, seu gratia versatili ejus libero arbitrio permissa; Adamus verò lapsus opus habuerit auxilio *quo* seu efficaci, quod dat non tantùm posse benè agere, sed reipsa benè agere;

non tantùm posse perseverare; sed etiam actu perseverare: quod argumentum prolixè versat S. Augustinus Lib. de corrept. & grat. cap. 11. Unde in statu innocentiæ Deus prævidit quid homo facturus esset, non præ-
To 6. p. 236. B. definivit nec præordinavit. *Primum hominem*, ait S. Augustinus in Enchiridio cap. 104. *Deus in ea salute, in qua conditus erat, custodire voluisset . . . . si ad permanendum sine peccato, sicut factus erat, perpetuam voluntatem habiturum esse præsciisset.*

Non in statu præsenti, quia hujusmodi decreta absolutè & physicè præmoventia nocent libertati, propter eam quam imponunt antecedentem agendi necessitatem. Verùm quia gravem illam controversiam in utramque partem Quæstione sequenti exposituri sumus, ab ista prima probatione ulteriùs hic urgenda supersedemus.

Probatur itaque Conclusio alia ratione: quia nempè decretum illud non potest esse medium priùs cognitum in quo futura libera cognoscantur, quod priùs concipi & cognosci non potest quàm ipsæ creaturæ ad quas terminatur: atqui tale est decretum Dei liberum. Implicat enim priùs cognosci decretum liberum, quàm cognoscantur ea per quæ constituitur ut distinctum ab actu necessario: sed non potest cognosci ut distinctum ab actu necessario, priusquàm cognoscantur creaturæ ad quas terminatur, siquidem distinguitur ab actu necessario per illam solam connotationem ad creaturas; ergo creaturæ non cognoscuntur in decreto tanquam medio priùs cognito, sed simul; non tantùm tempore, sed natura. Creaturas autem simul cum decreto cognosci, quid aliud est, quàm in seipsis cognosci objectivè ac terminativè; in essentia verò Dei, ut jam diximus, tanquam specie intelligibili in repræsentando infinita?

Quo in medio Deus futura libera conditionata cognoscat.

Certam esse & infallibilem in Deo futurorum sub conditione scientiam, jam suprà demonstravimus: de medio autem in quo Deus ea cognoscat, hìc controversia excitatur maximè cum Thomistis.

Observandum autem 1. inter futura conditionata alia esse quorum conditio aliquando est ponenda: talis fuit subversio seu idololatria Judæorum, in quam casuros illos Deus prædixerat Exodi 34. v. 16. si uxoribus gentilibus miscerentur; quod reipsa contigisse refertur Lib. 3. Reg. 11. Alia verò quorum conditio nunquam ponenda fuit: talis est conversio Tyriorum ac Sidoniorum, ex hypothesi quòd ea Christi miracula apud eos fierent, quæ facta fuerant apud Corosaitas & Bethzaiditas; quæ hypothesis seu conditio impleta nunquam fuit.

Rursus conditionem, sub qua res futura prævidetur, vel pendere è causis necessariis ac naturalibus, spectato naturæ cursu ordinario, qualis fuit prædictio mortis Ezechiæ, cui Isaias cap. 38. v. 1. dicebat: *Dispone domui tuæ, quia morieris tu & non vives.* Nempè spectata causarum naturalium dispositione quæ mortem illam exigebat, & certò intulisset, si non fuisset à Deo mutata & interrupta; vel pendere à causis liberis, qualis fuit conversio Tyriorum & Sidoniorum, quæ tùm à libera Dei voluntate miracula patrante & gratiam largiente, tùm ab ipso voluntatis illo usu libero, ex divina gratia, consensu dependebat.

Ite-

Iterum conditio sub qua res futura est, vel pendet à solo Deo, ut prædicatio Evangelii, miracula, gratia &c. vel à sola creata voluntate, ut cùm interroganti David, an, si in urbe Ceila maneret, veniret Saul, & in ejus manus à Ceilitis traderetur, Deus respondit, *Descendet*, *tradent*: vel à Deo & à creata voluntate, qualis est consensus quem voluntas gratiæ moventi & excitanti liberè præbet: pendet enim consensus ille, & à gratia quam Deus liberaliter largitur, & à consensu voluntatis ex gratia. Est quippè dogma fidei, gratiæ, quantumcumque efficax supponatur, voluntatem liberè semper consentire, eique posse dissentire si velit: ita Conc. Trident. sess. 6. Can. 4. Non hic agitur de illis futuris quorum conditio pendet aut ex causis naturalibus & necessariis, aut ex sola creata voluntate, sed de iis quorum conditio pendet potissimum à Deo & à creata voluntate.

Observandum 2. cum Goneto disput. 5. de scientia conditionatorum art. 2. decretum posse duobus modis dici conditionatum: primò ex parte subjecti, quando aliquis quamdam habet velleitatem, non tam de objecto ipso, quàm de voluntate efficaci habenda circa illud, si conditio poneretur; ut si quis dicat, Vellem venari, si hoc liceret Clerico: hac enim loquendi ratione non significat se actu habere voluntatem venandi, sed se illam habiturum, si licita esset Clerico venatio. 2. Ex parte objecti; cùm nempè actu voluntas quædam est positiva & efficax ex parte volentis, suspenditur tamen effectus ejus donec ponatur conditio; ut si dixerim, Volo dare Petro centum nummos, si cras me convenerit: voluntas illa est vera & absoluta ex parte subjecti seu volentis, conditionata dumtaxat ex parte objecti.

Quæritur ergo an sint in Deo decreta absoluta quidem ex parte ipsius, sed conditionata ex parte objecti, in quibus futura conditionata libera Deus certò cognoscat.

Affirmant Thomistæ, rati decreta conditionata ex parte subjecti, quæ velleitatem dumtaxat & quandam actus suspensionem designant, Deo prorsus indigna esse ob eam quam involvunt imperfectionem: è contrà multi Theologi sentiunt non quidem esse in Deo velleitatem & actus suspensionem, sed decretum illud conditionatum sic explicant, ut sit pars conditionis sub qua res futura esset, si poneretur illa conditio, v.g. salvi facti fuissent Tyrii, si Deus voluisset apud eos Evangelium prædicari, & gratiam ipsis concedere ad credendum necessariam: decretum autem istud conditionatum, *si voluisset Deus*, est pars conditionis sub qua Tyrii fuissent ad fidem conversi.

Quam visa autem Theologi quotquot rejiciunt absoluta & antecedentia Dei decreta & gratiam ex se se efficacem, concordes ferè sint in admittenda scientia media, non tamen omnes conveniunt de medio in quo Deus futura conditionata intuetur. Molina & Becanus volunt Deum ea cognoscere in causis secundis, & in quadam eminentissima cognitione liberi arbitrii, quam super comprehensionem vocant. Suares & Fonseca, in decreto ut futuro in sequenti signo rationis. Theophilus Raynaudus in voluntate humana nudè ac solitariè sumpta: alii autem in veritate objectiva rerum, quam dicunt habere antecedenter ad decretum & independenter ab illo. His præmissis sit

CONCLUSIO.

Deus futura libera conditionata non videt in decretis absolutis ex parte sui, & conditionatis dumtaxat ex parte objecti.

Probatur 1. ex S. Augustino L. de prædest SS. cap. 10. ubi manifestè docet,
T. 10. p. 803. B. ea Deum præscire quæ non prædestinat, id est absolutè non decernit, v. gr. peccata. *Prædestinatio est*, inquit, *quæ sine præscientia esse non potest: potest autem esse sine prædestinatione præscientia. Prædestinatione quippè Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus: unde dictum est, Fecit quæ futura sunt. Præscire autem potens est etiam quæ ipse non facit sicut quæcunque peccata.* Ergo Deus futuras conditionatè malas hominum actiones non cognoscit in decreto absoluto ex parte sui, & conditionato ex parte objecti.

Respondent Thomistæ, Deum malitiam quidem seu deformitatem actionis non videre in suo decreto prædefiniente & absoluto, sed in decreto dumtaxat permissivo; entitatem verò seu materiale peccati videre in suo decreto absoluto ac prævovente.

Sed contra 1. Si Deus prædefinivit voluntatem malam secundùm totam illius entitatem positivam, non solùm videt in sua prædestinatione materiale voluntatis malæ sed etiam formale: atqui hoc apertè pugnat cum doctrina S. Augustini mox relata; disertè enim S. Doctor declarat Deum præscire tantummodò in sua prædestinatione, ea quæ ipse facturus est. Sequela majoris propositionis videtur manifesta: non potest enim Deus videre in sua prædestinatione totam entitatem positivam illius voluntatis seu actionis malæ, quin simul videat illam malitiam & deformitatem quæ huic entitati annexa est; atque decretum permissivum, ad quod illi recurrunt, hic planè superfluum ac inutile videtur, quandoquidem vi præcedentis decreti absoluti tota entitas actionis malæ futura est, ac nexu necessario ejus malitia & deformitas.

II. Quidquid Deus prædestinat, illud hominibus donat, & facit ut homines id faciant, ut docet S. Augustinus Libro mox citato cap. 9. ubi pro eodem
Ibid. A. usurpat, *fieri aliquid Deo prædestinante, & fieri Deo donante.* Atqui Deus non donat hominibus voluntates malas secundùm positivam illarum entitatem.
T. 7. p. 124. A. *Nam*, ut docet idem S. Augustinus L. 5. de Civitate Dei cap. 9. *sicut omnium naturarum Creator est*, (Deus) *ita omnium potestatum dator, non voluntatum. Malæ quippè voluntates ab illo non sunt; quoniam contra naturam sunt, quæ ab illo*
T. 10. p. 116. A. *est.* Et Lib. de spir. & litt. cap. 31. *Nusquam legimus*, inquit, *non est voluntas nisi à Deo. Et vetè non scriptum est, quia verum non est: alioquin etiam peccatorum, quod absit, auctor est Deus, si non est voluntas nisi ab illo.* Quòd si Deus donaret malas voluntates secundùm totam entitatem positivam, esset dator omnium voluntatum, sicut est dator omnium potestatum.

Altertum S. Augustini testimonium petitur ex L. de dono pers. cap. 9. ubi
Ibid. p. 832. E. sic loquitur. *Numquid possumus dicere Tyrios & Sidonios talibus apud se virtutibus factis credere voluisse, aut credituros non fuisse, si fierent? Cùm eis ipse Dominus attestetur, quòd acturi essent magnæ humilitatis pœnitentiam, si in eis facta*
Ibid. p. 834. B. *essent divinarum illa signa virtutum.* Cap. verò 11. addit Deum occulto quidem sed justo judicio, noluisse ea signa fieri apud Tyrios & Sidonios. Prævidit

vidit ergo Deus futuram Tyriorum conversionem sub conditione, si nempè Christi miracula viderent, quæ viderant Corosaitæ & Bethsaiditæ: atqui futuram illam conditionatè Tyriorum conversionem non vidit Deus in decreto absoluto ex parte sui & conditionato ex parte objecti. Namque apud S. Matth. cap. 11. non simplex continetur prædictio futuræ Tyriorum conversionis, sed etiam objurgatio incredulitatis Judæorum comparatione facta ad Gentiles; quæ certè justa non videretur, ac promptam habuisset ex parte Judæorum excusationem, nempè, idcircò Tyrios credituros prævideri, quòd Deus absoluto decreto futuram sub conditione illorum fidem prædefiniisset, quibus & contulisset auxilia gratiæ ex sese efficacia; se verò non credidisse, quia istis efficacibus adjumentis destituti, sibimetipsis quasi derelicti fuissent. Verùm de hoc argumento plenius infrà, cùm de scientia media disseremus.

Tertium S. Augustini testimonium petitur ex L. 1. ad Simplic. q. 2. ubi sic loquitur. *Non jam similiter verum est. Igitur non miserentis est Dei, sed volentis atque currentis est hominis: quoniam non potest effectus misericordiæ Dei esse in hominis potestate, ut frustra ille misereatur, si homo nolit; quia si vellet etiam ipsorum misereri,* (qui vocati non veniunt) *posset ita vocare quomodo illis aptum esset, ut & moverentur & intelligerent & sequerentur.* Et paulò post: *Item verum est, Non est volentis neque currentis, sed miserentis est Dei: quia etsi multos vocet, eorum tamen misereatur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est ut sequantur. Falsum est autem, si quis dicit, Igitur non miserentis est Dei, sed volentis atque currentis est hominis: quia nullius Deus frustra misereatur: cujus autem misereatur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere ut vocantem non respuat.* To. 6. p. 95. D. ibid. E.

Ex his S. Augustini verbis liquidò conficitur, Deum certò atque infallibiliter nosse quomodo sit quisque vocandus, ut vocantem non respuat, sed intelligat, moveatur, & divinæ vocationi obtemperet: at scientia illa per quam Deus novit quomodo sit quisque vocandus ut vocantem non respuat, sed sequatur, est scientia conditionata per quam Deus antecedenter ad omne decretum prædefiniens, infallibiliter novit hunc hominem consensurum, si tali aut tali vocatione præveniatur; ergo datur in Deo scientia conditionata consensus ab homine liberè ponendi, antecedens omne decretum Dei prædefiniens.

Minor sic demonstratur. Deus, ait S. Augustinus, *si vellet etiam ipsorum misereri* (qui scilicet vocati non veniunt) *posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, ut moverentur & intelligerent & sequerentur.* Certum autem est Deum hoc non posse, nisi sciret quomodo sint vocandi ut sequantur & veniant: atqui scientia illa non potest esse scientia absoluta visionis, cùm hæc versetur circa vocationem absolutè dandam, & consensum absolutè ponendum, quorum neutrum fit respectu illorum qui vocati non veniunt, de quibus hic disserit sanctus Doctor; necesse est igitur ut sit scientia conditionata, per quam Deus videt eos qui de facto vocati non veniunt, reipsa venturos & consensuros si tali vel tali modo vocarentur. Hanc porrò antecedere omne decretum Dei prædefiniens, ex iisdem Augustini verbis colligitur; de iis enim qui vocati non veniunt, ait: *Si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare quomodo eis aptum esset ut sequerentur.* Ergo supponit in Deo

actu

actu non esse voluntatem eos ita vocandi, quomodo eis aptum est ut sequantur. Certò tamen novit Deus, futurum ut illi converterentur ac sequerentur, si ita vocarentur; ergo illa Dei scientia est prorsus independens à decreto Dei absoluto & prædefiniente.

Confirmatur: Omne decretum Dei prædefiniens consensum hominis liberum, est voluntas efficax eum vocandi eo modo quo illi aptum est ut consentiat & vocantem sequatur: atqui voluntas illa sive sit absoluta, sive sit conditionata, necessariò præsupponit scientiam in Deo, per quam Deus videat hunc hominem consensurum si tali vel tali vocatione præveniatur. Hæc quippè voluntas dirigi debet per aliquam scientiam; non enim cæco & præcipiti modo hanc prædia vocationem eligit: non potest autem alia in Deo assignari scientia per quam dirigatur, præter illam per quam Deus infallibiliter novit hunc hominem consensurum, si tali vel tali vocatione præveniatur; ergo decretum omne prædefiniens sive sit conditionatum sive absolutum, præsupponit in Deo hujusmodi scientiam; ergo hæc est independens ab omni decreto prædefinienti; ergo futura libera conditionata Deus non videt in suis decretis absolutis ex parte sui, & conditionatis ex parte objecti.

Probatur 2. his gravissimis momentis.

I. Hujusmodi absoluta & positiva decreta pro re nunquam futura, illusoria planè ac nugatoria videntur; siquidem decretum absolutum ac positivum de aliquo futuro ex conditione quæ tota pendet à decernente Deo, quam tamen statuit non ponere, illusorium planè ac nugatorium videtur: atqui conditio illa v.g. prædicatio Evangelii apud Tyrios & Sidonios, tota pendebat ex beneplacito Dei, qui tamen decreverat eam non implere, hoc est, non mittere Concionatores Evangelicos, nec operari virtutum signa quæ facta fuerant apud Corosaitas & Bethsaiditas; decretum ergo absolutum & positivum de re futura sub conditione illa non ponenda, planè illusorium ac nugatorium videtur. An non ille illudere ac nugari censendus esset, qui v.g. diceret, Volo dare Petro centum nummos, si me crastina die invisat; statuat tamen ille apud se summo manè è domo sua discedere nec Petrum expectare?

II. Positis illis decretis, Deus circa idem objectum & pro eodem signo contraria & repugnantia vellet; v.g. si statuisset Davidem tradere in manus Saul, si Saul venisset, & simul statuisset ut non veniret Saul; duo enim ista pugnare secum videntur, volo ut tradatur si veniat Saul, nolo tamen ut veniat Saul.

III. Si admittantur ejusce modi absoluta & positiva decreta pro rebus sub conditione futuris, cùm infinita penè sint quæ futura essent si certa quædam poneretur conditio, infinita etiam actu & positivè admittenda forent in Deo decreta absoluta, quæ planè inutilia & otiosa videntur pro rebus quæ nunquam extituræ sunt.

IV. Sufficit pro futuris conditionatis admittere decretum proportionatum conditioni ac naturæ rei futuræ; ergo sicut pro rebus absolutè futuris admittuntur decreta absoluta, ita & pro rebus sub conditionem futuris sufficit decretum conditionatum ex parte Dei, quod sit veluti pars conditionis sub qua res esset futura. Unde accuratiùs & aptiùs loquendo, dicendum scientiam conditionatorum includere conditionatè decretum; non autem decretum esse conditionatum: siquidem ipsummet decretum pars est necessaria conditionis

sub

ſub qua effectus eveniret. V.g. quando Deus prænovit futuram ſub conditione Tyriorum converſionem, non ait Deus, Volo, ut ſi fiant miracula apud Tyrios, ipſi convertantur (reipſa enim noluit ea fieri, ad quid ergo tale decretum?) neque etiam dicit, Vellem, ut ſi fierent miracula, converterentur: velleitates enim illæ ac ſuſpenſiones actus, ſonant aliquam imperfectionem quæ à Deo removeri prorſus debet: ſed ait, Si vellem fieri apud Tyrios miracula, eiſque gratiam concedere quam conceſſi Corozaitis, converterentur. Ubi vides decretum eſſe partem ipſius conditionis ſub qua prævisa fuit Tyriorum converſio.

Atque hac ſuppoſita explicatione, concidunt ea omnia argumenta quibus Thomiſtæ oſtendere conantur nihil omninò futurum eſſe independenter à decreto Dei. Iſtud ultro fatemur ac concedimus: ſed quæſtio eſt inter nos, cujus naturæ ſit iſtud decretum, an abſolutum ex parte Dei & conditionatum ex parte objecti, ut contendunt Thomiſtæ; an verò ſit tantùm decretum conditionatum, hoc ſenſu quòd ſit pars conditionis ſub qua res futura prænoſcitur, ſicut nos opinamur. Decretum quippè, ut jam dictum eſt, proportionari debet naturæ & conditioni rei futuræ: ſi res ſit abſolutè futura, admittendum eſt decretum abſolutum, non quidem antecedens prævisionem rei futuræ ſub conditione, ſed ſubſequens: ſi verò ſit futura dumtaxat ſub conditione nunquam ponenda, ſufficit decretum conditionatum ſenſu mox dicto; id eſt, quod ſit pars conditionis ſub qua res futura eſt.

Dices: Eſt in Deo vera & ſincera voluntas antecedens ſalvandi omnes: ſed hujuſmodi voluntas abſoluta eſt ex parte Dei, & conditionata ex parte creaturæ; ergo rejicienda non ſunt decreta quæ ſint abſoluta ex parte ſubjecti, & conditionata ex parte objecti.

Reſp. Diſtinguo min. Hujuſmodi voluntas abſoluta eſt ex parte Dei & conditionata ex parte creaturæ, ita ut conditio à ſolo Deo non pendeat, ſed etiam à creata voluntate; ac Deus quantùm eſt ex ſe conditionem impleat, dando aut ſaltem offerendo media quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem aſſequendam, concedo: ita ut conditio pendeat à ſolo Deo abſque ullo ex parte creatæ voluntatis influxu, nego. Diſtinguo conſeq. Ergo non ſunt rejicienda decreta abſoluta ex parte Dei & conditionata ex parte creaturæ, quando conditio non pendet à ſolo Deo, & Deus, quantùm eſt ex ſe, conditionem illam implet aut paratus eſt implere, dando vel offerendo media neceſſaria ad ſalutem conſequendam, concedo: quando conditio à ſolo Deo pendet, nego.

Itaque vera eſt in Deo, ſincera & beneplaciti voluntas ſalvandi omnes, *cujus effectus*, ait S. Thomas in 1. Sent. diſt. 46. qu. 1. art. 1. *eſt ipſe ordo in finem ſalutis, & promoventia in finem, omnibus communiter propoſita tam naturalia, quàm gratuita*. Sed illa voluntas vera & ſincera ex parte Dei, conditionem involvit ex parte creaturæ, ſi nempè voluerit oblatam ſibi gratiam non reſpuere, ac divinis mandatis obſequi. *Non ego, ſed gratia Dei mecum*, ait Apoſt. 1. Cor. 15. v. 10. id eſt, ait S. Auguſtinus Lib. de Grat. & lib. arb. cap. 5. n. 12. *non ſolus, ſed gratia Dei mecum: ac per hoc nec gratia Dei ſola, nec ipſe ſolus, ſed gratia Dei cum illo. Ut velimus enim*, ait idem ſanctus Doctor Lib. 1. ad Simpl. q. 2. n. 10. *& ſuum eſſe voluit & noſtrum: ſuum vocando, noſtrum ſequendo*. Et alibi, *Qui creavit te ſine te, non ſalvabit te ſine te*. Cùm igitur conditio ſub qua Deus vult omnium ſalutem, à ſolo Deo

T. 7. p. 403. col. 1. B

T. 12. p. 714. D.

T. 6. p. 93. B.

Deo non pendeat; ac Deus aliunde det omnibus, aut saltem paratus sit dare quæ sunt ad salutem necessaria, consequenter agnosci debet in Deo voluntas antecedens vera, realis, positiva ex parte Dei, conditionata dumtaxat ex parte creaturæ, pro salute omnium. Verùm quando conditio à solo Deo pendet, aut saltem partim ab illo, partim à creatura, nec Deus ex parte sui conditionem illam vult implere, qualis erat prædicatio Evangelii apud Tyrios & Sidonios, qua posita conversi illi fuissent, certè inutilia ac superflua videntur decreta absoluta de re quam Deus statuit nunquam esse futuram.

ARTICULUS QUARTUS.

An & quæ scientia Dei sit causa rerum effectrix.

OBserva 1. Duplicem generatim in Deo distingui scientiam: unam, quam vocant simplicis intelligentiæ; & alteram, visionis. Quæ quidem distinctio non est ex parte Dei, qui est actus purissimus & simplicissimus: sed ex parte objectorum seu rerum, quæ spectantur vel ut puræ possibiles, & per scientiam simplicis intelligentiæ, vel ut futuræ aut existentes, & per scientiam visionis cognoscuntur.

Observa 2. Agens pure spirituale, qualis Deus est, non operari nisi per intellectum seu scientiam, voluntatem, & omnipotentiam seu imperium; tria eleganter distinguit Tertull. in Apolog. c. 17. *Deus*, inquit, *totam molem* Pagina 16. C. *istam cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum, verbo quo jussit, ratione qua disposuit, virtute qua potuit, de nihilo expressit, in ornamentum majestatis suæ.*

Observa 3. Inter res futuras aut existentes aliquas esse quarum Deus est causa totalis, cujusmodi sunt ista omnia quæ ex nihilo educuntur, pariter infusio gratiæ & donorum supernaturalium; aliquas verò quæ sunt à sola creatura tanquam à causa, ut peccata: denique alias esse, quæ sunt à Deo tanquam à causa principali & primaria, non tamen totali, quia datur causa secunda quæ illas eriam cum Deo immediatè producit, cujusmodi sunt ea quæ fiunt à causis necessariis, quin etiam à liberis, quales sunt omnes actiones bonæ.

Observa 4. Scientiam dici posse rerum causam vel directivam, vel efficientem, quando scilicet dirigit operantem ad opus; qua ratione ars quæ est in mente artificis illum dirigit ad artefactum, ostendendo ipsi & finem & media; vel etiam influendo per veram causalitatem in ipsum opus.

Certum est scientiam Dei esse causam rerum omnium quæ fiunt ab ipso tanquam à causa totali. Proverb. 3. v. 19. dicitur, *Dominus sapientia fundavit terram & stabilivit cœlos prudentia.* Et Psal. 103. v. 24. *Omnia in sapientia fecisti.* Et Sapient. 7. 21. dicitur, *Sapientia omnium artifex.* Quo sensu dicit S. To. 8. p. Augustinus Lib. 15. de Trinit. cap. 13. *Universas creaturas suas & spirituales* 983. G. *& corporales, non quia sunt ideò novit; sed ideò sunt, quia novit. Non enim nescivit quæ fuerat creaturus. Quia ergo scivit, creavit; non quia creavit, scivit. Nec aliter ea scivit creata quàm creanda: non enim ejus sapientiæ aliquid accessit ex eis.*

Certum etiam est, scientiam Dei non esse causam peccatorum quæ sunt à sola creata voluntate tanquam à causa. *Neque enim*, ait S. Augustinus

Lib. 5.

Lib.5. de Civitate Dei cap.10. *ideò peccat homo, quia Deus illum peccaturum præscivit: imò ideò non dubitatur ipsum peccare, cùm peccat, quia ille, cujus præscientia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccaturum esse præscivit.* To.7.p. 125. F.

Certum est denique, scientiam simplicis intelligentiæ, si adjunctum habeat voluntatis decretum, esse causam rerum non tantùm directivam sed efficientem. Psal.103. v.24. *Omnia in sapientia fecisti.* Et Psal.135. v.5. *Qui fecit Cœlos in intellectu.* Ephes.1. v.11. *Operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ.* Circa hæc summa est Scholæ concordia.

Verùm acriter disputant inter se Theologi, an scientia visionis fundata in decreto absoluto sit rerum liberè futurarum causa; ita ut verum sit dicere, res illæ ideo futuræ sunt, quia prævidentur à Deo, particula *quia* veram causalitatem inferente. Affirmant Thomistæ: fatentur illi quidem scientiam simplicis intelligentiæ esse causam rerum in actu primo, sed contendunt scientiam visionis esse causam in actu secundo; non quidem præcisè ut intuitiva est ac visionis (ut ajunt,) sed approbationis. Censent igitur illi scientiam non solùm dirigere Deum in productione creaturarum, sed etiam imperare & exequi immediatè earum productionem per actum imperii formaliter immanentem & virtualiter transeuntem, quod ad eas immediatè dirigitur. Vide Gonetum disp.3. de causalitate scientiæ Dei.

Alii è contra docent, scientiam simplicis intelligentiæ cùm habet adjunctum voluntatis decretum, esse rerum liberè futurarum causam non tantùm directivam sed etiam effectricem, sive id fiat per actum imperii virtualiter distinctum, sive non: scientiam autem visionis, futura non facere, sed supponere non quidem tanquam causam divinæ præscientiæ, sed tanquam veritatem objectivam sine qua non esset in Deo earum ut futurarum præscientia. In hac ergo Theologorum sententia, vera est ista propositio: Non ideo res futuræ sunt quia cognoscuntur à Deo, sed ideò potius cognoscuntur, quia futuræ sunt. Præsens autem controversia magni momenti est ad conciliandam libertatem voluntatis creatæ cum præscientia divina. Ita que cohærenter ad ea quæ superiùs dicta & probata sunt, sit

CONCLUSIO.

Scientia Dei quæ visionis dicitur, non est rerum liberè futurarum causa effectrix.

Probatur 1. ex communi SS. Patrum sententia, nimirum res non ideo esse futuras, quia cognoscuntur à Deo, sed potiùs ideò cognosci, quia futuræ sunt.

S. Justinus seu auctor quæstionum ad Orthodoxos apud ipsum q.58. *Non est,* inquit, *præscientia causa ejus quod futurum est: sed id quod futurum est, est causa præscientiæ: siquidem non præscientiam consequitur futurum, sed futurum consequitur præscientia, & haudquaquam præscius, causa est futuri. Quo circa non Christus causa est proditionis Judæ; verùm proditio est causa Domini præscientiæ.* ExGræcis. Pagina 425. B.

Origenes in caput 8. Epist. ad Rom. *Non propterea erit aliquid,* ait, *quia id scit Deus futurum: sed quia futurum est, scitur à Deo antequam fiat . . . .* P.372. col.2.I.

Non

Non ergo quia Prophetæ prædixerunt, idcircò prodidit Judas: sed quia futurus esset proditor, ea quæ ille ex propositi sui nequitia gesturus erat, prædixerunt Prophetæ.... Ut autem scias non in præscientia Dei unicuique salutis causam poni, sed in proposito & actibus suis, vide Paulum verentem ne fortè cùm aliis prædicaverit, ipse reprobus efficiatur, macerare corpus suum & subjicere servituti.

Ed. Veneriana Pagina 287. D.

Eusebius Lib. 6. Præparat. Evang. cap. 11. *Liberè*, inquit, *quod res est eloquamur, non Dei modò prænotio rerum causa non est, (nec enim quem peccaturum Deus esse prævidit, eum dum reipsa peccat, ad facinus quasi manu deducit:) sed etiam, quod à communi sensu remotius quidem, sed verum tamen est, id ipsum quod futurum est, ejusmodi prænotionis est causa. Neque enim idcircò fit, quòd futurum esse cognoscatur, sed quòd futurum sit, idcircò futurum esse cognoscitur.*

Tom. 1. p. 69. B.

Theodoretus in caput 8. Epist. ad Rom. *Deus*, inquit, *universorum omnia procul videt ut Deus; non tamen huic affert necessitatem ut virtutem exerceat, illi autem ut otiosam vitam agat. Etenim si ad utrumvis eorum ipse vim affert, non jure vel hunc laudat & coronat, vel in illum supplicium decernit.*

Pagina 426. B.

S. Joan. Chrysostomus hom. 60. in Matth. super illud: *Væ mundo à scandalis*, sic loquitur: *Non quia futura scandala prædixit, idcircò evenient, sed quoniam omninò ventura erant, idcircò prædixit. Non enim fierent si ea nollent excogitare nequam homines atque pestiferi: quòd si ventura non fuissent, nec ipse futura prædixisset.*

Ed. no. Tom 1. p. 462. A.

S. Joan. Damasc. Dial. adversùs Manichæos: *Præscit itaque Deus*, inquit, *ea quæ sponte ac liberè acturi sumus.... verùm ut quæ facturi sumus præsciat, hoc à nobis proficiscitur. Nisi enim facturi essemus, ne ipse quidem, quod futurum non esset, præcognosceret. Porrò Deiscientia certa & inviolabilis est: sed ipsa non est causa, cur omninò fiat id quod futurum est: quin potius, quia hoc vel illud acturi sumus, idcircò prænoscit. Multa autem prænoscit quæ ipsi minimè grata sunt, quorumque propterea minimè auctor est. Sicut nec Medicus idcircò morbi causa est, quia futurum prænovit, ut quis in morbum incidat: sed egrotatio quidem ab alia causa proficiscitur quæ morbum parit; Medici verò præscientia ex ipsius arte oritur. Ita pariter id quoque quod à nobis futurum est, Deum causam non habet, sed liberam nostram voluntatem.*

Ex Latinis. Ed. no. Tom 3. p. 121.

S. Hieronymus in illud Isaiæ. *Hoc verbum quod locutus est Dominus ad Moab.* Non, inquit, *quòd præscientia Dei causam vastitatis attulerit, sed quòd vastitas futura Dei majestati prænota sit.* Et in caput 26. Jerem. *Non ex eo quòd Deus scit futurum aliquid, idcircò futurum est: sed quia futurum est, Deus novit, quasi præscius futurorum.*

Ibid. p. 653.

Item in illud Ezech. cap. 2. *Et dices ad eos*, sic ait: *Non quia ille ventura cognoscit, necesse est nos facere quod ille præscivit: sed quod nos propria voluntate sumus facturi, ille novit futurum quasi Deus.*

Ibid. p. 711.

Boetius Lib. 5. de Consolat. Philosoph. prosa 4. postquam asseruit præscientiam esse signum infallibile futurorum eventuum, hæc addit: *Hoc igitur modo etiam si prægnoscitio non fuisset, necessarios futurorum exitus esse constaret. Omne etenim signum, tantùm quid sit ostendit, non verò efficit, quod designat.*

Ed. Basil. pa. 942.

S. denique Augustinus, ut alios benè multos omittamus L. 5. de Civit. Dei cap. 10. contra Tullium divinam præscientiam idcircò negantem, quòd existimaret inde perimi libertatem, probat reipsa divinam præscientiam liber-

libertati noſtræ non nocere. *Neque enim*, inquit, *ideò peccat homo, quia Deus illum peccaturum præſcivit: imò ideò non dubitatur ipſum peccare, cùm peccat, quia ille cujus præſcientia falli non poteſt, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, ſed ipſum peccaturum eſſe præſcivit. Qui ſi nolit, utique non peccat: ſed ſi peccare noluerit, etiam hoc ille præſcivit.* To.7.p. 125. E.

Et Tract.53. in Joan. de Judæorum infidelitate differens, ait, *Deum præſcium futurorum, per Prophetam prædixiſſe infidelitatem Judæorum: prædixiſſe tamen, non feciſſe.* Et paulò poſt. *Fecerunt ergo peccatum Judæi, quod eos non compulit cursus, cui peccatum non placet; ſed facturos eſſe prædixit, quem nihil latet. Et ideo ſi non malum, ſed bonum facere voluiſſent, non prohiberentur & hoc facturi prævideretur ab eo qui novit quid ſit quiſque facturus.* To.3.p. 2. pag. 645. C. ibid. D.

Denique Lib.3. de libero arbitrio c.2.3. & 4. diſputans adversùs Evodium, qui intelligere non poterat quomodo fieri poſſit ut Deus ſit præſcius omnium futurorum, & nos nulla neceſſitate peccemus, reſpondet cap.4. *Neque ipſa præſcientia tua peccare eum cogeret, quamvis ſine dubio peccaturus eſset: non enim aliter id futurum eſſe præſcires .... Ita Deus neminem ad peccatum cogens, prævidet tamen eos qui propria voluntate peccabunt.* Et rurſus ibidem: *Sicut*, inquit, *tu memoria tua non cogis facta eſſe, quæ præterierunt: ſic Deus præſcientia ſua non cogit facienda, quæ futura ſunt. Et ſicut tu quædam quæ feciſti meminiſti, nec tamen quæ meminiſti, omnia feciſti: ita Deus omnia quorum ipſe auctor eſt præſcit; nec tamen omnium quæ præſcit, ipſe auctor eſt. Quorum autem non eſt malus auctor, juſtus eſt ultor.* Ita S. Doctor: quibus in locis exemplo præſcientiæ humanæ, quæ rerum cauſa non eſt, nec conſequenter nocet libertati, probat divinam quoque præſcientiam rerum futurarum cauſam non eſſe, nec cum eadem libertate pugnare. To.1.p. 614. D. ibid. E.

Ad hæc reponunt Thomiſtæ.

I. SS. Patres laudatis teſtimoniis loqui de præſcientia peccatorum, quæ certè Deus ſupponit futura, non facit; non autem de præſcientia bonorum operum, quæ Deus in nobis ac nobiſcum operatur ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ.

Verùm 1. inter laudatos SS. Patres nonnulli generatim & abſolutè loquuntur de præſcientia futurorum, ſive bona illa ſint ſive mala. Ita S. Hieronymus in caput 26. Jeremiæ. Boetius L.5. Conſol. Philoſoph. proſa 4.

2. Ad probandam generalem iſtam theſim, nempè præſcientiam Dei non eſſe cauſam futurorum, frequentiùs illi utuntur exemplo peccatorum, quòd longè faciliùs intelligatur, Deum, qui peccati auctor eſſe non poteſt, ſua præſcientia res futuras non facere, ſed ſupponere futuras.

3. Mens & inſtitutum SS. Doctorum eſt, ut oſtendant ſtare ac conciliari libertatem humanam cum divina præſcientia. Porrò quantùm ad libertatem, par eſt ratio boni & mali operis; & niſi ſupponerent præſcientiam cauſam non eſſe boni ut & mali operis, inſtitutum ſuum ſeu ſcopum non obtinerent: ſtatim enim repoſuiſſent ii quos impugnabant, libertatem perimi ſaltem reſpectu bonorum operum, ſeu eorum quæ peccata non ſunt, quorum præſcientia Dei cauſa foret.

4. S. Auguſtinus Tract.53. in Joan. citato, de bono perindè ac malo loquitur. *Si non malum*, inquit, *ſed bonum facere voluiſſent* (Judæi) *non prohiberentur, & hoc facturi prævideretur ab eo qui novit quid ſit quiſque facturus.*

Ergo

Ergo in mente S. Auguſtini, præſcientia Dei non magis eſt cauſa bonorum quàm malorum; adeoque libertatem hominis non tollit. Et verò S. Doctor utitur comparatione & exemplo tùm præſcientiæ, tùm memoriæ noſtræ quæ rebus quas prævidemus aut quarum recordamur, nullam imponunt neceſſitatem, cùm earum cauſa non ſint: exempla porrò illa apta non forent, niſi S. Doctor exiſtimaſſet generatim præſcientiam divinam non eſſe cauſam rerum quas præſcit, ſicut præſcientia noſtra non eſt cauſa eorum quæ præſcit, neque memoria eſt cauſa eorum quorum meminit. Nam ſi divina præſcientia cauſa eſſet futurorum, facilè potuiſſet Evodius urgere Auguſtinum & dicere, magnum atque latiſſimum diſcrimen intercedere inter præſcientiam per quam Deus præſcit Petrum aliquid facturum, & eam per quam ego idipſum præſcio: Dei enim præſcientia eſt efficax cauſa rei quam præſcit, non autem præſcientia mea neque memoria; ideoque nec mirum ſi mea præſcientia & memoria non tollunt libertatem, quamvis eam nobis eripiat præſcientia divina; ergo ut illa Auguſtini comparatio aliquid roboris habeat, neceſſe eſt ut S. Auguſtinus cenſuerit generatim præſcientiam divinam non eſſe cauſam eorum quæ præſcit.

Reponunt II. SS. Patres loqui de præſcientia ut eſt ſimpliciter ſcientia, non habens adjunctam Dei voluntatem: porrò certum eſt præſcientiam Dei hoc modo conſideratam, non eſſe rerum cauſam. Sed contra eſt, quòd SS. Patres laudati non agant de ſcientia ſimplicis intelligentiæ quæ verſatur circa poſſibilia, ſed de præſcientia per quam Deus certò & infallibiliter videt futura: at hujuſmodi ſcientia includit voluntatem Dei ſine qua nihil eſt futurum. Et certè agunt illi de ea ſcientia per quam Manichæi & aliqui inter infideles cenſebant eripi hominibus libertatem, & induci fatalem neceſſitatem: atqui iſtud non aſſerebant de ſcientia ſimplicis intelligentiæ ſpectata ſeorſum à voluntate Dei, ut perſpicuum eſt, ſed de præſcientia futurorum.

Reponunt III. SS. Patres hoc unum velle, nempè ſcientiam Dei non eſſe cauſam quæ neceſſitatem imponat rebus ſcitis, aut eas fieri cogat.

Fatemur: at unde iſtud probant? Ex eo nimirum quòd ſcientia res futuras ſupponit, non facit; quæ ipſamet eſt noſtra Concluſio.

Reponunt IV. SS. Patres, quando docent præſcientiam non eſſe cauſam rerum quas intuetur, loqui de præſcientia Dei, quatenus præcisè intuitiva eſt rerum futurarum, ſub quo reſpectu earum cauſa dici non poteſt; non verò de præſcientia quæ dicitur approbationis, & habet adjunctum voluntatis divinæ decretum.

Verùm hæc reſponſio nihil juvat adverſarios: namque præſcientia futurorum, quatenus diſtinguitur à ſcientia ſimplicis intelligentiæ, nihil aliud habet, quàm ut res intueatur; ergo non eſt cauſa rerum quatenus diſtinguitur à ſcientia ſimplicis intelligentiæ, eſtque membrum dividens ſcientiam, ſed eas præſupponit futuras. Probatur conſequens ex S. Thoma q. 3. de veritate art. 3. ad 8. ubi ait, *ſimplicem notitiam in Deo dici..... ad excludendum admixtionem ejus quod eſt extra genus notitiæ, ſicut eſt exiſtentia rerum, quam addit ſcientia viſionis, vel ordo voluntatis ad res ſcitas producendas, quem addit ſcientia approbationis*. Quibus verbis apertè diſtinguit S. Doctor ſcientiam viſionis à ſcientia approbationis, quam tamen Thomiſtæ cum ſcientia viſionis gratis omninò & abſque ratione confundunt. Addit inſuper, ſcien-

To. 12. p. 600 col. 1. E

scientiam visionis nihil addere supra simplicem Dei notitiam, id est scientiam simplicis intelligentiæ, præter existentiam rerum quas intuetur: ergo scientia visionis, quatenus distinguitur à scientia simplicis intelligentiæ, nihil aliud includit præter respectum ad res existentes; sub quo respectu, juxta responsionem adductam, non est causa rerum.

Et verò, præscientia divina futurorum includit in suo conceptu essentiali solum respectum ad res ut existentes, si posito illo solo respectu ad res existentes, intelligitur esse in Deo vera futurorum præscientia, absque ullo respectu seu ordine ad voluntatem divinam approbantem: atqui posito illo solo respectu ad res existentes, intelligitur esse, & reipsa est in Deo vera præscientia futurorum, absque ullo respectu ad Dei voluntatem approbantem, siquidem Deus cognoscit, certò futura peccata, quæ nec intendit nec approbat; ergo divina futurorum præscientia nihil in suo essentiali conceptu includit, præter respectum ad res existentes. Quapropter cùm fateantur Thomistæ, Alvares imprimis, præscientiam Dei secundùm illum respectum non esse rerum futurarum causam; dicendum est, scientiam visionis simpliciter & absolutè non esse causam rerum, sed eam quę dicitur approbationis, quęque non pertinet ad essentiam scientiæ ut visionis est, quia hæc sine illa in Deo esse potest; & à S. Thoma loco citato ab illa distinguitur; igitur vel simpliciter negandum est, scientiam visionis esse causam rerum in mente etiam Thomistarum; vel ita exponenda est illorum doctrina, ut sensus sit, scientiam visionis secundùm se & secundùm suum conceptum essentialem per quem à scientia simplicis intelligentię distinguitur, non esse causam rerum, sed tantùm secundùm aliquem respectum quem dicit ad Dei voluntatem approbantem: qui respectus est ei omnino extrinsecus & accidentalis, cùm possit esse in Deo vera scientia visionis, videlicet peccatorum futurorum, sine ullo respectu ad voluntatem approbantem.

Atque ex his duplex eruitur ratio qua Conclusio nostra demonstratur.

Prima, vel scientia visionis est causa rerum præcisè ut visionis est, vel ut est scientia approbationis: atqui neutrum dici potest. Non primum, quia scientia visionis sub hac formali ratione dicit tantùm respectum seu ordinem ad res futuras; ergo illas supponit, non facit. Non secundum, quia Deus certò etiam cognoscit futura, quæ tamen non approbat, qualia sunt peccata; ergo scientia Dei non est rerum causa, neque ut est præcisè scientia visionis, neque ut est scientia approbationis.

Confirmatur, quia non magis pertinet ad scientiam suum objectum efficere, quàm ad potentiam effectivam seu exequentem suum opus intelligere: sed potentia effectiva suum opus non intelligit; ergo nec facultas intellectiva seu scientia suum objectum efficit.

Secunda ratio est, quia libertas creata stare non potest cum ea scientia quæ virtute decreti absoluti & antecedentis est causa futuræ actionis: necesse quippe est necessitate non tantùm consequente & hypothetica, sed absoluta & antecedente, ea fieri quæ Deus absolutè decrevit, voluntas enim absoluta frustrari non potest: atqui scientia visionis virtute decreti absoluti & antecedentis est rerum causa; ergo &c.

Et verò non alio magis efficaci argumento opportunè usi sunt SS. Patres ad conciliandam libertatem cum divina præscientia, quàm quòd non ideo res

futurę ſint quia præſciuntur à Deo, ſed potius ideo præſciuntur quia futuræ ſunt: vim autem hujus argumenti enervant ac penitus elidunt, qui affirmant Dei præſcientiam rerum futurarum cauſam eſſe.

Solvuntur Obiectiones.

Objicies 1. auctoritatem SS. Auguſtini & Gregorii Magni, qui diſertè aſſerunt creaturas ideo exiſtere, quia Deus eas videt.

S. Aug. Lib. 13. Confeſſ. cap. ult. *Nos*, inquit, *iſta quæ feciſti videmus, quia* To.1.p. 244. B. *ſunt. Tu autem quia vides eâ, ſunt. Et nos foris videmus quia ſunt, & intus quia bona ſunt: Tu autem ibi vidiſti facta, ubi vidiſti facienda.*

Et Lib. 15. de Trinit. c. 13. *Univerſas*, inquit, *creaturas & ſpirituales &* To.8.p. 583. G. *corporales, non quia ſunt, ideo novit; ſed ideo ſunt, quia novit. Non enim neſcivit quæ fuerat creaturus. Quia ergo ſcivit, creavit: non quia creavit, ſcivit. Nec aliter ea ſcivit creata, quàm creanda.* Ac ne quis excipiat S. To.7 p. 124. D. Doct. loqui dumtaxat de rebus quas ipſe ſolus efficit, audiatur L. 5. de Civ. Dei c. 9. ubi de iis quæ fiunt etiam à voluntate creata ſic loquitur: *Voluntates noſtræ tantum valent, quantùm Deus eas valere voluit atque præſcivit: & ideo quidquid valent, certiſſimè valent? & quod facturæ ſunt ipſæ, omnino facturæ ſunt: quia valituras atque facturas ille præſcivit, cujus præſcientia falli non poteſt.*

S. Gregorius Magnus Lib. 20. Moralium cap. 32. *Quæque ſunt non in æter-* Ed. no. To.1.p. 667. A. B. *nitate ejus ideo videntur, quia ſunt, ſed ſunt, quia videntur.* Et Lib. 32. c. 5. *Non exiſtentia videndo creat, exiſtentia videndo continet. Quidquid ergo Creator non videt, eſſentia ſubſiſtendi caret.*

Ibid. p. 1050. C. D. Reſp. 1. Hæc Auguſtini & Gregorii Magni teſtimonia non minùs adverſariis noſtris ſolvenda eſſe, quàm nobis; pugnant enim in ſpecie cum aliis teſtimoniis quæ in confirmationem Concluſionis noſtræ adducta ſunt. Neceſſe igitur eſt ut ea exponant Thomiſtæ, maximè cùm illi doceant ſcientiam viſionis, præciſè ut viſionis eſt, ſeu ut eſt intuitiva, res ipſas non efficere ſed nudè dumtaxat eas contemplari: attamen ex mox citatis Auguſtini & Gregorii Magni verbis contrarium inferri videtur.

II. Senſu illativo non cauſali dixere SS. Patres, res ideo eſſe quia videntur à Deo: quia nempe ſi videntur, neceſſaria eſt iſta conſecutio, ergo ſunt: Dei etenim præſcientia falli non poteſt.

III. Non immeritò dici poteſt, res idcirco eſſe, quia cognoſcuntur à Deo; iſto nimirum ſenſu, quòd ſcientia Dei tanquam cauſa dirigens rerum productioni præluceat: nihil etenim ignorans facit Deus. Senſum iſtum videtur innuere S. Auguſtinus citato Lib. 15. de Trinit. c. 13. *Non quia ſunt*, inquit, *ideo novit, ſed ideo ſunt quia novit. Non enim neſcivit quæ fuerat creaturus.*

IV. Laudata teſtimonia exponi poſſunt de illa Dei ſcientia qua ſolus res aliquas operatur, quæ merito earum cauſa dici poteſt.

V. denique, cùm aliqui è SS. Patribus aſſerunt idcirco res eſſe quia videntur à Deo, intelligendi ſunt, non de ſcientia viſionis, ſed de illa quæ dicitur ſimplicis intelligentiæ, quæ decretum præcedit cujus directiva eſt. Cùm verò dicunt alii res non ideo eſſe quia cognoſcuntur à Deo, ſed ideo cognoſci quia ſunt; intelligendi ſunt de illa cognitione ſeu ſcientia quæ ſequitur divinum decretum,

cretum, & res intuetur quas non facit, sed supponit virtute decreti seu voluntatis divinæ factas vel faciendas; atque hac ratione in concordiam adduci facilè possunt, quæ ex SS. Patribus in speciem contraria proferunt.

Objicies 2. Præter cognitionem quę dirigit voluntatem Dei, proponendo ipsi finem operationis & modum operandi, & Dei decretum quo intendit effectum aliquem producere, aut solus aut cum causa secunda, datur insuper ex parte intellectus divini, actus consequens illud decretum qui intimat & exequitur id quod voluntas intendit, seu actus imperii. Sed actus ille est verbum illud de quo dicitur in sacris paginis, *Verbo Domini cœli firmati sunt. Ipse dixit & facta sunt*; ac proinde est causa rei quæ fit. Porrò actus ille pertinet ad intellectum, & est ipsamet scientia visionis, respicit enim rem ut existentem; ergo scientia visionis est causa rei quam intuetur.

Resp. 1. nego ant. Inutilis enim videtur actus ille imperii distinctus à scientia & voluntate Dei. Cùm enim voluntas Dei sit efficacissima, non indiget ulteriori comprincipio ut operetur; atque voluntas est illa ipsa dictio, seu verbum, quo Deus initio mundi dixit, *Fiat lux, & facta est lux*. In creatura quidem intellectuali, actus intellectus, qui dicitur imperium, admittitur, quia nempe potentia executiva in nobis distinguitur à voluntate per quam aliquid fieri volumus; unde opus est ulteriori actu, qui potentiæ executivæ intimet id quod voluntas intendit: at in Deo, etiam fatentibus Thomistis, non est potentia executiva distincta à scientia & voluntate; ergo inutilis est actus imperii distinctus.

Resp. 2. quòd etsi concederetur esse in Deo actum imperii distinctum à scientia & voluntate, non tamen adhuc obtinerent ad versarii quod hìc intendunt, nempe scientiam visionis esse illum ipsum actum imperii: siquidem est in Deo scientia visionis sine ullo actu imperii, scientia nempe peccatorum quæ Deus nec intendit nec imperat; ergo scientia visionis in actu imperii non consistit. Quod verò additur actum illum respicere rem existentem, falsum videtur; respicit enim Dei voluntatem antecedentem quam intimat: æquivalet enim isti propositioni, voluntas Dei est ut opus hoc fiat.

Objicies 3. Illa scientia non potest esse causa rei futuræ, quæ rem non cognoscit ut futuram vel existentem: atqui scientia simplicis intelligentiæ non cognoscit res ut futuras vel existentes, id enim proprium est scientiæ visionis, sed tantùm eas cognoscitur ut possibiles; ergo &c.

Resp. 1. Retorqueri posse adversùs ipsos Thomistas argumentum istud; quandoquidem agnoscunt illi scientiam simplicis intelligentiæ esse rerum causam in actu primo. Deinde, quando res aliqua producitur à Deo, datur in Deo cognitio dirigens voluntatem, hoc est, proponens finem ob quem res illa fieri potest, modum eam efficiendi, & totam ipsius naturam: datur insuper voluntas decernens seu intendens efficaciter rem illam fieri; ac demum, juxta Thomistas, actus imperii ex parte intellectus intimans & exequens illud Dei decretum. Quæro igitur an illa cognitio prælucens decreto efficaci divinæ voluntatis sit scientia simplicis intelligentiæ, an visionis, an alterius generis? Non potest dici scientia visionis, quia sic considerata non respicit

picit rem ut existentem, sed ut possibilem; & aliunde antecedit decretum Dei, quod scientia visionis consequitur. Neque etiam concedunt Thomistæ, esse tertium aliquod scientiæ membrum, cùm illi existiment divisionem scientiæ Dei in scientiam simplicis intelligentiæ & visionis adæquatam esse; superest igitur ut illa cognitio sit scientia simplicis intelligentiæ & tamen repræsentat rem quæ reipsa existet aliquando, licèt illam non repræsentet ut existentem, sed ut possibilem.

Resp. itaque 2. scientiam simplicis intelligentiæ versari circa res quæ aliquando existunt, licèt non terminetur nec respiciat illarum existentiam, sicut scientia visionis. Scientia igitur simplicis intelligentiæ repræsentat naturam rerum, & modum quo fieri possunt & debent; ac res quæ futuræ sunt respicit, non quidem ut futuras vel existentes, sed ut possibiles.

Instabis. Cognitio quæ prærequiritur ex parte Dei ad productionem rei cujuspiam, debet repræsentare illius existentiam; debet enim repræsentare illud quod Deus producit, alioqui Deus ageret cæco modo: atqui scientia simplicis intelligentiæ formaliter sumpta, quatenus distinguitur à scientia visionis, non repræsentat existentiam rerum quæ fiunt, hoc enim convenit scientiæ visionis; ergo non solùm scientia simplicis intelligentiæ, sed etiam scientia visionis est illarum causa.

Resp. Scientiam simplicis intelligentiæ formaliter sumptam repræsentare rei cujusque existentiam, quatenùs est in potentia suæ causæ: cognoscit enim Deus per eam scientiam, se posse dare esse seu tribuere actualem existentiam tali rei; atque ita non agit cæco modo dum ei tribuit esse, sed agit cum perfecta cognitione totius esse quod tribuit, quamvis non repræsentet illud ut actu positum, sed quatenus potest actu produci.

ARTICULUS QUINTUS.

De variis scientiæ Dei divisionibus.

ETsi unica sit eaque simplicissima Dei scientia, utpote quæ ab ejus natura non distinguitur, pro varietate tamen objectorum & rationis formalis sub qua objecta illa diversa considerat, multiplex à Theologis solet assignari scientiæ Dei divisio.

Dividitur 1. in necessariam & liberam. Necessaria dicitur quę antecedit omne Dei decretum, & appellatur scientia naturalis, quæ pro objecto habet Deum ipsum & res merè possibiles: libera, quæ supponit liberum voluntatis divinę decretum, quę versatur circa res contingentes, nempe creaturas vel existentes vel aliquando futuras.

Dividitur 2. in speculativam & practicam. Prior ea dicitur quæ in nuda objecti cognitione quiescit, nihil agendo; talis est cognitio qua Deus semetipsum & res omnes possibiles intuetur: posterior verò ea dicitur, quæ operando & efficiendo res creatas cognoscit.

Dividitur 3. in scientiam approbationis & improbationis. Priori, Deus bona respicit quæ probat & imperat: posteriori verò, peccata quæ prohibet & improbat.

Dividitur 4. & omnium celebratissima est divisio in scientiam simplicis intelligen-

telligentiæ & visionis. Scientia simplicis intelligentiæ versatur circa res merè possibiles, sub ratione præcisa possibilitatis, abstrahendo ab omni futuritione & existentia: antecedit hujusmodi scientia omne Dei decretum. Scientia verò visionis versatur circa res vel existentes, vel aliquando futuras: supponit hujusmodi scientia decretum Dei absolutum; nihil quippe existit, aut aliquando futurum est independenter à Dei voluntate.

Circa postremam hanc divisionem famosa est in Scholis controversia, à centum & ampliùs annis non sine magno animorum æstu agitata, utrum nempe adæquata illa sit, ac tertium quoddam membrum scientiæ, quæ media dicitur, omnino excludat: de qua famosa quæstione juvat hic disputare.

Utrum admittenda sit scientia quæ sit media inter scientiam simplicis intelligentiæ & visionis.

Quid sit scientia media.

Scientia media est scientia conditionatorum independens ab omni decreto Dei absoluto & efficaci, eoque anterior.

Ostendimus antea, esse in Deo certam & infallibilem rerum sub conditione futurarum scientiam, qua de re consentiunt ferè omnes Theologi pauciſſimis exceptis. Scientia porrò illa, per quam Deus futura sub conditione cognoscit, media dicitur, eò quòd medium veluti locum occupet inter scientiam simplicis intelligentiæ & scientiam visionis: quia nempe objectum illius neque est merè possibile, neque absolutè futurum, sed quod futurum esset, si aliqua conditio poneretur. Talis est conversio Tyriorum & Sidoniorum, quam Christus futuram fuisse prædixit, ex hypothesi quòd apud ipsos ea miracula patrarentur quæ patrata fuerant apud Corosaitas & Bethsaiditas.

Porrò ea scientia conditionatorum independens à decreto Dei actuali & absoluto, sic mediat inter scientiam simplicis intelligentiæ & visionis, ut aliquid ex utraque participet. Nam in hoc convenit cum scientia simplicis intelligentiæ, quòd sit in Deo independenter ab omni decreto libero actu existente; & idcirco non dicitur scientia libera, sed naturalis, quemadmodum ipsa scientia simplicis intelligentiæ. In hoc verò imitatur scientiam visionis, quòd, sicut ista, versetur circa veritates contingentes, quæ possunt esse vel non esse.

Nullius, aut saltem parvi admodum momenti foret istæc controversia, si in eo tantùm reponeretur, utrum scientia media distinguì debeat à scientia simplicis intelligentiæ & visionis, vel ad alterutram revocanda: mera quippe videtur esse quæstio de nomine, de qua parum curandum foret. Verùm totius controversiæ cardo versatur circa usum & necessitatem scientiæ mediæ seu conditionatorum, tùm ut Deus (nostro concipiendi modo) dirigatur in suis decretis absolutis formandis; tùm ut concilietur creata libertas cum illis decretis Dei absolutis & efficacibus. Atque eò implicatior videtur nodus ille, quòd maximam habeat & necessariam cum mysterio gratiæ & prædestinationis connexionem: imò pendet integra ejus solutio, ut jam superiùs observatum est, tanquam à sua radice ac fundamento, ex varia circa vim & efficaciam gratiæ sententia.

Opiniones Scholæ.

Jam dudum Scholas exercet præsens controversia, ab anno scilicet 1588. quo primùm in lucem prodiit Liber Ludovici Molinæ è Societate Jesu de Concordia liberi arbitrii cum gratia, in quo systema scientiæ mediæ clarè ac nitidè inter alios evolvit. Molinæ quippe nonnulli jam præluserant. In Hispania Prudentius de Monte major; in Germania Gregorius de Valentia, & in Belgio Leonardus Lessius. Verùm adversùs Librum Molinæ de Concordia, maximè exarsit zelus ac studium Thomistarum. Hinc acris illa disputatio inter Patres Dominicanos ex una parte, & Patres Societatis Jesu ex altera; cujus quidem quæstionis occasione, habitæ sunt celebres illæ Congregationes de Auxiliis coram SS. Pontificibus Clemente VIII. ab anno 1598. usque ad annum 1605. quo extremum diem obiit, & Paulo V. à die 20. Septembris an. 1605. usque ad diem 28. Augusti 1607. quo finis impositus tandem fuit illis Congregationibus; & triduo post, ex mandato Pauli V. partes litigantes dimissæ sunt, ac intra religiosæ modestiæ fines se continere jussæ, nulla sibi invicem inusta erroris nota, nullo etiam à sancta Sede lato eam in rem definitivo Judicio.

Tota igitur Schola in duas omnino partes hìc scinditur: alii usum & necessitatem scientiæ mediæ non tantùm ut inutilem, sed multiplici titulo noxium & in fide periculosum rejiciunt, alii verò admittunt.

I. Sententia quæ est Thomistarum.

Thomistæ, & ii quise vocant Augustinianos, & quotquot gratiam à se efficacem ac decreta absoluta præmoventia in Deo admittunt, ii consequenter scientiæ mediæ usum ac necessitatem in præsenti saltem naturæ lapsæ statu rejiciunt. Augustiniani quippe eam scientiam ejusque usum admittunt in statu naturæ innocentis, tametsi reclamantibus Thomistis. Et reipsa si gratia hujus status per sese sit efficax, quæcunque tandem sit hujus efficaciæ causa, sive physica Dei motio, ut volunt Thomistæ; sive delectatio relativè superior ac victrix, ut placet Jansenianis; sive congruitas interna cum effectu essentialiter quidem, sed moraliter tantùm connexa, ut aliis videtur, perinde est ad rem præsentem, & funditùs ruit scientia media: vel enim opus bonum est absolutè futurum, & tunc Deus illud videt in suo decreto absoluto & gratia per se efficaci: vel est futurum dumtaxat sub conditione, & tunc Deus illud intuetur in decreto absoluto & efficaci ex parte sui, & conditionato ex parte creaturæ, sicut exponunt Thomistæ, ut dictum est superiùs.

Ordo decretorum Dei in systemate Thomistarum.

In isto verò systemate hìc fingitur decretorum Dei ordo ac series.

I. Per scientiam simplicis intelligentiæ Deus cognoscit quidquid potest, infinitos v. g. rerum ordines statuere, infinita salutis consequendæ media, id est, infinita & omnis generis ac conditionis adjumenta gratiæ hominibus subministrare, quorum auxiliorum vim & efficaciam in sua sola novit omnipotentissima voluntate: novit etiam inter illa auxilia, aliqua esse non ita efficacia.

II. Voluntate saltem generali & antecedente Deus vult omnium salutem, & sufficientia ipsis auxilia gratiæ subministrare, quibus possint ad salutem pervenire. Juxta communem ferè Thomistarum sententiam voluntas illa Dei antecedens sincera est ac beneplaciti; Jansenistæ verò dicunt esse dumtaxat voluntatem metaphoricam seu signi, & naturalis cujusdam inclinationis.

III. De-

III. Decreto ſuo abſoluto ſtatuit illa auxilia gratiæ ex ſeſe efficacis his vel illis hominibus concedere, aliis verò non concedere, ſed ea tantùm quæ non ita ſunt efficacia. Statuit etiam decreto abſoluto, ex parte ſui & conditionato ex parte creaturæ, hoc vel illud facere, ſi hæc vel illa ponatur conditio ex parte creaturæ. Interim abſoluto & efficaci decreto alios efficaciter ad gloriam & gratiam ex ſeſe efficacem prædeſtinat, alios verò, ſaltem negativè reprobat.

IV. Sequitur ſcientia viſionis, qua Deus intuetur quidquid revera facturus eſt, aut facturus eſſet ſi aliqua poneretur conditio. Si conditio nuſquam ponenda ſit, futurum hujuſmodi non ad ſcientiam viſionis, ſed ſimplicis intelligentiæ pertinet: ſi verò ſit ponenda, futurum illud conſideratur à ſcientia viſionis. Totam igitur ſcientiæ divinæ certitudinem repetunt illi Theologi ex decretis Dei abſolutis, quæ ſcientiam ſemper antecedunt.

Secunda ſententia huic è diametro contraria eorum eſt, qui cùm non capiant quomodo ſtare poſſit humana libertas, & cum decretis Dei abſolutis antecedentibus ac phyſicè voluntatem ad agendum determinantibus, & cum gratia ex ſe ſe hoc ſenſu efficaci, quòd certam, infallibilem ac eſſentialem habeat cum actione hominis connexionem, conſequenter decreta hujuſmodi ac talem gratiam ex ſe ſeu natura ſua efficacem non admittunt; ac exiſtimant, Deum nihil abſolutè decernere circa liberas hominis actiones, quin priùs per ſcientiam mediam cognoverit quid homo facturus eſſet, ſi in his vel illis circumſtantiis poneretur, ſi hæc vel illa gratiæ auxilia ipſi concederentur: quæcumque enim ſupponatur gratiæ vis & efficacia, certum eſt ex fide, voluntatem ſemper poſſe ei diſſentire ſi velit. Antequam igitur, ajunt hujus opinionis patroni, Deus abſolutè ſtatuat ac decernat v.g. converſionem Petri mediante tali gratia futuram, debet priùs prævidiſſe an reipſa Petrus huic gratiæ ſit conſenſurus, cui reipſa poteſt non conſentire. Illa verò ſcientia per quam Deus id prævidet, dicitur ſcientia media, cujus hoc duplex aſſignatur officium, 1. ut Deus dirigatur in ſuis decretis abſolutis formandis. 2. Ut explicetur quomodo ſalva & integra remaneat humana libertas cum decretis Dei abſolutis & gratia efficaci.

II. Sententia priori oppoſita.

Quæ ſint à ſcientia media removenda.

I. Conſenſus etiam ſub gratia non eſt Deo ratio & regula concedendi gratiam.

Procul autem qui fingerent ſcientiam illam Deo motivum ac regulam eſſe concedendi gratiam iis, quos prævidet ea benè uſuros eſſe. Abſit: non ita eſt. Gratia quippe ex mera Dei benignitate ac liberalitate pro beneplacito ipſius confertur: & verò multos eſſe, qui gratiæ, ſi daretur, conſentirent, quibus tamen non datur, vel uno exemplo Tyriorum & Sidoniorum de quibus Chriſtus Matth. 11. fit manifeſtum.

II. Vim & efficaciâ gratiæ non eſſe à libero arbitrio.

Procul non minùs qui dicerent juxta opinionem mox expoſitam, gratiam vim ſuam & efficaciam trahere ex libero arbitrio cui ſubjicerentur: minimè profectò.

Namque efficacia gratiæ ſpectatur vel in actu primo, vel in actu ſecundo. In actu primo conſiderata, eſt ipſa vis innata & intrinſeca gratiæ, qua voluntatem excitare, movere, flectere & allicere poteſt ad benè operandum. *Hoc modo auxilium efficax*, ait Leſſius de Gratia efficaci cap. 10. n. 11. *ſeipſo formaliter allicit & trahit voluntatem ut conſentiat*. Quod quidem ſic ille explicat: *Sicut*, inquit, *liberum arbitrium dum utitur habitu charitatis, nihil ei imprimit, ſed unà cum habitu, & per vires ab ipſo formaliter acceptas influit in*

Efficacia gratiæ in actu primo & in actu ſecundo conſiderata.

opus : ita etiam dum utitur auxilio gratiæ prævenientis , nihil facit circa illud ;
P. 408. *sed cum ipso , & per vires ab eo acceptas , facit opus . Itaque nihil est necesse ut aliquid circa gratiam agat , aut ullam efficaciam illi tribuat ; sed potius ipsa gratia tribuit efficaciam seu vires libero arbitrio ut possit uti gratia , eamque in opus dirigere & efficacem in actu secundo reddere .* Itaque ex ipsomet Lessio , vis & efficacia gratiæ in actu primo non est à libero arbitrio.

Pariter Ludovicus Molina in primam partem S.Th.qu.23.art.4.& 5. disp.1. membro 6. ut eandem , quam nonnulli creabant, à sua opinione invidiam
P.304. col.2.B. propulsset, sic loquitur . *Quando audis , consensum nostrum efficacia reddere auxilia gratiæ , non ita id intelligas , quasi arbitrium nostrum vim aliquam aut efficacitatem tribuat auxiliis ipsis : ut enim in Concordia q.14. art.13. disp.38. & in Appendice in responsione ad tertium Objectionem latè explicatum est, arbitrium & influxus noster nullam vim conferunt gratiæ auxiliis , sed potius auxilia vim & propensionem arbitrio tribuunt ad consensum eliciendum , arbitrium ipsum ad id invitando , alliciendo , atque adjuvando .*

An gratia dici possit efficax in actu secundo ex libero arbitrio.

An verò gratia dici possit efficax in actu secundo ex consensu ipso voluntatis , fatetur Lessius loco citato , id dici posse sine injuria gratiæ : quemadmodum absque injuria gratiæ dixit Apostolus in secunda ad Timoth.Epist. cap.1. v.6. *Admoneo te , ut resuscites gratiam Dei , quæ est in te per impositionem manuum mearum* . Quasi diceret : Otiosam & consopitam gratiam excita in opus, redde efficacem & operativam. Ratio est , quia voluntas gratiæ liberè consentit , cui semper potest dissentire si velit ; ergo accedente illo suo consensu , dici potest reddere gratiam efficacem in actu secundo: hac etenim loquendi ratione non aliud significatur , quàm quòd voluntas gratiæ liberè consentiat .

Verùm quia gratia in opere bono supernaturali præcipuas ac nobiliores partes agit , nostro quidem judicio longè aptiùs & ad vim gratiæ commendandam digniùs , simpliciter & absolutè dici debet liberum arbitrium non reddere gratiam efficacem etiam in actu secundo . *Quia* , ut ait ipsemet Lessius loco citato , *liberum arbitrium non facit id* (hoc est non consentit) *solis naturæ viribus , sed viribus gratiæ junctis viribus naturæ ; ita tamen ut vires gratiæ sint præcipuæ in hoc conatu .*

Cùm autem in ista quæstione à multis audies gratiam in systemate scientiæ mediæ versatilem esse ac libero arbitrio subditam , ab ista loquendi forma , qua ad invidiam ex abusu inducta est, diligenter animo remove quidquid Deo indecens ac indignum menti objicitur : neque enim ita versatilis & libero arbitrio subdita est gratia , ut ab ipso virtutem suam & efficaciam mutuetur , ut jam monuimus ; sed hoc unum intellige , gratiam ex sese seu natura sua , essentialem non habere cum actione voluntatis connexionem: quandoquidem , ut sæpius jam dictum est , nec satis dici potest , semper voluntas libera remanet , ac potest ei dissentire si velit .

Nonulla alia removenda ex systemate scientiæ mediæ.

Procul etiam quicumque in systemate scientiæ mediæ doceret, vel gratiam per liberum arbitrium præveniri , qui error fuit Semipelagianorum, vel aliquid tribuendum esse voluntati ex solis naturæ viribus , quo se discernat : discretio enim est à Deo , non ab homine : Vel auxilium gratiæ prævenientis esse dumtaxat morale , quod per modum objecti voluntatem moveat ; hanc enim gratiæ speciem Pelagius ipse non recusavit ; gratia verò hujusce status

non

non tantùm objectivè per illustrationem, sed effectivè per veram motionem ac physicum influxum voluntatem excitat & juvat ad opus bonum faciendum: Vel opus bonum partim esse à libero arbitrio, & partim à gratia; est quippe actione indivisa & simultanea totum à gratia, & totum à libero arbitrio; *Non ego, sed gratia Dei mecum*: Vel liberum arbitrium priùs natura operari, quàm gratia cooperetur; si enim ita esset, liberum arbitrium gratiam anteverteret, saltem prioritate naturæ, quod falsum est: influxus quippe gratiæ in opus, est simul natura & à Deo & à libero arbitrio. Quapropter si supponerentur duo adulti in iisdem circumstantiis constituti, iisdemque gratiæ auxiliis instructi, quorum unus converteretur, alter verò non converteretur; eo in casu cave dixeris, eum qui convertitur, ex sola sua libertate converti: quia non sine gratia simul operante converteretur, sine qua nunquam ille converteretur aut converti posset; vel nullam dari aut necessariam esse gratiam efficacem seu gratiam actionis; *Dat enim Deus velle & perficere pro bona voluntate.*

Procul etiam qui diceret, Deum futuras liberas actiones non videre in voluntate humana determinata per gratiam, sed in potentia liberi arbitrii ut in causa. Cùm enim potentia liberi arbitrii sit ex sese indifferens & indeterminata, ante determinationem futuram à Deo prævisam fundare non potest certitudinem scientiæ divinæ respectu futuri. Vel denique qui diceret gratiam ita esse versatilem, omnibusque communem & æqualem distribui, ut nulla major sit Dei pro electis quàm pro aliis prædilectio.

His itaque exclusis & rejectis, ac in tuto positis tùm necessitate gratiæ ad singulos pietatis actus: tùm ejus gratuitate, quam nullo actu naturali, nullis ex sola natura dispositionibus aut conatibus potest quisunquam promereri, aut certò impetrare, cùm ab una pendeat Dei liberalitate; tum denique ejus efficacia & virtute, quæ à solo Deo est, non à libero arbitrio; scientiam mediam defendi ac propugnari non renuimus, non alia profectò lege ac conditione.

Non hìc commemoro eorum sententiam qui Congruistæ dicuntur, ita nuncupati quòd vim & efficaciam gratiæ collocent in quadam ipsius congruitate seu attemperatione ad hominis indolem & ingenium, ad varias temporis vel personæ circumstantias. Ii quippe, cùm pro fundamento suæ opinionis scientiam mediam supponant, ea in parte ab auctoribus secundæ sententiæ non discrepant; & si quas speciales patiantur difficultates, eæ non spectant scientiæ mediæ usum, sed modum dumtaxat agendi gratiæ congruæ. Vel enim congruitas illa ipsi gratiæ intrinseca supponitur, de se apta & nata exprimendo voluntatis consensu; vel tantùm externa in eo dumtaxat posita, quòd Deus eo tempore illam opportunè conferat, quo prævidit voluntatem esse consensuram. Si prius, vix differre videtur à gratia per se moraliter efficaci: si posterius, non distat à gratia sensu Molinæ efficaci; atque ex utraque parte iisdem planè difficultatibus & incommodis premitur.

Quæstio igitur quæ Theologos varias in partes hìc dividit, mera est Scholæ controversia in hoc uno præcipuo capite posita, ut jam observavimus, utrum scilicèt voluntas ad bonum opus eliciendum indigeat gratia, quæ motione prævia, antecedente, ac physicè determinante illam applicet ad opus; an verò sufficiat gratia quæ voluntatem excitet, juvet, & actione indivisa simul cum illa concurrat ad opus bonum: quæ certè quæstio cùm non sit ab Ecclesia defini-

definita, de numero earum est de quibus S. Augustinus Lib. 2. de pec-
T. 10. p. 264. C. cato. originali cap. 23. dicebat: *Salva fide qua Christiani sumus, aut ignoratur quid verum est, aut aliter quàm est, infirma suspicione conjicitur.* Summa hìc igitur permittenda sentiendi libertas; alterutri opinioni nulla inusta censuræ nota.

Ordo decretorum in systemate scientiæ mediæ.

Porrò in systemate scientiæ mediæ iste fingitur divinorum decretorum ordo.

I. Primò, per scientiam simplicis intelligentiæ infinitos propemodum rerum ordines, quos statuere posset, Deus intuetur.

II. Inter illos varios ac possibiles ordines, istum elegit in quo Angelos & homines ad finem supernaturalem evexit.

III. Lapsum Angelorum & hominis prævidit ac permisit.

IV. Homini, non autem Angelo, reparatorem ac redemptorem Christum destinavit; & omnibus hominibus quos generali & antecedente voluntate vera & sincera vult salvos facere, præparavit saltem generalia quædam gratiæ sufficientis auxilia, quibus ad salutem æternam pervenire possent, si vellent.

V. Per scientiam conditionatorum, quæ media dicitur, videt Deus quidquid homo facturus est, vel facturus esset, si in his vel illis circumstantiis, in hoc vel illo rerum ordine collocaretur, si hæc vel illa gratiæ auxilia ipsi conferrentur.

VI. Inter multa gratiæ auxilia quibus homo vel consensurus vel non consensurus prævidetur, ea Deus misericorditer absoluto decreto conferre statuit, quibus re ipsa homo est consensurus: quæ certè gratia, in ratione doni ac beneficii, ex se efficax est; quam Deus ex mero suo beneplacito largitur in his & illis circumstantiis sic accommodatam & attemperatam, ut effectum suum certissimè assequatur: absolutum autem istud decretum, in eo systemate, sequitur, non antecedit, ut per se patet, scientiam conditionatorum.

VII. denique, per scientiam visionis certò & infallibiliter videt Deus quidquid homo divina gratia præmunitus in tempore facturus est.

Cum illo systemate rectè stat ac defenditur inscrutabilè prædestinationis ad gratiam efficacem arcanum; atque meritò cum Apostolo exclamandum: *O altitudo!* Cur unum eam gratiam Deus conferat cui prævidet eum esse consensurum, alteri verò deneget? *O. altitudo!* Cur è duobus peccatoribus, huic, tametsi scelericus longè gravissimis implicato, congruam & efficacem gratiam potiùs conferat, quàm alteri, qui non ita malus est, ac gratiæ, si daretur, obtemperaret? *O. altitudo!*

Quin & ipsa etiam efficax prædestinatio ad gloriam eo in systemate exæquo defenditur fieri vel ante, vel post prævisa merita. Hoc etenim semel supposito, Deum nihil absolutè decernere circa liberas voluntatis actiones nisi priùs cognoverit quam in partem voluntas in his vel illis circumstantiis, sub hac vel illa gratia, se determinatura sit, parum refert, ac levissimi momenti quæstio est, utrum Deus efficaciter intendat priùs gloriam quàm gratiam, ut volunt Suares, Bellarminus & alii: aut gratiam priùs quàm gloriam, ut Lessius: aut unico ac simplicissimo actu simul velit & gloriam & seriem mediorum quæ ad illam conducunt, ut nonnullis videtur.

Si quæ verò sit Scholæ controversia in qua necesse est mentem ab omni præjudicata

judicata opinione revocare, eamque præmunire adversùs omnes partium diffidentium clamores ac molitiones, in hac maximè quam versamus, in qua nihil prætermissum fuit, ut suam quisque summo æstu & ardore vendicaret sententiam, & oppositam publicæ censuræ ac invidiæ objiceret, sibi mutuò inusta Pelagianismi, vel Semipelagianismi, aut Calvinismi nota. Nos verò depositò omni partium studio rem in utramque partem versabimus; utrumque systema oculis subjiciemus: quid unumquodque ferat, quid habeat difficile; quid objici, quid responderi ex utraque parte solitum sit, paucis ac summatim attingemus. Ità fiet ut eorum declinemus vitium, qui cùm unam præ alia opinionem defendendam sibi sumunt, oppositam ita deprimunt ac plerumque deformant, vix ut à suis defensoribus agnoscatur. Ita quoque discipulorum, quos informandos habemus, commodo & utilitati consultum erit, qui unico veluti intuitu famosæ hujus quæstionis momenta ac præsidia ex utraque parte inspicient. Cùm verò fundamenta unius opinionis, sint objectiones quibus opposita impugnatur, simul proponemus & illa momenta, & responsiones quæ altera ex parte adduci solent.

Expenduntur momenta quibus scientia media impugnatur, ac solvuntur.

Ex multiplici capite impugnari solet scientia media ab iis qui stant & pro gratia ex sese efficaci, & pro decretis absolutis physicè prædeterminantibus.

I. Ex Scripturis.

II. Ex traditione ac precibus Ecclesiæ.

III. Ex S. Augustino.

IV. Ex conformitate scientiæ mediæ cum doctrina Semipelagianorum, ac erroribus à quibus satis illa non recedit.

V. Ex incommodis.

VI. Ex novitate ac facilitate.

VII. Ex censura Romana in Congregatione de Auxiliis.

VIII. Denique, ex variis rationibus Theologicis.

Primum momentum ex Scripturis.

Triplex ex Scripturis argumentum colligunt contra scientiam mediam.

Primum, ex iis locis quibus constat non gratis vocatos esse, ac secundùm propositum voluntatis Dei.

Secundum, ex iis quibus vis & efficacia gratiæ potissimùm commendatur.

Tertium, ex iis quibus hominis discretio soli Deo tribuitur.

Primum argumentum ex istis Scripturæ testimoniis eruitur. Rom. 3. v. 24. *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu.* Et cap. 9. v. 16. *Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.* Philipp. 2. v. 13. *Deus est qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate.* Ephes. 1. v. 4. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut esse-mus sancti.* Et v. 11. *In qua sorte vocati sumus prædestinati secundùm propositum ejus, qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ.* Denique, ut alia multa ejusdem ordinis silentio præteramus, Ibid. 2. v. 8. 9. & 10. *Gratia estis salvati per fidem,*

fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt, non ex operibus, ut ne quis glorietur. Ipſius enim factura ſumus, creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus.

Ex his ſic arguunt. Qui omnia in nobis operatur ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ, & quidem gratis, non ex noſtris operibus, ſed creando nos in operibus bonis; qui elegit nos ut eſſemus ſancti, ille voluntates noſtras non expectat, non explorat an bonæ futuræ ſint, ſed pro beneplacito ſuo & abſoluto decreto bonas facit, nec eligit nos ac prædeſtinat, quia prævidet nos ſanctos eſſe futuros, ſed ut ſimus reipſa ſancti: atqui &c.

Reſpondent qui ſcientiam mediam tuentur, ſe ultrò iis omnibus Scripturæ teſtimoniis, quibus abſoluta gratiæ neceſſitas ad omne opus bonum ſalutis aſtruitur, ſubſcribere, & anathema dicere cuicunque negaverit gratiam & prævenientem ſeu excitantem, & adjuvantem, & concomitantem ſeu concurrentem & cooperantem cum libero arbitrio ad opus bonum neceſſariam eſſe: neque enim, ajunt, aliud evincunt citata Scripturæ verba, cum quibus rectè coheret ac conciliatur ſcientia media. 1. Non eſt currentis neque volentis, ex ſolis ſcilicet naturæ viribus, ſed ex gratia. 2. Deus operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate, quia ſine gratia, quam gratis concedit, bonum nec volumus nec perficimus: ipſe facit, quia adjuvat ut faciamus, inquit S. Auguſtinus. 3. Elegit nos ut eſſemus ſancti; non quia futuri eramus ſancti viribus propriis ſine gratia: Imò nec etiam præviſa futura ſanctitas ex gratiæ beneficio, Deo cauſa eſt, regula & motivum, quo certò ducatur ut gratiam & ſanctitatem largiatur. Unde gratis vocati, & in operibus bonis ſecundùm Dei propoſitum creati dicimur. Rectè quoque in ſyſtemate ſcientiæ mediæ Deus dicitur omnia operari ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ: licèt enim prævideat quid homo facturus ſit in his vel illis circumſtantiis, ſub hac vel illa gratia, non tenetur tamen gratiam illam conferre, ſed ex beneplacito ac ex pura liberalitate illam confert. Quapropter, ut jam ſæpius dictum eſt, ſcientiam illam mediam agnoſcunt, non ut cauſam rei futuræ, ſed tantùm ut directivam Decretorum Dei.

Ad argumentum igitur ſic reſpondent. Qui omnia in nobis operatur ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ non ex noſtris operibus &c. ille voluntatem noſtram non explorat nec expectat tanquam cauſam, regulam, & motivum quo Deus certò determinetur ad gratiam concedendam, concedunt: tanquam rationem qua, noſtro concipiendi modo, dirigatur priùs quàm quidquam abſolutè ſtatuat circa liberas hominis actiones, negant. Neque verò, inquiunt, id dicere magis repugnat, quàm Deum in tempore actiones noſtras expectare: porrò Iſaiæ 5. v. 4. *Quid eſt*, ait Deus, *quod debui facere ultrà vineæ meæ, & non feci? an quòd expectavi ut faceret uvas, & fecit labruſcas?* Et Matth. 23. v. 37. *Quoties volui congregare filios tuos . . . . . & noluiſti?* Apocal. 3. v. 20. *Ecce ſto ad oſtium & pulſo: ſi quis audierit vocem meam & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum.* Iſaiæ 65. v. 2. & Rom. 10. v. 21. *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem.* Iſte porrò loquendi rationes, quas Spiritus ſanctus conſecravit, non magis divinam majeſtatem dedecent, quàm quod dicitur in ſyſtemate ſcientiæ mediæ, Deum explorare & expectare humanam voluntatem. Non quòd Deus incertus ſit & ſuſpenſus circa ea quæ futura ſunt, abſit; omnia enim nuda & aperta

ſunt

sunt oculis ejus: sed quòd hominis libertati nullam vim inferat, sed liberam esse velit ejus cooperationem.

Secundum argumentum petunt ex iis testimoniis quibus vis & efficacia gratiæ maximè commendatur.

Ezechielis 36. v. 26. *Dabo vobis cor novum, & spiritum meum ponam in medio vestri: & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum. Et spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis*: prebendo nimirum vires efficacissimas voluntati, ut ait S. Aug. laudans hunc textum, L. de grat. & lib. arb. c. 16.

Philipp. 2. v. 13. jam citato: *Deus est qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate*. Proverb. 21. v. 1. *Sicut divisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini: quocunque voluerit inclinabit illud.*

Inde sic arguunt: Qui ex omnipotenti sua virtute dat cor novum & spiritum novum, qui dat velle & perficere pro bona voluntate, ac cor hominis quò voluerit inclinat, is futuram hominis bonam actionem certissimè cognoscit in absoluto voluntatis suæ decreto ac efficacissima gratiæ suæ virtute; nec opus habet priùs quàm actionem illam absolutè futuram definiat, explorare quid voluntas in his vel illis circumstantiis factura sit: atqui Deus ex omnipotenti sua virtute dat cor novum & spiritum novum &c. ergo &c.

Verùm hæc contraria non sunt, sed rectè cohærent cum systemate scientiæ mediæ. Dat enim Deus velle & perficere, dat cor novum & spiritum novum, quando ex infinitis quæ in sua potestate habet gratiæ adjumentis, ea seligit ac largitur quibus prævidet emolliendam esse penitusque frangendam humanæ voluntatis contumaciam, quod certè & potentiæ & benignitatis Dei singulare beneficium est. Unde tota vis & efficacia illius, sive in actu primo sive in actu secundo considerata, in Deum ipsum gratiæ auctorem refundi debet, non in liberum arbitrium: non tamen in ea sola & seorsim à prævisо liberi arbitrii consensu Deus certò prænoscit futurum illum voluntatis consensum, quia quantacunque supponatur vis gratiæ, voluntas semper ei dissentire potest, si velit.

Ad argumentum, negant majorem propositionem: dat enim Deus cor illud novum & spiritum novum, non ex decreto absoluto antecedente, sed consequente duntaxat prævisionem futuri sub conditione voluntatis consensus.

At, inquies, quid necesse est Deum extra se veluti exire, ut exploret quid voluntas factura sit, quandoquidem illud certò cognoscat in sua omnipotentissima voluntate? Cognoscit enim quid ipse facturus est; cognoscit vim gratiæ suæ præpotentem; cognoscit & omnes humani cordis sinus ac recessus; eosque quò voluerit adducere, & unde voluerit abducere potest.

Respondent, ea quidem quæ Deus per seipsum solum operatur, ab ipso certissimè videri in decreto suo absoluto & antecedenti; non autem ea quæ non solus, sed simul cum creata voluntate operatur, quales sunt actiones liberæ quas absolutè ac decretoriè non prædefinit, nisi priùs prævisо futuro voluntatis consensu sub hac vel illa conditione. Quapropter ea quæ Deus vult absoluta voluntate, certissimè eveniunt: *Ipse dixit, & facta sunt*. Non autem ea quæ vult voluntate tantùm conditionata; quomodo Deus vult & quidem verè ac sincerè, omnes salvos esse, qui tamen omnes non salvi fiunt. Item permittit peccata fieri, & tamen contra suam voluntatem fiunt: quare?

Quia

Quia hæc omnia vult conditionata dumtaxat voluntate; ſi nempe ipſi homines velint & ſalvi eſſe, & à peccatis recedere. In his omnibus, ſine injuria & præjudicio divinæ omnipotentiæ, Deo creatura reſiſtit; non impunè tamen, ſemper quippe aliquo ſenſu divina voluntas impletur, ita ut qui ſe ordini divinæ miſericordiæ ſubſtraxit, incidat in ordinem divinæ juſtitiæ. *De his qui*
T.10.p. 774.C. *faciunt quæ non vult*, ait egregiè S. Aug. Lib. de corrept. & grat. c. 14. nu. 43. *facit ipſe quæ vult . . . . Qui tamen hoc non facit, niſi per ipſorum hominum voluntates.* Hunc igitur curſum ſeu ordinem actionum liberarum Deus
To.3.p. 351. ipſe voluit aut permiſit, ut *potentiam ſuam*, ait S. Hieronymus in c. 49. Iſaiæ *noſtro arbitrio derelinquat, ut* (nempe) *juſti voluntas præmium conſequatur.* Et verò, ſi quid divina majeſtate indignum ac indecens hic occurreret, hoc ipſum in ſtatu innocentiæ admittere tenerentur Auguſtiniani: in eo quippe ſtatu admittunt illi Dei voluntatem dumtaxat conditionatam pro ſalute Angelorum & hominum; agnoſcunt & gratiam verſatilem fuiſſe liberoque arbitrio permiſſam, cui & Angeli mali, & ipſe primus homo miſerè reſtiterunt. Quidquid illi pro illo ſtatu repoſuerint, nos præſenti adaptabimus. Revera cognoſcit Deus vim gratiæ ſuæ præpotentem, & habet cordium noſtrorum quò voluerit inclinandorum poteſtatem, quod locum habet etiam in ipſo ſyſtemate ſcientiæ mediæ..

Tertium argumentum colligunt ex iis locis quæ hominis diſcretionem ſoli Deo adſcribunt, non libero hominis arbitrio.. 1. Corint. 4. v. 7. *Quis te diſcernit? Quid habes, quod non acceperiſti? Si autem acceperiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Porrò, inquiunt, ſi duo ſtatuantur adulti quibus æqualis gratia in iiſdem circumſtantiis conferatur, & unus illi conſentiat, alter verò reluctetur, nonne qui conſentit ſeipſum ab alio non conſentiente diſcernit?

Reſpondent fruſtra hæc ſibi opponi quæ ultro concedunt, fidem ſcilicet, juſtitiam & alia ſalutis bona hominem non habere à ſeipſo & per proprias vires, ſed ab auxilio divinæ gratiæ; adeoque ſeipſum non diſcernere, nec in ſeipſo ſed in Deo gloriari debere.. *Nihil*, inquit S. Aug. Lib. de prædeſt. SS. c. 5. n. 10.
T.10.p. 797.D. *huic ſenſui tam contrarium, quàm de ſuis meritis ſic quemquam gloriari, tanquam ipſe ſibi ea fecerit, non gratia Dei: ſed gratia quæ bonos diſcernit à malis, non quæ communis eſt bonis & malis:* hoc eſt, ipſa natura quæ communis eſt omnibus ſive bonis ſive malis.. In caſu ergo propoſito, tametſi par & æqualis ſupponatur gratia, qui huic conſentit non propterea dici debet ſeipſum ab alio diſcernere, quia non ſine gratia conſentit ſine qua benè agere non potuiſſet; atque diſcretio cauſæ nobiliori & principali adſcribi ſemper debet: *Non ego*, ait Apoſtolus, *ſed gratia Dei mecum*..

Secundum momentum ex Traditione ac precibus Eccleſiæ..

Tom.2. Conc.p. 1616. E. Scitum eſt effatum iſtud: *Lex ſupplicandi ſtatuit legem credendi*. Cùm ergo conſtans ſit Eccleſiæ uſus ac traditio, ſuis precibus à Deo poſtulare non tantùm gratiam qua poſſimus bonum operari, ſed qua illud certò operemur; conſequenter dicendum dogma fidei eſſe, gratiam illàm efficacem ſeu operationis per quam ad omne pietatis opus voluntas determinatur; neceſſariam eſ-
T.10.p. 135.B. ſe. Hæc porrò non eſt in noſtra poteſtate: *Quid enim ſtultius*, ait S. Aug. Lib. de natura & gratia c. 18. *quàm orare ut facias quod in poteſtate habeas?*

Sed

Sed à solo Deo dependet quam suppliciter efflagitat Ecclesia. *Adte*, ait Dominica quarta post Pentecosten in Secreta, *nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates*. Et Dominica 5. *Infunde cordibus nostris tui amoris affectum &c.* Porrò, inquiunt, systema scientiæ mediæ dogma illud gratiæ efficacis ad singulos pietatis actus necessariæ non admittit nec patitur. In eo quippe systemate, voluntas non determinatur à gratia, *Sed ubi gratia adest, jam voluntas se se ad opus pro arbitrio suo determinat, seipsam ad bonum opus convertit, sibique pro nutu suo tribuit boni operis effectum: sic bonum & malum prout libuerit, facit.*

Verùm hæc sibi monstra fingunt hostes scientiæ mediæ, ut ea faciliùs debellent. In eo quippe systemate, datur ac necessaria est gratia efficax seu operationis, non ea quidem quæ natura sua essentialem habeat cum voluntatis consensu connexionem, ut placet Thomistis & Augustinianis; sed ea cui voluntas certò consensura prævidetur, & quam Deus inter multas alias, quibus homo reluctaretur, seligit & absoluta voluntate statuit conferre. Porrò sine periculo fidei negari non potest, quin voluntas hujus gratiæ auxilio roborata, *se se ad opus pro arbitrio suo determinet*: neque enim merè passivè se habet, nec tantùm *agitur*, ut ait S. Augustinus, sed etiam *agit*; ergo activè seipsam determinat, & quidem ita liberè, ut possit se non determinare, nec, si velit, gratiæ consentire. Consequenter pro *nutu suo sibi tribuit boni operis effectum*. Non quidem sola, seu ex solis suis viribus, absit: sed adjuta gratiæ supernaturalis auxilio. Malignè omnino ac insidiosè additur; *Sic bonum & malum, prout libuerit, facit*: quasi æquales forent voluntatis nostræ vires ad bonum & ad malum. Ad malum quippe homo solus sibi sufficit; ad bonum verò, si ad salutem conferat, indiget auxilio gratiæ sine qua nihil homo boni facere potest. Ineptè non minùs additur, in systemate scientiæ mediæ gratiam à voluntate determinari, non voluntatem à gratia: quasi id quod ex se determinatio quædam est, impulsus & inclinatio ad benè agendum, (qualis est gratia) dici possit à voluntate determinari. Verùm de hoc momento suus erit paulò post dicendi locus.

Tertium momentum ex S. Augustino.

Amplam hìc præmittere solent doctrinæ S. Augustini laudem & commendationem, atque vehementiùs insurgere adversùs eos qui sanctum Doctorem innovationis circa gratiam incusare non verentur, qua temeritatis labe non caruit ipse Jansenius, cùm scripsit Lib. 7. de hæresi Pelagiana cap. 17. *Patres, quotquot Augustini ætatem antegressi sunt, prædestinationem hominum non secundùm illud beneplacitum voluntatis Dei, sed secundùm præscientiam alicujus operis aut voluntatis ex parte hominis antecedentis unanimi penè consensione docuisse*. Augustinus ergo qui prædestinationem secundùm beneplacitum voluntatis Dei admisit, ut putat Jansenius, recessit ab unanimi prædecessorum suorum sententia; ac consequenter novam doctrinam invexit, vel ipsomet invito pronuntiante Jansenio. *To. 1. p. 117. col. 2. D.*

Tanta verò est apud omnes in Augustinum reverentia, tanto in pretio ejus auctoritas, ut certatim omnes, non Catholici modò, sed etiam hæretici, tam eximii Doctoris præsidio suam communiri doctrinam exambiant. Unde

non

non tam de auctoritate, quàm de mente ac sensu hujus doctoris in Scholis controvertitur: non quidem quantùm ad ea capita quæ fidei dogma spectant, ea enim ex parte, ait Cælestinus S.P. in Epistola ad Episcopos Galliæ, *nusquam eum*

Tom. 1. Conc. p. 1612. *sinistræ suspicionis saltem rumor asperſit*; sed quantùm ad alias quæstiones quas idem S.P. in fine dictæ Epistolæ *vocat profundiores ad difficiliores*, quas ipse nec

Ibid. p. 1617. E. approbare vult nec etiam damnare: in quo quidem genere quæstionum quas Ecclesia non definivit, cuique liberum est sentire quod voluerit, & Augustinum ipsum suas in partes inflectere. His prætermissis, multa opponunt ex S. Augustino contra scientiam mediam.

Primum argumentum ex S. Augustino.

Primũ argumentũ ex virtute gratiæ efficacis.

Opponunt igitur primò, sanctum Doctorem gratiæ vim & efficaciam repetere ex omnipotentissima Dei voluntate; non autem ex prævisa consensu creatæ voluntatis futuro, etiam sub auxilio gratiæ.

Lib. de correptione & Gratia cap. 12. exponens discrimen gratiæ utriusque naturæ status, innocentis & lapsæ, postquam dixit Adamo innocenti datum esse auxilium sine quo perseverare non poterat, & cum quo perseveraſſet, si voluisset, de gratia huic statui necessaria sic loquitur: *Subventum est igitur infirmitati humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & in-*

T. 1. c. p. 771. F. *superabiliter ageretur*. Et paulò post: *Fortissimo* (Adamo) *dimisit atque permisit facere quod vellet: infirmis servavit, ut ipso donante invictissimè quod*

Ib. G. *bonum est vellent, & hoc deserere invictissimè nollent.*

Lib. de prædest. SS. cap. 8. *Hæc itaque gratia*, inquit, *quæ occultè humanis*

Ibid. p. 795. F. *cordibus divina largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur. Ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur.*

Denique cap. 14. Lib. de corrept. & grat. *Volenti*, inquit, *salvum facere,*

Ibid. p. 774. C. *nullum hominis resistit arbitrium. Sic enim velle & nolle in volentis aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.*

Ibid. F. *De his enim qui faciunt quæ non vult, facit ipse quæ vult.... Qui tamen hoc non facit, nisi per ipsorum hominum voluntates, sine dubio habens humanorum cordium quò placeret inclinandorum omnipotentissimam potestatem.*

Respondent scientiæ mediæ patroni.

I. Verba ista, *insuperabiliter*, *indeclinabiliter*, *invictissimè*, cautè ac sobriè usurpanda esse, quibus turpiter abusi sunt Novatores ut dicerent, vel liberam non esse hominis sub motione gratiæ cooperationem; vel stare libertatem cum necessitate antecedente, fluente ac transeunte: quod utrumque pariter fides Catholica respuit.

II. Rem esse apud Theologos controversam, in quid apud Augustinum præcisè cadant ista verba, *insuperabiliter*, *indeclinabiliter*, *invictissimè*: an in ipsam formalem & finalem perseverantiam, an in voluntatem ipsam, an in gratiam actualem; habet enim unaquæque expositio patronos suos ac defensores. Sunt qui contendant famoso illo capite 12. Libri de correptione & gratia, S. Augustinum, ubi discrimen statuit inter gratiam utriusque status, potissimùm loqui de perseverantia finali, actuali & formali, per quam justus sit formaliter perseverans, quæ perseverantia est ipsamet actualis conjunctio mortis hominis justi cum statu justitiæ per quam justus sit formaliter perseverans,

rans, ſicut per beatitudinem ſit formaliter beatus, qua comparatione utitur ipſemet Auguſtinus citato loco. Iſta verò formalis perſeverantia *contumaciter amitti non poteſt*, ait S. Auguſtinus Lib. de dono perſeverantiæ cap. 6. unde non immeritò juſtus ille qui ex hac vita retrahitur cùm juſtus eſt, dicitur *invincibiliter, inſuperabiliter, invictiſſimè perſeverare. De illa loquimur perſeverantia*, ait ſanctus Doctor loco mox citato, *quæ perſeveratur uſque in finem: quæ ſi data eſt, perſeveratum eſt uſque in finem; ſi autem non eſt perſeveratum uſque in finem, data non eſt.... Hoc ergo Dei donum ſuppliciter emereri poteſt: ſed cùm datum fuerit, amitti contumacitor non poteſt.... Quomodo enim poteſt admitti, per quod fit ut non amittatur etiam quod poſſet amitti?* *Ibid. p. 816. E.*

Alii putant verba iſta, *invincibiliter, inſuperabiliter &c.* cadere in ipſam humanam voluntatem, quæ beneficio gratiæ, qua prævenitur & adjuvatur, ſtat inconcuſſa adversùs omnes dæmonis impetus ac mundi hujus illecebras: atque in hoc maximè ſtare contendunt ex S. Auguſtino, diſcrimen gratiæ utriuſque ſtatus, quòd in ſtatu innocentiæ opus non erat gratia quæ voluntatem præveniret & efficeret, cùm ſana foret nulliſque motibus inordinatis agitata; unde ipſi ſufficiebat gratia intellectus ſeu illuſtrationis: non ita verò in præſenti naturæ lapſæ & corruptæ conditione, ob infirmitatem ſcilicet voluntatis ex primo peccato derivatam. Unde obſervant iidem Theologi, dixiſſe non ſemel S. Auguſtinum, ſententiam Pelagii circa neceſſitatem gratiæ interioris quæ mentem illuſtraret, veram fore, ſi ageretur de ſtatu innocentis naturæ; falſam verò eſſe in præſenti ſtatu, in quo neceſſaria eſt, præter illuſtrationem mentis, gratia voluntatis, ſeu quæ voluntatem præveniat, moveat, ſanet ac liberet: quam quidem gratiæ voluntatis neceſſitatem unicè urget ac demonſtrat S. Auguſtinus contra Pelagianos diſputans, ſive illa ſit ex ſeſe efficax ſive non. Hanc enim quæſtionem, inquiunt, Auguſtinus non movet, quæ non pertinet ad fidem; ſed ad modum dumtaxat quo vis & efficacia gratiæ poteſt exponi, qui modus ex fide certus adeò determinatus non eſt. Porrò loqui S. Auguſtinum de ipſa voluntate quæ beneficio gratiæ qua prævenitur & adjuvatur, invincibilis & inſuperabilis redditur contra omnes tentationum impetus, probant ex iſtis verbis ſancti Doctoris citato cap. 12. Lib. de corrept. & grat. *Subventum eſt infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur; & ideo, quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adverſitate aliqua vinceretur.* Ergo, inquiunt, in mente ſancti Doctoris non ipſa gratia eſt indeclinabilis & inſuperabilis, ſiquidem ex fide certum eſt voluntatem poſſe ſemper, quando voluerit, ipſi diſſentire ac reſiſtere; ſed voluntas ipſa ſit inſuperabilis & invicta, ſi gratiæ firmiter adhærere, ac divinis mandatis conſtanter obtemperare voluerit. Quo ſenſu dixit idem ſanctus Doctor Lib. de dono perſev. cap. 9. n. 22. *Deo eſſe poſſibiles averſas & adverſas in fidem ſuam hominum convertere voluntates, & in eorum cordibus operari, ut nullis adverſitatibus cedant; nec ab illo aliqua ſuperati tentatione diſcedant; cùm poſſit & quod ait Apoſtolus facere, ut non eos permittat tentari ſuper id quod poſſunt.* *Ibid. p. 771. F.* *Ibid. p. 831. E.*

Aliis denique placet, verba iſta, *indeclinabiliter & inſuperabiliter*, referre ad ipſam gratiæ ex ſeſe efficacis motionem.

Qui ſcientiam mediam tuentur, rejecta iſta loquendi ratione, gratiæ ſcilicet ex ſeſe efficacis, quam novam & periculoſam eſſe contendunt, de-

clarant in suo systemate gratiam seu vocationem ad fidem sano sensu dici posse *insuperabilem & indeclinabilem*, ex divina nempè præscientia & decreto eam subsequente. Quippè cùm Deus per scientiam conditionatam cognoscat quid homo facturus sit, si in his vel illis circumstantiis, sub hac vel illa gratia constituatur; ac decretó suo scientiam illam subsequente, statuat hominem reipsa in illis circumstantiis cum tali gratia collocare, meritò asseritur *insuperabiliter & inclinabiliter* futurum, quid quid Deus futurus esse sic præscivit ac prædefinivit. *Cujus enim misereturi*, ait S. Aug. L. 1. ad Simpliciam q. 2. *sic eum vocat, quomodo scit ei congruere ut vocantem non respuat*. In utroque igitur systemate, seu Thomistarum, seu Congruistarum, locum habet modus iste loquendi S. Augustini, *indeclinabiliter, invictè, insuperabiliter* &c. In hoc uno dumtaxat hic discrepant, quòd Thomistæ illam gratiæ vim indeclinabilem esse statuant ex decreto absoluto & antecedente scientiam Dei conditionatam; alii verò ex decreto quod illam scientiam subsequatur: quæ controversia ex citatis S. Augustini verbis dirimi non potest.

T. 10 p. 95. E.

Secundum ex S. Augustino argumentum.

Secundum illud argumentum colligunt ex iis testimoniis, quibus, (ut illi quidem existimant) S. Augustinus directè reprobavit scientiam mediam, non solùm quantùm ad abusum, sed etiam quantùm ad substantiam. Sic verò probant.

Scientia media est scientia conditionatorum independens à decreto Dei absoluto, & illo anterior: atqui talem scientiam reprobavit S. Augustinus, quippè qui sæpius repetat Deum futura cognoscere *quæ ipse facturus est*; quod idem est ac si diceret, scientiam Dei posteriorem esse decreto, atque in eo velut in fundamento & causa subnixam esse. Ita verò docet duobus maximè in Libris, de prædestinatione Sanctorum & de dono perseverantiæ, quos scripsit ut responderet querelis Semipelagianorum, qui referentibus SS. Prospero & Hilario, turbati fuerant doctrina quam sanctus Doctor evulgaverat in suo Libro de correptione & gratia, circa vocationem ad fidem secundùm Dei propositum absolutum & efficax.

S. Augustinus directe reprobavit scientiã mediã quantũ ad substantiã.

Primum testimonium petunt ex Lib. de prædest. SS. cap. 10. n. 19. *Prædestinatione Deus*, inquit, *ea præscivit quæ fuerat ipse facturus: unde dictum est, Fecit quæ futura sunt.... Quando promisit Deus Abrahæ in semine ejus fidem gentium..... non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit. Promisit enim quod ipse facturus fuerat, non quod homines*. Hoc ipsum rursus confirmat cap. 17. ejusdem Libri.

T. 10 p. 831. E. Ibid. F.

Ex quibus verbis duplex argumentum conficit Gonetus ad probandum D. Augustinum reprobasse scientiam mediam.

Disput. 6. de scientia media art. 4. parag. 1.

Primum est: Quæ Deus est facturus, ex sua prædestinatione præscit: at Deus omnes actiones nostras, quantumcunque liberas, facturus est; ergo illas in sua prædestinatione præcognoscit, id est in decreto efficaci; ac proinde non datur in Deo præscientia futurorum independens à decreto, eoque anterior.

Secundum sic potest proponi. Quod Deus promittit, non de nostra potestate, sed de sua prædestinatione promittit, ait S. Augustinus. At Deus mul-

multoties promittit noſtras actiones liberas; ſicut quando promiſit Abrahæ fidem, & converſionem gentium; ergo illas de ſua prædeſtinatione promittit, eaſdemque in illa cogноſcit, & ſic idem ſequitur quod priùs.

Secundum teſtimonium ex c.9. ejuſdem Lib. ubi revocat S. Doctor quod olim docuerat in quæſtionibus paganorum, (Epiſt. 102. q. 2. n. 14.) nempè *tunc voluiſſe hominibus apparere Chriſtum & apud eos prædicari doctrinam ſuam, quando ſciebat & ubi ſciebat eſſe qui in eum fuerant crediturí.* Quæ verba cùm Semipelagiani in confirmationem ſuæ ſcientiæ conditionatæ opponerent, S. Doctor reſpondit. *Cernitis*, inquit, *me ſine præjudicio latentis conſilii Dei aliarumque cauſarum, hoc de præſcientia Chriſti dicere voluiſſe, quod convincendæ gentium infidelitati, qui hanc objecerant quæſtionem, ſufficere videretur. Quid enim eſt verius, quàm præſciſſe Chriſtum, qui & quando & quibus in locis in eum fuerant crediturí? Sed utrum prædicato ſibi Chriſto à ſe ipſis habituri eſſent fidem, an Deo donante ſumpturi, id eſt, utrum tantummodo eos præſcierit, an etiam prædeſtinaverit Deus, quærere atque differere tunc neceſſarium non putavi... poteſt etiam ſic dici, Tunc voluiſſe hominibus apparere Chriſtum, & apud eos prædicari doctrinam ſuam, quando ſciebat & ubi ſciebat eſſe, qui electi fuerant in ipſo ante mundi conſtitutionem.*

7.10 p. 803.B. Ep. S. Hilarii ad Auguſt. Ibid. p. 802.G. Ibid. p. 803.B.

Rurſus Lib. de dono perſever. c.9. hoc ipſum quod dixerat in quæſtionibus paganorum revocat, ac docet non aliunde quàm ex prædeſtinatione Dei, petendam eſſe cauſam cur aliquibus annuntietur Chriſtus, aliis verò non annuntietur; non autem ex eo quòd Deus prævideat illos, non alios eſſe credituros. *Hæc certè*, inquit, *de Tyro & Sidone non poſſumus dicere*; (illi enim crediturí erant ſi Chriſtus ipſis annuntiatus fuiſſet) *& in eis cognoſcimus ad eas cauſas prædeſtinationis hæc divina judicia pertinere, ſine quarum cauſarum latentium præjudicio tunc iſta reſpondere me dixi.*

Ibid. p. 832.D.

Ex quibus teſtimoniis ſic rurſus arguit idem Gonetus.

I. Idem eſt apud S. Aug. Deum præſcivíſſe fidem hominum, ac illam certò hominibus concedendam eſſe; pariter idem eſt homines fidem Deo donante habere, ac Deum eorum fidem prædeſtinaſſe: atqui homines nec abſolutè, nec conditionatè fidem à ſe ipſis ſunt habituri, ſed Deo eam prædeſtinante ac donante; ac conſequenter à Deo futura cognoſcitur in prædeſtinatione ſeu decreto Dei abſoluto & efficaci: atque ita prorſus corruit & evaneſcit ſcientia media quæ eſt independens à decreto Dei abſoluto eoque anterior.

II. Futurum de quo S. Auguſtinus loquitur citatis teſtimoniis, eſt conditionatum; illud verò prædefinitum eſſe affirmat, & idcircò præſcitum à Deo: ergo, ex mente S. Doctoris, futura conditionata ſunt à Deo prædefinita, & idcircò præſcita. Conſequentia patet; antecedens verò probatur. Quia de hoc ipſo futuro reſpondet S. Auguſtinus, de quo interrogatus fuerat ab Hilario: futurum autem de quo fuerat interrogatus, erat conditionatum, quale docuerat ipſemet Auguſtinus in quæſtionibus paganorum, & quale ipſi propugnabant Semipelagiani, opponentes Auguſtino hunc ipſum locum ex quæſtionibus paganorum, ſicuti refert ac teſtatur Hilarius in ſua ad ſanctum Auguſtinum Epiſtola.

III. Citato cap. 9. Lib. de prædeſt. SS. & de dono perſeverant. S. Aug. ſcientiam conditionatorum reprobavit, non tantùm quoad abuſum & modum illum erroneum quo à Semipelagianis admittebatur, ſed etiam quoad ſubſtantiam.

Probatur, quia S. Auguſtinus eam reprobavit præſcientiam à decreto independentem, quam ipſe docuerat in illo Libro de ſex quæſtionibus Paganorum: ſed in hoc Libro eam non docuerat ſenſu erroneo Semipelagianorum, nempè fidem prævisam & præcognitam principium eſſe ac motivum noſtræ juſtificationis, ejuſque intuitu primam vocationis gratiam à Deo concedi; imò ne leviter quidem illud ibi inſinuaverat, ſed ut ipſe ait Lib. de prædeſt. SS. cap. 9. *ſolum ibi omiſerat diſputare, an illi qui præſciebantur crediturî, à ſeipſis, vel Deo donante, habituri eſſent fidem*; id eſt, ut ipſemet exponit, an Deus tantùm eos præſciverit, vel etiam prædeſtinaverit credituros: ergo ſi cap. 9. Lib. de dono perſev. reprobat talem præſcientiam à decreto independentem, ut teſtatur S. Th. 3. p. q. 1. art. 5. ad 2. eam reprobat quantùm ad ſubſtantiam, & non ſolùm quantùm ad abuſum & modum erroneum quo à Semipelagianis admittebatur.

T. 10. p. 803. A.

Tertium teſtimonium colligunt ex Libro jam citato de dono perſeverantiæ, in quo S. Auguſtinus reſpondens S. Proſpero, ſuamque ipſi mentem ac doctrinam exponens circa quæſtionem de qua interrogatus ab illo fuerat, *An ſcilicet ea quæ ſunt à Deo præſcita, ſint etiam ab eo prædeſtinata: ita ut præſcientia ſit ſubnixa decreto, vel è contra decretum præſcientiæ*; duas ſtatuit generales regulas, quæ funditus evertunt ſcientiam mediam.

Ep. S. Proſp. ad S. Auguſt.

Primam cap. 17. n. 42. ubi ſanctus Doctor loquens de bonis operibus quæ Semipelagiani fatebantur eſſe à gratia Dei adjuvante aut cooperante, non tamen præparante & præoperante, ſic loquitur ac diſcurrit: *An fortè nec ipſa dicunt prædeſtinata? Ergo nec dantur à Deo, aut ea ſe daturum eſſe neſcivit. Quòd ſi & dantur, & ea ſe daturum eſſe præſcivit, profectò prædeſtinavit*. Inde ſic arguunt: Quidquid Deus donat & efficit, etiam prædefinit ac prædeſtinat: ſed Deus donat & efficit liberum conſenſum quo homo v. g. conſentit primæ vocationi ad fidem; ergo illum prædefinit & prædeſtinat, ac proinde non cognoſcit ut futurum per ſcientiam mediam, antecedenter ad ſuam prædefinitionem & decretum. Minor eſt de fide: Major autem eſt ipſamet S. Auguſtini doctrina verbis relatis expreſſa.

T. 10. p. 814. G.

Secundam regulam proponit ac ſtatuit ſanctus Doctor c. 18. & 19. ejuſdem Libri: nempè, ubi in Scriptura vel SS. Patribus invenitur nomen præſcientiæ, & agitur de vocatione electorum, nomine præſcientiæ debet intelligi prædeſtinatio. *Hæc Dei dona (nempè incipere credere, & in fide uſque ad vitæ hujus terminum perſeverare) ſi nulla eſt prædeſtinatio quam defendimus*, ait cap. 18. n. 47. *non præſcimuntur à Deo: præſcimuntur autem: hæc eſt igitur prædeſtinatio quam defendimus. Unde aliquando eadem prædeſtinatio ſignificatur nomine præſcientiæ*. Quod ubi pluribus Scripturæ teſtimoniis demonſtravit, ſic pergit: *Præſcivit reliquias, quas ſecundùm electionem gratiæ fuerat ipſe facturus. Hoc eſt ergo prædeſtinavit: ſine dubio enim præſcivit, ſi prædeſtinavit: ſed prædeſtinaſſe, eſt hoc præſciſe quod fuerat ipſe facturus*. Et cap. 19. *Quid ergo*, inquit, *nos prohibet, quando apud aliquos verbi Dei tractatores legimus Dei præſcientiam, & agitur de vocatione electorum, eamdem prædeſtinationem intelligere?*

Ibid. p. 817. C. D.

Ibid. p. 848. B.

Ibid.

Inde ſic arguunt: Si daretur in Deo aliqua præſcientia bonorum operum independens à decreto eoque anterior, falſa eſſet illa regula S. Auguſtini quæ generalis eſt: atqui falſam illam eſſe ſine injuria ſancti Doctoris aſſeri non poteſt; ergo.

Non

Non erit, opinor, quòd conquerantur scientię medię impugnatores, nos eorum ex S. Augustino argumenta hìc dissimulasse aut extenuasse; ipsamet enim eorum verba ferè reddidimus.

Cùm verò ad hęc omnia sancti Doctoris testimonia reponere soleant qui scientiam mediam tuentur, sanctum Doctorem non ipsam scientię medię subsstantiam rejicere, sed abusum dumtaxat & modum erroneum quo Semipelagiani eam defendebant, eam scilicet quę supponit ex parte creaturę prævium aliquod meritum ex solis naturę viribus, quo Deus certissimè moveatur & inducatur ad gratiam concedendam, Thomistæ cęterique scientię medię adversarii, ut responsionem hanc elevent & evertant, verba referunt S. Prosperi scribentis ad S. Augustinum, quibus ajunt manifestum esse Semipelagianos illos non negasse prędestinationem electorum subnixam esse in adjutorio gratię; unde concludunt, illos in eo dumtaxat peccasse, quòd vellent prędestinationem illam posteriorem esse prescientia, hoc est fieri ex prævisis meritis gratiæ. *Penè omnium par inventur & una sententia*, inquit S. Prosper sub finem Epistolę suę ad S. Augustinum, *quæ propositum & prædestinationem Dei, secundum præscientiam receperunt; ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem uniuscujusque præviderit, & sub ipso gratiæ adjutorio, in qua futurus esset voluntate & actione præscierit.* To. 2. p. 824. F.

Et initio ejusdem Epistolę, sententiam Semipelagianorum referens ait: *Qui autem credituri sunt, quive in ea fide, quæ deinceps per Dei gratiam sit juvanda, mansuri sunt, præscisse ante mundi constitutionem Deum, & eos prædestinasse in Regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono fine excessuros esse prævidit.* Ibid. p. 821. E.

Ad hęc respondent scientię medię patroni, S. Augustinum in Libris de prædestinatione SS. & de dono perseverantiæ totum esse in refellendis Semipelagianorum erroribus, adeoque mentem ac sententiam ipsius dignosci meliùs ac exponi non posse, quàm ex contraria eorum sententia in usu, vel potiùs abusu scientiæ conditionatorum. Respondio eorum qui scientiam mediam tuętur.

Porrò Semipelagiani abutebantur scientia conditionata circa prædestinationem tùm adultorum, tùm infantium. Circa prædestinationem adultorum in his maximè peccabant, ut suprà jam observatum est, Quomodo Semipelagiani abutebantur scientia conditionatorum. I. Circa prædestinationem adultorum.

I. Quòd etsi necessariam esse gratiam faterentur ad omne opus bonum & fidei incrementum, ipsum tamen initium fidei & pium credulitatis affectum, quem inter bona opera non computabant, ac perseverantiam usque in finem à sola esse natura contenderent. *Ii*, (Semipelagiani) ait S. Aug. Lib. de dono perseverantiæ cap. 17. n. 42. *initium fidei & usque in finem perseverantiam sic in nostra constituunt potestate, ut Dei dona esse non putent, neque ad hęc habenda atque retinenda Deum operari nostras cogitationes & voluntates, cętera verò ipsum dare concedunt.* Errabant ergo, & scientia conditionatorum abutebantur in eo quòd vellent per illam Deum cognoscere quinam ex solo naturæ affectu benè dispositi forent ad fidem suscipiendam, si ipsis veritas Evangelii annuntiaretur; ut nempè hac ratione ac motivo Deus induceretur & moveretur ad mittendos qui veritatem illam annuntiarent. Prima igitur radix & causa vocationis ad fidem, in mente Semipelagianorum, erat pius ille ac prævius ad credendum naturæ affectus, quem Deus prævidebat. Rogati enim quare Evangelii fides aliquibus, potius quàm aliis prędicaretur, To. 10. p. 844. F.

To.2.p. 813.C. respondebant, ait S.Prosper in Epistola ad S.Augustinum, *dispensasse Deum tempora, & ministeria prout prævidit Deus credituros, & exoritura erat bonarum credulitas voluntatum.* Idem planè refert S.Hilarius in Epistola ad S. Augustinum n.3. ubi etiam observat Semipelagianos hanc suam sententiam confirmasse testimonio ipsiusmet S. Augustini ducto ex ejus responsione ad quæstiones Paganorum.

II. Semipelagiani in eo maximè aberrabant, quòd vellent futurum voluntatis sub conditione gratiæ conferendæ consensum à Deo prævisum, Deo esse causam, regulam & motivum gratiæ conferendæ; ex quo duo consequuntur planè absurda & erronea: 1. Scientiam conditionatorum non tantùm esse causam directivam decretorum Dei, sed etiam motivam, impulsivam & determinativam. 2. Rem futuram, v.g. conversionem ad fidem, non tam esse à decreto Dei tanquam à causa, quàm à prævisо voluntatis futuro consensu, qui Deum certò & infallibiliter determinat ad gratiam conversionis conferendam: unde scientiam illam conditionatam omni decreto anteriorem, Semipelagiani convertebant in absolutam, etiam à decreto, tanquam à prima ejus causa, independentem. Ubi duplex error occurrit, primus, quòd futurus voluntatis consensus etiam ex beneficio gratiæ, sit Deo causa, ratio & motivum gratiæ conferendæ: cujus rei falsitas vel ex uno Tyriorum & Sidoniorum exemplo demonstratur, quibus veritas Evangelii annuntiata non fuit, etsi prævidisset Deus futurum ut ipsi crederent, si annuntiata illa fuisset. Alter error in eo est, quòd in mente ac doctrina Semipelagianorum, futurus absolutè prævideatur voluntatis consensus, qui tamen non sit à Deo decretus ac prædestinatus: quod figmentum sæpius refellit S. Augustinus. *Quando,* T.10.p. 848.B. inquit Lib. de dono perseverantiæ cap. 19. *apud aliquos verbi Dei tractatores legimus Dei præscientiam, & agitur de vocatione electorum, eandem prædestinationem intelligere oportet.* Et cap. 18. in fine dixerat: *Sine dubio præscivit, si prædestinavit: sed prædestinasse, est hoc præscisse quod fuerat ipse facturus.* Ibid.

Error Semipelag. circa prædestin. infantiū. Quantùm verò ad prædestinationem parvulorum seu infantium, hic erat Semipelagianorum error. Infantes scilicet ad gratiam Baptismatis & salutis prædestinari, non quidem propter opera bona quæ facturi reipsa erant, siquidem ex hac vita in infantia rapiuntur; sed quæ facturi fuissent, si ad plenioremseu adultam ætatem perveniissent. *Tales ajunt perdi, taleſque salvari,* inquit S.Prosper in Epist.ad S.Aug.n.5. *quales futuros illos in annis majoribus, si ad activam servarentur ætatem, scientia divina prævideritet.... In tantùm quibuscunque commentitiis meritis electionem Dei subjiciunt; ut quia præterita non extant,* To.2.p. 812.G. *futura, quę non sint futura, confingant, novoque apud illos absurditatis genere,* Pagina 823.A. *& non agenda præscita sint, & præsenta non acta sint:* quam sanè absurditatem explodit S. Augustinus: vide quæ superiùs eam in rem jam diximus, ubi de certa quæ in Deo est, futurorum sub conditione, scientia.

A Pelagianis errores illos traxerunt Semipelagiani. Semipelagiani errores istos à Magistris suis ac Præceptoribus Pelagianis traxerant. *Ideo,* inquiebant Pelagiani, teste S.Aug. Epist. 194. aliàs 105. ad Sixtum, *nondum natorum alium oderat,* (scilicet Esau) *& alium* (Jacob) *diligebat, quia futura eorum opera prævidebat,* & ex ipsorum operibus, Deum habere aut odium, aut misericordiam. Errorem istum aliqua mitigatione ac temperamento emollierunt Semipelagiani, ad omne opus bonum gratiam requirentes, non verò ad initium fidei.

To.2.p. 762.C.

De

De parvulis, iidem Pelagiani, referente ibidem S. Auguſtino, dicebant: *Deus in eis quos hinc aufert, prævidit quemadmodum victurus eſſet, ſi viveret; & ideò quem nequiter novit fuiſſe victurum, ſine Baptiſmo facit emori, ſic in eo puniens opera mala, non quæ fecit, ſed que facturus fuit.* *Ibid. p. 728. B.*

Atque ex iis quæ hìc expoſita ſunt, facile eſt intelligere, quis fuerit abuſus & modus erroneus Semipelagianorum in admittenda ſcientia conditionatorum: è contra verò, quis oppoſitus S. Auguſtini ſenſus in ea rejicienda. Eam ſcilicet rejicit ac damnat: 1. Quæ ſit regula, cauſa & motivum prædeſtinationis adultorum ſive ad gratiam ſive ad gloriam; quaſi prævifus voluntatis conſenſus etiam ex auxilio gratiæ, certò & infallibiliter Deum moveat ac determinet ad gratiam & gloriam alicui prædeſtinandam. 2. Eam quæ pro re aliquando futura non admittit decretum ſeu prædeſtinationem Dei, quæ vera & prima ſit cauſa rei illius futuræ. 3. Eam per quam Deus prævidens pium quemdam naturæ ad fidem ſuſcipiendam affectum, certò moveatur ad gratiam fidei conferendam. Eam denique, quæ fundamentum ſit prædeſtinationis parvulorum, propter opera quæ nunquam futura ſunt, ſed futura tantùm fuiſſent, ſi diutiùs illi vixiſſent. Quo ſenſu rejiciat S. Aug. ſcientiã conditionatorum.

His verò ſic præſuppoſitis ac probatis, prompta & aperta eſt reſponſio ad teſtimonia S. Auguſtini, quæ ſcientiæ mediæ patronis objiciuntur.

Ad 1. ex cap. 10. Lib. de prædeſt. SS. reſpondent, S. Auguſtinum ibi agere de re quæ ſit abſolutè futura: ait enim ibidem, *Fecit quæ futura ſunt*; ac meritò rejicere rei hujuſmodi abſolutè futuræ præſcientiam, qualem Semipelagiani fingebant: ſcilicet quæ in decreto ſeu prædeſtinatione Dei tanquam in prima cauſa fundata non eſſet, ſed in conſenſu futuro voluntatis à Deo prævifo; ita ut conſenſus ille futurus etiam ſub conditione gratiæ, ſit Deo ratio & motivum gratiam conferendi: quem errorem his verbis loco citato reprimit ſanctus Doctor. *Quando promiſit Deus Abrahæ in ſemine ejus fidem gentium.... non de noſtræ voluntatis poteſtate, ſed de ſua prædeſtinatione promiſit. Promiſit enim quod ipſe facturus fuerat, non quod homines.* Et revera omne futurum ſive abſolutè, ſivè conditionatè, decretum Dei ſemper ſupponit; aut abſolutum, ſi res ſit abſolutè futura; aut conditionatum, ſeu quod ſit pars conditionis, ſi res futura ſit ſub conditione. *T. 10. p. 803. E.* *Ibid. E.*

Unde ad primum Goneti argumentum, 1. diſtinguunt majorem iſtam propoſitionem: Deus ſua prædeſtinatione præſcivit quæ fuerat ipſe facturus abſolutè, concedunt. Quidquid enim Deus abſolutè facit in tempore, id ab æterno facere conſtituit. Quæ fuerat facturus ſub conditione, negant. Quippè vel conditio ſub qua res futura prævidetur, ponenda eſt vel non. Si prius res abſolutè futura eſt, eamque Deus videt in ſuo decreto, non quidem quod præcedat, ſed quod ſequatur ſcientiam conditionatam, quodque ſit vera & prima cauſa rei futuræ. Si poſterius, ſuperfluum ac inutile videtur decretum Dei abſolutum & actuale pro re nunquam futura. Iſtam verò minorem propoſitionem ejuſdem Goneti, *Deus omnes actiones noſtras quantumcumque liberas, facturus eſt*, negat conceptis terminis S. ipſe Auguſtinus cap. 10. Lib. de prædeſtinatione SS. ubi ait, *prædeſtinationem ſine præſcientia eſſe non poſſe, poſſe autem eſſe præſcientiam ſine prædeſtinatione.* Revera enim præſcit Deus peccata, quæ non facit nec prædeſtinat. 2. Reſpondent, ſanctum Auguſtinum fundare præſcientiam rei futuræ v. g. *Ibid. E.*

vocationis ad fidem in decreto seu prædestinatione sua, per exclusionem scilicet abusus & modi erronei quo Semipelagiani negabant talem præscientiam fundari in decreto tanquam in prima & vera causa rei futuræ, concedunt: per exclusionem scientiæ conditionatorum quantùm ab substantiam consideratæ, negant.

Idem planè respondent ad secundum Goneti argumentum: nempè, Quod Deus promittit, non de nostra potestate, sed de sua prædestinatione promittit; excludendo scilicet sensum erroneum Semipelagianorum, id est scientiam conditionatam quæ sit causa motiva & impulsiva rei futuræ, aut quæ supponat meritum aliquod naturale prævium ad fidem, concedunt: quæ sit directiva solummodo decreti absoluti quod sequitur ac merè gratuitum est, negant.

Ad 2. testimonium ex cap. 9. ejusdem Lib. de prædest. SS. & item cap. 9. Lib. de dono persev.

Respondent, nullibi revocasse S. Augustinum quod scripserat in quæstionibus Paganorum, *tunc voluisse Christum hominibus apparere, quando sciebat & ubi sciebat esse qui in eum fuerant crediturí.* Ibid. A. *Quid enim est verius*, ait ipse S. Aug. loco in objectione citato, *quàm præscisse Christum, qui & quando, & quibus in locis in eum fuerant crediturí?* Verùm, cùm ex Litteris Prosperi & Hilarii intellexisset Semipelagianos in confirmationem sui erroris hac sua sententia abusos fuisse, hanc non quidem correxit sed exposuit, ac declaravit se absque præjudicio latentis Dei consilii, seu prædestinationis qua statuit fidei gratiam quibus voluerit concedere, hæc scripsisse; nec diligentiùs tunc expendisse, quòd istud non postularet sui contra Paganos instituti ratio. *Potest* Ibid. B. *enim dici*, ait ibidem, *tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat & ubi sciebat esse, qui electi fuerant ante mundi constitutionem.* Non erat igitur quòd S. Doctoris patrocinio gloriarentur Semipelagiani, quasi docuisset, quod illi contendebant, gratiam fidei à Deo illis in tempore concedi, quos ab æterno creditoros prænovit, sive ex gratia, sive ex pio quodam naturali ad credendum affectu: qui duplex error est ab Augustini mente ac doctrina planè remotissimus, & quem ex profes- L. de do. no per- sev. 9 so confutat L. de prædest. Sanctorum & de dono perseverantiæ, maximè ipso Tyriorum & Sidoniorum exemplo, qui, ipso attestante Christo, credidissent, si fides Evangelii annuntiata ipsis fuisset, quibus tamen annuntiata non fuit.

Ad auctoritatem S. Thom. ex 3. parte q. 1. art. 5. ad 2. ubi sanctus Doctor ait S. Augustinum Lib. de dono persev. retractasse quod scripserat in quæstionibus Paganorum: respondent, S. Thomam referre locum integrum S. Augustini, qui duabus partibus constat, in quarum prima, sanctus Doctor ait Christum tunc voluisse hominibus apparere, quando sciebat & ubi sciebat esse qui in eum fuerant crediturí: in postrema verò, omnes illos ad quos non venit, prævisos à Deo incredulos fore si ad eos venisset; quod postquam retulit S. Thomas, addit: *Sed hanc responsionem reprobans Augustinus in Lib. de perseverantia dicit: Numquid possumus dicere Tyrios & Sidonios talibus apud se virtutibus factis credere noluisse, aut credituros non fuisse, cùm ipse Deus attestetur eis, quòd acturi essent magnæ humilitatis pœnitentiam, si in eis facta essent divinarum illa signa virtutum?* At manifestum est his sancti Augustini verbis postremam dumtaxat partem textus à sancto Thoma citati re-

proba-

probari, non primam. Ergo S.Thomas noluit S. Augustino imponere aliquid falsi; sed voluit tantùm ostendere id quod erat, nempè S. Aug. reprobasse cap.9. Lib.de dono persev. quod postremo loco dixerat in Lib. de sex quæstionibus Paganorum.

Ad 1. verò argumentum quod Gonetus ex illo secundo S. Augustini testimonio ducit, respondent, in mente quidem ac doctrina Semipelagianorum quos sanctus Doctor refellit, idem esse Deum fidem hominum præscisse, ac homines fidem illam ex se habituros, ob duplicem nempè errorem mox dictum quo illi laborabant; non verò idem esse in propria S. Augustini sententia: quasi hæc duo inter se pugnarent, Deum præscisse fidem hominum, & fidem illam non esse ex beneficio gratiæ, sed ex solis viribus naturæ: quæ certè duo non pugnant inter se.

Quod addit idem Gonetus, idem esse *homines fidem Deo donante habere, ac Deum eorum fidem prædestinasse*, ultrò concedunt. Verùm integra, inquiunt, remanet quæstio inter nos controversa, utrum nempè prædestinatio illa sequatur vel antecedat scientiam conditionatorum. Thomistæ contendunt eam antecedere, alii è contra contendunt eam sequi, cùm prædestinationis decretum per illam scientiam dirigatur. Litem autem illam non dirimunt nec solvunt verba S.Augustini à Goneto relata.

Ad 2. verò istud Goneti argumentum; Futurum de quo S. Augustinus loquitur est conditionatum, quod admittebant Semipelagiani, de quo interrogatus fuerat à Prospero & Hilario, quod ipsemet sanctus Doctor docuerat & quidem absque ullo errore in quæstionibus Paganorum, ac subinde revocavit: atqui futurum hujusmodi S. Augustinus asserit esse à Deo prædefinitum, & idcircò præscitum; ergo futura conditionatè Deus cognoscit in suo decreto prædefiniente; ac consequenter funditus ruit scientia media.

Ad istud, inquam, argumentum respondent 1. distinguendo majorem propositionem: futurum de quo loquitur S. Augustinus, est conditionatum, quod Semipelagiani ex errore convertebant in absolutum, ita ut res sub conditione futura Deo causa foret, ratio ac motivum illam absolutè decernendi, concedunt: est conditionatum nudè ac simpliciter, negant.

Minorem propositionem sic pariter distinguunt: futurum illud est à Deo prædefinitum, prædefinitione subsequente scientiam conditionatam quæ in mente Semipelagianorum est prima causa rei à Deo absolutè prædefinitæ, concedunt: prædefinitione antecedente scientiam conditionatam, negant. Esto igitur, inquiunt, loquatur S. Augustinus de decreto conditionato Semipelagianorum, illud sanctus Doctor non rejicit nec damnat quantùm ad substantiam; (neque enim ex se vitiosum est, nec enim errori deputandum quidquid admiserunt Semipelagiani) sed rejicit ac damnat quantùm ad abusum Semipelagianorum, de quo sæpius dictum fuit. Neque etiam decretum hujusmodi quod S. Augustinus ab omni errore purum docuerat in quæstionibus Paganorum, unquam revocasse legitur quantùm ad substantiam, sed unum solummodo abusum, & errorem hæreticorum in eo admittendo, repressit.

Ad 3. testimonium ex cap.18. & 19. L. de dono persev. respondet scientiæ mediæ assertores, hæc in vanum sibi objici, quibus ultro subscribunt, sed quæ præsentis controversiæ scopum nullatenus attingunt. Quid enim ait

cita-

citatis in locis Augustinus? Deum ea quæ donat, prædestinare. An verò quisquam est inter Catholicos qui istud neget? Istud autem ex professo urget ac demonstrat sanctus Doctor contra Semipelagianos, qui causam futuræ v. gr. conversionis ad fidem non respondebant in decretum seu prædestinationem Dei, sed in prævisum voluntatis consensum, ut sæpius dictum jam fuit. Itaque prædestinationem Dei esse primam causam gratiæ quæ confertur, omnes uno ore profitentur Catholici: verùm remanet quæstio inter Theologos controversa, an illa prædestinatio præcedat vel sequatur scientiam.

At, inquies, docet præterea S. Augustinus, nomine præscientiæ apud Scriptores sacros & Ecclesiasticos intelligi debere ipsam prædestinationem, cùm de vocatione electorum agitur.

Reponunt qui Thomistis hic adversantur, meritò id docere S. Augustinum, & appositè quidem adversùs errorem Semipelagianorum, qui prædestinationem à præscientia ita pendere volebant, ut hæc illius causa foret certa & infallibilis.

At, inquies iterum, docet sanctus Augustinus, Deum idcircò rem futuram certò cognoscere, quia eam prædestinat; ergo præscientia Dei supponit præviam prædestinationem in qua fundatur: unde planè inutilis & otiosa est scientia media seu conditionatorum.

Respondent, Deum rem futuram certò cognoscere scientia absoluta & visionis, ut vocant, quia eam prædestinat, concedunt: scientia conditionata, quæ media dicitur esse inter scientiam visionis & simplicis intelligentiæ, de qua una hic quæstio movetur, negant.

Atque ex dictis hactenus facilè intelligitur, quo sensu Semipelagiani dixerint, Deum eos vocare quos sub adjutorio gratiæ vocationi consensuros esse prævidebat. Scilicet in duobus hic errabant: primò, quòd adjutorium illud gratiæ necessarium dumtaxat dicerent ad opera bona, non verò ad initium fidei. Secundò, quòd consensus à Deo prævisus sub adjutorio gratiæ, Deo foret causa & ratio gratiam illam conferendi; quæ duo abundè constant ex dictis.

Quamquam quod ex S. Prospero n. 8. Epistolæ quam scripsit ad S. Augustinum superiùs relatum fuit, Semipelagianos non spectat, sed antiquiores Scriptores, qui videntur admisisse prædestinationem fieri post prævisa merita gratiæ; quorum sententiam cùm Augustinus retractasse videretur, rogatur à sancto Prospero ut aperire velit quid ea de re ipse sentiat.

Tertium ex S. Augustino argumentum.

Molinæ discipuli iisdem planè motivis ac rationibus, quibus olim Semipelagiani, & propter eundem finem, usum scientiæ conditionatorum excogitarunt, nempè ut libertatem concilient cum absoluto prædestinationis decreto quod est secundùm Dei propositum, aliaque declinent incommoda, quæ Semipelagiani contra doctrinam S. Augustini in Lib. de corrept. & grat. expressam objiciebant, quæ scientiæ mediæ assertores etiamnum renovant & opponunt contra decreta absoluta & antecedentia Thomistarum: tanta nimirum est, inquiunt, consensio & affinitas inter systema scientiæ mediæ, & Semipelagianorum sententiam. Opponebant scilicet Semipelagiani, referen-

rente S. Proſpero in Epiſtola ad S. Auguſtinum n. 3. *removeri omnem induſtriam, tollique virtutes, ſi Dei conſtitutio humanas præveniat voluntates : & ſub hoc prædeſtinationis nomine, fatalem quamdam neceſſitatem induci, & per operantem & præoperantem gratiam liberum impediri arbitrium.* Paulò antè dixerant: *Propoſitum illud vocationis Dei, & lapſis curam reſurgendi adimere, & ſanctis occaſionem teporis afferre : eò quòd in utraque parte ſuperfluus labor ſit, ſi neque reiectus ulla induſtria poſſit intrare, neque electus ulla negligentia poſſit excidere.* T.10.p. 821.G. Ibid. p. 824.D. Ibid. p. 821.F.

Verùm ea ipſa ſunt gravamina ſeu incommoda quibus ſcientiæ mediæ patroni oppugnant ſententiam decretorum Dei abſolutorum, ſeu prædeſtinationis gratuitæ quæ ſit ante omnem meritorum etiam ex gratia prævisionem ; quam prædeſtinationem etiam rejiciebant Semipelagiani tanquam libertati noxiam & inimicam. Unde S. Proſper in eadem Epiſtola n. 8. rogat S. Auguſt. ut ſuam etiam circa iſtud caput mentem dignetur aperire: *Illud etiam*, inquit, *qualiter diluatur, quæſumus, patienter inſipientiam noſtram ferendo, demonſtres, quod retractatis priorum de hac re opinionibus, penè omnium par invenitur & una ſententia, qua propoſitum & prædeſtinationem Dei ſecundum præſcientiam receperunt ; ut ob hoc Deus, alios vaſa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem uniuſcujuſque previderit, & ſub ipſo gratiæ adjutorio, in qua futurus eſſet voluntate & actione præſcierit.* Pervulgatum eſt iſtud Fauſti effatum L. 2. de libero arbitrio & gratia c. 3. *Niſi præſcientia exploraverit, prædeſtinatio nihil decernit.* Ibid. p. 824.E. Bibl. PP. T. 8. part. 538. col. 1. C.

His porrò Semipelagianorum querimoniis ſatisfecit S. Auguſtinus duplici Libro de prædeſt. SS. & de dono perſeverantiæ : nec tamen legimus eum ullibi confugiſſe ad ſcientiam conditionatorum decreto Dei abſoluto priorem, ut libertatem cum decreto prædeſtinationis conciliaret; qui tamen modus, cùm facilis ſit, obvius, & apertus, idoneus maximè fuiſſet ſedandis illorum Semipelagianorum querelis: imò ſemper recurrit ad Dei omnipotentiam, adeo ipſi difficilis ad explicandum viſa eſt concordia gratiæ & prædeſtinationis cum libero voluntatis arbitrio. *Iſta queſtio*, ait Libro de Gratia Chriſti c. 47. *ubi de arbitrio libertatis & Dei gratia diſputatur, ita eſt ad diſcernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur ; quando autem aſſeritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.* T.10.p. 250.G.

Deinde ſcientiam mediam è diametro pugnare cum doctrina S. Auguſtini hoc argumento evincunt, nempè, adversùs ſcientiæ mediæ ſyſtema ea nunquam oppoſita fuerunt vel etiam objici meritò poſſunt, quæ contra doctrinam S. Auguſtini objecerunt olim Semipelagiani. Quis enim tam cæcus & abſurdus eſt, ut ſeriò dicat, ſcientiam mediam auferre à Deo voluntatem omnium ſalvandorum, fatum inducere, perimere libertatem, bonis afferre negligentiam, aliis teporem aut deſperationem; quæ totidem ſunt abſurda & incommoda quæ Semipelagiani opponebant adversùs Auguſtini doctrinam; ergo neceſſe eſt planè oppoſita & contraria eſſe utriuſque doctrinæ principia, quæ eaſdem & communes difficultates pati non poſſunt.

Reponunt qui ſcientiam mediam tuentur.

I. Falsò prorsùs ac contumeliosè ſupponi, communem ſibi eſſe cum Semipelagianis uſum ſeu potius abuſum ſcientiæ mediæ, quandoquidem ex memoratis paulò antè illorum erroribus, apertè conſtat quàm latum Solvitur tertiò argumentum.

latum sit discrimen suam inter & Semipelagianorum sententiam.

II. Non minùs falsò supponi, Semipelagianos ad conciliandam libertatem cum gratia & decreto prædestinationis absoluto, confugisse ad scientiam conditionatorum: imò nec confugere illi potuerunt suo stante systemate, nisi ex crassa & supina quadam contradictione. Nam si semel supponatur libertatem actus stare incolumem cum gratia per quam conceditur, & cum decreto antecedente quo prædestinatur, falsum est, quod illi tamen mordicus contendebant, per decretùm illud antecedens fatalem induci necessitatem: falsum consequenter removeri omnem industriam, tollique virtutes. Ergo Semipelagiani non conciliabant libertatem cum gratia & prædestinatione per scientiam conditionatorum decreto Dei absoluto anteriorem.

Et verò frustra id tentassent, suis inhærendo principiis, quia scientia illa, qualem defendunt Catholici, supponit necessariam esse gratiam quæ voluntatem præveniat; sed illam gratiam idcircò negabant Semipelagiani, quòd concipere non possent qua ratione staret libertas voluntatis si opus habeat gratia præveniente; quapropter docebant illi, naturale aliquod meritum gratiæ præire debere: ut ergo libertatem in tuto ponerent, gratiam destruebant. *Per operantem & præoperantem gratiam liberum impeditur arbitrium*, ajunt illi apud S. Prosperum loco citato. Idem docebant Pelagiani. *Non est liberum arbitrium*, inquiebat Pelagius apud S. Augustinum Lib. de gestis Pelagii cap. ultimo, *si indigeat auxilio Dei*. Item destruitur libertas quæ alterius opere indiget: *Si alterius opere indigeo*, dicebat idem hæreticus apud S. Hieronymum Epistola ad Ctesiphontem, *libertas arbtrii in me destruetur*. Semipelagiani ergo isto errore semel occupati, per gratiam prævenientem libertatem funditùs perimi: nequidem per illam scientiam, quæ gratiam hujusmodi supponit, libertatem cum gratia conciliare potuissent. Ea ipsa de causa nusquam S. Augustinus in præsenti quæstione recurrit ad scientiam conditionatorum, sed ad omnipotentiam Dei: quòd rectè intelligeret, in principiis Semipelagianorum integram & illæsam remanere difficultatem qua illi plurimùm movebantur; nec quidquam se apud illos proficere posse per scientiam conditionatam. Quamquam etsi, salva in omnibus fidei doctrina, Semipelagiani tentassent libertatem conciliare cum gratia & decreto prædestinationis, ope scientiæ conditionatorum quæ decretum antecedat, an ea ex parte culpandi fuissent? Neutiquam, sed potiùs laudandus eorum conatus.

To. 2. p. 824. D.

T. 10 p. 126. D.

Tom. 4. p. 2. pa. 478.

III. Respondent, ea ipsa incommoda quę Semipelagiani opponebant contra doctrinam S. Augustini, opponi pariter potuisse contra scientiam conditionatorum quę supponit gratię prevenientis & prœoperantis necessitatem: quia scilicet idem est ex utraque parte principium, gratię nempè prevenientis absoluta necessitas adversùs quam suos omnes impetus illi dirigebant, ex qua libertatem perimi, fatalem induci necessitatem, extingui virtutes &c. obtendebant: atque hinc inferunt scientię medię patroni, suam cum Augustiniana planè consentire doctrinam, utpotè quę eadem ex parte hæreticorum difficultates & objectiones patiatur.

IV. Respondent, prædestinationem secundùm Dei propositum, de qua S. Augustinus disputabat contra Semipelagianos, non eam esse precisè quę sitante omnem previsionem meritorum ex gratia, sed eam quę nullum supponat ex parte hominis meritum naturale gratię, seu initio fidei previum.

Ratio

Ratio eſt manifeſta: quia vel ipſo declarante Auguſtino Lib. de dono perſev. cap. 19. prædeſtinatio de qua loquitur talis eſt, *ut nemo niſi errando contra illam diſputare poſſit.* Quæ verba cadere dumtaxat poſſunt in eam prædeſtinationem quam fingebant Semipelagiani, quæ nempè ſupponeret aliquod meritum ſeu bonum opus ex ſolis naturæ viribus elicitum, quod illi admittebant ut libertati conſulerent: namque prædeſtinatio, quæ fiat vel ante vel poſt præviſionem meritorum gratiæ, liberè in utramque partem ſalva fide in Scholis agitatur. T. 10. p. 848. C.

Quapropter contendunt S. Proſperum loco citato non referre Semipelagianorum ſententiam, quaſi docuiſſent illi prædeſtinationem fieri ex prævi-ſione meritorum ſub adjutorio gratiæ, ſed Patrum antiquiorum, circa quam quid Auguſtinus ſentiat, exquirit. Cùm enim intelligeret S. Proſper, Maſſilienſes ad ſuas partes veteres Eccleſiæ Doctores conari adducere, ab Auguſtino poſtulat, quid ad hoc reſpondendum illis ſit: quandoquidem examinatis & expenſis eorum hac de re opinionibus, una penè omnium & par invenitur eſſe ſententia, hominum qui ſalvantur electionem, & eorum qui pereunt reprobationem, conſequi prævi-ſionem abſolutam meritorum & demeritorum: ex qua veterum Patrum doctrina, Semipelagiani concludere nitebantur, (quamquam falsò) admittendum eſſe aliquod meritum propriis naturæ viribus comparatum & independens à gratia, quod electionem & prædeſtinationem antecederet.

At, inquies, hoc ſaltem pro certo haberi debet, ſcientiæ mediæ defenſores conſpirare cum Semipelagianis in oppugnando decreto prædeſtinationis abſoluto & antecedenti, quale S. Aug. admittebat: & Thomiſtis ea ipſa incommoda & argumenta jam objicere, quæ olim Semipelagiani objiciebant Auguſtino; quæ certè in iiſdem objectionibus proponendis ſocietas, affinitatem & communionem in doctrinæ principiis arguere videtur.

Reſpondent, reipſa ſcientiæ mediæ defenſores oppugnare in Thomiſtis decretum prædeſtinationis abſolutum antecedens omnem futuri ſub conditione ſcientiam, quale in Auguſtino etiam ipſi Semipelagiani oppugnabant; verùm ex cauſa & ratione longè diſpari ac diverſa. Namque 1. Semipelagiani ex principio planè erroneo decretum illud averſabantur, quia ſcilicet planè gratuitum erat in mente S. Auguſtini, nec ullum ſupponebat (quod illi ferre non poterant) prævium naturæ meritum, ſaltem pium aliquem credulitatis affectum. *Quantum ad Deum pertinet*, ajunt illi apud S. Proſperum Epiſtola ad S. Auguſtinum n. 6. *omnibus paratam vitam æternam: quantum autem ad arbitrii libertatem, ab his eam apprehendi, qui Deo ſponte crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint.* Talem porrò errorem nuſquam Thomiſtis objecere ſcientiæ mediæ aſſertores. 2. Eſto Semipelagiani oppugnaverint in Auguſtino quodcunque Dei decretum abſolutum, prævium & efficax circa liberas hominis actiones; quid inde? Hoc unum: illos errore facti laborafle circa mentem ac doctrinam S. Auguſtini quam ignorabant. Revera enim, ajunt ſcientiæ mediæ defenſores, nuſquam decreta hujuſcemodi admiſit ſanctus Doctor; aut ſaltem hoc ipſum eſt de quo hic controvertitur. Interim S. Auguſtinus ſtrenuè confutat ac deſtruit omnia momenta quæ Semipelagiani ex incommodis ipſi opponebant, oſtenditque nec induſtriam removeri, nec extingui ſtudium virtutum; quia per gratiam, quam Deus T. 2. p. 813. D.

non

non denegat, meritò dici poteſt, quod ſæpius repetit ſanctus Doctor; *Homo, in eo quod audieras & tenueras, in eo perſeverares ſi velles.* Iſtud verò in ſyſtemate ſcientiæ mediæ, quale hic proponitur, locum habet; & quidem (ut videtur ſcientiæ illius defenſoribus) meliori longè jure ac ratione quàm in ſyſtemate decretorum Dei abſolutorum & præmoventium quæ antecedant ſcientiam conditionatorum, de qua controverſia ſuus erit aliquando dicendi locus.

L. de Correp. & Gr. 6.7. T.10 p. 756. E.

Quartum momentum quo ſcientia media impugnatur, ex conformitate ipſius cum doctrina Semipelagianorum, ac erroribus à quibus ſatis illa non recedit.

Quantùm ad 1. certum eſt, inquiunt, Semipelagianos uſurpaſſe ſcientiam conditionatorum, & quidem propter ea ipſa motiva quibus recentiores moventur ut eam admittant: quæ motiva paulò antè ex S. Proſpero relata ſunt.

Reſpondent. Reipſa Semipelagianos uſurpaſſe ſcientiam conditionatorum, nec in eo illos peccaſſe quòd ſcientiam illam quantùm ad ſubſtantiam admiſerint, ſed quòd ea fuerint abuſi in defenſionem ſuorum errorum, tùm circa prædeſtinationem adultorum & infantium, tùm circa initium fidei, tùm circa cauſam & motivum quo Deus determinatur ad gratiam concedendam, quos errores ſuperiùs expoſuimus, à quibus longè abſunt qui inter Catholicos ſcientiam illam jam tuentur. Igitur communia non ſunt cum Semipelagianis motiva omnia quibus recentiores ducuntur ut ſcientiam illam admittant.

Immeritò igitur nonnulli inter recentiores ad invidiam fingunt, defenſores ſcientiæ mediæ docere, *per illam ſcientiam Deum dirigi, utpote cauſa ſit & motivum conferendi gratiam*: quod figmentum tanquam errorem rejicit vel ipſe Molina in Concordia q. 23. art. 4. & 5. diſput. 1. membro 4. *Licèt*, inquit, *ſententia horum Doctorum primo aſpectu probabilis videatur, ſi tamen ita eam accipi volunt, quaſi Deus uſum liberi arbitrii prævi ſum tanquam menſuram, & velut regulam elegerit, ut pro ratione illius auxilia & media ad ſalutem conferre ex æternitate conſtituerit . . . . non dubito eam ſententiam non ſolùm eſſe falſam, ſed etiam cum Scripturis ſanctis, imò cum experimento ipſo quodammodo minimè conſentire, & Dei gratiæ præjudicium afferre; atque adeò parum tutam in fide eam arbitror, ne aliquid amplius dicam.*

P. 321. col. 1.

Ne autem ullus amplius ſuperſit ſcrupulus circa quartum iſtud momentum, atque ut ab omni ſuſpicione erroris Semipelagianorum purgentur, qui ſcientiam mediam in Scholis defendunt, audiatur inter recentiores Thomiſtas inſignis Thomiſta P. Alexander ad ſæculum V. Hiſt. Eccleſiaſticæ c. 3. art. 8. ubi differens de Semipelagianis eorumque placitis, ſic loquitur. *Cavendum tamen ne recentioribus quibuſdam Theologis, qui prædeſtinationem electorum ad gloriam intuitu meritorum à Deo fieri contendunt, & ſcientiam quamdam mediam propugnant, Semipelagiani erroris nota inuratur, quod imprudenter & temerè novi quidam Auctores fecerunt, vel Semipelagianorum dogmatum ignari, vel ſtudio partium in tranſverſum acti. Magnum enim eſt, quantùm ad hoc, utrumque dogma, inter Semipelagianos & Theologos illos diſcrimen. Nullam enim verò prædeſtinationem gratuitam Semipelagiani admittebant, nedum ad gloriam ſed nec ad gratiam; electionem ſcilicet ad gloriam meritis operum tribuebant, electionem ad gratiam merito fidei, de qua dici non poſſet: Quid habes quod non*

P. Alexander T. 10 p. 250. Ed. in fol. To. 5. p. 60. col. 1. F.

non accepisti? Utpotè quę in eadem natura remanserit, licèt vitiata, quæ priùs sana ac perfecta donata sit: ut refert Hilarius ad S. Augustinum scribens. Quę Semipelagianorum sententia erat hæretica. Theologi verò laudati, prædestinationem ad gratiam omninò gratuitam profitentur. Solam electionem ad gloriam intuitu meritorum fieri volunt. Quod mihi quidem à S. Augustini & S. Thomæ doctrina penitus alienum videtur: non tamen aliqua censura notandum. Quod spectat scientiam illam, quę media nuncupatur, non in hoc fuerunt hæretici Semipelagiani, quòd eam admiserint ac propugnaverint; sed quòd ex præscientia meritorum vel peccatorum, quę nusquam essent futura, Deum hominum sortes definire asserverent, & alios prædestinare ad gloriam, alios damnare ad pœnam: adque etiam locum habere in parvulis. At recentiores illi Theologi de quibus agimus, longè sunt ab istius erroris flagitio: quod enim propugnant scientiæ medię genus circa merita vel peccata, sub conditione quę nusquam ponenda sit futura non ita versatur, ut Deus in prædestinationis, & reprobationis negotio rationem eorum aliquam habeat. Illam quidem sententiam ex S. Augustini doctrina non operosè refelli existimo; ipsamsentio à veritate alienam: sed quę tamen salva religione in utramque partem impunè ventilari possit. Hactenus Natalis Alexander.

Magistrum sequitur discipulus Dominicanus alter Theologus etiam Parisiensis Hyacinthus Serri in Opere cui titulus, *Schola Thomistica vindicata*, pag. 8.

His freti suffragiis, omnique à doctrina scientiæ mediæ depulsa erroris suspicione, quiescere meritò possent ejus patroni, ac superseděre abulteriori examine aliorum errorum à quibus scientia illa non satis recedere dicitur: Verùm ad pleniorem sui defensionem examen illud non detrectant, quod causæ suæ magis elucidandæ ac defendendæ maximè sit opportunum. Hoc autem imprimis statim inspiciendum, utrum prætensi illi errores ex vitio ipsiusmet doctrinæ erumpant, an potiùs ex vitio docentis: si ex vitio doctrinæ, corrigenda illa est, aut deserenda; si ex vitio docentis, ejus errores ipsimet doctrinæ imputandi non sunt, sed ab illis tanquam extraneis & alienis vindicanda.

Errores à quibus scientia media non satis recedere dicitur. *Inter August. 223. T. 2. par. 822. E.*

Primus itaque error qui scientiæ mediæ imponitur iste est, æqualis scilicet & indifferens Dei erga omnium salutem voluntas. Ita quidem sentiebant Semipelagiani. *Bonitas Dei*, inquiebant apud S. Prosperum Epistola ad S. Augustinum, *in eo apparet, si neminem repellat à vita, sed indifferenter universos velit salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire.*

Reponunt, errorem illum longè remotum & alienum esse à scientia media, qualem propugnant: siquidem specialem agnoscunt Dei erga electos prædilectionem, quæ in eo elucet maximè quòd Deus ex gratuita planè ac misericordi voluntate, inter plura gratiæ adjumenta ea seligat ac conferat quibus hominem certò consensurum esse prænovit; quòdque justum ex hac vita tunc eripiat, cùm justus est, seu antequam è justitia excidat, de quo dicitur Sapientiæ cap. 4. *Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.* Quod certè beneficium planè singulare ac gratuitum, divinæ clementiæ ac bonitatis erga electos splendidum est argumentum. *Cujus miseretur*, ait S. Augustinus Lib. 1. ad Simplicianum q. 2. *sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.* *To. 6 p. 95. E.*

Secundus error est prædestinatio secundùm præscientiam, seu quæ fit ex præ-

prævisis meritis, qualem, referente S. Prospero, Semipelagiani docebant, & à veteribus accepisse se gloriabantur.

Respondent, prædestinationem illam vel esse ad gratiam, vel ad gloriam circa utramque errasse quidem Semipelagianos, & scientia conditionatorum abusos fuisse. 1. Quòd prædestinationem illam fundarent in aliquo naturæ merito quod omnem Dei gratiam anteverteret. 2. Quòd futurus hominis consensus à Deo prævisus, etiam sub adjutorio gratiæ, Deo regula foret & ratio motiva gratiam conferendi. Prædestinationem autem, per oppositionem ad duplicem illum errorem, gratuitam esse, affirmat fides Catholica: quo sensu dixit S. Augustinus L. de dono perse ver. cap. 19. *Neminem nisi errando adversùs illam disputare posse.* Nihil autem commune habere cum illo duplici errore scientiam mediam quæ in Scholis Catholicis propugnatur, certò certius est: nemo etenim est qui scientiam prædestinationis ex prævisis meritis gratiæ, erroris insimulare audeat, quæ tot habet Catholicos in Schola defensores; quamquam, ut antea monuimus, in systemate scientiæ mediæ æquè defenditur prædestinatio seu ante seu post prævisa merita gratiæ.

T.10.p. 848.C.

Tertius error est Arianorum, qui contendebant Christum ad Filii Dei dignitatem fuisse propter merita prævisa evectum. Testis est Alexander Episcopus Alexandrinus in Epistola ad Alexandrum Constantinopolitanum. *Omni*, inquit, *exuta erga Deum pietate ac reverentia, ajunt Deum, cùm præscientia & præsensione prænovisset, neutiquam ipsum aspernaturum, idcircò ex omnibus elegisse.*

Tom.1. Conc.p. 11. B.

Reponunt, in eo maximè peccasse Arianos, quòd dicerent Christum ob prævisa merita naturalia electum fuisse ad dignitatem Filii Dei, quæ sententia duplicem involvebat blasphemiam; primam, quòd negarent Christum verum esse natura & substantia Dei Filium, eumque ad communem aliarum creaturarum conditionem dejicerent. *Non enim eum aut natura, aut prærogativa quidquam præter cæteros filios Dei habuisse affirmant*, ait ibid. Alexander. Secundam, quòd propriis ex natura viribus hoc habuerit Christus, ut Filius Dei esse mereretur. *Est enim*, inquiunt illi in eadem Epistola, *in nostra quoque situm potestate filios Dei fieri, non aliter atque ille factus est.*

Ibid. Ibid. A.

Sic Ariani præludebant Pelagianis ac Nestorianis, quos societate subinde conjunctos fuisse constat ex Historia Conc. Ephesini. Quid porrò istud commune habet cum sententia scientiæ mediæ? Nihil profectò. Abusi sunt Ariani & Semipelagiani scientia media; ergo culpanda illa est ac rejicienda? Quis tam distortam & obliquam consecutionem non irrideat?

Quartus error est de quadam beatitudine parvulis sine Baptismo decedentibus à Deo concedenda, de qua sententia conquesti sunt apud Innocentium XII. nonnulli Ecclesiæ Gallicanæ Præsules adversùs Cardinalem Sfrondatum.

Verùm reponunt alii, accusationem istam ad se minimè pertinere, neque ad ipsum scientiæ mediæ systema: quòd si nonnulli errorem hunc docuerunt, vitium docentis est, non doctrinæ.

Quintus denique error circa gratiam versatur, quæ naturæ desideriis & conatibus ex certa Dei lege & pacto Christi conceditur, sive desideria hæc & conatus gratiam reipsa mereantur, ut volebant Pelagiani, sive sint tantùm occa-

occasiones quæ Deum excitant ad gratiam conferendam, ut placebat Semipelagianis, interprete ipsomet Cassiano apud S. Prosperum Lib. contra Collatorem cap. 3. uterque enim sensus errore non vacat. Unde Clerus Gallicanus an. 1700. in Comitiis generalibus censura confixit duas istas Propositiones.

Primam; *Axioma illud Theologicum, Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam, non solùm verissimum est, atque doctrinæ Scripturæ, Conciliorum & Patrum maximè consentaneum, verum etiam per illud significatur obligatio quam habet Deus dandi gratiam facienti quod in se est: nec solum facienti quod in se est viribus gratiæ, sed etiam illi, qui cùm non habeat gratiam, facit quod in se est viribus naturæ.*

Alteram: *Quia tamen opera viribus solius naturæ elicita, omnino sterilia sunt atque incapacia merendi bona intrinsecè & theologicè supernaturalia; ideo dicimus, obligationem quam Deus habet conferendi gratiam facienti quod est in se viribus naturæ, seu viribus gratiæ purè naturalibus, sive non theologicè supernaturalis, non oriri ex bonitate talium operum, aut ex ullo merito sive condigno sive congruo quod insit in illis operibus in ordine ad gratiam, sed ex pacto inter Christum fideiussorem nostrum & Patrem inito, ad gratiam hominibus conferendam propter Christi merita, respiciendo ea naturalia opera, ut purum terminum, non ut meritum ullum aut rigorosam conditionem.*

Hæ duæ Propositiones, inquit Clerus Gallicanus, *quæ parte causam discernendi inter justos & non justos in opera merè naturalia referunt, Semipelagianismum instaurant, mutatis tantùm vocibus. Pactum autem quod inter Deum & Christum asseritur, commentum est temerarium, erroneum, nec solùm tacente, sed etiam adversante Scriptura & SS. Patrum traditione prolatum.*

Respondent, erroneam istam doctrinam à Clero Gallicano debita censura proscriptam, omnino extraneam esse systemati scientiæ mediæ; quæ stat incolumis & integra, iis etiam præcisis & amputatis erroribus, quos procul à se abjudicant qui scientiam mediam defendunt.

Quintum momentum ex incommodis.

Plura ex scientia media incommoda derivari obtendunt, qui eam insectantur.

I. Ruinam humilitatis & modestiæ Christianæ, ob eam quam in viribus liberi arbitrii præsidentiam inspirat. Neque fieri vix potest, ut qui eadem cum alio gratia donatus sese ab illo per liberum arbitrium suum gratiæ consentiendo discernit, sensim non infletur, non superbiat, atque in semetipso glorietur. *Non enim mediocris virulentiæ fibra nutritur*, ait S. Prosper in Epistola ad Augustinum, *si principium salutis malè in homine collocatur.* T. 2. P. 844. B.

II. Orationis necessitatem tollit, ac extinguit fervorem: si enim statuas gratiam tibi semper adesse, & quidem arbitrio tuo subditam, quid oratione tantum opus est? Quid est quod tam enixè petas? An gratiam? at præsto illa est? An bonum gratiæ usum? at is in tua potestate est. *Irrisoria autem petitio est*, ait S. Aug. Lib. de dono perseverantiæ cap. 2. *cùm à Deo petitur quod scitur non ipsum dare, sed ipso non dante esse in hominis potestate: sicut irrisoria est etiam illa gratiarum actio, si ex hoc gratiæ aguntur Deo, quod non donavit ipse nec fecit.* T. 10. P. 823. D.

III. Christianum timorem convellit. Quid enim timeas saluti, si gratia ver-

ſatilis nunquam abſit, & ea utaris prout volueris? Attamen hujuſce timoris cauſam hanc eſſe ait Apoſtolus, Philipp. 2. *quòd Deus operetur in nobis velle & perficere pro bona voluntate* (ſua.)

IV. Charitatem in Deum imminuit ac debilitat. Potiſſimùm enim illa accenditur beneficiorum à Deo acceptorum recordatione, quæ frigida omnino eſt, cùm minuitur beneficiorum Dei magnitudo & efficacia: minuitur autem, cùm vires liberi arbitrii adeo extolluntur ac prædicantur.

V. Hæreticis occaſionem calumniandi ſubminiſtrat, dum quotidie clamant, Eccleſiam in ſinum ſuum doctrinam gratiæ Chriſti inimicam admiſiſſe.

VI. Gratiæ vim ac dignitatem deprimit, quam libero ſubjicit arbitrio, à quo determinatur ut agat; cujus proinde pediſſequa eſt, non domina, non magiſtra.

VII. Denique, ad morum laxitatem viam aperit. Qui enim hominum arbitrio gratiam ſemel accommodant, ii quoque deinceps eiſdem hominibus in reliquis accommodare ſe debent; & ubi minora auxilia conceduntur, extenuare pariter debent vitæ Chriſtianæ officia, & peccata minuere. Addunt, dum naturæ vires ita extolluntur, eò ſenſim procedi ut juſto plùs prædicentur hominum abſque Deo viventium facta; & ita ſanctæ Religionis noſtræ neceſſitas, & Chriſti Salvatoris laudes non mediocriter deterantur.

Quàm vana ſint & gratis conficta iſtæc omnia contra ſcientiam mediam argumenta, hocunico momento generatim demonſtrant ejus defenſores, ſcilicèt negari non poſſe in ſtatu innocentiæ locum habuiſſe ſcientiam mediam, & gratiam verſatilem libero voluntatis arbitrio permiſſam. In eo quippe ſtatu, procul dubio Deus certiſſimè novit quid homo innocens facturus eſſet ſi in his vel illis circumſtantiis poneretur: quæ quidem ſcientia conditionatorum, ea ipſa eſt ſcientia quæ media vocatur. Jam verò ſeriò ac depoſitis omnibus præjudiciis ac ſtudio partium, recogitent adverſarii, an hujuſmodi ſcientia in ſtatu innocentiæ eos defectus, eaſque imperfectiones habuerit, quas ipſi exprobrant in ſtatu præſenti? An ruinam humilitatis ac modeſtiæ invexerit; extinxerit orationis neceſſitatem ac fervorem; omnipotentiæ divinæ virtuti detraxerit; imminuerit gratiæ vim ac neceſſitatem; an gratiam voluntati ſubjecerit, & tot alia abſurda & inepta quibus eam incuſare & infamare nitùntur? Quòd ſi tot probra in ſcientiam conditionatorum ſtatus innocentiæ conjicere non audent, ut quid rogo iis eam onerant in ſtatu præſenti, cùm eadem ſit quoad ſubſtantiam ſcientia? Addo, quod certè paradoxum videbitur, in ipſomet ſyſtemate Janſenii uſum ſcientiæ mediæ locum habere & admittendum eſſe. Vide quæ eam in rem diximus ubi de gratia, Tom. 2. pag. 698. num. 3.

Reſpondent itaque ſcientiæ mediæ patroni: hæc omnia quæ ſibi objiciuntur incommoda, apud rudiorem & rerum Theologicarum imperitam plebem ad fucum & invidiam ventitari ac valere poſſe; non apud cordatos Theologos qui ſtrictiori methodo ad trutinam veritatis argumenta Theologica expendunt ac ponderant. Hæc enim omnia, inquiunt, jure ac meritò Semipelagianis oppoſita fuere, quæ nonniſi falsò ac contumelioſè ſcientiæ mediæ imputantur.

Ad 1. meritò Semipelagianis ruina humilitatis Chriſtianæ objiciebatur, qui

qui *salutis initium* in homine collocabant, non in Deo, ut ait S. Prosper laudatus; qui naturam gratiæ præire, & ad fidei initium sufficere pium quemdam credulitatis affectum arbitrabantur: an verò quisquam est inter defensores scientiæ mediæ qui tale quid docuerit? Quorsum ergo hæc opponuntur? Qua fide, qua sinceritate? In hypothesi autem adducta duorum hominum qui eadem omnino gratia donantur, cui unus consentit, alter verò reluctatur, respondent, 1. fictitiam videri hanc hypothesim: si enim eadem omnino in his supponatur gratia, aut ambo consentient, aut ambo reluctabuntur. In doctrina Jansenii, si delectatio cœlestis & terrena in eodem homine gradibus æquales fuerint, nec una altera fuerit superior, tunc voluntas in æquilibrio suspensa manebit, nec quidquam operabitur, donec accedente novo aliquo gradu, aut ad charitatem aut ad cupiditatem, ad benè vel malè agendum determinetur. 2. falsò prorsus supponi in adducta hypothesi, eum qui gratiæ consentit altero dissentiente, se per liberum arbitrium ab illo discernere, ac gloriandi locum habere: quia scilicet liberum arbitrium per seipsum olum non operatur, sed maximè per auxilium gratiæ sine qua nihil potest; ac consequenter causa discretionis in gratiam refundi debet, quæ cùm sit instrumentum Dei, præcipuæ ac nobiliores in opere bono partes ipsi ttibuendæ sunt. *To. 2. p. 322. G.*

Adde quòd in sententia eorum qui ad explicandam gratuitam prædestinationem scientiam mediam adhibent, ille qui consentit, majorem semper à Deo obtinet gratiam in ratione doni, etsi fortè major non sit in ratione auxilii. Idcirco enim consentit, quia eam ipsi Deus ex pura misericordia gratiam seligit, cui prævidit eum esse consensurum si daretur: quod de altero, qui non consentit, dici non potest. Ac proinde discretio consentientis à non consentiente, ad illam Dei miserentis prædilectionem semper est revocanda.

Ad 2. Premit quidem argumentum istud Semipelagianos, ob causam mox dictam, nullatenus verò scientiæ mediæ defensores, qui communi suffragio docent gratiam nemini debitam esse, sed planè gratis à Deo conferri: unde tantum abest ut orationis necessitatem ac fervorem tollant, quin astruunt magis ac commendant, ut nempe uberior gratia & bonus ipsius usus à Deo impetretur. Neque enim contendunt illi, ut supponit objectio, aut semper & omni momento adesse gratiam quæ proximè & immediatè ad benè agendum necessaria est; aut bonum gratiæ usum sic esse in potestate liberi arbitrii, ut auxilio uberiori non indigeat ad benè operandum: non ita est; sed docent paratam saltem esse, nec deesse gratiam orationis per quam homo potest gratiam actionis à Deo impetrare, qua opus habet, ut hic & nunc, superatis tentationibus quibus à bono gratiæ usu omnino retrahitur aut saltem retardatur, opus bonum reipsa operetur: quæ certè doctrina, ut manifestum est, miré commendat necessitatem orationis, nedum eam evertit. *In Disserta-tione, cui ti-tulus, Janse-nianæ erroris calum-nia subla-ta. C. 2. par. 1.*

Hanc quidem communem omnibusque paratam gratiam orationis, velut putidum figmentum ab Alphonso le Moyne Doctore ac Professore Sorbonico excogitatum sugillant: attamen Eminentissimus Card. Norisius, vir acerrimi ingenii & doctrinæ non vulgaris, postquam in omne latus se convertit ut Jansenianæ doctrinæ suspicionem à se amoveret, eò tandem adductus fuit, quod suo loco probabitur, ut gratiam illam orationis commu-

nem agnoſceret, per quam, ſi non immediatè ac proximè, mediatè ſaltem ac remotè poſſibilia fiant Dei mandata.

Nonne ipſi Thomiſtæ paſſim docent gratiam ſufficientem nemini à Deo denegari? Ita vulgò ſentire diſcipulos omnes S. Thomæ, Ledeſma conteſtatur. Imò de ipſa gratia efficaci, & motione prædeterminante ita pronuntiat Pater Maſſoulié, diſſert. 4. q. 3. art. 4. *Reſpondeo enim eſſe in mea poteſtate non ſolùm habere actum, qui continetur in virtute potentiæ ſufficienti auxilio roborate, ſed etiam habere ipſam divinam motionem; quia ea nunquam denegatur, cùm urget præceptum implendum, niſi propter impedimentum, quod in mea poteſtate eſt non ponere; atque ea ſolutione, difficultates omnes planè exhauriuntur.* Quam ſententiam ib. art. 3. pag. 359. omnibus S. Thomæ diſcipulis communem facit, eamque SS. Patrum placitis, & ipſius imprimis S. Thomæ principiis conſentaneam eſſe demonſtrat, Janſeniumque ſecus ſentientem egregiè confutat. Igitur nonniſi à larvato aut certè minùs perito Thomiſtæ premi hac ratione poſſunt ſcientiæ mediæ defenſores.

P. 365. col. 2.

Et verò ſi ſemel hoc ſtatuas, gratiam ad ſimpliciter orandum neceſſariam ex ſeſe efficacem eſſe debere, quam Deus pro ſuo beneplacito aliis concedit, aliis verò denegat, qui ea omnino carent videntur omni ope ac ſubſidio deſtituti ad obſervanda Dei mandata; imò ad torporem, negligentiam ac deſperationem quodammodo adduci: quantus autem hinc apertus ſit ad projectam morum licentiam ac laxitatem aditus, nemo eſt qui facilè non intelligat. Quid enim dices homini omni gratia etiam ad ſimpliciter orandum deſtituto? Abſtine te à malo; Dei mandata obſerva. At quomodo, inquiet ille, hæc poſſum ſine gratia quam non habeo? At ſaltem ora. Verùm etiam reponet, ad orandum indigeo gratia orationis efficaci, quæ mihi quoque denegatur: hanc quietus expecto, & donec venerit, nec abſtinere à malo poſſum, nec Dei mandata obſervare.

Ad hanc orationis ſaltem minùs fervidæ gratiam omnibus oblatam recurrit ſæpius S. Aug. ut omnem peccatis excuſationem eripiat. *Quando*, inquit Lib. de correp. & gratia c. 2. *non agunt, ſive omnino non faciendo, ſive non ex charitate faciendo, orent, ut quod nondum habent accipiant.* Etc. 3. *O homo, in præceptione cognoſce quid debeas habere, in correptione cognoſce tuo te vitio non habere, in oratione cognoſce unde accipias quod vis habere.* Et Lib. de Gratia & libero arbitrio c. 15. ad hæc verba Eccli. 15. v. 16. *Si volueris conſervabis mandata: Ut homo*, inquit, *qui voluerit & non potuerit, nondum ſe plenè velle cognoſcat, & oret ut habeat tantam voluntatem, quanta ſufficit ad implenda mandata.* Denique, ut infinita hujuſcemodi omittamus, L. de natura & gratia c. 69. cùm dixiſſet Deum *impoſſibilia non jubere*, addit: *Hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.* Supponit igitur conſtanter S. Aug. omnibus fidelibus dari vel ſaltem offerri gratiam ad ſimpliciter orandum, quæ nempe proximam conferat orandi potentiam: quippe ſi fidelis ſit in potentia dumtaxat remota ad ſimpliciter orandum, non habet is aliam potentiam proximam pro impetranda oratione, alias procederetur in infinitum.

To. 10. p. 752. B. Ib. D. Ibid. p. 734. B. Ibid. p. 164. A. Vide apud Noriſium citata diſſert. p. 122. quid ex Auguſt. doctrina neceſſarium ſit ut quis ſit in potentia

Dixi fidelibus præſto eſſe gratiam ſaltem ad ſimpliciter orandum, quia interdum accidit ex eorum culpa & negligentia, eos proximam non habere ad fervidam & perſeverantem orationem potentiam. Ita fatetur ipſemet S. Aug.

L. 1. ad Simpl. q. 2. *Nonne*, inquit, *aliquando oratio noſtra ſic tepida eſt, vel potius frigida & penè nulla, imò omnino interdum ita nulla, ut neque hoc in nobis cum dolore advertamus? quia ſi vel hoc dolemus, jam oramus. Quid ergo aliud oſtenditur nobis, niſi quia & petere, & quærere & pulſare ille concedit, qui ut hoc faciamus, jubet.* Verùm de hoc argumento pleniùs ubi de gratia. *proximа ad orandi proimpetrandа gratia efficacia ad implendа præceptum.*

Ad 3. eadem eſt reſponſio: Tanta ſcilicet eſt tentationum vis atque frequentia, tanta voluntatis noſtræ infirmitas, ut ſemper timendum ſit ne gratiæ minùs obſequentes ſimus; unde ſine intermiſſione orandum, ut uberiores à Deo impetremus gratias, quibus cordis duritia frangatur & voluntas ad obſequium inflectatur. *Cum metu ac tremore ſalutem veſtram operemini.* Philipp. 2. v. 12. *To. 6. p. 102. F.*

Ad 4. Ajunt objectiones hujuſcemodi non niſi ex ignorantia ſententiæ quæ ſcientiam mediam tuetur, oriri poſſe. Tantum enim abeſt ut in ea ſententia imminuantur Dei erga homines beneficia, aut noſtra pro illis acceptis extenuetur recordatio, quin accenditur magis: quandoquidem maximi beneficii loco haberi debet, quòd Deus inter multa gratiæ auxilia illa ſeligat quibus prævidet voluntatem eſſe conſenſuram; & quòd infinitas propemodum peccandi occaſiones ab illa avertat. *Hoc tibi dicit Deus tuus*: ait egregiè S. Aug. homil. 23. inter 50. nunc ſerm. 99. *Regebam te mihi, ſervabam te mihi. Ut adulterium non committeres, ſuaſor defuit: ut ſuaſor deeſſet, ego feci. Locus & tempus defuit, & ut hæc deeſſent, ego feci, &c.* *To. 5. p. 413. F.*

Ad 5. Quis commotus unquam fuit vanis illis ac falſis hæreticorum querelis? Si quis Thomiſtis objiceret, Lutheranos & Calviniſtas plurimùm ſibi gratulari quòd in tuendis decretis Dei abſolutis ac prædeterminantibus, ſocios habeant ac Magiſtros Thomiſtas, nec quidquam circa libertatem & Deum peccari auctorem ſibi opponi poſſit, quod in Thomiſtas ipſos non recidat, an multi facient Thomiſtæ vanum illum triumphum & inepta jactantiam? Non puto. Ergo à pari &c.

Ad ſextum: Nihil ea idea falſius, nihil à recta philoſophandi ratione alienum magis. An verò humana voluntas id determinare dicenda eſt, quod ex ſe propriaque natura & indole determinatio quædam eſt, inclinatio, propenſio? Qui habitus alicujus pondus & inclinationem ſequitur, an meritò dici poteſt habitum illum determinare? Qui oculos aperit ad lumen Solis ut objecta videat, an dicitur lumen determinare ad viſionem? Quid abſurdius? Imò potius determinationem & habitus ad actum illi conformem, & luminis ad viſionem efformandam dicitur ſequi. Ita prorſus res ſe habet reſpectu gratiæ, quæ ex ſeſe inclinatio eſt, propenſio, pondus, determinatio ad bonum: qui ergo gratiæ obſequitur, gratiam non determinat, ſed potius ejus determinationi ac inclinationi obſequitur; nec conſequenter gratia pediſſequa eſt voluntatis, ſed voluntas pediſſequa gratiæ.

Ad 7. denique reponunt, gratis omnino ac ſine ullo prorſus fundamento iſtud proponi. Quæ verò ſententia, Thomiſtarum, vel aliorum, favere magis videatur morum laxitati, patet, inquiunt, ex iis quæ hìc dicta ſunt in reſponſione ad ſecundum incommodum.

Sextum momentum ex novitate ac facilitate.

Primò quidem novitatis vitium exprobrant sententię quę scientiam mediam invexit, duce & auctore Molina, qui Libro de Concordia q. 23. art. 4. & 5. membro ultimo, de novo illo fœtu sibi gratulatur, aitque, *quòd si Augustini ætate nata & explorata fuisset, forsè nec Pelagiana hæresis nata fuisset, nec Lutherani tam impudenter arbitrii nostri libertatem fuissent ausi negare.*

Secundò, vitio vertunt scientiæ mediæ, quòd clarè ac dilucidè exponat mysterium concordiæ gratiæ cum libertate, quod tamen Augustinus, splendidum illud Ecclesiæ lumen, obscurum esse, & ad exponendum perdifficile asseruit; unde ad unam Dei omnipotentiam, ut concordiam illam assereret, recurrit.

Ad primum duo reponunt Molinæ defensores.

I. Nec verba, nec sensum Molinæ in citato Concordiæ loco ab adversariis, Goneto imprimis, sincerè referri. Hæc sunt verba Molinæ. *Nos pro nostra tenuitate rationem totam conciliandi libertatem arbitrii cum divina gratia, præscientia & prædestinatione, quam toto articulo 13. q. 14. & ar. 6. q. 19. q. 22. & tota hac quæstione tradidimus, sequentibus principiis, ex quibus eam deduximus, quæque variis in locis tradidimus, inniti judicamus.* Quibus verbis, non de scientia media tantùm sermo instituitur, ut supponere videtur Gonetus, *sed de tota ratione conciliandi libertatem arbitrii cum divina gratia & prædestinatione*: de qua ratione (non de scientia media) post verba jam citata immediatè subjungit Molina: *Quæ si data, explanataque semper fuissent*, Gonetus ponit, *fuisset*, ut de scientia media Molina sic putaretur locutus. Est ergo genuinus & manifestus hujus loci sensus: si sequentia principia quatuor (inter quę unum est scientia media) ea ratione & methodo, ad conciliandam libertatem arbitrii cum divina gratia, præscientia, & prędestinatione, connexa inter sese atque disposita semper fuissent, qua ratione, ordine ac methodo ea omnia data explanataque jam sunt, fortè neque Pelagiana hæresis fuisset exorta, neque Lutherani tam impudenter arbitrii nostri libertatem fuissent ausi negare, obtendentes cum divina gratia, præscientia, & prędestinatione cohærere eam non posse.

Ed. Antuerp. p. 387. col. 2.

II. Respondent non satis hìc sibi constare adversarios suos, qui ex una parte novitatem scientiæ medię objiciunt, ex altera verò ejus antiquitatem in Arianis ac Semipelagianis fatentur. Quomodo ista secum cohęrent? Scientia igitur media nova & vetus dici potest: vetus, quoad substantiam; nova, quoad usum, modum & methodum eam exponendi. Nunquam scripsit Molina scientiam mediam se primum excogitasse, & in Scholas induxisse quantùm ad substantiam: sicut enim considerata, nihil aliud est quàm scientia conditionatorum à decreto Dei absoluto independens illoque anterior, quæ in Deo est ab æterno: quantùm verò ad usum, modum ac methodum eam exponendi, si Molina, aut quilibet alius è Schola Theologus aliquid de suo excogitavit, quod nullus ante ipsum excogitaverit, quod tamen utilitatis non nihil conferat ad explananda utcumque fidei capita, ac minuendas difficultates quibus impugnantur, an ideo culpandus? Imò laudandus magis. In eo quippe versatur potissimum Doctorum Scholæ industria, ut studio ac

medita-

meditatione varias rationes excogitent, variaque momenta quibus fidem illustrent, ac contra Novatores defendant: inde tanta opinionum Scholæ multitudo ac varietas. Novitas igitur suspecta meritò esse debet, ubi de dogmate agitur; at ubi de ratione & methodo exponendi dogma, si benè succedat, laudanda est & amplexanda. Egregium est ea de re Vincentii Lirinensis monitum c. 27. *Pretiosas*, inquit, *divini dogmatis gemmas exsculpe, fideliter coapta, adorna sapienter, adjice splendorem, gratiam, venustatem. Intelligatur te exponente illustrius, quod antea obscurius credebatur. Per te posteritas intellectum gratuletur, quod antè vetustas non intellectum venerabatur: eadem tamen quæ didicisti doce, ut cùm dicas novè, non dicas nova.* Bibl. PP. T. 7. pag. 258. col. 2. E.

Ad 2. patet ex mox dictis responsio. Neque verò, inquiunt, idcirco rejicienda scientia media, quòd clariùs exponat concordiam libertatis cum gratia: imò potius eam ipsam ob causam retinenda: alioqui rejicienda pariter foret communis ista & pervulgata SS. Patrum sententia, res non ideo esse futuras, quia cognoscuntur à Deo, sed potius ideo cognosci quia futuræ sunt; quia nempe facillimè conciliat libertatem & contingentiam rerum futurarum cum divina præscientia: qui conciliationis ac concordiæ modus, si non quoad nomen, saltem quoad rem coincidit in ipsam scientiam quæ media dicitur, sicut observat ipse Molina in 1. p. S. Th. q. 14. art. 13. disp. 18. membro 2. Ita certè ut scientia illa media nihil novi addat mox dictæ veterum sententiæ, sed eam tantùm magis evolvat & explicet. P. 225. del. 1.

Revera S. Aug. ea scientia usus non est contra Pelagianos ac Semipelagianos, ut ostenderet stare libertatem cum gratia, quia, ut antea diximus, nihil inde profecisset, eò quòd scientia illa supponit gratiæ prævenientis necessitatem, quam idcirco illo hæretici negabant, quòd non satis intelligerent eam conciliari posse cum libero voluntatis arbitrio: unde necesse habuit sanctus Doctor recurrere ad omnipotentiam Dei, ut mysterium istud gratiæ & libertatis conciliaret.

Quòd si eo solo nomine rejicienda foret aliqua circa gratiam opinio, quòd plana videatur & ad intelligendum facillima, ergo vel hoc uno titulo reprobanda sententia Jansenianorum, qui vim & efficaciam gratiæ repetunt ex delectatione cœlesti quæ gradibus superior est ipsa opposita concupiscentia, nihil enim ad intelligendum facilius: quippe vel ex ipsa mechanica lege necesse est minus pondus trahi à majori; ac tres quatuorve gradus gratiæ superari non posse ab uno vel duobus gradibus concupiscentiæ. Verùm de hoc argumento aliàs.

Septimum momentum ex Censura Romana in Congregatione de Auxiliis.

Recentior scriptor è familia Prædicatorum sub larvato nomine Abbatis le Blanc, grandiori volumine anno 1700. Lovanii edidit Historiam famosarum Congregationum de Auxiliis, in qua disputationem ab exordio resumens, ostendere nititur Librum de Concordia Ludovici Molinæ, statim ac editus in lucem fuit, variis per orbem Christianum censuris perstrictum fuisse, Romana imprimis, in famosis illis Congregationibus de Auxiliis, quę sub Clemente VIII. & Paulo V. habitæ sunt; omnesque Censores seu Con-

ſultores, uno aut altero excepto, in damnationem Libri Molinæ conſpiraſſe, ac tandem rem eò adductam, ut Clemens VIII. jam jam in Molinam pronuntiaturus eſſet, niſi ex improviſo morte præventus fuiſſet: Paulum verò V. ejus ſucceſſorem, juſſiſſe quidem parari Bullam ſeu Conſtitutionem contra eundem Librum, ſed nonnullis politicis rationibus commotum, rem in aliud tempus magis opportunum diſtuliſſe.

Prodiit ex altera parte ampliſſima Hiſtoria controverſiarum de Auxiliis Antuerpiæ an. 1705. qua prior Hiſtoria falſi redarguitur ac plenè confutatur. Nobis ſatis otii non eſt, ut ſingula capita in quibus litigantes partes diſcordant, hìc excutiamus: hoc unum ad præſens noſtrum inſtitutum ſufficiat, nullam ſcilicet fidem habendam eſſe omnibus illis Actis quæ circumferuntur ſub titulo Hiſtoriæ Congregationum de Auxiliis; adeoque nullius eſſe ad probandum ponderis, quæcunque inde contra ſcientiam mediam argumenta facti deduci poſſunt.

Rec. des Bulles, t. 102.

Ita porrò declaravit Innocentius X. S. P. emiſſo eam in rem Decreto an. 1654. die 23. Aprilis. En verba Decreti. *Cùm tam Romæ quàm alibi circumferantur quædam aſſerta Acta manuſcripta, & forſitan typis excuſa, Congregationum habitarum coram felicis recordationis Clemente VIII. & Paulo V. ſuper quæſtione de Auxiliis divinæ gratiæ, tam ſub nomine Franciſci Pegnæ olim Rotæ Romanæ Decani, quàm fratris Thomæ de Lemos Ordinis Prædicatorum, aliorumque Prælatorum & Theologorum, qui, ut aſſeritur, prædictis interfuerunt Congregationibus, nec non quoddam Autographum ſeu exemplar aſſertæ Conſtitutionis ejuſdem Pauli V. ſuper definitione prædictæ quæſtionis de auxiliis, ac damnationis ſententiæ ſeu ſententiarum Ludovici Molinæ Societatis Jeſu: eadem Sanctitas ſua præſenti hoc Decreto declarat ac decernit, prædictis Actis aſſertis, tam pro ſententia fratrum Ordinis S. Dominici, quàm Ludovici Molinæ aliorumque Societatis Jeſu Religioſorum, & Autographo ſeu exemplari prædictæ aſſertæ Conſtitutionis Pauli V. nullam omnino eſſe fidem adhibendam, neque ab alterutra parte, ſeu à quocunque alio allegari poſſe vel debere: ſed ſuper quæſtione prædicta obſervanda eſſe Decreta Pauli V. & Urbani VIII.*

Quibus quidem Decretis Pauli V. an. 1611. die 1. Decem. Urbani VIII. an. 1625. die 22. Maji, & Innoc. X. an. 1654. die 23. Aprilis; item & Innoc. XII. an. 1694. die 26. Januarii, & die 6. Februarii, cautum eſt ne Theologi ubi de divinis auxiliis diſputant, aliqua erroris aut alterius cenſuræ nota ſeſe invicem perſtringant, ſed intra Chriſtianæ modeſtiæ fines concluſi, ea in ſuis opinionibus tuendis libertate utantur, quam Eccleſia concedit.

Quod verò ſpectat privatas aliquas contra ſcientiam mediam cenſuras, agnoſcit ingenuè recentior ſcriptor Hyacinthus Serri in jam citato Libro Scholæ Thomiſticæ vindicatæ pag. 8. *nullam, quod ſus attinet, cenſuris illis ineſſe vim; iis adſtringi neminem; Molinæ ſyſtema à ſuis etiamnum defendi poſſe, nulliquè fas eſſe invidioſas illi Pelagianiſmi notas inurere.*

Octavum momentum ex variis rationibus Theologicis.

Nonnullas jam ejuſcemodi rationes ſeu objectiones occupavimus, ſolvendo momenta quæ ex incommodis adversùs ſcientiam mediam petuntur: quæ ſuperſunt præcipuæ, hìc diluendæ, quas ad tria capita revocamus.

PRI-

PRIMUM CAPUT.

Scientia media Deo eripit titulum primæ cauſæ, primi liberi, primi moventis; titulum ſupremi dominii in voluntates noſtras. Derogat omnipotentiæ divinæ; Deo tribuit modum concurrendi cum cauſis liberis cæcum & imperitum.

Opponunt igitur 1. Cùm Deus ſit cauſa prima, cauſa univerſaliſſima, primum agens ac primum movens, debet creaturam determinare, non autem ab ea determinari: debet priùs cauſalitate concurrere in genere cauſæ efficientis, quàm liberum arbitrium illi ſubordinatum; adeoque priùs natura: quia inter ea quæ ordinata ſunt, neceſſariò debet eſſe ordo; ergo cùm Deus & liberum arbitrium concurrant efficienter ad actum liberum, & Deus concurrat ut primus motor & prima cauſa liberi conſenſus, ſequitur quòd ordine quodam illum conſenſum efficiunt, ac conſequenter Deum priùs natura & cauſalitate agere ſeu concurrere: atqui ſcientia media tollit præviam hanc Dei actionem, tollit ſubordinationem illam liberi arbitrii ad Deum, &c. Prima objectio. Scientia media Deo eripit titulũ cauſæ primæ, &c.

Reſpondent 1. Cauſam ſecundam liberam ſeipſam in actu ſecundo determinare quantùm ad exercitium, quatenus ſic agit ut poſſit abſolutè non agere; alioqui non eſſet libera. Ideoque neceſſe eſſe, ut quando cauſa prima ſuum creaturæ concurſum offert vel exhibet in actu primo ad agendum, eum ſic attemperet & conferat, ut ſit in poteſtate voluntatis creatæ concurſu Dei ſibi oblato uti vel non uti: quod tantùm abeſt ut pugnet contra conceptum & ideam cauſæ primæ & univerſaliſſimæ, ut è contrario ad rationem cauſæ primæ & univerſalis pertineat ſuum concurſum attemperare modo agendi proprio cauſæ liberæ: nec derogat dignitati majeſtatis divinæ, hoc ſenſu generalem Dei concurſum ad hic agendum à creatura determinari; quia Deus hac lege ſeipſum aſtrinxit, ut ad exigentiam creaturæ, cum illa, quoties agere voluerit, concurrat. Quæ quidem de actionibus naturalibus intelligenda ſunt, non de ſupernaturalibus: in iis enim gratia voluntatem prævenit, eam adjuvat, cum ea ſimul ad opus bonum ita concurrit, ut tamen dici minimè poſſit gratiam determinari per voluntatem, ut ſuprà obſervatum à nobis fuit. Ratio eſt quia gratia communis non eſt, non indifferens, non debita, ſicut concurſus; ſed ſpecialis, & gratuita, quæ per illuſtrationem mentis ac voluntatis excitationem, hominem movet, inclinat, & ad bonum allicit. Quapropter cùm homo gratiæ conſentit, cui poteſt non conſentire, hanc non determinat, ſed ejus potius determinationem & impulſum ſequitur.

Reſpondent itaque 2. Deum non incipere priùs natura producere ipſum actum voluntatis, quàm voluntas concurrat, ſed omnino ſimul: alioquin voluntas non ſolùm non eſſet libera in illo actu, ſed etiam merè paſſivè ſe haberet reſpectu actus quem Deus in ea priùs natura operaretur. Revera quidam ordo eſt inter cauſam primam & ſecundam: ſed non in eo poſitus, quòd cauſa prima priùs natura debeat influere in effectum, quàm cauſa ſecunda; ſed ob iſtas maximè rationes: 1. quòd cauſa prima à nulla alia cauſa vim agendi accipiat, cæteræ verò ab ipſa vim operandi habeant. 2. quia ab eadem cauſa prima vis illa jugi influxu conſervatur. 3. quia nullomodo Quo ſenſu Deus ſit cauſa prima &c.

lomodo poteſt cauſa ſecunda aliquid ſine prima cooperante, cùm prima poſſit abſolutè omnia ſine ſecunda. 4. quia concurſus cauſæ primæ, per ſe primò eſt univerſalis, concurſus verò cauſæ ſecundæ particularis.

Secunda objectio. Scientia mediа eripit Deo titulum primi liberi.

Opponunt 2. Scientiam mediam eripere Deo titulum primi liberi, dum ei denegat rationem cauſæ primæ reſpectu liberæ determinationis noſtræ voluntatis: implicat enim determinationem noſtræ voluntatis cauſari à decreto indifferenti, quale admittitur à patronis ſcientiæ mediæ.

Reſpondent: ad titulum primi liberi Deo ſervandum non requiri ut priùs efficaciter velit hunc vel illum actum elici à cauſa ſecunda, alias Deus non tantùm eſſet primum, ſed etiam unicum liberum, & creatura eo ipſo à ſua libertate excideret, ſed ſatis eſſe, ut cauſa ſecunda libera nihil velit niſi priùs volente aut permittente primo libero: unde decretum, vi cujus Deus ſuum præbet concurſum cauſæ liberæ priuſquam illa operetur, producit immediatè ac proximè cum cauſa ſecunda libera ejus determinationem in actu ſecundo, quæ determinatio eſt ipſamet volitio ſeu actus voluntatis ſe ita determinantis, ut ſe ipſam poſſit non determinare.

Tertia objectio. Adimit Deo ſupremũ dominium in voluntates noſtras.

Opponunt 3. per ſcientiam mediam Deo adimi ſupremum quod habet in voluntates noſtras dominium; efficit enim ut Deus voluntate noſtra uti non poſſit ad quodcunque voluerit.

At id falsò prorsùs ſupponi contendunt qui faventſcientiæ mediæ. Quomodo enim fieri poteſt, (inquiunt) ut ea ſcientia, quæ Deo repræſentat varios ac multiplices modos quibus uti poteſt ad flectendas & ſuperandas noſtras voluntates quando & ubi voluerit, tollat ſupremum Dei dominium? At iſtud verò proprium eſſe ſcientiæ mediæ, norunt quotquot illius ſyſtema perſpectum habent.

Quarta objectio. Derogat divinæ omnipotentiæ.

Opponunt 4. ſcientiam mediam derogare divinæ omnipotentiæ. 1. Quia facit ut Deus non poſſit promittere Abrahæ converſionem gentium de theſauris ſuæ omnipotentiæ, ſed ſolùm ex ſua præſcientia. 2. Quia in eo ſyſtemate Deus anceps & dubius videtur circa futuros eventus, antequam per ſcientiam mediam exploraverit, quid in his vel illis circumſtantiis, ſub hoc vel illo gratiæ auxilio voluntas facturа ſit; quaſi Deo virtus ac potentia deeſſet, hominum voluntates inclinandi quò voluerit.

Reſpondent, hujuſcemodi argumenta oriri ut plurimùm aut ex præjudiciis præoccupatæ mentis, aut ex ignorantia ſyſtematis ſcientiæ mediæ. Namque 1. Qua ratione ſcientia media divinæ omnipotentiæ quidquam detrahere dici poteſt, per quam videt Deus habere in ſua poteſtate media omnis generis, quibus voluntates noſtras trahat & inflectat quò voluerit? Quando igitur Deus promiſit Abrahæ fidem gentium, de ſua omnipotentia promiſit, ſciens utique, quia quod promiſit, potens eſt & facere: quam ſanè Dei potentiam ſcientia media non minuit, ſed dirigit, ei proponendo media quibus efficiat id quod promittit, illæſa hominis libertate. 2. Falsò prorsùs ſupponitur in ſyſtemate ſcientiæ mediæ Deum veluti dubium & ancipitem eſſe circa futuros eventus: non enim ex ignorantia aut ex impotentia Deus utitur illa conditionatorum ſcientia, ut prænoſcat quid homo in his vel illis circumſtantiis conſtitutus facturus ſit: quis tam demens ac impius qui hoc aſſerat? ſed ex ſuaviſſima providentiæ ſuæ lege, qua voluit hominem ita liberum eſſe, ut cuicunque auxilio gratiæ, quantumlibet efficaciæ præpotenti, reſiſtere

ſtere ſemper poſſit, ſi voluerit. Ex quo fidei dogmate inferunt ſcientiæ mediæ defenſores, Deum, priuſquam efficaci & abſoluto decreto ſtatuat Petrum v. g. ad fidem convertere per hæc vel illa gratiæ ſuæ auxilia, prævidere debere an Petrus iis gratiæ auxiliis, quibus abſolutè diſſentire poteſt, ſi velit, reipſa conſenſurus ſit vel non: iſtud verò non prænovit Deus, ajunt illi Theologi, in ſola gratiæ ſuæ virtute ac efficacia, independenter à præviſo futuro ſub conditione voluntatis conſenſu, quandoquidem illi gratiæ reſiſtere ſemper poteſt; ergo iſtud novit in ſcientia conditionatorum ſeu media. At, regerunt alii, reipſa Petrus his gratiæ auxiliis non reſiſtet, ac Deus id certiſſimè cognovit. Fatentur Molinæ ſectatores: at hoc ſaltem inde conſequuntur, quòd Deus futurum voluntatis conſenſum non videat in ſola gratiæ ſuæ virtute; quod unum in præſenti cauſa illis ſufficit. Neque porrò divinæ potentiæ magis inde derogatur, quàm derogetur ex eo quòd nullum in præſenti rerum ordine ſtatuatur eſſe gratiæ genus, cui humana voluntas reſiſtere non poſſit: atqui poſtremum iſtud, quod ad fidem pertinet, non derogat divinæ omnipotentiæ; ergo nec primum.

Opponunt denique, ſcientiam mediam Deo tribuere modum concurrendi cum cauſis liberis cœcum & imperitum, vagum & indeterminatum: quia concurſus ille indifferens eſt, nec infallibilem ſeu eſſentialem habet cum effectu connexionem. *Quinta objectio. Scientia media Deo tribuit modum concurrendi cœcum & imperitum.*

Negant alii, quia priuſquam Deus actu concurrat cum creata voluntate, novit per ſcientiam conditionatam quid voluntas facturа ſit, ſi Deus cum illa concurrere voluerit; ita ut decretum dandi concurſum, ſit pars conditionis ſub qua res futura prævidetur; ac conſequenter evidens eſt, concurſum illum cœcum non eſſe, nec vagum & indeterminatum: ac licèt concurſus ille ſit ex ſe indifferens, prævidet tamen Deus futurum ut creata voluntas illo utatur.

SECUNDUM CAPUT.

Ex inutilitate ſcientiæ mediæ ad dirigendum Deum in ſuis decretis abſolutis.

Verſat iſtud argumentum Gonetus diſput. 6. de ſcientia media parag. 6. Eò reducitur.

I. Ut Deus per ſcientiam mediam dirigatur in ſuis decretis abſolutis, debet eſſe quædam ſubordinatio inter ſcientiam mediam & ſcientiam abſolutam viſionis; ita ut Deus priùs noverit per ſcientiam mediam, hominem operaturum conditionatè, quàm operaturum abſolutè; atqui inter duas illas ſcientias non poteſt dari illa ſubordinatio. Nam in principiis ſcientiæ mediæ, in quocunque ſigno rationis, etiam antecedenti decretum Dei abſolutum, poſſunt formari propoſitiones contradictoriæ de futuro abſoluto, quarum una ſit determinatè vera & altera falſa; ergo Deus novit in quocunque ſigno rationis, quid ſit abſolutè futurum: atque ita non priùs novit futura conditionata quàm abſoluta.

Confirmant, quia Deus ideo novit futura conditionata in ſigno rationis antecedenti decretum prædefiniens, quia in illo ſigno rationis poſſunt formari propoſitiones contradictoriæ de futuro conditionato: at poſſunt pariter in eodem ſigno rationis formari contradictoriæ de futuro abſoluto. Imò cùm

con-

contradictoriæ de futuris conditionatis componantur ex absolutis simplicibus, & quælibet pars sit aliquo modo prior toto; propositiones de futuris absolutis debent priùs esse veræ, quàm propositiones de futuris conditionatis; ergo &c.

Respondent, totum istud argumentum esse de falso supponente; nempe in quocumque signo rationis antecedenter ad decretum Dei absolutum, fieri posse propositiones contradictorias de futuro absoluto: nihil quippe certò cognosci potest futurum sive absolutè, sive conditionatè, nisi supposito decreto aut absoluto, si res sit absolutè futura, aut conditionato, seu quod sit pars conditionis, si res sub conditione futura sit. Quapropter in priori signo rationis ad decretum Dei absolutum dandi v. g Petro gratiam, & concurrendi cum illo, consensus Petri non consideratur sive ut futurus, sive ut non futurus, sed ut merè possibilis; quia pro illo signo rationis nulla supponitur causa rei determinatè futuræ. Quæ enim esset? decretum Dei? at nullum esse supponitur: consensus voluntatis? at sine decreto saltem concurrendi esse non potest: vis contradictoriarum propositionum? verùm necesse non est ut alterutra propositio virtute contradictionis sit determinatè vera aut falsa: namque virtute contradictionis, una non est potiùs vera quàm falsa, & vice versa, una potiùs falsa quàm vera. Igitur cùm antecedenter ad omne decretum Dei nulla sit causa determinatæ futuritionis, res non est determinatè futura aut non futura, sed ut merè possibilis concipitur.

II. Sic arguit idem Gonetus. Deus in formandis suis decretis absolutis circa salutem & conversionem hominum, sufficienter dirigitur per scientiam simplicis intelligentiæ; quia per illam Deus comprehendit suam omnipotentiam, & videt in thesauris ejus latere infinita media seu auxilia gratiæ efficacissima, quibus potest voluntates hominum potenter ac suaviter ad se pertrahere, quando & ubi voluerit, seu, ut loquitur Ecclesia, *rebelles ad se propitius compellere voluntates. Quis enim*, ait S. Augustinus in Enchir. c. 98. *tam impiè desipiat, ut dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere?* T. 6. p. 252. D.

Reponunt alii negando antecedens: quia per scientiam simplicis intelligentiæ novit quidem Deus habere se gratiæ adjumenta quibus homo consentire quidem potest, sed quibus etiam potest non consentire. At ex illa sola cognitione, non potest Deus quidquam absolutè & efficaciter decernere circa liberas hominis actiones; quia per cognitionem illam seu scientiam videt Deus quid revera fieri potest, non verò quid futurum est: neque virtute hujus vel illius gratiæ aliquid absolutè futurum decerni potest, cui homo potest resistere. Necessaria igitur est scientia per quam videat Deus quid futurum sit, si hæc vel illa conditio ponatur: scientia porrò illa non simplicis intelligentiæ, sed conditionata dicitur.

III. Sic pergit Gonetus. Si Deus scientia media directrice disponeret prædestinationem & conversionem hominum, sequeretur non repugnare ex natura rei, & metaphysicè loquendo, esse aliquem hominem, quem Deus de potentia sua etiam absoluta convertere & prædestinare non posset, quod est absurdissimum. Probatur. Quia ex natura rei non repugnat dari hominem qui in nullo tempore, & in nulla occasione, velit converti; quia nempe omnino contingens est ut auxilia gratiæ effectum sortiantur, cùm nullum admittant

mittant scientiæ mediæ patroni quod infallibilem & essentialem habeat cum effectu connexionem: fieri ergo potest ut homo pro sua libertate rejiciat quæcunque ipsi offerri possunt ad conversionem auxilia gratiæ; quandoquidem nec separatim nec conjunctim auxilia illa, ut supponi potest, superabunt resistentiam liberi arbitrii.

Respondent, in rebus moralibus suppositiones illas metaphysicas nugatorias esse ac illusorias, quia moraliter loquendo sunt impossibiles. Sic v. g. licèt ex natura rei ac metaphysicè loquendo non repugnet, omnes amplissimi cujusdam Regni incolas, voluptates, vel divitias non sectari, id tamen moraliter loquendo supponi non potest; pariter igitur licèt non repugnet ex natura rei ac metaphysicè, hominem cuilibet separatim auxilio gratiæ dissentire, non tamen supponi moraliter potest eum omnibus collectivè sumptis reipsa dissensurum: quæ moralis impotentia in eo est, quòd admodum difficile sit homini multis ac sæpius repetitis divinæ gratiæ motionibus reluctari. Esto, quibusdam resistat; at aliis victus tandem ac superatus, feliciter acquiescet: tanta scilicet est divinæ gratiæ virtus ac suavitas, & tam opportunè nobis attemperata. Responsio illustrari potest ac confirmari exemplo peccatorum venialium: licèt enim nullum sit distributivè ac solitariè sumptum, cui justus non possit resistere; tamen omnia collectivè sumpta sine speciali privilegio vitare moraliter non potest, ob infirmitatem scilicèt naturæ humanæ & frequentiam tentationum, quibus sit ut erecto semper, intenso ac vigili animo esse non possimus, ne quid mali, quamvis levioris, nobis obrepat.

TERTIUM CAPUT.

Ex inutilitate scientiæ mediæ ad conciliandam libertatem cum prædestinatione & gratia efficaci.

Argumentum istud proponit Gonetus loco jam citato parag. 7. Eò totum reducitur.

I. S. Aug. certitudinem prædestinationis rectè conciliavit cum libertate arbitrii, absque ope scientiæ mediæ: id non diffitetur vel ipse Molina. Deinde admissa scientia media, facilis, & plana est concordia libertatis humanæ cum prædestinatione; atqui tamen S. Aug. fatetur lib. de Gratia Christi c. 47. & lib. 4. contra Julianum c. 8. concordiam hanc ad explicandum esse perdifficilem.

II. Ex modo conciliandi libertatem nostram cum efficacia divinæ gratiæ & prædestinationis certitudine, quem S. Augustinus tradidit, multos ex fidelibus turbatos fuisse, per eum libertatem evelli, atque occasionem torporis ac negligentiæ hominibus exhiberi, testati sunt Prosper & Hilarius in Epistola ad S. Augustinum. At certè turbari non potuerunt ex modo conciliandi libertatem cum gratia & prædestinatione per scientiam mediam, qui planus est & apertus, omnemque difficultatem tollit.

III. Efficacia divinæ gratiæ & certitudo prædestinationis, docente S. Aug. oritur ex omnipotentissima Dei potestate, & supremo dominio quo magis habet in sua potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas; ita Sanctus Doctor Lib. de corrept. & grat. cap. 14. At profectò talis non est certitudo prædestinationis ex scientia media.

IV. Ex

IV. Ex Auguſtino efficacia divinæ gratiæ & prædeſtinatio talis eſt, ut de nolentibus faciat volentes, & de repugnantibus conſententes: ita ſanctus Doctor contra duas Epiſtolas Pelag. c. 19. At hoc non facit efficacia gratiæ & prædeſtinatio orta ex præſcientia conditionata, ſed tantùm de volentibus in ſtatu conditionato, facit abſolutè volentes.

V. Denique, modus conciliandi libertatem cum prædeſtinatione quo S. Aug. utebatur, oppoſitus eſt modo quo utebatur Fauſtus Semipelagianorum Coriphæus: at ille conciliabat libertatem cum gratia & prædeſtinatione per ſcientiam futuri conſenſus; erat enim iſtud apud illum tritum effatum, *Niſi præſcientiam exploraverit, prædeſtinatio nihil decernit.*

Reponunt ſcientiæ mediæ defenſores.

Ad primum, S. Auguſtinum nunquam ex profeſſo ac directè diſputaſſe contra Pelagianos vel Semipelagianos de concordia libertatis cum gratia & prædeſtinatione: nullus quippe proferri poteſt ex Auguſtino locus in quo controverſiam illam ex profeſſo tractaverit. Erat quidem hæc quæſtio veluti quoddam acceſſorium ad caput principale excitatæ controverſiæ; at in eo verſando non immoratur ſanctus Doctor, adeo intentus & occupatus erat in refellendo præcipuo illorum hæreticorum errore, nempe gratiam voluntatis ad quodlibet opus pietatis, ut volebant Pelagiani, vel ad initium ſaltem fidei ac finalem perſeverantiam, neceſſariam non eſſe, quod Semipelagiani aſſerebant. Ex illa gratiæ neceſſitate ſequi libertatis ruinam obtendebant quidem Pelagiani ac Semipelagiani: verùm de excogitando modo quo conciliari poſſet libertas cum gratiæ neceſſitate ac decreto prædeſtinationis, ſollicitus fuiſſe non videtur S. Auguſtinus, & ad unam recurrit Dei omnipotentiſſimam voluntatem; qua duo hæc veriſſima eſſe conſtat, & gratiam neceſſariam eſſe ad omnem pietatis actum, etiam ad initium fidei; & ſtare hominum libertatem ſub motione gratiæ. Fruſtra autem, ut ſuperiùs obſervarunt, confugiſſet Auguſtinus ad ſcientiam conditionatorum, ut libertatem cum gratia conciliaret, quia ſcientia illa ſupponit gratiæ prævenientis neceſſitatem, cum qua ſtare non poſſe hominis libertatem illi hæretici contendebant; erat enim hæc præcipua eorum difficultas, quæ tota & integra perſeverat, etiam ſuppoſita illa conditionatorum ſcientia: quapropter appoſitè ad eorum ſententiam, in re ad explicandum difficili, recurrit ſanctus Doctor ad omnipotentiſſimam Dei voluntatem.

Ad ſecundum, falſum eſſe aſſerunt quod hìc aſſumitur ab adverſariis. Non enim turbati ſunt fideles propter modum quo S. Aug. uſus eſt in concilianda libertate cum efficacia gratiæ; neque verò id aſſerunt Proſper & Hilarius: quomodo enim turbari potuiſſent propter modum illum, de quo nullibi diſputavit ſanctus Doctor? ſed aſſerunt turbatos fuiſſe fideles propterea quòd dixiſſet Auguſtinus gratiam prævenientem planè neceſſariam eſſe ad omnes ſalutares actus, etiam ad initium fidei; quòdque viſus eſſet aſtruere electionem efficacem aliquorum ad gloriam, prorſus anteriorem omni meritorum præviſione, quod ipſis ad intelligendum difficile videbatur.

Ad tertium, ajunt certitudinem prædeſtinationis ad gloriam, & efficaciam divinæ gratiæ, oriri tùm ex omnipotentiſſima Dei poteſtate, tùm ex infallibilitate præſcientiæ quæ divinam prædeſtinationem præcedit Deique voluntatem dirigit. Oritur ex omnipotentia Dei, quæ inter multa auxilia gra-

gratiæ quæ habet in theſauris ſuæ potentiæ, ea potiſſimum ſeligit ac confert, quæ prævidentur habitura effectum, ſi dentur: oritur etiam ex præſcientia, per quam Deus infallibiliter novit hominem quemlibet, cum his aut illis gratiæ auxiliis operaturum, ſi dentur; neceſſaria quippe videtur hæc præcedens ſcientia, ut Decretum Dei ſuam habeat infallibilem certitudinem & efficaciam. Cùm enim, ut jam diximus, certum ſit ex fide nullum eſſe gratiæ auxilium tam potens & efficax, cui voluntas reſiſtere non poſſit, conſequenter antequam Deus abſolutè ſtatuat aliquem per tale auxilium convertere, neceſſe eſt ut prævideat illum reipſa tali auxilio conſenſurum: atque ita rectè conciliatur tùm certitudo præſcientiæ & decreti Dei, tùm libertas humanæ voluntatis; ac meritò dixit Auguſtinus Lib. de corrept. & grat. cap. 14. *Deum habere humanorum cordium quò placeret inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem.* T. 10. p. 774. f.

Ad quartum, patet ex mox dictis, in ſyſtemate ſcientiæ mediæ Deum de *nolentibus volentes, & de repugnantibus facere conſentientes*: quando nimirum ea ipſis gratiæ adjumenta ſubminiſtrat, quæ novit apta eſſe ad emolliendam & frangendam humanæ voluntatis duritiem ac contumaciam. Quapropter veriſſima eſt hæc Auguſtini ſententia Lib. 1. ad Bonifacium c. 19. *Trahitur ergo viris modis ut velit, ab illo qui novit intus in ipſis hominum cordibus operari, non ut homines, quod fieri non poteſt, nolentes credant, ſed ut volentes ex nolentibus fiant.* Ibid. p. 428. A.

Ad quintum reponunt ſicut ad primum, inter Auguſtinum ac Semipelagianos controverſiam non fuiſſe de concilianda libertate cum efficacia gratiæ ac decreti prædeſtinantis; ſed tantùm de neceſſitate gratiæ ad initium fidei ac finalem perſeverantiam, ex qua neceſſitate fatalem induci neceſſitatem cauſabantur Semipelagiani. Illi equidem cum Fauſto ſuo Capite negabant prædeſtinationem ad gloriam antecedere abſolutam meritorum prævisionem, ac contendebant prædeſtinationem nihil decernere, niſi præſcientia præceſſerit: at in eo præcisè poſitus non erat illorum error, ſed in eo quòd vellent prædeſtinationem fundari in aliquo prævio merito naturali, nempe in pio quodam ad credendum affectu, quo prævisо Deus certò & infallibiliter movebatur ad gratiam fidei concedendam; qui certè error longè alienus eſt à ſyſtemate ſcientiæ mediæ.

Piget referre alterum Goneti argumentum parag. 10. nempe ſcientiam mediam facere Deum auctorem peccati; quia nempe Deus prævidens hunc hominem peccaturum in illa occaſione & in his circumſtantiis, nihilominus eam occaſionem & circumſtantias ponat, & cum homine ad actionem malam concurrat. Mirum certè videtur ſcientiæ mediæ defenſoribus, iſtud ſibi objici poſſe, quod tam ſtrenuè urgent contra decreta abſoluta & præmoventia Thomiſtarum: interim dicunt 1. quæſtionem propoſitam huic ſimilem eſſe quam ſolvit S. Auguſtinus Lib. 11. de Gen. ad litt. cap. 22. cur nempe Deus præſciens Angelum peccaturum, eum creaverit? Sic enim perinde videtur eſſe cauſa moralis peccati ab Angelo commiſſi, ac dum ponit occaſionem & circumſtantias in quibus præſcit hominem peccaturum, quocirca eodem modo ſolvenda eſt, quo ſolvitur ab Auguſtino loco citato, ubi ait: *Præſciens* (Deus) *eum propria voluntate malum futurum, fecit eum tamen, non abſtinens bonitatem ſuam in præbenda vita atque ſubſtantia futuræ etiam noxiæ volun-* To. 3. f. 1. pag. 285. B.

voluntati, simul prævidens quanta de illo bona esset sua mirabili bonitate ac potestate facturus. Dicunt 2. Quamvis Deus per modum causæ universalis attemperet concursum suum exigentiæ naturali causæ liberæ, ita ut causa libera eo uti possit ad bonum & ad malum, dicitur tamen Deus boni actus auctor, non autem mali: quia sic offert suum concursum ad utrumlibet, ut quantùm in ipso est velit fieri bonum, atque ad illud hortetur, & per suam gratiam hominem ad illud inclinet; nolit autem fieri malum, hominemque ab eo avertat propositis etiam gravissimis suppliciis si ad illud defecerit. Unde cùm homines contra Dei voluntatem divino abutantur concursu, meritò de illis conqueritur per prophetam his verbis: *Servire me fecisti in peccatis tuis.* *Isaja 43. v. 24.*

Vidistis hactenus & quæ adversùs scientiam mediam à Thomistis objiciantur, & quæ ad ea diluenda soleat reponi. Juvat nunc ex altera parte ea proferre, quibus scientia illa media à suis confirmatur, & oppositа Thomistarum sententia impetitur.

Expenduntur momenta quibus adstruitur scientia media, & oppositа Thomistarum sententia impugnatur.

Momenta hæc duplicis sunt ordinis: alia quibus directè ac positivè usus scientiæ mediæ adstruitur; alia verò quibus oppositа Thomistarum pro decretis absolutis & antecedentibus omnem futuri prævisionem sententia directa fronte impugnatur.

Momenta quibus usus scientiæ mediæ directè adstruitur ac confirmatur.

Momenta hæc potissimùm colligunt scientiæ mediæ patroni ex Scripturis, ex S. Augustino, & ex rationibus Theologicis. Duo priora dumtaxat hìc expendemus: alia enim vel jam maxima ex parte superiùs attigimus, vel mox exponemus.

Ex Scripturis.

Ex Scripturis laudant ea omnia loca quibus constat certam esse in Deo futurorum conditionatorum scientiam, quæ superiùs à nobis adducta sunt: nempe ex cap. 23. Lib. 3. Regum, ex 38. Jeremiæ, ex 4. Sapientiæ, ex 11. Matth. Porrò scientia media, inquiunt, nihil aliud est, quàm scientia conditionatorum independens à Decreto Dei absoluto eoque anterior, cujus usus & officium est, tùm ut Deus in suis decretis absolutis dirigatur, tùm ut illibata & illæsa conservetur hominis libertas sub motione gratiæ quantumcunque efficacis.

Respondent Thomistæ, se ultrò agnoscere in Deo certam rerum sub conditione futurarum scientiam, quæ sit posterior decreto absoluto ex parte Dei & conditionato ex parte objecti; non autem anterior, sicut existimant qui scientiam illam tuentur: ac consequenter contendunt eam planè inutilem esse ad eum finem propter quem admittitur.

Verùm scientiam illam conditionatam non subsequi, sed præcedere decretum Dei actuale & absolutum, demonstrant Thomistarum adversarii celebri

lebri teſtimonio ducto ex cap. 11. S. Matth. v. 21. ubi Chriſtus ait: *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro ac Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent.* Inde ſic arguunt: Converſio Tyriorum & Sidoniorum futura erat ſub conditione prædicationis Chriſti, ſed non erat futura vi decreti abſoluti & antecedentis: probant, quia loco citato Matth. 11. non ſimplex enuntiatur prædictio futuræ Tyriorum converſionis, ſed etiam objurgatio ſeu increpatio incredulitatis Judæorum comparatè ad Gentiles. *Tunc cœpit exprobrare civitatibus, in quibus factæ ſunt plurimæ virtutes ejus, quia non egiſſent pœnitentiam.* Quæ certè increpatio ſeria erat, non vana, non deriſoria, legitima, non iniqua: atqui talis non fuiſſet, ſi converſio Tyriorum futura fuiſſet vi decreti abſoluti & antecedentis. Quippè ut juſta ſit ac legitima reprehenſio unius præ alio, neceſſe eſt ex utraque parte ſupponere æqualia ſalutis media; aliàs juſta videretur expoſtulatio illius qui præ alio redargueretur, ac meritò reponere poſſet, ſe immeritò redargui, quòd id non egerit cum minori auxilio, quod alius feciſſet cum majori. At in exemplo adducto Judæorum & Tyriorum, æqualia non videntur media ſalutis: namque nullum erat pro converſione Judæorum decretum, quod tamen fuiſſet in gratiam Tyriorum, ſi Chriſtus annuntiatus ipſis fuiſſet; hanc ergo excuſationem obtendere non immeritò Judæi potuiſſent. *Ib. v. 16.*

Ad hoc argumentum duo reponunt Thomiſtæ. 1. Illud retorquent contra ſcientiæ mediæ aſſertores, deinde ſolvunt.

Dicunt itaque 1. Argumentum iſtud aliis non minùs quàm ſibi eſſe ſolvendum. Stante quippè ſcientia media, injuſtè videntur Judæi præ Tyriis increpari: poſſent enim Judæi Chriſto objurganti reſpondere, Si nos poſuiſſes in aliis circumſtantiis in quibus per tuam ſcientiam mediam prævideras nos pœnitentiam acturos, eam egiſſemus; ſicut eam acturi fuiſſent Tyrii, quos in opportunis illis circumſtantiis collocaſſes, ex hypotheſi quòd apud ipſos factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt apud nos.

Dicunt 2. Juſtè ac legitimè Judæos præ Gentilibus increpari, quia eorum culpa factum eſt quòd converſi non fuerint; quia ſcilicet majus impedimentum fuæ converſioni oppoſuere, quàm oppoſuiſſent Tyrii & Sidonii, ſi Chriſtus illis annuntiatus fuiſſet. *Non erant*, ait S. Auguſtinus L. de dono perſe. cap. 14. *ſic excæcati oculi, nec ſic induratum cor Tyriorum ac Sidoniorum: quoniam credidiſſent, ſi qualia viderunt iſti ſigna vidiſſent.* Cùm autem per gratiam ſufficientem potuerint Judæi indurationem illam deponere, eorum certè culpa fuit quòd converſi non fuerint. Ut enim egregiè docet S. Thom. L. 3. contra Gentes cap. 159. *Licèt aliquis per motum liberi arbitrii divinam gratiam nec promereri nec acquirere poſſit: poteſt tamen ſeipſum impedire ne eam recipiat .... Et cùm hoc ſit in poteſtate liberi arbitrii impedire divinæ gratiæ receptionem, vel non impedire: non immeritò in culpam imputatur ei qui impedimentum præſtat gratiæ receptioni ... ſicut Sole mundum illuminante in culpam imputatur ei qui oculos claudit, ſi ex hoc aliquod malum ſequatur: licèt videre non poſſit niſi lumine Solis prævenitur.* *T. 10. p. 840. C.* *T. 14. p. 508. E.*

Verùm adversùs utramque ſolutionem inſurgunt aſſertores ſcientiæ mediæ.

I. Immeritò argumentum factum in ſeipſos retorqueri; quandoquidem Judæi in iis in quibus erant circumſtantiis reipſa converti poterant, nec

quidquam eorum quæ ad conversionem sunt necessaria, ipsis deerat in mente eorum qui scientiam mediam defendunt; non ita verò in sententia Thomistarum: deerat enim decretum absolutum & efficax ex parte Dei: deerat gratia ex seſe efficax ac prædeterminans, quæ duo omninò necessaria sunt ad conversionem.

Secunda verò solutio videtur iisdem Theologis graves istas pati difficultates: prima est, quòd cùm sciret Deus gratiam sufficientem quam Judæis destinaverat ac contulerat, effectum suum non esse assecuturam, nisi accedente gratia efficaci prævovente, hanc tamen ipsis efficacem gratiam recusare voluerit. Conqueri ergo potuissent Judæi, quòd tali gratia destituti prę Tyriis quibus erat sub conditione concedenda, redarguerentur. Secunda: Licèt sit in potestate hominis sine gratia peccare, non tamen potest sine gratia abstinere à peccato; atque ut gratiæ sufficienti contumaciùs non resistat, sed ipsi obsequatur, necessaria ipsi est gratia ex seſe efficax ac physicè prævovens: hæc enim sola est quæ, Augustino teste L. de prædest. SS. cap. 8. *à nullo duro corde repuitur: ideò quippè tribuitur, ut duritia cordis primitus auferatur.* Ut igitur Judæi oblatis sibi auxiliis gratiæ non resisterent, opus habuerunt gratia efficaci: istud enim, *non resistere gratiæ*, aliquid purè negativum non sonat, sed positivum. Quid enim est gratiæ non resistere? Nisi ipsi se facilem præbere, ipsi consentire. Porrò ad omnem actum voluntatis bonum ac salutarem requirunt Thomistæ gratiam ex se efficacem ac prævovente; igitur Judæi obtendere potuissent se gratiæ sufficienti obstitisse, quia destituti erant efficaci, sine qua sufficiens nunquam in actum erumpit.

T. 10. p. 799. F.

Ex Sancto Augustino.

Etsi scientia conditionatorum, quæ media dicitur, usus non fuerit S. Augustinus disputans adversùs Pelagianos & Semipelagianos, quòd scopo susceptæ controversiæ inutilem ac minùs accommodatam intelligeret, hanc tamen ipsi cognitam & probatam fuisse probant iis ipsis S. Doctoris testimoniis quæ nos suprà laudavimus, cùm probatum est Deum futura conditionata libera non videre in decretis absolutis ex parte sui, & conditionatis dumtaxat ex parte objecti.

Primum testimonium ducitur ex L. de prædest. SS. cap. 10. ubi sanctus Doctor apertè declarat Deum ea præscire quæ non prædestinat: *Præscire autem potest*, inquit, *quæ ipse non facit, sicut quæcunque peccata.* Scientia ergo illa non est Dei decreto innixa, nec illud supponit: sed scientia quæ decretum Dei absolutum & actuale non supponit, vocatur scientia media; igitur scientiam illam agnovit S. Augustinus. Vide superiùs loco indicato quid ad hoc argumentum reponant Thomistæ.

Ibid. p. 803. E.

Aliud testimonium petunt ex L. de dono persever. cap. 14. unde conficitur scientiam non esse decreto posteriorem, sed priorem. *Prædestinatio Sanctorum*, inquit, *nihil est aliud, quàm præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur.*

Ibid. p. 839. G.

Reponunt Thomistæ, scientiam illam quæ præcedit decretum, esse scientiam simplicis intelligentiæ, quæ decreta Dei dirigit eisque præluceat.

Tertium testimonium ducunt ex Lib. 11. de Gen. ad litt. c. 22. ubi sanctus

ctus Doctor solvens quæstionem istam toties ab Ethnicis propositam, cur Deus creaverit Angelum, quem sciebat peccaturum? Respondet: *Præsciens eum propria voluntate malum futurum, fecit eum tamen, non abstinens bonitatem suam in præbenda vita atque substantia futuræ etiam noxiæ voluntati, simul prævidens quanta de illo bona esset sua mirabili bonitate ac potestate facturus.* Eandem quæstionem movet L. 22. de Civit. Dei c. 1. de Angelo & primo homine; eodemque modo illam dissolvit. To. 3. p. 1. pag. 285. B.

Præscientia verò illa de qua ibi loquitur Augustinus, ipsa est scientia conditionata per quam Deus præscit Angelum malè operaturum, si crearetur: at hoc non præscivit Deus in ullo decreto efficaci ex parte sui, & conditionato ex parte objecti. Probatur: quia præscientia illa talis est; ut ea stante potuerit Deus Angelum non creare: at fieri non potest, ut stante scientia absoluta visionis circa malam voluntatem ab Angelo ponendam, Deus Angelum non creet, cùm hæc scientia præsupponat necessariò Angeli creationem: contra verò fieri potest, ut stante scientia conditionata per quam vidit Angelum peccaturum, si crearetur, illum reipsa velit non creare; ergo præscientia illa est scientia conditionata. Confirmatur. Scientia de qua S. Augustinus loquitur, ea est de qua quæritur, cur Deus præsciens Angelum peccaturum, eum creaverit? Atqui scientia illa est conditionata: nam de scientia visionis quæstio ista proponi non potest, quandoquidem prius est Angelum esse creandum, quàm Deum præscire absolutè eum peccaturum; ergo S. Augustinus loquitur de scientia conditionata.

Denique arguunt ex Lib. 1. ad Simplic. q. 2. *Si vellet Deus*, inquit S. Aug. *etiam eorum misereri* (qui nempè vocati non veniunt,) *posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, ut & moverentur & intelligerent & sequerentur... Cujus misereretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.* To. 6. p. 95. D. Ibid. E. Porrò, ut jam superiùs diximus, & repetere hìc necesse est, id Deus non posset, nisi certò cognosceret quomodo illi vocandi sint ut sequantur & veniant: atqui scientia illa non potest esse scientia absoluta visionis, cùm hæc versetur circa vocationem absolutè futuram & consensum voluntatis absolutè ponendum, quorum neutrum fit respectu illorum qui vocati non veniunt, de quibus hic disserit sanctus Doctor. Necesse est igitur ut sit scientia conditionata, per quam Deus videt eos, qui de facto vocati non veniunt, reipsa venturos & consensuros, si tali vel tali modo vocarentur. Hanc porrò antecedere omne decretum Dei prædefiniens, ex iisdem Augustini verbis colligitur: siquidem quando sanctus Doctor de iis qui vocati non veniunt differens ait, *Si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare quomodo eis aptum esset ut sequerentur*, supponit in Deo non esse voluntatem eos ita vocandi quomodo eis aptum est ut sequantur; & tamen est in Deo scientia per quam videt eos secuturos si ita vocarentur; ergo illa Dei scientia est prorsus independens à decreto Dei prædefinienti.

Respondent Thomistæ, revera Deum certò cognoscere quanam congrua vocatione unusquisque ita vocandus sit, ut vocantem non respuat sed sequatur: at congruitas illa gratiæ interna seu suavitas attemperata genio, moribus, ac circumstantiis personæ, à Deo est, inquiunt, eam prædestinante ac operante. *Prædestinatione enim sua præscit Deus quidquid ipse facturus est*, ait S. Augustinus Lib. de prædest. SS. cap. 10. Quo sensu S. Thomas inter- To. 1. p. 803. E.

pretatur istud Apostoli Hebr. 13. v. 21. *Aptet vos* (Jesus Christus) *in omni bono ut faciatis ejus voluntatem.*

Verùm, regerunt alii, plena & illæsa remanere videtur proposita ex Augustino difficultas: scientia quippè illa per quam Deus cognoscit eos, qui vocati non veniunt, reipsa venturos si hoc vel illo modo vocarentur, antecedit omne Dei decretum: quia in mente sancti Doctoris, Deus reipsa non habet voluntatem eos ita vocandi; ergo scientia illa purè conditionata est.

Solvuntur momenta quibus scientiæ mediæ vindices oppositam Thomistarum sententiam impugnant.

Objectiones contra sententiam Thomistarum.

Momenta hæc & numero & pondere gravissima videbuntur iis qui attento animo illa inspicere voluerint.

Opponunt 1. novitatem verborum istorum, *Gratia ex se efficax. Decretum physicè præmovens.* Observant Calvinum omnium primum gratiam à se efficacem appellasse, ut innueret voluntatem sub illa gratia seipsam non movere, non determinare, sed moveri, agi, & ita determinari, ut liberum non sit gratiæ dissentire, sed necessariò ipsi consentiat. *Voluntatem*, inquit Calvinus Lib. 2. Instit. cap. 3. n. 10. *Deus movet, non qualiter multis secundum traditum est & creditum, ut nostræ postea fit electionis, motioni aut obtemperare aut refragari; sed illam efficaciter afficiendo.....neque secus accipi sententia Christi potest, Omnis qui audivit à Patre meo, venit ad me, quàm ut efficacem à seipsa gratiam doceat.* Inde est, quòd Cardinalis Perronius Clementi VIII. ad partes Dominicanorum inclinanti pro physica gratiæ motione, significavit, se *nullo negotio impetraturum ab omnibus Europæ sectariis, ut hujus determinationi subscriberent.* Ita conceptis verbis refertur in Gallia purpurata pag. 676.

Pa. 99.

Auctor Libri cui gallicè titulus: *Questions importantes à l'occasion de la nouvelle Histoire de la Congregation de Auxiliis* pag. 218. refert ex scripto quodam Bellarmini summo Pontifici oblato, in actis Concilii Tridentini quæ asservantur in Arce S. Angeli, narrari quòd cùm in disputatione Theologorum quæ habita fuerat ante sessionem 6. duo Religiosi protulissent sententiam istam *de prædeterminatione liberi arbitrii, malè acceptum fuerit à cæteris*, eò quòd non videretur valdè Catholicum; & propterea decretum formatum fuerit juxta communem aliorum sententiam.

Respondent alii, non ideo è Schola Catholica removendas certas loquendi formulas, quòd aut non ita antiquæ sint, aut iis abusi aliquando fuerint hæretici: sufficit enim ut & res verbis significata antiqua sit, ac in Scripturis & SS. Patribus fundamentum habeat, & aliunde abusus hæreticorum reprimatur. Calvinus quidem gratiæ à se efficacis nomine abusus fuit, ut significaret liberam non esse hominis sub motione divinæ gratiæ cooperationem, sed planè necessariam; at Catholici ea dumtaxat mente eoque consilio gratiam à se seu natura sua efficacem appellant, ut innuant eam versatilem & libero voluntatis arbitrio ita permissam non esse, ut ab uno ipsius consensu assequatur quòd sit efficax. Cardinalis verò Perronius scripsit quæ relata sunt, quia, inquiunt, Henrico IV. Galliarum Regi in Patres Societatis Jesu maximè propenso, rem gratissimam facere voluit, ideoque & forsan dissimu-

lare,

lare, quid reipsa ferat doctrina Thomistarum, quæ in rei veritate à Novatorum sententia toto cœlo distat ac remota est.

Opponunt 2. doctrinam quæ admittit decreta Dei absoluta & physicè præmoventia ac gratiam ex seſe efficacem, sibi videri non satis conciliari posse cum dogmate Catholico circa humanam libertatem. Duo quippè hic statuit fides: primum, ad libertatem non sufficere immunitatem à coactione, sed etiam requiri immunitatem à necessitate. Constat ex censura tertiæ Propositionis Jansenii. Alterum, *liberum arbitrium à Deo motum & excitatum posse dissentire si velit*. Ita Conc. Trid. sess. 6. Can. 4. Porrò duo hæc fidei nostræ capita non videntur facilè conciliari posse cum sententia Thomistarum.

Namque decretum absolutum physicè præmovens, ac gratia ex se efficax quæ natura sua essentialem & infallibilem habeat cum voluntatis consensu connexionem, videtur non tantùm certò & infallibiliter, ut ajunt, sed etiam necessariò voluntatem ad actionem determinare: sublato quippè scientiæ mediæ usu, vocabula hæc, *certò*, *infallibiliter*, *insuperabiliter*, *invincibiliter*, idem planè quoad sensum significare videntur ac, *necessariò*. Si enim essentialis est, omninò certa & infallibilis, virtute decreti absoluti & antecedentis, connexio gratiæ per se efficacis cum voluntatis consensu, sequitur aut voluntatem non posse dissentire si velit, quod directè pugnat cum Tridentino Canone; aut si dissentire potest, Decretum Dei absolutum & efficax per eam irritari & nullum reddi posse, quod est per se absurdum.

Confirmant ac pressiùs adhuc sic urgent: Argumentum illud tollit libertatem quod inducit necessitatem præviam, antecedentem & ineluctabilem: atqui tale videtur esse decretum Dei absolutum, antecedens ac physicè præmovens, & gratia ex seſe efficax. 1. Quia necessitas illa est antecedens, quæ est à prima causa, priùs prioritate causalitatis & naturæ movente, impellente, & determinante creaturam ad agendum, quàm ipsa seſe ad agendum moveat ac determinet; atqui talis est præmotio physica, seu gratia efficax physicè præmovens. 2. Ineluctabilis est, insuperabilis ac invincibilis hujusmodi necessitas, quia tollit potentiam & indifferentiam ad actum oppositum. Sit homo præmotus v. g. ad actum amoris, non amplius ille indifferens ac expeditè liber censetur ad actum odii: quid ita? quia per physicam ad amorem præmotionem, ejus facultas seu voluntas impedita est seu ligata, & ita ad actum amoris determinata, ut libera & expedita non sit ad actum odii: ad hoc enim necessaria ipsi foret physica ad odium præmotio; at implicat hominem simul physicè præmoveri ad duos actus contrarios, amoris & odii.

Respondent Thomistæ, nihil prorsus timendum esse humanæ libertati, ab eo qui primum est liberum, primum agens & universalissimum: novit enim res quaslibet movere modo earum naturæ accommodato, necessarias necessario, liberas libero; attingit enim non tantùm substantiam, sed & modum actionis. Quapropter fatentur illi ultro, certam & infallibilem esse connexionem gratiæ per se efficacis cum actione voluntatis; at negant esse necessariam.

Ad probationem, nempè voluntatem non posse gratiæ dissentire si velit, distinguunt: non potest dissentire in sensu compositio, id est, simul jungere actionem cum non actione, consensum cum dissensu, concedunt: in sensu diviso, negant. Ad istam pariter probationem, necessitas quam inducit physica

sica præmotio & gratia ex se efficax est antecedens, quæ venit à prima causa priùs prioritate naturæ agente, distinguunt; præmotio illa venit à prima causa, modo libero determinante voluntatem, concedunt: determinante modo necessario, negant. Unde negant aliquam necessitatem imponi per illam præviam Dei actionem. Negant pariter, per physicam ad unum actum præmotionem tolli potentiam ad oppositum, quia præmotio, in opinione Thomistarum, non potentiam seu facultatem afficit, sed actum ipsum; hoc est, non datur ad posse, sed ad agere: unde homo præmotus ad amorem, conservat potentiam expeditam ad odium; non quidem in sensu compositio amoris, quasi posset simul amorem cum non amore conjungere, sed in sensu diviso.

Sensus compositus & divisus.

Qui sensus divisus sic intelligi non debet, ut multi falsò interpretantur, quasi homo præmotus ad amorem liber tantùm foret ad odium, si ab eo tollatur seu dividatur præmotio ad amorem; quo sensu, qui vinculis constrictus detinetur, liber dici posset ad ambulandum in sensu diviso, si nempè solvantur vincula & compedes quibus ligatur: sed ita debet intelligi, quòd in sensu diviso actionis v. g. amoris, & stante prævia motione ad amorem, homo retineat potentiam & indifferentiam ad odium.

Verùm explicatio hæc aliis multùm implicata & obscura videtur.

I. Revera Deus est primum agens ac primum liberum, cui non desunt modi quibus libertatem nostram simul cum gratiæ suæ virtute & efficacia amicè conciliet, nemo certè id negat: sed modum illum sollicitè quærunt Theologi, qui rem, quantùm fieri potest, exponat, aut saltem imminuat difficultatem quam patimur in conciliandâ libertate nostra cum efficacia gratiæ. Talis autem non videtur esse modus quem Thomistæ hìc proferunt; vagus enim ille est ac indeterminatus, nihilque lucis offert menti nostræ. Dic, quæso, an tibi clariùs elucescit modus conciliandi libertatem cum gratia, quando audisti Deum esse primum agens, primum liberum, qui suum cuique creaturæ agendi modum conservat; necessariis, necessarium; liberis, liberum? præclara hæc quidem. An verò inde rem clariùs intelligis, aut saltem minùs obscurè? Non putant, qui Thomistis hìc adversantur. Deinde verò, modus ille quem proferunt Thomistæ, rem magis implicat & obscurat, nedum illustret; nec idoneus videtur, imò magis noxius explicandæ concordiæ libertatis cum gratia; quia nempè non servat proprium agendi modum libertatis creatæ in eo positum ut seipsam determinet ad agendum: in opinione verò Thomistarum, voluntas ad agendum applicatur & determinatur motione prævia & antecedenti, ineluctabili & insuperabili.

Hæc igitur duo aliis Theologis secum pugnare videntur, & Deum hominis libertatem illæsam conservare, & simul aliquid prævium & antecedens immittere in voluntatem, quod illam infallibiliter, invictè & insuperabiliter ad unum determinat.

II. Adducta explicatio sensus compositi & divisi, præterquam quòd plurimùm involuta est, nec satis intelligitur, non videtur benè cohærere cum Canone Tridentino: hic enim non obscurè innuit, in ipso etiam sensu composito gratiæ Dei moventis & excitantis hominem dissentire posse si velit; adeoque retinere potentiam & indifferentiam ad actum oppositum, etiam in sensu composito motionis divinæ: hoc est, eo ipso momento quo

Deus

Deus voluntatem incipit movere, voluntas motioni potest non consentire.

III. Non satis intelligitur quomodo in sententia Thomistarum physica præmotio non se teneat ex parte potentiæ; siquidem ipsius complementum est ac perfectio, & tota destinatur ut tollat facultatis indeterminationem, indifferentiam, &, ut illi loquuntur, potentialitatem.

Opponunt 3. ex necessitate physicæ præmotionis ac gratiæ per se efficacis ad singulos pietatis actus, qualem admittunt Thomistæ, istud consequens videri, gratiam scilicet sufficientem tali præmotione destitutam vere insufficientem esse ad actum quem nunquam exprimit: quo posito, multa resultant incommoda. 1. Quomodo gratia illa verè sit sufficiens? 2. Quomodo homini non habenti talem physicam præmotionem possibilia sint Dei mandata? 3. Quomodo reus ille sit violati præcepti, qui caruit præmotione ad illa observanda necessaria? 4. Quomodo justè reprehendi ille possit ac damnari?

Reponunt Thomistæ.

Ad primum, Ex culpa hominis fieri quòd gratia sufficiens suo careat effectu: si enim illi contumacijùs non reluctaretur, uberius auxilium certissimè à Deo impetraret ad observandum præceptum.

Verùm, ajunt Thomistarum adversarii, ut homo gratiæ sufficienti non resistat, sed ipsi obsequatur, opus habet gratia efficaci physicè præmovente, quæ supponitur necessaria ad omnem pietatis actum: istud enim, non resistere gratiæ, non est quid merè negativum, ut jam paulò antè observatum est, recurrit ergo & integra perseverat difficultas, qui fieri possit ut homo non habens gratiam efficacem ac præmoventem, verè possit Dei mandata observare.

Ad secundum, reponunt Dei mandata homini possibilia esse beneficio gratiæ sufficientis.

Verùm, inquiunt alii, quomodo mandatum possibile dici potest homini qui non habet quidquid requiritur ut observetur, cujusmodi profectò est gratia efficax? Et quomodo gratia illa verè ac propriè sufficiens dicenda est, quæ destituta auxilio uberiori & efficaci nunquam effectum suum assequitur; ac in tanta hominum, qui hactenus vixerunt & deinceps victuri sunt, multitudine, nunquam est assecutura?

Ad tertium & quartum, dicunt hominem illum reum esse violati præcepti ac meritò reprehendi, qui gratiam sufficientem, qua potuit uberiorem impetrare, contumaciter rejecit.

Verùm, premit semper ac recurrit eadem quæstio: quomodo nempè homo ille gratiæ sufficienti non obstitisset, qui non habuit efficacem necessariam ut non resisteret sufficienti; & quare tali gratia fuerit à Deo privatus? Respondent quidem Thomistæ, privatum illum tali gratia fuisse, in pœnam præcedentis peccati: verùm, postulant alii quale sit illud peccatum in cujus vindictam Deus uberiorem gratiam denegat? an originale solum? an actuale? Non originale solum, saltem in iis in quibus per Baptismum condonatum fuit ac remissum: nihil quippè in iis damnationis est, neque Deus justus ulcisci potest ac punire, quod gratis condonavit; dona enim Dei sunt sine pœnitentia. Supereſt igitur ut sit actuale peccatum. Dubitari equidem non potest, quin subsequentia peccata sæpissimè sint effectus & pœnæ præcedentium: at tota subsistit ac pungit objectio, respectu primi peccati actualis

quod homo baptizatus committit; nulla etenim poteſt aſſignari cauſa cur ipſi denegetur gratia illa ex ſe efficax ac phyſicè præmovens: non originale peccatum, quod ſupponitur dimiſſum: non actuale, quia cùm primum ſit, nullum aliud ſe prius ſupponit.

Opponunt 4. Syſtema gratiæ ex ſe ac phyſicè efficacis neceſſariæ in quolibet naturæ ſtatu propter eſſentialem dependentiam ac ſubordinationem creaturæ à Deo, funditus evertere diſcrimen quod S. Auguſtinus toties inculcat inter gratiam naturæ innocentis & lapſæ: quod quidem in eo poſitum eſt, ut Adamus innocens opus tantùm habuerit gratia verſatili ejus arbitrio permiſſa, quam gratiam ſanctus Doctor appellat auxilium *ſine quo*, id eſt, ſine quo non poterat perſeverare, ſed quod non dabat perſeverare: homo verò poſt lapſum opus habeat auxilio *quo*, id eſt auxilio efficaci, quo datur ipſa perſeverantia. Lege S. Auguſt. Lib. de corrept. & grat. cap. 10. 11. & 12. ubi fusè diſcrimen illud proſequitur. Porrò in principiis ſententiæ Thomiſtarum, funditus ruit diſcrimen illud: ſiquidem gratia phyſicè præmovens æquè neceſſaria fuit naturæ innocenti ac lapſæ, ad ſervandam ſubordinationem ac omnimodam dependentiam cauſæ ſecundæ à prima; quod quidem ab Auguſtini placitis adeo alienum eſſe vel ipſe Janſenius agnoſcit, ut fateri cogatur eo ſyſtemate univerſam doctrinam S. Auguſtini inexplicabili confuſione perturbari; atque ejuſmodi prædeterminationem ex Philoſophia profectam eſſe, cujus ne apex quidem in omnibus ſancti Doctoris Operibus inveniatur. Ita Janſenius Tomo 3. L. 8. c. 2.

P. 345. Reſpondent nihilominus Thomiſtæ, ſalvum eſſe in ſuo ſyſtemate, diſcrimen gratiæ utriuſque ſtatus, naturæ innocentis & lapſæ: quia præter communes utrique ſtatui rationes, ſpeciali adhuc titulo ac ratione neceſſaria eſt in præſenti ſtatu gratia efficax medicinalis & ſanans, ob naturæ noſtræ corruptionem ac depravationem; in ſtatu verò innocentis naturæ, nulla opus fuiſſet gratia hujuſmodi ſanante ac medicinali, quia nullus fuiſſet morbus ſanandus.

Verùm adversùs reſponſionem hanc inſtant alii. 1. In mente ac doctrina S. Auguſtini, gratia naturæ innocentis non dabat certò & infallibiliter agere; ergo non erat gratia efficax & præmovens quæ certò & infallibiliter dat agere. Nullius verò momenti eſt quod addunt, gratiam illam medicinalem non fuiſſe. Ita quidem. At quid inde? ſaltem erat per ſe efficax, quod negat Auguſtinus: per accidens autem eſt quòd gratia ſit medicinalis, ratione ſcilicet ſubjecti cui datur, non ratione ſui. 2. Phyſicæ præmotionis in ſtatu naturæ corruptæ neceſſariæ nuſquam meminit S. Auguſtinus, neque ullus proferri poteſt locus, in quo deprehendatur. 3. In mente S. hujus Doctoris, tota vis & efficacia gratiæ poſita eſt in actu duplici, nempè illuſtratione mentis & ſuavitate qua voluntas perfunditur: ita L. 2. de peccat. mer. & rem. c. 19. At in illo duplici actu nulla deprehenditur phyſica ad alium actum producendum actio, ſed tantùm moralis impulſio: actus enim intellectus & voluntatis alium actum phyſicè non producit; actus etenim ſunt phyſicè à potentiis, & moraliter ab aliis actibus. 4. Juxta S. Doctorem gratia efficax eſt gratia excitans, prævéniens & operans, quam Deus in no-
T. 10. p. 724. E. bis ſine nobis operatur, quam in converſione S. Pauli, ait *ſolam* fuiſſe, L. de Gratia & lib. arb. c. 5. At præmotio phyſica referri non poteſt ad gratiam excitan-

citantem, ſed potius ad adjuvantem & cooperantem, quia actionem ipſam formaliter includit.

Opponunt 5. Ex neceſſitate præmotionis phyſicæ conſequens eſſe Deum præmovere ſaltem ad entitatem actus peccati: ex quo abſurdum iſtud colligitur, Deum eſſe auctorem peccati, quia præmovet ad id cum quo malitia peccati ita conjuncta eſt, ut ab illo ſeparari ac ſejungi nullatenus poſſit, ut videre eſt v. g. in actu odii Dei: Argumentum iſtud ejuſque ſolutionem ſuperiùs adduximus, ubi de medio in quo Deus futura conditionata cognoſcit.

Opponunt 6. In ſyſtemate Thomiſtarum admittenda eſſe in Deo decreta actualia, ſeu in actu, ut vocant, exercito, abſoluta ex parte Dei, & conditionata ex parte objecti, pro infinitis propemodum rebus quæ nunquam futuræ ſunt: quæ decreta inutilia & illuſoria videntur, ſicut loco mox indicato probatum eſt.

Opponunt 7. Deum certò & infallibiliter ante prævisum per ſcientiam conditionatorum voluntatis conſenſum, non poſſe in ſola virtute & efficacia ſuæ gratiæ futuram voluntatis actionem cognoſcere; quia, ut jam ſemel dictum antea fuit, in eo cui voluntas poteſt, ſi placuerit, reluctari, certò ac infallibiliter cognoſci non poteſt voluntatis conſenſus: atqui gratiæ cuilibet quantumcumque potenti & efficaci ſemper voluntas reluctari ac reſiſtere poteſt; ergo &c.

Ita eſt, reponunt Thomiſtæ, voluntas poteſt quidem, ſi voluerit, efficaci gratiæ diſſentire; at numquam continget, ut de facto velit ei diſſentire, quod ſufficit ut in virtute ipſi interna certò cognoſcatur futurus voluntatis conſenſus. In rebus quippè moralibus vera dari poteſt ad aliquid faciendum poteſtas, quæ tamen nunquam in actum erumpit: v. gr. poteſt quidem, abſolutè loquendo, gravis aliquis ac ſapiens Magiſtratus, Theatrum aſcendere ac mimum agere; tametſi nuſquam futurum ſit ut rem tam inſulſam perficiat. Quin (addunt) hoc ipſum in opinione ſcientiæ mediæ ſolvendum occurrit: poteſt enim abſolutè voluntas gratiæ congruæ diſſentire, tametſi nuſquam continget ut ipſi diſſentiat.

Verùm, Thomiſtarum adverſariis fictitia prorſus & illuſoria videtur ea potentia moralis, quæ in tot hominum millibus qui hactenus vixerunt, aut deinceps victuri ſunt, actum nunquam obtinuit, nec unquam obtinebit: vera profectò & realis æſtimari non debet, inquiunt, hæc potentia; imò potius impotentia, & quidem morali major cenſenda eſt. Namque apud Philoſophos perinde ac Theologos, impotentia moralis eſt tantùm ſumma rei faciendæ difficultas, quæ licèt rariſſimè, at interdum ſaltem rem obtinet: porrò non ita eſt reſpectu gratiæ ſenſu Thomiſtico efficacis, cui per infinita ſpatia temporum & in tanta hominum multitudine ne ſemel quidem continget ut ei reſiſtatur; eò quòd eſſentialis ſit ac omninò infallibilis ejus connexio cum voluntatis conſenſu. Falsò autem ſupponitur eſſe in gravi illo Magiſtratu, cujus exemplum proferunt, veram & moralem facultatem in publico Theatro mimum agendi, tametſi ea nunquam de facto uſurus ille ſit: non ita eſt; habet ille quidem organicam ſeu mechanicam, ſi volueris, mimum agendi facultatem, at nullatenus moralem. In homine quippè mente ac ratione prædito, facultas moralis aliquid agendi, ali-

quo

quo motivo morali & ſanæ rationis excitari debet: at nullum in caſu propoſito excogitari poteſt tale motivum; ergo nulla eſt vera & moralis in illo gravi Magiſtratu potentia, imò potius vera impotentia ut mimum agat: quare exemplum iſtud Thomiſtis plùs nocet, quàm faveat. Quod verò addunt de gratia congrua cui homo reſiſtere ſemper poteſt, nec unquam reſiſtit, aptum hìc non videtur: diſpar quippè, quantùm ad rem præſentem, ratio eſt gratiæ congruæ, & gratiæ ſenſu Thomiſtico efficacis. Quòd enim homo numquam reſiſtat gratiæ congruæ, cui poteſt ſemper reſiſtere, oritur ex certitudine ſcientiæ conditionatorum, per quam Deus certò cognovit quid homo in his vel illis circumſtantiis facturus ſit. Quapropter impotentia reſiſtendi, aut, ſi placuerit, neceſſitas obſequendi gratiæ congruæ, conſequens eſt dumtaxat, quæ ſupponit liberam voluntatis determinationem à Deo præviſam: cùm autem falli non poſſit divina præſcientia, conſequenter neceſſe eſt, neceſſitate hypothetica & conſequente, ea fieri quæ Deus præſcivit. Non ita eſt in ſyſtemate Thomiſtico. Namque gratiæ per ſe efficaci numquam reſiſtitur ex neceſſitate quadam (ut pertendunt Thomiſtarum adverſarii) antecedente orta ex decreto Dei abſoluto, & ex motione ipſius prævia quæ voluntatem inviciſſimè, indeclinabiliter & inſuperabiliter ad agendum applicat & determinat.

Opponunt denique, diviſionem ſcientiæ in Deo repeti ex varietate ac diſtinctione objectorum circa quæ verſatur: ex parte enim Dei una eſt & ſimpliciſſima; ergo totuplex videtur admittenda, quotuplex eſt ſpecies objecti quod cognoſci à Deo poteſt. Porrò quæ cognoſci à Deo poſſunt, ſunt triplicis ordinis: alia nempè merè poſſibilia, circa quæ verſatur ſcientia ſimplicis intelligentiæ: alia abſolutè futura, quæ pertinent ad ſcientiam viſionis: alia denique quæ futura eſſent, ſi aliqua poneretur conditio, qualis eſt v.g. futura Tyriorum converſio, ſi Chriſti miracula vidiſſent; hæc quippè converſio nec merè poſſibilis erat, nec etiam abſolutè futura, ſed quæ futura fuiſſet ſi aliqua poſita fuiſſet conditio.

Reſpondent, objectum ſcientiæ quæ conditionata dicitur, revocari commodè poſſe ad objectum ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ aut viſionis; quippè ſi conditio nunquam ponenda ſit, res merè poſſibilis videtur, & revocatur ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ; ſi verò conditio ponenda ſit, res eſt abſolutè futura, & conſequenter à ſcientia viſionis conſideratur.

Hactenus de famoſa ſcientiæ mediæ controverſia in utramque partem paulò fuſiùs diſputatum. Qua in quæſtione duo ex fide certa ſunt, & inconfeſſo apud partes diſſidentes: primum, hominem eſſe liberum libertate quæ immunis ſit non tantùm à coactione, ſed etiam à neceſſitate; alterum, hominem Deo moventi & excitanti per gratiam, diſſentire poſſe ſi velit. Totius ergo diſputationis cardo ac veluti medulla in eo verſatur, utrum Deus in ſola gratiæ ſuæ virtute ac interna efficacia futurum voluntatis conſenſum certò cognoſcat. Affirmant Thomiſtæ; negant alii, hac potiſſimum ducti ratione, quòd huic gratiæ, quantumlibet potens ac efficax ſupponatur, homo ſemper reluctari poſſit. En quò reducitur totius controverſiæ ſumma.

QUÆ-

QUÆSTIO DECIMASEPTIMA.

De Voluntate Dei.

CUM omne agens ſpiritale mente ac voluntate præditum ſit, ordo ac legitima dicendi methodus poſtulat, ut poſtquam de ſcientia Dei, quæ ad intellectum pertinet, abundè diſſeruimus, nunc de ejuſdè voluntate hęc inquiramus.

I. An ſit in Deo propriè dicta voluntas.

II. Quod ſit divinæ voluntatis objectum tùm formale, tùm materiale, ſeu primarium, ſeu ſecundarium.

III. An Deus ſeipſum & alia à ſe diligat.

IV. An Dei voluntas ſit libera, & in quo poſita ſit ejus libertatis explicandæ ratio.

V. An multiplex in Deo diſtinguenda ſit voluntas.

VI. An Dei voluntas ſemper impleatur.

VII. Utrum voluntas Dei ſit cauſa rerum.

VIII. Utrum ſit aliquis ordo ſecundùm prius & poſterius inter divina decreta.

IX. Utrum ſit in Deo vera ac ſincera ſalvandi omnes voluntas.

ARTICULUS PRIMUS.

An ſit in Deo propriè dicta voluntas.

ESſe in Deo propriè ac formaliter voluntatem; communis eſt Theologorum ſententia: in duobus dumtaxat diſcordes videntur.

I. Utrum voluntas Deo conveniat per modum potentiæ ſeu principii unde profluat volitio, an verò per modum operationis.

II. Utrum volitio divina pertineat ad primum eſſentiæ divinæ conceptum.

CONCLUSIO.

Eſt in Deo propriè ac formaliter voluntas, non per modum potentiæ, ſed operationis; eaque ad primum eſſentiæ divinæ conceptum pertinet.

Tres ſunt partes Concluſionis.

Prima pars conſtat manifeſtis Scripturæ teſtimoniis. Matth. 6. v. 10. Chriſtus Apoſtolis ſuis orandi formam præſcribens, ait: *Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo & in terra.* Rom. 12. v. 2. & 3. *Reformamini in novitate ſenſus veſtri, ut probetis quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta.* Epheſ. 1. v. 11. *Operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.* Pſal. 134. v. 6. *Omnia quæcunque voluit Dominus, fecit in cœlo & in terra.* Hinc meritò Auguſtinus in Enchiridio cap. 96. *Neque enim*, ait, *veraciter ob aliud* (Deus) *vocatur omnipotens, niſi quoniam quidquid vult, poteſt.* Quibus verbis apertè declarat ſanctus Doctor, eſſe in Deo voluntatem: unde appoſitè colligit, eum eſſe omnipotentem; cùm non ob aliud ſit omnipotens, niſi quia quidquid vult poteſt: aut, ut loquitur Sapiens cap. 12. Sapientiæ v. 19. *Cum magna reverentia diſponis nos: ſubeſt enim tibi, cùm volueris, poſſe.* To. 6. p. 231. F.

Pro-

Probatur ratione ducta ex ente perfectissimo. Deus scilicet est ens perfectissimum quo nihil melius; unde consequens est, ut nulla prorsus careat perfectione quæ in suo conceptu essentiali nihil imperfecti involvit : atqui voluntas in suo essentiali conceptu nihil imperfecti involvit. Quinimò, si Deus voluntate careret, plurimis subjaceret imperfectionibus, ac perfectionibus destitutus foret. 1. Dominio supremo tùm proprietatis in omnes creaturas, tùm jurisdictionis in creaturas intellectuales: utrumque enim istud dominium supponit esse voluntatem in eo qui Dominus est. 2. Libertate ad agendum & non agendum: hæc enim in voluntate rationali residet. 3. Omni bonitate morali: quippè qui laudabiliter & honestè operari non posset, cùm bonitas moralis & laus actionis in libera operandi facultate fundetur: consequenter Deus summè bonus non esset, qui summum bonum amare non posset, defectu scilicet voluntatis, cujus proprium est amare : summum enim & infinitum bonum amore summo & infinito, qui in solum Deum cadit, amari debet & exigit. Neque etiam dignus foret sacrificiis ac supremis honoribus: nihil ab eo justè sperari ac timeri posset; siquidem nec justitia nec beneficentia sine voluntate subsistit. Imò nec intelligens, aut perfectè vivens ac beatus dici posset: cùm enim voluntas sequatur intellectum, *In quolibet intellectum habente est voluntas*, ait S. Thomas 1. p. q. 19. art. 1. *sicut in quolibet habente sensum, est appetitus animalis*, si tollas ab agente voluntatem, tollis consequenter & intellectum. Deinde, qui caret voluntate, caret vita perfectissima : namque inter præcipuos vitæ actus est amor, qui sine voluntate non potest exerceri. Caret & suprema felicitate seu beatitudine, qui nec seipsum amare potest, neque de seipso gaudere: suprema enim felicitas in eo est, ut supremum bonum cognitum ametur, & ex illo amore gaudium percipiatur. *Omnes*, ait S. Augustinus Lib. 10. Confess. *gaudium beatam vitam vocant*. Si autem Deus voluntate careret, nec seipsum tanquam supremum bonum amare, nec de seipso gaudium percipere potest.

Secunda pars Conclusionis, nempè voluntatem in Deo non habere rationem potentiæ, seu principii virtualis volitionis Dei

Probatur auctoritate SS. Augustini & Thomæ. Eadem quippè habenda est ratio voluntatis respectu volitionis, ac intellectus respectu intellectionis: atqui intellectus divinus non est in Deo ad modum potentiæ seu principii respectu intellectionis. Probat S. Augustinus Lib. 7. de Trinit. cap. 1. his verbis. *Quòd si & Pater qui genuit sapientiam, ex ea sit sapiens, neque hoc est illi esse quod sapere, qualitas eius est Filius, non proles ejus, & non ibi erit jam summa simplicitas. Sed absit ut ita sit: quia verè ibi est summè simplex essentia: hoc ergo est illi esse, quod sapere. Quòd si hoc est ibi esse quod sapere, non per illam sapientiam quam genuit, sapiens est Pater, alioquin non ipse illam, sed illa eum genuit. Quid enim aliud dicimus, cùm dicimus, hoc est illi esse quod sapere, nisi eo est, quo sapiens est? Quapropter quæ causa illi est ut sapiens sit, ipsa illi causa est ut sit: proinde si sapientia quam genuit, causa illi est ut sapiens sit, etiam ut sit ipsa illi causa est.* Probat ibi sanctus Doctor, sapientiam per quam Pater æternus constituitur sapiens, non habere ullam causam, quia hoc est Deo esse, quod sapere; unde cùm essentia Dei principium seu causam habere non possit, sapientia pariter Dei nullam causam habere potest. Quæ sancti

Tom. 8. p. 854. F.

Docto-

Doctoris ratiocinatio probat ſapientiam divinam nullum pariter habere poſſe principium virtuale, ſicut nullum habet divina eſſentia; probat & conſequenter velle divinum carere omni pariter principio, tam virtuali quàm reali: quia, juxta ſanctum Doctorem, ideò ſapientia Dei nullum habet principium à quo ſit, quia eſt ipſamet Dei natura & eſſentia: atqui velle Dei eſt pariter ipſamet Dei natura & eſſentia; ergo &c.

S. Thomas 1.p. q.25. art.1. ad 3. rem totam dilucidè explanat diſtinctione operationis & effectus Dei. *Potentia in rebus creatis*, inquit, *non ſolùm eſt principium actionis, ſed etiam effectus: ſic igitur in Deo ſalvatur ratio potentiæ quantùm ad hoc quod eſt principium effectus, non autem quantùm ad hoc quod eſt principium actionis*, niſi, ut ait loco mox laudando, ſecundùm modum intelligendi. Et q.41. art.4. ad tertium, principium iſtud rei præſenti ſic applicat: *Intelligere & velle non ſunt tales actus qui deſignent proceſſionem alicujus rei à Deo diſtincte vel eſſentialiter, vel perſonaliter. Unde reſpectu horum actuum non poteſt ſalvari ratio potentiæ in Deo, niſi ſecundùm modum intelligendi & ſignificandi tantùm: prout diverſimodè ſignificatur in Deo intellectus & intelligere, cùm tamen ipſum intelligere Dei ſit eius eſſentia non habens principium.*

Probat Gonetus iſta fundamentali ratione. De ratione potentiæ eſt, inquit, quòd ſit principium per ſe influens in operationem: ſed voluntas in Deo non poteſt eſſe nec concipi cum fundamento in re, ut principium influens in volitionem divinam; quia ad influxum potentiæ in actum, requiritur diſtinctio formalis, aut ſaltem virtualis inter utrumque: ſed voluntas divina nec formaliter, nec virtualiter diſtinguitur à ſua volitione. Cùm enim voluntas in Deo ſit actus puriſſimus & omnis potentialitatis expers, debet concipi ut includens formaliter in ſuo conceptu ultimam ſuæ lineæ actualitatem: alioquin conciperetur ut in potentia ad illam; & ſic non conciperetur ut actus puriſſimus, ſed ut potentialitati admixtus. Illa ratione ex ſimplicitate Dei ſumma, ſeu ex actu puriſſimo uſus eſt S. Auguſtinus Lib.7. de Trinit. cap.1. antea citato. *Diſp.1. de exiſt. & quid dicatur voluntatis Dei, art.1.*

Tertia Concluſionis pars probata manet ex iis quæ ſuperiùs dicta & probata ſunt, ubi de conſtitutivo divinæ eſſentiæ diſputabamus. Cùm enim divina eſſentia in ente perfectiſſimo poſita ſit, omnemque in ſuo formali conceptu perfectionem implicitè ſaltem includat; conſequenter hìc ſtatuendum, divinam voluntatem pertinere ad primarium eſſentiæ divinæ conceptum, detractis omnibus iis imperfectionibus quæ creatæ voluntati adhæreſcunt. Neque enim actu multiplici ac diſtincto, ut ſit in nobis, fertur in objecta, ſed unico ac ſimpliciſſimo: nec mutabilis eſt ac inconſtans, ſed eadem ſemper & immota. Res quippè novas, non novo ſed ſempiterno facit conſilio: nec eſt appetitus rei abſentis, quaſi Deus aliquo careat, abſit; Deus enim ſibi ſolus ſufficit, ac ſemetipſum ut ſummum ac infinitum bonum amore infinito proſequens, ſeque pro beneplacito in ſuis creaturis diffundens, iiſque nullatenus indigens, ſumma felicitate ac pace fruitur.

Dices 1. contra primam partem Concluſionis. Objectum voluntatis eſt finis ac bonum: ſed Dei nullus eſt finis ad quem tendat, cùm ipſe potiùs ſit finis ad quem creatura omnis intelligens tendere debeat.

Reſp. Diſtinguo min. Atqui Dei nullus eſt finis ab ipſo diſtinctus, concedo: ab ipſo indiſtinctus, nego. Voluntas quippè Dei fertur in Deum ipſum, qui eſt per eſſentiam ſupremum ac infinitum bonum.

Dices

Dices 2. contra ſecundam partem. Eſt in Deo principium intentionale volitionis; ergo datur in Deo voluntas per modum potentiæ ſeu actus primi. Antecedens probatur. Ubi eſt operans intentionaliter per volitionem, ibi datur principium intentionale volitionis: ſicut ubi datur aliquid phyſicè operans, ibi datur principium phyſicum operandi: atqui Deus dum actu vult aliquid, operatur intentionaliter; volitio enim divina eſt operatio intentionalis, ſeu vitalis tendentia in objectum; ergo in Deo eſt principium intentionale divinæ volitionis.

Confirmatur. Ubi reperitur vera operatio, ibi admitti debet principium operans phyſicum, ſi operatio ſit phyſica, vel intentionale, ſi operatio ſit intentionalis: atqui velle divinum eſt vera operatio; ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad probationem, neganda eſt major propoſitio. Etſi enim detur in Deo operans intentionaliter per volitionem, hoc eſt, ſuppoſitum actu volens, in eo tamen non datur principium intentionale volitionis: ad hoc enim ut aliquod ſuppoſitum ſit actu volens, nihil aliud requiritur quàm ut habeat à ſe & in ſe actualem volitionem; hoc autem convenit Deo qui habet à ſe & in ſe per ſummam identitatem, ſuam volitionem. Neque valet paritas adducta ab operante phyſicè: ſiquidem quando datur ſuppoſitum aliquod phyſicè operans, neceſſe eſt ut detur aliquis terminus qui phyſicè producatur, & diſtinguatur à ſuppoſito operante: atqui terminus phyſicè productus neceſſariò ſupponit aliquid à ſe diſtinctum à quo producatur, adeoque ſupponit phyſicum ſui principium. Porrò res non ita ſe habet in ſuppoſito intentionaliter operante: ad hoc enim ut aliquid cognoſcat aut velit, ſatis eſt quòd in ſe & à ſe habeat cognitionem & volitionem.

Hinc patet reſponſio ad confirmationem argumenti.

Dices 3. contra tertiam partem Concluſionis. SS. Patres docent voluntatem ad Dei ſubſtantiam non pertinere; ſed ajunt eſſe ex ſubſtantia Dei. *Non ſapientia ſubſtantia*, inquit S. Joan. Chryſoſt. hom. 1. de incomprehenſibili Dei natura, *ſed à ſubſtantia ſapientia eſt*. Et S. Joan. Damaſcenus Lib. 1. de fide orthodoxa cap. 9. *Bonum*, inquit, *& juſtum, & ſanctum, aliaque ejuſmodi, naturam quidem comitantur; cæterùm eſſentiam non declarant.*

To. 1. p. 248. B.

To. 1. p. 143. C.

Reſp. diſt. ant. SS. Patres docent voluntatem non eſſe Dei ſubſtantiam, ſed ex ſubſtantia Dei ſequi, ſecundùm modum ſignificandi & concipiendi, concedo: ſecundùm rem ipſam ſignificatam, nego. Mens SS. Patrum eſt, Dei attributa ſeu perfectiones multùm diſtare à perfectionibus creaturæ, quæ ipſi adveniunt & accidentariæ ſunt, non verò ex ipſius natura conſequuntur. E contra verò divinæ perfectiones, licèt non ſint ſecundùm modum ſignificandi divina ſubſtantia, ſunt tamen ipſi eſſentiales ac neceſſariæ, non adventitiæ, non accidentales: unde quoad rem ipſam ſunt ipſamet Dei ſubſtantia & natura, tametſi quoad modum ſignificandi & concipiendi differant, ob tenuem & infirmum qui in nobis eſt, res divinas concipiendi modum. Solutioni favet S. Cyrillus Alexandrin. in Theſauro his verbis. *Non omnia quæ in Deo ſunt & de Deo dicuntur, ſubſtantiam ſignificant: reliquum eſt, ut voce modoque dicendi accidentia eſſe dicantur, quoniam modo accidentium ea intelligimus: non enim poteſt natura humana majus aliquid quàm ipſa concipere poteſt, de Deo dicere. Noſtro enim proprio modo intelligimus & loquimur ex hisquæ in nobis ſunt quaſi per exempla, majora, hoc eſt divina intelligentes; ſicut qui in minima charta cœleſtem circulum deſcribunt.*

At,

At, inquies, nulla proprietas pertinet ad conſtitutionem eſſentiæ cujus eſt proprietas: atqui voluntas divina eſt proprietas naturæ divinæ; ſic enim appellatur à ſexta Synodo generali Act. 18. in Sermone acclamatorio.

Reſp. Diſtinguo maj. Nulla proprietas tam ex parte rei ſignificatæ, quàm ex parte modi ſignificandi & concipiendi, pertinet ad conſtitutionem eſſentiæ cujus eſt proprietas, concedo: ex parte tantùm modi ſignificandi & concipiendi, nego. Porrò voluntas divina eſt tantùm proprietas naturæ divinæ ex parte modi concipiendi & ſignificandi, quatenus eam concipimus per modum accidentis advenientis naturæ divinæ: non eſt autem proprietas ex parte rei ſignificatæ, ut contingit in natura intellectuali creata. Neque verò de illa Scholæ controverſia cogitabat ſexta Synodus, cùm dixit voluntatem divinam eſſe naturæ Dei proprietatem, ſicut & voluntatem creatam naturæ humanæ. Hoc enim unum intendebant contra Monothelitas: Sicut in Chriſto ſunt duæ naturæ diſtinctæ, divina ſcilicet & humana; ita quoque duas eſſe in Chriſto voluntates, divinam & humanam; duas pariter operationes, quarum una divinitatis, altera humanitatis eſt propria.

ARTICULUS SECUNDUS.

De objecto formali & materiali, tùm primario tùm ſecundario divinæ voluntatis.

CErtum eſt 1. apud omnes, Deum non tantùm ſeipſum amare, ſed etiam creaturas. Sapientiæ 11. v. 25. *Diligis omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti.*

Certum eſt 2. objectum voluntatis aliud eſſe formale motivum, aliud verò materiale, ſeu primarium ſeu ſecundarium. Objectum formale motivum illud dicitur, quod per ſe primò movet voluntatem; quod amatur ratione ſui, & propter quod cætera amantur; in quo tanquam in fine voluntas conquieſcit. Objectum verò materiale dicitur, quod voluntas amat ratione alterius, ſeu propter aliud ad quod ultimò refertur.

Quæſtio igitur eſt, an ſola bonitas increata ſit objectum divinæ voluntatis formale motivum; an verò creaturam Deus amare poſſit propter ipſius bonitatem, ſiſtendo in ipſa velut in fine.

CONCLUSIO.

Sola increata bonitas eſt objectum formale motivum divinæ voluntatis; & quidquid Deus amat extra ſe, propter ſemetipſum amat, tanquam propter ultimum finem.

Probatur 1. ex Scripturis. Proverb. 16. v. 4. *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus: impium quoque in diem malum.* Non quòd impietatem in impiis Deus faciat vel approbet, abſit: ſed ut in eorum pœna ſuæ juſtitiæ ſeveritatem oſtendat, ſicut in electis miſericordiæ ſuæ amplitudinem. Apocal. c. 22. v. 11. *Ego ſum « & », primus & noviſſimus, principium & finis.*

Dein-

Deinde si Deus aliquid à se distinctum amaret propter ipsius bonitatem in ea sistendo, maximè creaturam rationalem, quam cùm amore amicitiæ diligat eique velit felicitatem; videtur eam amare propter solam ipsius bonitatem ac perfectionem; atqui tamen Deus amat creaturam rationalem propter seipsum & propter suam gloriam, juxta illud Isaiæ 43. v.7. *Omnem, qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi illum, formavi illum, & feci eum.* Quòd si vult ei felicitatem, ideo maximè vult, ut in ea ostendat divitias gloriæ suæ, ut testatur Apostolus Rom.9. v. 22. *Quòd si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia, vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* Et Ephes. 1. v.5. *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum....in laudem gloriæ suæ.*

Probatur 2. ex sanctis Augustino & Thoma.

Sanctus Augustinus L.1. de doctrina Christiana c.31. sic loquitur. *Quomodo ergo diligit? ut nobis utatur, an ut fruatur? sed si fruitur, eget bono nostro, quod nemo sanus dixerit. Omne enim bonum nostrum, vel ipse, vel ab ipso est: cui autem obscurum vel dubium est, non egere lucem rerum harum nitore, quas ipsa illustraverit? Dicit enim apertissimè Propheta: Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Non ergo fruitur nobis, sed utitur. Nam si neque fruitur, neque utitur, non invenio quemadmodum diligat. Sed neque sic utitur ut nos: nam nos res quibus utimur ad id referimus, ut Dei bonitate perfruamur; Deus verò ad suam bonitatem usum nostrum refert.*

To.3.p. 1. pag. 15.G.

Quid sit frui & uti.

Ita sanctus Doctor, ubi perspicuè declarat, Deum ita nos amare, ut per eum amorem non fruatur nobis, sed utatur: at juxta eundem cap.4. ejusdem Libri. *Frui est amore alicui rei inhærere propter seipsam: uti autem, quod in usum venerit, ad id quod amas obtinendum refert.* Ergo Deus non amat creaturam propter ipsam, sed eam ad seipsum summè dilectum, tanquam ad finem ultimum refert.

6.C. ibid. p.

S. Thomas clarissimè nostram confirmat Conclusionem 1.p. q.19. art.1. ad 1. ait: *Licèt nihil aliud à Deo sit finis Dei; tamen ipsemet est finis respectu omnium quæ ab eo fiunt, & hoc per suam essentiam, cùm per suam essentiam sit bonus.* At non esset finis omnium quæ ab eo fiunt, si omnia non faceret propter seipsum, & faceret aliquid quod non referret ad seipsum. Deinde ejusdem quæstionis art.2. ita concludit. *Sic igitur vult & se esse, & alia. Sed se ut finem, alia verò, ut ad finem: in quantùm condecet divinam bonitatem, etiam alia ipsam participare.* In quibus verbis sanctus Doctor non solùm asserit Deum velle alia à se, sed insuper docet, quomodo Deus velit alia à se propter seipsum tanquam propter finem, quatenus scilicet vult res à se distinctas esse participes suæ bonitatis: cùm enim bonum sit diffusivum sui, decet maximè supremam & summam bonitatem, in alia se diffundere.

Ibidem cùm secundo loco sibi objecisset. *Volitum movet volentem, sicut appetibile appetitum: si igitur Deus velit aliquid aliud à se, movebitur ejus voluntas ab aliquo alio, quod est impossibile.* Respondet: *In his quæ volumus propter finem, tota ratio movendi est finis; & hoc est quod movet voluntatem. Et hoc maximè apparet in his quæ volumus tantùm propter finem. Qui enim vult sumere potionem amaram, nihil in ea vult nisi sanitatem; & hoc solum est quod movet*

ejus

ejus voluntatem. Secus autem est in eo qui sumit potionem dulcem, quam non solùm propter sanitatem, sed etiam propter se aliquis velle potest. Unde cùm Deus alia à se non velit, nisi propter finem qui est sua bonitas, non sequitur quòd aliquid aliud moveat voluntatem ejus, nisi sua bonitas. Et sic sicut alia à se intelligit, intelligendo essentiam suam; ita alia à se vult, volendo bonitatem suam. Hæc S. Thomas. Porrò si Deus non vult alia à se nisi propter suam bonitatem, tanquam propter finem, manifestum est Deum, quidquid amat extra se, propter semetipsum amare, tanquam propter finem.

Ratio qua Conclusio nititur, aperta est; ducta ex Ente perfectissimo. Scilicet Enti perfectissimo tribui debet modus agendi perfectissimus: at modus agendi perfectissimus non solùm in eo consistit, quòd agens agat ex cognitione alicujus finis, sed etiam ut agat propter finem omnium perfectissimum, videlicet propter summam ipsis Dei bonitatem; ergo Deo tribui debet ut cuncta quæ operatur ad suam dirigat & referat bonitatem.

Et verò necesse omnino est ut qui rerum omnium finis est ad quem omnia referuntur, & ipse ad aliud non refertur, unicè agat propter suam gloriam & bonitatem, tanquam propter ultimum finem: atqui Deus est rerum omnium finis ad quem omnia referuntur, ipse verò ad aliud non refertur; ergo &c.

Dices 1. ex S. Aug. citato, Deus non fruitur creaturis, sed iis utitur: atqui iis uti non potest. *Uti* enim, ex mente S. hujus Doctoris, *est quod invsum venerit, ad id quod amas obtinendum referre.* Sed Deus non potest referre creaturas ad seipsum obtinendum, cùm seipsum independenter à creaturis perfectè possideat; ergo Deus non utitur rebus creatis, ac proinde eas non amat propter seipsum.

Resp. nego min. Deus quippe creaturis utitur, quatenus scilicet eas ordinat, non quidem ad seipsum obtinendum, cùm seipsum perfectè possideat, sed ad obtinendam gloriam suam, id est ad manifestandas suas perfectiones; quem finem per creaturarum productionem assequitur.

Instabis ex eodem S. Doctore L. 11. de Civitate Dei cap. 21. Deus fecit lucem, *quia bona est*; ergo bonitas creata movet & allicit Deum ad agendum; ac consequenter non solùm increata bonitas, sed etiam creata est objectum formale motivum divinæ voluntatis. *To. 7. f. 288. A.*

Resp. nego consequens. Particula enim, *quia*, citato loco causalitatem non arguit vel motivum, sed tantùm conditionem requisitam ut lux à Deo fieri possit: nihil enim mali fecit Dominus. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona. Gen. 1. v. 31.*

Dices 2. Deus non solùm amat creaturas existentes, sed etiam possibiles: atqui eas sic amando ad se non refert, neque iis utitur; ad quid enim illis uteretur, cùm non sint? eas igitur diligit amore simplicis complacentiæ aut approbationis propter bonitatem quam videt ipsis tribuendam si actu existerent; ergo Deus aliquid amat extra se, quod non amat propter semetipsum.

Resp. Deum amare creaturas possibiles affectu complacentiæ, quatenus sunt ejusmodi ut possint conducere ad suam extrinsecam gloriam, atque ad perfectionum divinarum manifestationem, si ponantur in rerum natura. Hic autem affectus complacentiæ, non est fruitio creaturarum possibilium, sed usus; cùm non tendat in illas, nisi quatenus conducere possunt ad aliquid obtinendum, quod ipsi Deo summè dilecto bonum est.

Dices 3. Deus amat justos amore amicitiæ, ut docet S. Th. 2. 2. qu. 23. art. 1. Atqui si eos amaret propter seipsum, non eos amaret amore amicitiæ, sed potius amore concupiscentiæ: amor enim amicitiæ rem amat propter semetipsam, in ea sistendo; amor verò concupiscentiæ propter commodum & utilitatem quæ ex illa percipitur.

Resp. dist. min. Si Deus amaret justos propter semetipsum, hoc est propter commodum & utilitatem quam ex creatura percipit, non amaret amore amicitiæ, concedo: si amaret propter semetipsum, id est propter suam bonitatem qua in creaturis bona causat, & propter summam felicitatem in se ipso & per seipsum creaturæ rationali concedendam, nego. Porrò cùm Deus amat creaturam, motivum amoris ipsius non est commodum aut utilitas quam ex creatura percipit, Deus enim bonorum nostrorum non eget; sed est ipsummet bonum ac commodum creaturæ in Deo ipso consequendum. Deus igitur dicitur amare creaturam rationalem propter semetipsum eam ad se referendo, his modis: 1. quia ipsam amat quatenus est ipsius imago; habet enim hoc creatura intellectualis, quòd sit imago Dei. 2. quatenus est speciali & supernaturali modo particeps & consors naturæ divinæ per gratiam sanctificantem. 3. quatenus vult eam esse beatam. Quando enim beatitudinem illi vult, nihil aliud vult, nisi ut suam divinitatem perfectè cognoscat & diligat: dum autem vult perfectè cognosci & diligi à creatura rationali, seipsum maximè amat; tunc enim vult gloriam suam externam, quæ in eo consistit, quòd à creatura intellectuali cognoscatur & ametur.

Dices 4. Sunt in Deo virtutes morales v. g. misericordia, justitia &c. at virtutes illæ subsistere in Deo non possunt, si sola bonitas increata sit objectum formale motivum divinæ voluntatis: quia objectum formale motivum illarum virtutum est bonum aliquod creatum; v. g. misericordiæ, aliena miseria sublevanda; justitiæ, jus quod unicuique debetur servandum.

Resp. nego min. Virtutes enim illæ in Deo & moventur divina bonitate, & simul versantur circa honestatem quæ reperitur in quibusdam actionibus creatis; hæc enim non pugnant inter se. Imò cùm omne bonum creatum sit increati participatio, divina misericordia movetur à divina bonitate, prout est ratio miserendi, ut hominum miseriæ subveniat; & justitia ab eadem bonitate movetur, prout est ratio præmiandi, ut cuique jus suum reddat: quod quidem præstat divina bonitas, prout continet eminenter honestatem objectivam misericordiæ & justitiæ divinæ.

Ex dictis hactenus colliges Deum, seu ejus bonitatem, esse objectum formale motivum adæquatum divinæ volitionis: quia illud solum est objectum formale motivum & adæquatum divinæ volitionis, quod solum divina volitio amat ratione sui, hærendo in illo tanquam in ultimo fine & propter quod amat cætera omnia: atqui volitio divina amat bonitatem Dei ratione sui, hærendo in illa tanquam in fine ultimo, & nihil aliud amat, nisi propter ipsam; ergo &c. Inde quoque colliges, creaturas esse dumtaxat objectum secundarium divinæ volitionis.

A R-

ARTICULUS TERTIUS.

An Deus seipsum, & alia à se distincta velit & diligat, & quomodo.

QUæstio est an Deus tùm seipsum, tùm creaturas sive possibiles, sive futuras & existentes diligat; & quomodo, an necessariò, an liberè. Et utrum etiam velit mala seu culpæ, seu pœnæ.

PRIMA CONCLUSIO.

Deus seipsum primariò ac necessariò amat.

Probatur, quia Deus est summum & infinitum bonum, clarè ac comprehensivè cognitum, ac infinitè amabile; ergo Deus necessariò ac primariò seipsum amat; non quidem necessitate coactionis ac violentiæ, sed necessitate voluntaria & naturalis inclinationis, quam cohibere non potest: siquidem Pater & Filius mutuo amore ita necessariò producunt Spiritum sanctum, ut eum non possint non producere: qua etiam ratione creatura rationalis necessariò necessitate voluntaria & naturalis inclinationis dicitur amare beatitudinem, quia non potest eam non amare. Necessitatem hanc naturalis ac voluntariæ inclinationis nonnulli ex nostris Scholasticis liberam appellant: unde S. Th. de potentia q. 10. art. 2. ad 5. docet Spiritum sanctum liberè à Patre & Filio procedere; intellige, *liberè* per oppositionem ad coactionem & violentiam, non verò ad necessitatem voluntariam & naturalem. Inde inferes Deum se necessariò amare & quoad specificationem, & quoad exercitium actus.

SECUNDA CONCLUSIO.

Deus necessariò amat creaturas possibiles.

Priusquam Conclusio probetur,

Observa, creaturas possibiles considerari posse, vel ut sunt in Deo & virtualiter in omnipotentia divina continentur, sub quo respectu sunt ipsamet creatrix Dei essentia; vel secundùm suum esse possibile proprium, seu objectivè, quatenus sunt objectum divinæ cognitionis ac potentiæ.

Observa rursus, varios esse affectus per quos divina voluntas circa creaturas versari potest. Primus est affectus simplicis complacentiæ, per quam Deus in bonitate creaturarum sibi complacet: alter est affectus efficax, quo Deus vult absolutè & efficaciter creaturas aliquando esse: tertius est affectus inefficax, quo Deus, quantùm in seipso est, vult aliquid esse, ita tamen ut relinquat in potestate causæ liberæ creatæ, huic suæ voluntati obsequi, vel refragari, eique prorsus liberum sit impedire ne fiat id quod Deus vult fieri: quomodo vult Deus mandata sua ab omnibus observari, quæ tamen non observantur: quomodo etiam vult omnium salutem, quam tamen omnes non assequuntur, & ita Dei voluntati resistunt, quamvis eam non vincant.

ut oſtendit S. Aug. L. de Sp. & litt. c. 31. Quartus denique affectus diſtingui in Deo poteſt, nempe gaudii, per quem Deus de bono aliquo creato exiſtenti atque præſenti delectatur.

Creaturæ poſſibiles hic non conſiderantur prout ſunt in Deo, & virtualiter continentur in ejus omnipotentia: ſic enim ſpectatæ, ſunt ipſe Deus, & eodem amore à Deo diliguntur, quo Deus ſeipſum diligit. Hic ergo conſiderantur ſecundùm illud eſſe proprium & objectivum quod habent in Deo.

Certum autem eſt Deum non amare creaturas merè poſſibiles amore abſoluto & efficaci; quia circa illas nihil unquam operatur: neque pariter eas amat amore gaudii; is quippe fertur in rem exiſtentem. Quod autem attinet ad voluntatem Dei inefficacem per quam Deus inefficaciter vult aliquid eſſe aut fieri à cauſa ſecunda libera, negari non poteſt quin Deus per ejuſmodi affectum verſetur circa creaturas aliquas merè poſſibiles: Deus enim vult ſalutem multorum qui non ſalvantur, ſed pereunt; hæc autem ſalus eſt merè poſſibilis, cùm nunquam ſit futura. Vult pariter Deus præcepta ſua ab hominibus obſervari, nec tamen ab omnibus obſervantur; ideoque mandatorum obſervatio, quæ nunquam ab illis ponitur, quamvis Deus eam poni velit, merè poſſibilis eſt. Tota igitur præſens quæſtio verſatur circa affectum ſimplicis complacentiæ, an Deus ſcilicet eo affectu diligat creaturas merè poſſibiles: negant Thomiſtæ, affirmant alii.

Probatur igitur prima pars Concluſionis noſtræ.

I. Creaturæ illæ merè poſſibiles habent veritatem objectivam quæ à Deo cognoſcitur; ergo & bonitatem quæ amatur à Deo amore ſimplicis complacentiæ. Unumquodque enim dicitur bonum, ſecundùm quod perfectum eſt perfectione eſſentiali; ſed creaturæ poſſibiles ſunt perfectæ perfectione eſſentiali, quia nihil ipſis deeſt ex prædicatis neceſſariis & eſſentialibus.

II. Deus priùs ratione quàm velit efficaciter eſſe aliquod bonum poſſibile, verè amat illud, ſicut colligitur ex his quæ docet S. Aug. Lib. 14. de Civit. Dei cap. 7. ubi ait, amorem eſſe principium & radicem reliquarum omnium affectionum quæ in natura intellectuali excitantur, deſiderii nimirum, gaudii, timoris, triſtitiæ. Id ipſum poſt S. Aug. tradit S. Thomas 1.2. q. 25. art. 2. ubi ait, *amorem præcedere deſiderium, & deſiderium præcedere delectationem*. Et in reſp. ad 1. ait, *effectum amoris quando habetur bonum amatum, eſſe delectationem: quando autem non habetur, eſſe deſiderium vel concupiſcentiam*. Atqui amor ille non eſt alius præter meram & ſimplicem complacentiam circa bonum iſtud. Ita S. Thomas locis relatis, ubi dicit amorem illum, quem vult eſſe principium paſſionum omnium, nihil aliud eſſe, quàm *complacentiam boni*: & qu. 26. ar. 1. ait amorem tam ſenſitivum quàm intellectivum, eſſe *ipſam complacentiam boni*.

III. Si quid obſtat quominus Deus amore ſimplicis complacentiæ amet creaturas merè poſſibiles, vel illud petitur ex parte ipſius affectus complacentiæ qui non poteſt tendere niſi in bonum quod præcognoſcatur actu exiſtens, vel ex parte ipſius boni quod non eſt capax terminandi affectus illum, niſi ſupponatur actu exiſtens: atqui ex neutro capite id repugnat. Non ex parte affectus complacentiæ; ſiquidem affectus ſimplicis complacentiæ præcedit affectum deſiderii, juxta S. Thomam; ergo ſi deſiderium non ſupponit bonum quod appetit, repræſentari voluntati ut præſens aut actu exiſtens, affectus

fectus complacentiæ non ſupponit cognitionem boni quæ repræſentet illud exiſtere. Deinde ſi affectus ſimplicis complacentiæ ex modo tendendi in objectum ſuum, ſupponit illud exiſtere, non videtur poſſe diſtingui ab affectu gaudii, qui hoc ſibi vendicat tanquam proprium, quòd ex modo tendendi in objectum ſupponat illud exiſtere ac poſſideri. Neque etiam id repugnat ex parte ipſius boni, quod non eſt capax terminandi affectum complacentiæ, niſi ſupponatur actu exiſtens: licèt enim bonum præcisè poſſibile non ſit bonum actu exiſtens, ſed bonum tantummodo in potentia objectiva, hoc tamen non impedit quominus amari poſſit amore ſimplicis complacentiæ. Etenim quamvis bonum quod proponitur, non repræſentetur actu exiſtens per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, Deus tamen poteſt illud amare amore efficaci, quo velit illud exiſtere; ergo ſimiliter licèt non repræſentetur actu exiſtens, poterit tamen Deus illud amare amore ſimplicis complacentiæ. Cùm enim affectus uterque tendat in bonum; ſi ſufficit ad unum terminandum, ut objectum ſit bonum in potentia objectiva, quidni pariter hoc ipſum ſufficiet ut terminare valeat affectum alterum? Certè non videtur id poſſe negari, niſi dixeris affectum complacentiæ ex modo tendendi ſupponere exiſtentiam boni quod proſequitur, quod falſum eſt. Nihil igitur obſtat quominus Deus amet amore ſimplicis complacentiæ bonum poſſibile ab ipſo diſtinctum, ſpectatum præcisè ſecundùm ſe, & abſtrahendo ab ejus exiſtentia.

Amor verò ille ſimplicis complacentiæ quo Deus amat creaturas poſſibiles, eſt in Deo neceſſarius, quem cohibere ac ſuſpendere non poteſt.

Probatur 1. Quia Deus poteſt producere, ſiipſi placuerit, creaturas poſſibiles; atqui producere illas non poſſet, niſi cognoſceret eas bonas eſſe bonitate ſaltem in potentia, ſeu objectiva: Deus enim non poteſt per ſeſe niſi bonum. Hæc autem bonitas neceſſariò terminat divinam voluntatem, ſicut veritas divinum intellectum: amor enim ille complacentiæ efga res poſſibiles, eſt veluti diſpoſitio requiſita per quam Deus idoneus redditur ad eas produceudas. In mente enim S. Thomæ, amor ſimplicis complacentiæ eſt id per quod voluntas redditur apta & proportionata ad hoc ut intendat bonum quod proponitur. Sic loquitur S. Doct. 1. 2. q. 25. art. 2. *Manifeſtum eſt quòd omne quod tendit in finem aliquem, primò quidem habet aptitudinem ſeu proportionem ad finem: nihil enim tendit in finem non proportionatum. 2. movetur ad finem. 3. quieſcit in fine poſt ejus conſecutionem. Ipſa autem aptitudo ſeu proportio appetitus ad bonum, eſt amor, qui nihil aliud eſt, quàm complacentia boni.*

II. Deus ſeipſum amat amore ſummo quo perfectior dari non poteſt: atqui ſi non amat neceſſariò amore ſimplicis complacentiæ bona omnia poſſibilia, non amat ſeipſum neceſſariò amore ſummo; quia non poteſt ſummè amari ars alicujus artificis, niſi per illum actum placeant & approbentur ea quæ ab artifice fieri poſſunt vi hujus artis.

III. Deus neceſſariò vult & amat ſuam omnipotentiam; ergo & objectum ſuæ omnipotentiæ, id eſt res omnes poſſibiles.

TERTIA CONCLUSIO.

Deus amat & quidem liberè, omnes creaturas aut existentes, aut aliquando futuras.

Probatur 1. ex Scripturis. Sap. 11. v. 25. *Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti.* Ratio est, quia Deus id omne diligit quod bonum est: sed *omnis creatura Dei bona est.* 1. ad Timoth. 4. v. 4. Gen. 1. v. 31. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.*

Has autem creaturas liberè Deus amat, sicut liberè eas creavit; neque enim iis indiget. Ex hypothesi autem quòd eas creaverit, eas necessariò diligit, nec eas odisse potest. Ita S. Th. 1. p. q. 19. art. 3. *Cùm bonitas Dei,* inquit, *sit perfecta, & esse possit sine aliis, cùm nihil ei perfectionis ex aliis accrescat, sequitur quòd alia à se eum velle non sit necessarium absolutè, & tamen necessarium est ex suppositione; supposito enim quòd velit, non potest non velle; quia non potest voluntas ejus mutari.*

QUARTA CONCLUSIO.

Deus vult mala naturæ aut pœnæ, non quidem per se ac directè, sed per accidens ratione alterius; mala verò culpæ seu peccata nullatenus vult, nec per se nec per accidens: ea tamen permittit ex quibus novit bonum eruere.

Mala naturæ hic dicuntur naturæ aberrationes, qualia sunt monstra: mala verò pœnæ, ea quæ in punitionem culpæ inducta sunt, ut mors, fames, sitis, morbi & aliæ afflictiones ac miseriæ quibus hac in mortali vita undequaque premimur. Ea autem per se ac directè Deum non velle, sed per accidens ac ratione alterius,

Probatur. Quia mala hujusmodi non sunt ex prima Dei hominem rectum & justum creantis intentione, nec habent ex se speciem boni. Non mala naturæ, quæ sunt naturæ defectus seu aberrationes: non mala pœnæ, quæ homines excruciant, & ex peccato suam trahunt originem. Attamen per accidens & ratione alterius, hujusmodi mala & incommoda Deus vult, volendo bonum aliquod cui tale malum conjungitur; sic vult pœnam, ut hominem reducat ad ordinem justitiæ, ut eum ad vigilantiam excitet, cautiorem reddat contra dæmonis impetus ac mundi illecebras, ut suam etiam Deus justitiam manifestet. Item vult aliquando rerum corruptiones propter bonum totius universi, in quo requiruntur varii rerum gradus; & etiam ad magis illustrandam naturæ in aliis effectibus rectitudinem. Eò tendunt Scripturæ testimonia.

Amos 3. v. 6. *Si erit malum in civitate, quod non fecerit Dominus.* Isaiæ 45. v. 7. *Ego Dominus formans lucem, & creans tenebras; faciens pacem, & creans malum.* Eccli. 11. v. 14. *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt.* Et cap. 39. v. 35. *Ignis, grando, fames & mors, omnia hæc ad vindictam creata sunt.* Communis hæc quoque est SS. Patrum doctrina, imprimis S. Aug. qui Lib. 3. de Trinit. cap. 4. cùm dixisset, Dei voluntatem esse primam & summam causam omnium specierum atque motionum, subjunxit eandem Dei voluntatem causam esse sanitatis & ægritudinis, præmiorum atque pœnarum.

T. 8. p. 797 G.

Secun-

Secunda pars Conclusionis, Deum scilicèt nec per se nec directè velle mala culpæ seu peccata, sicut veteres nonnulli hæretici blasphemando affirmabant.

Probatur manifestis Scripturæ testimoniis. Psal. 5. v. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Sap. 14. v. 9. *Odio sunt Deo impius & impietas ejus.* Habacuc 1. v. 13. *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum: & respicere ad iniquitatem non poteris*, id est velle & approbare. Deuter. 32. v. 4. *Dei perfecta sunt opera, & omnes viæ ejus judicia: Deus fidelis & absque ulla iniquitate, justus & rectus.*

Probari præterea potest Conclusio innumeris propemodum SS. Patrum testimoniis, à quibus hic recensendis supersedemus, cùm sint cuilibet obvia, eaque ex professo referant Theologi, ubi de peccatis.

Ratio verò Conclusionis manifesta est: Id enim suprema bonitas velle & amare non potest, quod nullam habet speciem boni: atqui talia sunt mala culpæ seu peccata.

Deinde id Deus nequidem per accidens & oratione alterius velle potest, quod non potest velle ratione boni alicujus adjuncti quod majus sit vel æquale illi quo homo per peccatum privatur: atqui nullum est bonum peccato adjunctum, quod majus sit vel æquale illi quo homo per peccatum privatur: bonum autem illud est charitas, quæ vel extinguitur per peccatum, si lethale fuerit; vel imminuitur, si veniale.

Peccatum nihilominus permittit Deus, quod postulat suavis ejus providentiæ ratio, ut nempe creaturæ rationali suam permittat libertatem, tametsi prævideat Deus tali libertate eam miserè abusuram esse: sed Deus omnipotens, etiam ex peccatis bona novit eruere. *Deus*, ait S. Aug. Enchirid. c. 11. *usque adeo omnipotens & bonus, ut de malo etiam benefaciat.* Et c. 27. *Melius judicavit de malis benefacere, quàm nulla mala esse permittere.* To. 6. p. 199. A. Ibid. p. 206. E.

Solvuntur Objectiones adversùs præcedentes Conclusiones.

Objicies 1. contra primam Conclusionem; Modus operandi qui perfectior est, Deo tribui debet: sed modus operandi liberè perfectior est modus operandi ex necessitate naturæ; ergo modus ille Deo tribuendus est, adeoque seipsum liberè, non autem necessariò diligit.

Resp. minorem universim sumptam falsam esse. Qui enim ex necessitate naturæ bonum ita vult & ipsi affixus est ut ab illo deficere non possit, ille profectò perfectione alium superat qui potest à bono ad malum deficere; posse enim peccare defectus est ac imperfectio.

Distingui potest minor propositio. Modus operandi liberè perfectior est modo operandi ex necessitate naturæ, respectu objecti limitati & in quo non relucet omnis ratio boni, esto: respectu objecti infiniti, in quo relucet ratio summi boni adæquantis totam capacitatem voluntatis, ut est in Deo, nego.

Objicies 2. contra secundam Conclusionem. Illud non potest amari quod nullam habet bonitatem: atqui creatura merè possibilis nullam habet bonitatem. Namque juxta doctrinam S. Thomæ 1. p. q. 5. art. 1. *res quælibet in tantùm bona est, in quantùm est perfecta; in tantùm autem est perfecta, in quantùm est actu.*

Resp. distinguo maj. Illud non potest amari quod nullam habet bonitatem, neque actu existentem, neque in potentia objectiva, seu possibilem, concedo: quod nullam habet bonitatem actu existentem, nego. Nam si bonitas rei deberet actu existere ut posset amari, nec Deus velle posset salutem eorum qui nunquam salvantur; nec illi qui pereunt possent appetere suam salutem, dum in terris vivunt, quia illorum salus nullam habet bonitatem actu existentem in ulla temporis differentia, sed est merè possibilis.

Ad S. Thomam. Res in tantùm est perfecta perfectione actuali & existente, in quàntùm est in actu, concedo: perfectione in potentia objectiva, nego. Res verò possibilis perfecta est, non quidem perfectione actuali & existente, sed possibili & objectiva.

Instabis 1. Idem Angelicus Doctor ait rem in tantùm esse appetibilem in quantùm est actu.

Resp. Idem Sanctus Doctor q. 4. art. 2. ait etiam, *unumquodque esse cognoscibile in quantùm est actu*. An inde inferes creaturas possibiles quæ actu non existunt, à Deo non cognosci?

Distinguo igitur propositionem. Res in tantùm est appetibilis, appetitu seu amore efficaci, in quantùm est actu, concedo: amore simplicis complacentiæ, de quo uno hic agitur, nego.

Instabis 2. Amare est velle bonum alicui; at Deus nullum bonum vult creaturæ merè possibili. Imò cùm eas non velit creare, vult eas carere omni bono; ac consequenter eas magis odio habet, quàm diligat.

Resp. dist. maj. Amare amore efficaci, est velle alicui bonum, concedo: amore simplicis complacentiæ, nego. Ex eo autem quòd Deus nolit creaturas illas possibiles producere, non sequitur quòd eas odio habeat; quia nolitio illa juncta non est cum displicentia seu cum affectu improbante & respuente rem aliquam propter malum quod in ea deprehenditur, quod quidem necesse foret, ut Deus propriè dici posset odisse creaturam possibilem quam non vult producere.

Instabis 3. Si Deus amat amore simplicis complacentiæ bona possibilia, consequenter Deus odisse debet odio simplicis displicentiæ quæcumque mala possibilia, videlicet peccata; hoc autem falsum est: alioquin displiceret Deo subjectum, nempe creatura intellectualis cui malum illud inesse potest; & ita vel ipsi Sancti qui in cœlis degunt, ex ea parte essent objectum odii divini, quia capaces sunt mali, si non futuri, saltem possibilis.

Resp. nego min. ejusque probationem. Etsi enim Deus malitiam peccati detestetur & odio habeat, non idcirco tamen physicam actus peccati entitatem cum malitia ipsa conjunctam Deus odio habet, etiam in sententia Thomistarum; entitas enim illa in se physicè spectata quatenus est ens, bona est: pariter igitur etsi Deus odio simplicis displicentiæ prosequatur omne peccatum possibile, non idcirco tamen creaturam intellectualem, quæ peccati est capax, aversatur & odio habet.

Instabis 4. Deus non potest odisse quod necessariò amat: at Deus amat necessariò peccatum possibile. Deus enim seipsum amando, necessariò amat quidquid est cum ipso necessariò connexum: atqui Deus ratione suæ omnipotentiæ est necessariò connexum cum peccato possibili quod permittere aut debet aut potest.

Resp.

Resp. nego min. ejusque probationem. Falsum enim est istud principium, quod auctores objectionis tanquam verum supponunt, nempe non posse aliquid efficaciter amari, nisi ametur id quod cum illo est ad eo connexum, ut sine eo existere nequeat: namque Deus amat entitatem physicam actus peccati, nec tamen amat malitiam moralem ipsi annexam: pariter Deus amat pœnitentiam peccatoris, nec tamen amat peccatum quod pœnitentia præsupponit. *Salmaticenses.*

Objicies præterea contra eandem Conclusionem: Deus nullam creaturam amat necessariò, quia nullum bonum finitum ac limitatum capax est necessariò trahendi seu terminandi voluntatem entis infiniti ac perfectissimi: idque ex professo docet S. Thomas 1. p. q. 19. art. 3. dum contendit amorem Dei erga creaturas esse liberum, nec Deum quidquam extra se necessariò velle necessitate absoluta.

Resp. distinguo maj. Deus nullam creaturam necessariò amat, amore efficaci, concedo; amore simplicis complacentiæ, nego. Ad probationem majoris est eadem responsio. Bonum finitum non potest necessariò terminare seu trahere voluntatem entis infiniti per amorem efficacem, concedo: per amorem simplicis complacentiæ, nego. Cùm enim amor complacentiæ sit affectus quo voluntas quasi acquiescit & consentit intellectui judicanti objectum aliquod esse bonum; fieri non potest quin voluntas amet objectum quod clarè cognoscitur esse bonum, amore simplicis complacentiæ: quod quidem in Deo maximè verum esse debet propter summam concordiam inter intellectum divinum & umanam voluntatem, quæ concordia postulat, ut voluntas id amet tanquam bonum, quod intellectus judicat esse bonum.

Objicies 3. contra tertiam Conclusionem ea quæ sibi objicit S. Thomas 1. p. q. 19. art. 2. 1. Velle Dei non distinguitur ab ejus essentia: sed Deus non est aliud à se; ergo non vult aliud à se. 2. Dei voluntas ab alio quàm à seipso moveri non potest. 3. Dei bonitas ejus voluntati abundè sufficit. 4. Si aliud à se velit, multiplicandæ sunt ejus volitiones.

Resp. ad primum, velle Dei esse quidem re & entitate Dei essentiam, differre autem ratione, secundùm diversum, inquit S. Thomas, modum intelligendi, & significandi. *In hoc enim*, pergit S. Doctor, *quòd dico Deum esse, non importatur habitudo ad aliquid, sicut in hoc quod dico, Deum velle.*

Ad secundum. Sola bonitas divina, ex dictis, est objectum formale motivum divinæ voluntatis, propter quam tanquam propter finem Deus vult alia à se distincta. *Unde*, ait S. Thomas hìc, *cùm Deus alia à se non velit, nisi propter finem qui est sua bonitas; non sequitur quòd aliquid aliud moveat voluntatem ejus, nisi bonitas sua.*

Ad tertium. Ex eo quòd bonitas Dei ipsi sufficiens sit, non sequitur quòd nihil aliud velit; sed quòd nihil aliud velit nisi occasione suæ bonitatis.

Ad quartum. Sicut intelligere divinum est unum, quia multa non videt nisi in uno; ita velle divinum est unum & simplex, quia multa non vult nisi per unum, quod est bonitas sua. Ita S. Thomas hìc.

Objicies præterea, Deum non liberè, sed necessariò amare creaturas futuras aut existentes. Probatur, quia summum bonum necessariò sui diffusivum est.

Resp. nego ant. Ad probationem distinguo: summum bonum necessariò

sui

ſui diffuſivum eſt in actu primo; id eſt, aptum ut ſe diffundat, concedo: in actu ſecundo; id eſt, neceſſariò ſe hoc vel illo modo, hac vel illa menſura creaturis communicare tenetur, nego. Deus enim creaturis non indiget, qui tam perfectus eſt ſine illis ac cum illis.

Objicies 4. contra quartam Concluſionem. Multa ex peccatis bona interdum oriuntur: v. g. major peccatoris ad Deum converſi fervor, humilitas, pœnitentia: unde S. Auguſt. Lib. 1. de Civitate Dei c. 28. ait, Deum graviſſimo quodam lapſu, virginum ſuperbiæ mederi. Hinc de primo peccato Adami Eccleſia canit: *O felix culpa, quæ tantum meruit habere redemptorem.* Ergo ſaltem per accidens Deus peccata velle poteſt. To. 7. p. 27.

Reſp. Quæ occaſione peccatorum bona contingunt, in Deum ſolum auctorem referenda eſſe, qui ex malo bona novit eruere, quique peccata ipſa ſic ordinat ac diſponit, ut ea vel in manifeſtationem ſuæ gloriæ, vel in bonum ſuorum electorum convertat.

Inſtabis 1. Deus dicitur in Scripturis indurare & excæcare hominum corda; ergo vult peccata.

Reſp. diſtinguo ant. Dicitur indurare & excæcare, negativè per ſubſtractionem gratiæ uberioris, concedo: poſitivè, impertiendo malitiam, nego.

Inſtabis 2. Deus poſitivè vult illam gratiæ ſubſtractionem ex qua oriuntur peccata, ergo &c.

Reſp. diſtinguo ant. Vult poſitivè gratiæ ſubſtractionem tanquam pœnam peccati, concedo: tanquam cauſam peccati, nego. Cauſa peccati eſt perverſa hominis voluntas qua liberè à gratia excidit: quando autem Deus uberiores gratias denegat in pœnam precedentium peccatorum, vult quidem hominem punire hac uberioris gratiæ privatione; ſed propterea non vult ut homo peccet, qui reipſa poteſt à peccato hic & nunc, Deo adjuvante, abſtinere.

Inſtabis 3. Deus peccata præcipit: ergo vult. Antecedens probatur. Lib. 2. Regum c. 16. v. 10. *Dominus Semei præcepit ut malediceret David.* Et Act. 4. v. 27. *Convenerunt adversùs ſanctum puerum tuum Jeſum . . . . facere quæ manus tua, & conſilium tuum decreverunt fieri.*

Reſp. nego ant. Ad exempla quæ adducuntur, dico 1. ea intelligenda eſſe de permiſſione peccatorum: quia prævidens Deus inclinatam hominum ad peccandum voluntatem, permittit eam impleri; non autem de mandato Dei propriè dicto. Si enim mandatum fuiſſet, inquit S. Aug. non peccaſſent obtemperando: peccarunt autem, cùm idcirco divinam in ſe vindictam provocaverint. Dico 2. permiſſionem illam meram in Deo non fuiſſe & otioſam negationem, ſed actum poſitivum, per quem Deus & aliqua operabatur, unde indurandi ſe occaſionem ſumebant peccatores; & propenſam illorum ad malum voluntatem, ad unum potiùs quàm ad aliud ferri voluit, ob finem & rationes quas divina providentia ſibi præſcripſit.

ARTICULUS QUARTUS.

An Dei Voluntas ſit libera, & quæ ſit ejus libertatis explicandæ ratio.

Libertas eſt vis ſui determinativa, cum indifferentia ad agendum vel non agendum, quæ dicitur libertas contradictionis; vel ad oppoſitum agendum, & dicitur libertas contrarietatis.

Certum eſt 1. Deum liberum non eſſe in actibus ſuis internis & immanentibus qui ad divinam eſſentiam pertinent: v. gr. generationem Verbi, proceſſionem Spiritus ſancti, amorem ſui &c.

Certum eſt 2. non eſſe in Deo libertatem contrarietatis ad malum: Deus enim mali eſt incapax, neque etiam libertatis eſſentia poſtulat ut in malum ferri poſſit. Ita S. Thomas in 2. Sent. diſt. 25. q. 1. art. 1. ad 2. ubi ait, *ad rationem liberi arbitrii non pertinere, ut indeterminatè ſe habeat ad bonum vel ad malum . . . ſed hoc ad libertatem arbitrii pertinere, ut actionem aliquam facere vel non facere poſſit. Et hoc*, inquit, *Deo convenit; bona enim quæ facit, poteſt non facere, nec tamen malum facere poteſt.* Et qu. 24. de Veritate art. 3. ad 3. *Dicendum*, inquit, *quòd voluntas divina ſe habet ad oppoſita, non quidem ut aliquid velit, & poſtea nolit, quod ejus immutabilitati repugnaret: nec ut poſſit vel bonum & malum, quia defectibilitatem in Deo poneret, ſed quia poteſt hoc velle, & non velle.* To. 8. p. 247. col. 1. B. C. T. 12. p. 859. col. 2. D.

Certum eſt 3. libertate m Deo internam eſſe, cùm ſit perfectio ſimpliciter ſimplex, ac conſequenter ab ejus natura & ſubſtantia indiſtincta. Id verò negat Vorſtius Calviniſta, aſſerens actum Dei liberum ſeu decretum Dei verum eſſe accidens diſtinctum ab ejus ſubſtantia: de omnibus enim decretis divinis generatim ille pronuntiat, *eſſe quædam accidentia à ſubſtantia Dei longè diverſa.*

Hæc ſunt apud omnes Theologos certa & indubitata: verùm laborant plurimùm ut aſſignent id in quo præcisè reponenda ſit eſſentia libertatis Dei & quomodo actus liber diſtinguatur à neceſſario, cùm uterque ab entitate divinæ ſubſtantiæ ſit indiſtinctus. Difficultatem longè intricatiſſimam auget concordia libertatis Dei cum ejus immutabilitate: namque cùm actus liber ſit Deo intrinſecus & ab ejus entitate indiſtinctus; & aliunde ſit de natura actus liberi ut poſſit eſſe vel non eſſe, conſequens videtur aliquid Deo internum poſſe non eſſe, adeoque poſſe mutari Deum. En nodus cujus ſolutio multùm hactenus Theologos defatigavit.

PRIMA CONCLUSIO.

Eſt in Deo vera & propriè dicta libertas circa creaturas.

Probatur ex Scripturis. Pſal. 93. v. 1. *Deus ultionum liberè egit.* Et Pſalm. 113. v. 3. *Omnia quæcunque voluit fecit.* Epheſ. 1. v. 11. *Operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.* 1. Corinth. 12. v. 11. *Hæc omnia operatur unus atque idem ſpiritus, dividens ſingulis prout vult.* Porrò, ut rectè advertit

tit S.Th. hic art.3. quod operamur ex consilio voluntatis, non ex necessitate volumus: cùm igitur Deus omnium quæ operatur extra se, ex consilio suæ voluntatis operetur, ea non ex necessitate sed ex libertate ita vult, ut potuerit ea non velle.

Et verò si ea quæ Deus efficit extra se, quadam compulsus necessitate faceret, nulla debita foret laus misericordiæ quam erga nos exercet, nulla gratiarum actio, nulla gratitudo ipsi rependenda propter beneficia ab ipso in nos derivata: nihil ab eo sperandum foret, nihilque petendum. Ad quid enim & nostræ ad Deum preces, & Dei ad nos adhortationes & commonitiones, si fatali quadam necessitate bona vel mala immitteret?

Denique cùm libertas in se spectata sit perfectio simpliciter simplex omnis expers defectus ac imperfectionis, Deo non potest detrahi, qui est perfectissimus, & à quo quidquid boni in nobis desluit.

Quæ adversùs libertatem Dei opponit humana ratio, hæc ferè omnia repetuntur ex defectibus seu imperfectionibus quæ libertati creatæ ratione subjecti in quo est, adhærescunt; illæ verò immeritò prorsùs ad divinam transferuntur. Divina itaque libertas, sicut humana, 1.Non includit indifferentiam seu suspensionem & indeterminationem actus: quod enim Deus vult, semper ab æterno voluit. 2. Non est in divina voluntate, sicut in nostra, diversorum actuum successio. 3.Inconstans non est, volubilis, ambulatoria & mutabilis, ut nostra. 4.Ad malum deficere non potest. 5. Denique, actus divinæ voluntatis entitativè spectatus, est ipsamet Dei entitas seu natura: Deus enim est actus purissimus, creatura verò quæ semper habet aliquid potentialitatis, ut vocant, non est essentialiter in actu, sed actus ipsi adventitius est & accidentalis.

Quapropter actus divinæ voluntatis liber constitui non potest, nisi per connotationem seu habitudinem & respectum ad creaturas.

SECUNDA CONCLUSIO.

Libertas Dei consistit in entitate divinæ volitionis, & intrinseca ipsius terminatione ad objectum extrinsecum.

Probatur & explicatur Conclusio. Quia in eo videtur formaliter reponenda divina libertas, quod faciliùs (quantùm tenuitas humani ingenii patitur) explicat actum illum Dei liberum, & solvit incommoda quæ solent objici in concilianda Dei libertate cum ejus immutabilitate: atqui talis videtur esse modus quem exprimit nostra Conclusio. Namque 1. explicat id omne quod requiritur ad actum Dei liberum; siquidem actus Dei liber non est quid divinæ naturę superadditum, nihil adventitium; nihil tale admittere potest, quæ summa est Dei simplicitas: porrò cùm dicimus libertatem Dei esse ipsammet divinæ substantię entitatem, eo ipso excluditur quidquid extrinsecum est & adventitium. 2. actus liber quatenus liber est, necessarius esse non potest, ut per se constat; & idcircò quia entitas divinæ naturæ est necessaria, ut liber concipiatur actus ab illa indistinctus, necesse est ipsi addere terminationem seu ordinem & respectum ad objecta extrinseca per quem liber constituatur. Cùm verò actus liber sub ea ratione qua liber est

Deo

Deo sit internus, & aliunde talis sit, ut possit esse vel non esse pro nativa conditione actus liberi; nè fortè inde inferatur aliquid Deo internum posse non esse, idcircò in illa terminatione entitatis divinæ ad objecta extrinseca, duplicem quasi respectum distinguimus, unum intrinsecum respectu Dei, extrinsecum alterum respectu creaturæ. Et ita cùm objicitur aliquid Deo internum posse non esse, respondemus cum distinctione, aliquid Deo internum terminativum, concedimus, internum entitativum|, negamus. Quòd si in illa terminatione entitatis divinæ ad objecta extrinseca nonnisi unus admittatur, ut communiter ajunt Theologi, respectus, isque externus, difficile prorsùs erit intelligere internam Deo esse libertatem, quæ per aliquid meré externum constituitur. Verùm supra ad quæstionem octavam in solutione objectionum, ubi de immutabilitate Dei ejusque concordia cum libertate disserebamus, præsens argumentum discussum abundè fuit. Quapropter ne eadem hìc repetere cogamur, lectorem ad hunc locum remittimus.

ARTICULUS QUINTUS.

An multiplex in Deo distinguenda sit voluntas.

Sicut Deus unico ac simplicissimo actu omnia intelligit, ita unico ac simplicissimo actu voluntatis à sua natura indistincto, vult quæcunque vult. Cùm igitur Psaltes Regius Psal. 110. v. 2. plurali numero *voluntates* in Deo enuntiat his verbis: *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus*, pluralitas illa seu multiplicitas non ex parte Dei intelligenda est, sed ex parte objectorum ad quæ Dei voluntas fertur; vel ex parte modi quo circa illa versatur; vel ex parte effectuum quos operatur: quemadmodum idem Propheta plurali numero, propter multos ac varios effectus, & misericordias & justitias in Deo appellat, licèt reipsa una sit misericordia, & una justitia. Hoc præsuppositio

Voluntas beneplaciti & signi.

Primò distinguitur in Deo voluntas beneplaciti, & voluntas signi: prior est voluntas propriè dicta, ait S. Th. 1. p. q. 19. art. 11. posterior verò, dicitur voluntas metaphorica, eò quòd signum voluntatis appellari soleat voluntas. Beneplaciti voluntas in Deo est formaliter & ipsi interna, quam Apostolus Rom. 12. v. 2. designat his verbis: *Ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens & perfecta.*

Est præterea in Deo voluntas quæ simplicis complacentiæ dicitur, omnino sterilis & otiosa, qualis ea est quæ versatur circa creaturas merè possibiles. Voluntas autem signi, quatenùs signi est, Deo extrinseca est, quia merum & externum est divinæ voluntatis signum, quod quidem per figuram & metaphoram appellatur voluntas: quo sensu Testamentum vocatur ultima hominis voluntas. Quinque signa divinæ voluntatis

Quinque assignari solent divinæ voluntatis signa hoc versu expressa. *Præcipit & prohibet, permittit, consulit, implet.*

Id est, præceptum, prohibitio, permissio, consilium, operatio: prohibitio & per-

& permiſſio, reſpectu mali; præceptum, conſilium & operatio, reſpectu boni, ait ibidem S.Th. art.2. His quinque modis ſextum addit Eſtius in 1. Sent. diſt.45. parag.7. quem appellat modum præparationis. *Nempe ut voluntate præparationis id velle dicatur Deus, quod etſi ſecundùm ſe nec velit, nec faciat aut facturus ſit; vult tamen ſecundùm cauſam præviam & præparantem, quia nimirùm huiuſmodi præparatio ſoleat in nobis ſignum eſſe quòd eam rem facere velimus. Exempli cauſa: Qui minatur aut permittit aliquid, dicitur hoc velle facere: qui gladium ſtringit in aliquem, dicitur eum velle occidere.* Verùm quidquid ſit de illa Eſtii opinione, quæ leviſſimi momenti eſſe videtur, gravius longè eſt quod hìc quærunt Theologi, ſcilicèt, an & quando voluntas ſigni conjuncta ſit cum voluntate beneplaciti, vel ab ea ſejuncta: de qua quæſtione ſic pronuntiat S.Thom. in quæſtionibus diſputatis qu.23. de voluntate Dei art.3. in reſponſione ad 6. *Sciendum eſt*, inquit, *quòd voluntas ſigni tribus modis ſe habet ad voluntatem beneplaciti; quædam enim eſt voluntas ſigni quæ nunquam incidit in idem cum voluntate beneplaciti, ſicut permiſſio qua permittit mala fieri, cùm mala fieri nunquam velit. Quædam enim ſemper in idem incidit, ſicut operatio: quædam verò quandoque incidit, & quandoque non, ſicut præceptum, prohibitio & conſilium.*

Sextũ addit Eſtius. T.1.p. 193.col. 2. F.

7.12.p. 845.col. 2. D.

Tria inde colliges: 1. reſpectu mali culpæ, voluntatem ſigni nuſquam fociam habere voluntatem beneplaciti. 2. In iis quæ Deus exteriùs operatur, utranique voluntatem conjunctam ſemper eſſe, nihil etenim nolens operatur. 3. denique, in iis quæ præcipit vel prohibet, ſigni voluntatem conjungi aliquando cum voluntate beneplaciti, aliquando verò non conjungi. Quænam verò ſit regula qua diſcernere certò poſſimus, quandonam conjungatur vel non, hìc non aperit Angelicus Doctor.

An & quãdo voluntas ſigni jũcta ſit cũ voluntate beneplaciti.

Sunt inter Theologos qui iſtam aſſignant: nempe meram eſſe ſigni voluntatem, non beneplaciti, quoties ea quæ Deus exteriùs imperat aut conſulit, non eveniunt; vel ea prohibet, quæ fiunt. Ratio hæc ipſis eſt. Quòd omnis & quælibet Dei vera & beneplaciti voluntas ſemper ſit efficax, & impleatur; ſi verò non impletur, ſigni dumtaxat voluntas dicenda eſt, figurata & metaphorica: eo ipſo modo quo dicimus Deum iraſci ac pœnitere, non quidem affectivè, ſed effectivè dumtaxat, quia idem quoad nos operatur, ac ſi revera & ex animo ira & pœnitentia commoveretur; illa ergo Dei voluntas, quæ non impletur, ab objecto dumtaxat beneplacitum appellatur, *& ad eam refertur*, ait Eſtius loco citato, *quę complacentia dicitur: quia nimirum velle dicitur Deus vel præcipiendo vel exhortando omne virtutis opus.*

Eſtius in 1. Sẽt. diſt.45. §. 7.

P. 194. col.1.F.

Verùm periculoſam minùſque in fide tutam eſſe, ne quid ampliùs dicam, ſententiam iſtam, manifeſtè demonſtrant abſurda quæ hinc ſequuntur. Nempè Dei mandata quibus declarat velle ſe ut operemur bonum, & à malo declinemus, erga illos, qui ea non obſervant, ſeria non eſſe nec ſincera, ſed ſimulata & illuſoria. Deum verè & ex animo non velle ut ſalvi fiant, qui pereunt; ut præcepta obſervent, qui ea violant: ſi enim ea Deus ſincerè & ex beneplacito vellet, certiſſimè fierent. Ex quo ſequitur eos qui non faciunt ea quæ Deus jubet, vel qui ab iis non abſtinent, quæ prohibet, non facere contra voluntatem Dei veram & ſinceram, ſed figuratam dumtaxat & metaphoricam; adeoque verè illos contra Dei voluntatem non peccare. At quàm iſta falſa & abſurda? quàm à communi Chriſtianorum ſenſu ac pieta-

Refelli-tur.

pietate aliena sunt! Nemo fidelis est, qui cùm audit velle Deum ut salvus fiat, non statim concipiat voluntatem illam veram esse, propriam, sinceram & ex animo, non fictam, non simulatam, figuratam & metaphoricam: quasi Deus Christianorum, Deus esset personatus ac scenicus qui fingeret se velle, quod reipsa non vellet. Pariter cùm audit homo Christianus Deum mandata sua nobis ad observandum proponere, procul dubio intelligit ex vera & propriè dicta voluntate mandata illa proponi ut observentur; *Est enim beneplacitum Domino recedere ab iniquitate*, ait Ecclesiasticus c.35. v.5. &, ut loquitur Apostolus 1. ad Thessal.4. v.3. *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra: ut abstineatis vos à fornicatione. Lex Dei*, ait S.Joan. Damasc. dial. contra Manichæos, *voluntas ipsius est. Nemo enim ea præcipit à quibus abhorreat*. Verùm in ea adversa sententia hæc simpliciter & universim vera non sunt; sed tantùm erga illos qui recedunt ab iniquitate & sanctificantur: erga verò alios ficta sunt ac simulata. An verò patienter id ferre possunt aures Christianæ? Nonne Deus ex naturæ suæ necessitate amat bonum & malum odio habet & aversatur? Ergo verè ac ex animo vult ut fiat bonum quod jubet, & non fiat malum quod prohibet. Ed. No. To.1.p. 448.A.

Neque verò par est ratio iræ ac pœnitentiæ quæ in Deo esse dicitur, ac amoris erga bonum, & odii erga malum. Namque affectus iræ ac pœnitentiæ imperfectum quid important, animi scilicet commotionem, perturbationem, ac mutationem; non ita certè affectus amoris erga bonum, & odii erga malum.

Dices 1. Vix concipitur quomodo Deus omnipotens aliquid velit, quod non fiat.

Resp. Deum non tantùm omnipotentem esse, sed etiam sapientissimum ac suæ vissimum provisorem, qui cùm homini quidquam imperat aut prohibet, eum suæ libertati relinquit, ut obsequatur vel resistat, ut inde meriti laudem, vel demeriti pœnam reportet. *Deus*, ait Ecclesiast.c.15.v.14. & seq. *ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata & præcepta sua: si volueris mandata servare, conservabunt te, & in perpetuum fidem placitum facere. Appositi tibi aquam & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei dabitur illi*. Ergo quæcunque Deus vult, non absolutè semper & ex omni sua virtute ac potentia vult, sed aliqua ita vult, ut tamen ea in hominis voluntate ac libera potestate relinquat. Uno verbo, cùm peccat homo, vel propriè resistit divinæ voluntati quæ malum prohibet, vel non resistit: si resistit, ut reipsa resistit, Deus vera & interna voluntate vult aliquid ab homine fieri, quod tamen ab illo non fit; si verò non resistit, ergo non agit contra veram Dei voluntatem; ergo non peccat; ergo ex animo & intimo affectu Deus in illo homine non odit nec aversatur malum quod abeo committitur, nec etiam verè atque ex animo Deus hoc illi vetat ac prohibet; aliàs certissimè malum illud homo non committeret.

Verùm quis tam perditæ mentis fuerit, qui dixerit hominem illum non peccare, quiscien & volens malum operatur; & Deum vero ac interno affectu non aversari nec prohibere malum illud quod ab illo homine committitur?

Dices 2. Voluntate signi nonnulla Deus interdum se velle declarat, quæ tamen reipsa fieri non vult; aut aliqua prohibere, quæ vult ut fiant. V.g. Genes.

Geneſ.22. præcepit Abrahamo, ut immolaret filium ſuum Iſaac, attamen reipſa nolebat illum immolari ex quo Meſſias Chriſtus oriundus erat. Et Marci 1.leproſo quem à lepra mundaverat, injunxit ne cuiquam diceret, v.44. *Vide nemini dixeris ..... Ille tamen egreſſus cæpit prædicare & diffamare ſermonem.* v.45. Similiter Deuter.9. iratus Dominus delere voluit gentem Judaicam, quæ tamen deleta non fuit. Et de Ninive Jonæ 3.v.4. dicitur, *Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur*, nec tamen ſubverſa illa fuit. Pariter Deus peccata permittit, (quæ permiſſio ad voluntatem ſigni pertinet) nec tamen interna voluntate vult peccata, imò ea odio habet & deteſtatur. Quibus exemplis certè demonſtratur voluntatem ſigni non ſemper conjunctam eſſe cum voluntate beneplaciti: qua igitur via, qua regula certò dignoſci poterit, an conjuncta ſit vel non utraque hæc voluntas?

Reſp.iſtam ex divinis Scripturis regulam certò præfigi poſſe: nimirùm præceptum vel prohibitionem rei alicujus faciendæ ſimplicem ac meram eſſe voluntatem ſigni, quando vel ipſo eventu, vel Scripturæ teſtimonio novimus Deum, rem quam præceperat, ſubinde prohibere ne fiat, vel quam prohibuerat, ſubinde velle ut fiat. Ita merè ſigni voluntas fuit, cùm Deus juſſit Abrahamo ut immolaret filium Iſaac, quem immolari ſubinde prohibuit. *Non extendas*, inquit Deus Gen.22. v.12. *manum tuam ſuper puerum.* In quo quidem exemplo, & ſi quæ alia ſimilia occurrunt, ubi aliquid ex parte Dei jubetur per modum præcepti, & poſtea ipſe prohibet fieri, eſt quidem voluntas quædam ſimplicis complacentiæ circa rem illam. Deo namque placebat ſecundùm ſe immolatio Iſaac ex obedientia, cùm eſſet opus virtutis & præcepti; Deo placebat publicam & manifeſtam omnibus fieri Abrahæ fidem & obedientiam, atque ex illa parte non erat ſola voluntas ſigni, & non beneplaciti: ſed quia id quod exteriùs apparebat, indicare videtur Abrahamo, Deum velle ſacrificium illud abſolutè præcipere; & præceptum non revocare, ex hac parte erat voluntas ſigni, & non beneplaciti; id enim nunquam decreverat Deus, imo oppoſitum volebat.

Illi pariter qui à lepra mundatus fuerat, injunxit Chriſtus ne cuiquam diceret: verùm ille ubique prædicavit, intelligens Deum non ideo prohibuiſſe, quin vellet opus ſuum prædicari, ſed ut daret formam homini laudem humanam declinandi. Ita exponit Magiſter Lib.1.Sent.diſt.45.litt.K. Idem prorsùs dicendum de comminationibus, quæ conditionatæ ſunt, & effectu carent conditione non poſita; quo caſu unam dumtaxat reſpectu pœnæ intentatæ, ſigni voluntatem, reſpectu verò mali quod prohibetur, internam deſignant diſplicentiam ſeu veram & realem voluntatem Dei peccata prohibentis. Hoc ſenſu Scriptura ſignificat voluiſſe Deum perduelles ac contumaces Judæos & Ninivitas diſperdere, iſta ſcilicèt tacita conditione ſuppoſita, ſi nempè à viis ſuis pravis non recederent. Suppoſita verò illorum pœnitentia, voluntas illa, quantùm ad pœnæ inflictionem, nonniſi voluntas ſigni fuit. Verùm quantùm iſta diſtant à voluntate qua Deus vult & bonum quod præcipit, à nobis fieri; & malum quod prohibet, à nobis declinari? Vera enim & interna voluntate, non ficta, non figurata, hæc Deus vult: quia ſanctus & juſtus eſt, qui non poteſt non amare bonum, & non odiſſe malum; ergo ea ipſa voluntate Deus malum prohibet, qua ipſum odio habet & averſatur: atqui illud odio habet & averſatur vera & interna voluntate; ergo

etiam

etiam vera & interna voluntate, non figurata tantùm nec metaphorica illud prohibet, etiam cùm permittit illud fieri.

Voluntas antecedens & conſequens.

Secundò diſtinguunt in Deo Theologi voluntatem antecedentem & conſequentem. *Quæ quidem diſtinctio*, ait S. Thomas 1. p. q. 19. art. 6. ad 1. *non accipitur ex parte ipſius voluntatis divinæ, in qua nihil eſt prius vel poſterius, ſed ex parte volitorum*. Diſtinctionem hanc hauſerunt ex S. Joan. Damaſc. Lib. 2. de fide orthodoxa c. 29.

Antecedens voluntas dicitur, quæ rem in ſeipſa conſiderat præciſis ejus circumſtantiis. Tali voluntate Deus vult omnes homines ſalvos fieri; quia conſiderata hominis natura in ſe & antecedenter ad ejus peccata, bonum eſt hominem ſalvum eſſe. Judex pariter vult omnem hominem vivere, præciſè ut homo eſt & facta abſtractione quòd ſit homicida. Ita quoque mercator vult merces ſuas conſervare, abſtractione facta imminentis tempeſtatis & periculi mortis.

Conſequens verò voluntas ea dicitur, quæ verſatur circa rem ſuis veſtitam circumſtantiis. Hac voluntate Deus vult hominem peccatorem in peccato ſuo ac finali impœnitentia morientem damnare: Judex hominem homicidam ſuſpendi: Mercator furente tempeſtate merces ſuas in mare projicere.

Licèt omnes Theologi unanimi conſenſu diviſionem hanc voluntatis Dei in antecedentem ac conſequentem admittant, non eodem tamen modo ac ſenſu omnes exponunt & intelligunt.

Origo diſcordiæ naſcitur ex varia eorum ſententia circa voluntatem Dei ſalvandi omnes, quæ antecedens ab omnibus nuncupatur. Quare autem antecedens dicatur; an quòd omnes omninò rei circumſtantias antecedat, aut tantùm aliquas? En quæſtio. Scilicet aliæ ſunt circumſtantiæ generales ac totius humanæ naturæ, v. g. peccatum originale: aliæ verò particulares ſeu perſonales, peccata nempe actualia, ſeu conſenſus vel diſſenſus gratiæ divinæ. Cùm igitur Deus voluntate antecedente dicitur velle omnium ſalutem, quæſtio eſt, an naturam humanam ſimpliciter in ſeipſa conſideret, facta etiam abſtractione peccati originalis; quæ circumſtantia eſt toti humanitati communis: an verò abſtrahat dumtaxat à circumſtantiis perſonalibus conſenſus vel diſſenſus gratiæ, finalis impœnitentiæ, vel perſeverantiæ in bono.

Qui cum Janſenio contendunt voluntatem Dei pro ſalute omnium hominum in ſtatu præſenti eſſe dumtaxat voluntatem ſigni, non verò beneplaciti, ii docent voluntatem antecedentem abſtrahere ab omni penitus circumſtantia non tantùm perſonali, ſed etiam naturali ſed totius naturæ, hoc eſt peccati originalis; adeò ut facta hujus peccati abſtractione, & natura in ſe ſimpliciter ac nudè ſpectata, verè quidem tùm hominum tùm etiam dæmonum Deus velit ſalutem: ſpectato autem peccato originali, non amplius, niſi voluntate ſigni ac metaphorica illam velit. Unde, juxta illos, voluntas Dei antecedens in iis dumtaxat impletur & voluntas beneplaciti cenſetur, qui ſalvantur. *Vult Deus*, inquit Eſtius in 1. Sent. diſt. 46. paragr. 1. *antecedente voluntate omnes homines ſalvari; ſed ea voluntas in illis ſolis impletur, quos ſalvari vult* P. 199. col. 2. E

voluntate beneplaciti. Ergo alios, qui non ſalvantur, non vult ſalvari niſi voluntate ſigni & metaphorica.

Alii è contra qui agnoſcunt eſſe in Deo, etiam ſuppoſito peccato originali, veram ac ſinceram, quamquam non abſolutam ſed conditionatam, pro ſalute omnium voluntatem, conſequenter docent voluntatem, quæ antecedens dicitur, antecedere dumtaxat ſeu abſtrahere à circumſtantiis perſonalibus conſenſus vel diſſenſus perſonæ, non autem à circumſtantia communi & generali peccati originalis. Hinc intelligitis quanti momenti ſit ſtatim figere ac determinare quæ propria ſit voluntatis Dei antecedentis & conſequentis notio & natura.

Itaque tanquam rem certam ſtatuimus, voluntatem Dei antecedentem abſtrahere dumtaxat à circumſtantiis perſonalibus conſenſus vel diſſenſus hominis divinæ gratiæ; non verò à circumſtantiis generalibus, ſeu quæ communes ſint univerſæ naturæ humanæ, qualis eſt circumſtantia peccati originalis. Hujuſce veritatis probationem non aliunde tutiorem petere poſſumus, quàm ex iis Scholæ Magiſtris qui omnium primi diſtinctionem hanc voluntatis antecedentis & ſubſequentis invexerunt, & utriuſque ideam & notionem nobis delinearunt; ſanctum intelligo Joannem Damaſcenum, & poſt ipſum S. Thomam.

S. Joannes Damaſc. Lib. 2. de fide orthodoxa cap. 29. quod eſt de providentia, versùs finem ſic loquitur. *Hoc itidem noſſe oportet, Deum primaria & antecedente voluntate velle omnes ſalvos eſſe & regni ſui compotes fieri. Non enim nos ut puniret, condidit; ſed quia bonus eſt, ad hoc ut bonitatis ſuæ participes eſſemus. Peccantes porrò puniri vult, quia juſtus eſt. Itaque prima illa voluntas, antecedens dicitur & beneplacitum cujus ipſe cauſa ſit. Secunda autem, conſequens voluntas & permiſſio, ex noſtra cauſa ortum habens; eaque duplex: altera diſpenſatione quadam fit & ad ſalutem erudit; altera à reprobatione proficiſcitur, ad abſolutam, ut diximus, pœnam pertinens.* Ed. no. To 1. p. 198. B. C. Ibid. p. 197. E. Hanc verò poſtremam quæ *à reprobatione proficiſcitur*, paulò antè dixerat *eſſe à propria animi deſtinatione, cùm nempè* (homo) *nullo remedii genere prætermiſſo à Deo, ſtupidus tamen & incuratus, vel, ut melius loquar, inſanabilis remanet.*

In hoc ſancti Doctoris teſtimonio hæc obſervanda: 1. Antecedentem Dei voluntatem pro ſalute omnium in ipſo primariam eſſe, manantem ex ipſius bonitate qua vult quidquid bonum eſt; *Deus enim de ſuo bonus eſt, & de noſtro juſtus*, ait Tertullianus. 2. Voluntatem illam primariam & antecedentem, eſſe *beneplacitum Dei*: non eſt igitur mera ſigni voluntàs. 3. Voluntatem illam quæ bonitatis eſt, in omnibus non impleri; cùm *multi propria animi deſtinatione* in illud deſperationis genus incidant, quod ad extremam ceriſſimamque pœnam eos ducit: unde ſequitur in mente ſancti Doctoris, eſſe in Deo aliquam beneplaciti voluntatem quæ non impletur. 4. Voluntatem illam antecedentem ac primariam à Deo ipſo bono dimanare, conſequentem verò ex *noſtro vitio ortum ducere*: ergo voluntas antecedens antecedit noſtrum conſenſum & præviſionem meritorum vel demeritorum; conſequens verò ſupponit conſenſum liberi arbitrii, & præſcientiam meritorum vel demeritorum perſonalium. Namque ut Deus dicatur habere voluntatem aliquam ex ſeipſo debet eam habere independenter ab omni actione noſtra libera; & è contrario, ut habeat voluntatem quæ ex nobis originem trahat, requiritur ut præ-

ſup-

ſupponat præſcientiam abſolutam noſtrorum operum. Ergo in mente S. Joan. Damaſc. voluntas Dei antecedens eſt independens; voluntas autem conſequens, dependens à præſcientia abſoluta bonorum vel malorum operum voluntatis creatæ; & conſequenter voluntas antecedens abſtrahit dumtaxat à circumſtantiis perſonalibus quæ liberæ ſunt, non verò à circumſtantiis totius naturæ, nempè peccato originali, quod in nobis neceſſarium eſt non liberum.

Eandem ſuam doctrinam rurſus exponit ſanctus Doctor in Dialog. contra Manichæos n. 79. *Quantumvis*, inquit, *volens judicet* (Deus) *nontamen antecedenti voluntate, ſed conſequenti id facit. Itaque voluntas antecedens eſt illud quod quis à ſeipſo vult: conſequens verò, id quod ex eorum quæ fiunt cauſa proficiſcitur. Antecedenti enim Deus ex ſeipſo vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Cùm autem peccamus, utilitatis noſtræ cauſa vult nos caſtigari. Ita antecedens Dei voluntas, bonitatis ipſius eſt; conſequens verò juſtitiæ.* *ibid. p. 462. C.*

Sanctus Thomas Damaſceni doctrinam fideliter expreſſit Lib. 1. Sentent. diſt. 46. q. 1. art. 1. Quærit an Deus velit omnes homines ſalvos fieri; ſic verò reſpondet: *Dicendum ſecundùm Damaſcenum, quòd voluntas Dei eſt duplex, ſcilicet antecedens & conſequens; & hoc contingit non ex aliqua diverſitate voluntatis divinæ, ſed propter diverſas conditiones ipſius voliti. Poteſt enim in unoquoque homine conſiderari natura ejus, & aliæ circumſtantiæ ipſius, ut quòd eſt volens & præparans ſe ad ſalutem ſuam, vel etiam repugnans & contrariè agens. Si ergo in homine tantùm natura ipſius conſideretur, æqualiter bonum eſt omnem hominem ſalvari, quia omnes conveniunt in natura humana; & cùm omne bonum ſit volitum à Deo, hoc etiam Deus vult; & hoc vocatur voluntas antecedens qua omnes homines ſalvos fieri vult ſecundùm Damaſcenum: Et hujus voluntatis effectus eſt ipſe ordo naturæ in finem ſalutis, & promoventia in finem omnibus communiter propoſita, tam naturalia quam gratuita, ſicut potentiæ naturales, præcepta legis & hujuſmodi. Conſideratis autem omnibus circumſtantiis perſonæ, ſic non invenitur de omnibus bonum eſſe, quòd ſalventur: bonum enim eſt, eum qui ſe præparat & conſentit, ſalvari per largitatem gratiæ divinæ; nolentem verò & reſiſtentem non bonum eſt ſalvari, quia injuſtum eſt: Et quia hoc modo ſe habet aliquid ad hoc quòd ſit volitum à Deo, ſicut ſe habet ad hoc quòd ſit bonum, ideo iſtum hominem ſub iſtis conditionibus conſideratum non vult Deus ſalvari; ſed tantùm iſtum qui eſt volens & conſentiens: & hoc dicitur voluntas conſequens; eò quòd præſupponit præſcientiam operum non tanquam cauſam voluntatis, ſed quaſi rationem voliti.* Et in reſponſione ad 2. addit, *voluntatem antecedentem poſſe dici conditionatam, nec tamen*, inquit, *eſt imperfectio ex parte voluntatis divinæ, ſed ex parte voliti; quod non accipitur cum omnibus circumſtantiis quæ exiguntur ad rectum ordinem in ſalutem.* *To. 7. p. 402. col 1. A.*

In Summa q. 19. articulo 6. ad 1. rurſus de voluntate Dei antecedente & conſequente ſic diſſerit: *Secundùm Damaſcenum intelligitur de voluntate antecedente, non de voluntate conſequente*; (nempè iſtud Apoſtoli, Deus vult omnes homines ſalvos fieri.) *Quæ quidem diſtinctio non accipitur ex parte ipſius voluntatis divinæ, in qua nihil eſt prius vel poſterius, ſed ex parte volitorum. Ad cujus intellectum conſiderandum eſt, quòd unumquodque ſecundùm quod bonum eſt, ſic eſt volitum à Deo. Aliquid autem poteſt eſſe in prima ſui conſideratione,*

ſecundùm quod abſolutè conſideratur, bonum vel malum, quod tamen prout cum aliquo adjuncto conſideratur, quæ eſt conſequens conſideratio ejus, è contrario ſe habet. Sicut hominem vivere eſt bonum; & hominem occidi eſt malum ſecundùm abſolutam conſiderationem. Sed ſi addatur circa aliquem hominem, quòd ſit homicida vel vivens in periculum multitudinis, ſic bonum eſt eum occidi, & malum eſt eum vivere. Unde poteſt dici quòd Judex juſtus antecedenter vult omnem hominem vivere, ſed conſequenter vult homicidam ſuſpendi. Similiter Deus antecedenter vult omnem hominem ſalvari, ſed conſequenter vult quoſdam damnari ſecundùm exigentiam ſuæ juſtitiæ. Neque tamen id quod antecedenter volumus ſimpliciter volumus, ſed ſecundùm quid: quia voluntas comparatur ad res ſecundùm quod in ſeipſis ſunt; in ſeipſis autem ſunt in particulari. Unde ſimpliciter volumus aliquid ſecundùm quod volumus illud, conſideratis omnibus circumſtantiis particularibus, quod eſt conſequenter velle. Unde poteſt dici quòd Judex juſtus ſimpliciter vult homicidam ſuſpendi, ſed ſecundùm quid vellet eum vivere, ſcilicet in quantùm homo eſt. Unde magis poteſt dici velleitas, quàm abſoluta voluntas. Et ſic patet quòd quidquid Deus ſimpliciter vult, fit; licèt illud quod antecedenter vult, non fiat.

Voluntatem illam Dei antecedentem pro ſalute omnium revocat S. Thomas ad voluntatem beneplaciti, de veritate q. 23. art. 3. *Invenitur*, inquit, *in Deo propriè ratio voluntatis, & ſic voluntas de Deo propriè dicitur, & hæc eſt voluntas beneplaciti, quæ per antecedentem & conſequentem diſtinguitur.* Rurſus in 1. Sent. diſt. 47. art. 2. *Poſſumus ergo loqui*, ait, *de voluntate beneplaciti, vel ſigni; & de voluntate beneplaciti vel conſequente, vel antecedente.* Denique in Commentario in Epiſt. 1. ad Timoth. cap. 2. Apoſtoli dictum, *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, interpretatur non tantùm de voluntate ſigni, ſed etiam beneplaciti; ac diſtinctionem voluntatis in antecedentem & conſequentem ex Damaſceno iterùm repetit, aitque, *voluntatem poſſe dupliciter conſiderari, ſcilicet in univerſali vel abſolutè, & ſecundùm aliquas circumſtantias & in particulari; & prius eſſe abſolutam conſiderationem & in univerſali, quàm in particulari & comparata.* Quod illuſtrat exemplo mercatoris qui abſolutè & prima conſideratione vult merces ſuas conſervare; ſed ſpectata circumſtantia tempeſtatis ac imminentis vitæ periculi, eas vult in mare projicere.

To. 12. p. 855. col. 1. B.

Tom. 7. pa. 409. col. 1. A.

To. 18. pa. 521. col. 1. B. C.

Ex iſta Doctoris Angelici doctrina colliges

Voluntas antecedés abſtrahit à circũſtantiis particularibus ſeu perſonalibus ad quas attédit volũtas conſequens.

I. Voluntatem Dei conſequentem ſpectare particulares ſeu perſonales hominis circumſtantias, quòd nempè velit aut nolit ſe ad ſalutem præparare; quòd conſentiat vel non conſentiat divinæ gratiæ; quòd agat vel non agat; ergo voluntas antecedens, quæ contra conſequentem diſtinguitur, ab illis dumtaxat particularibus ſeu perſonalibus circumſtantiis abſtrahit, hominemque conſiderat in ſe, antecedenter ad prævisionem actionum ipſius: è contrà verò, voluntas conſequens *ſupponit præſcientiam operum*, ait S. Thomas. Favet exemplum Judicis quo utitur ſanctus Doctor: voluntas enim Dei antecedens & conſequens, ſimilis eſt voluntati antecedenti qua Judex vult abſolutè hominem vivere, & voluntati conſequenti qua vult hominem homicidam ſuſpendi: atqui prior voluntas præcedit conſiderationem actionum quæ fiunt ab homine; poſterior verò ſupponit actionem malam ab homine factam, videlicet homicidium; ergo voluntas antecedens præcedit, & conſequens

sequens supponit prævisionem actionum quæ fiunt à creatura rationali. Ergo cùm peccatum naturæ seu originale non sit propria uniuscujusque hominis actio, voluntas Dei antecedens non abstrahit à consideratione illius peccati, sed illam supponit: abstrahit enim dumtaxat, in mente S. Thomæ, à consideratione actionum personalium, quod hic potissimùm contendimus.

II. Colliges voluntatem Dei antecedentem pro salute omnium hominum, esse beneplaciti; quæ cùm erga omnes non impleatur, consequens est, in mente sancti Doctoris, non omnem beneplaciti voluntatem semper impleri. Quapropter quando idem sanctus Doctor nonnullis in locis asserit voluntatem beneplaciti semper impleri, non usurpat voluntatem beneplaciti in genere & quatenus opponitur voluntati signi, sed sumit voluntatem beneplaciti in specie, quatenus contrahitur ad voluntatem efficacem, consequentem & absolutam, quæ simpliciter & maximè propriè voluntas nuncupatur. Voluntas antecedés salvãdi omnes est beneplaciti.

III. Voluntatem Dei antecedentem & beneplaciti salvandi omnes, dici posse conditionatam: hoc sensu, quòd Deus velit ex se se homines salvos esse, si ipsi gratiæ divinæ cooperando salvi esse voluerint. Est conditionata.

IV. Voluntatem Dei antecedentem salvandi omnes sterilem & otiosam non esse. Nam ex sancto Doctore citato L. 1. Sent. dist. 46. q. 1. art. 1. *Hujus voluntatis effectus est ipse ordo naturæ in finem salutis, & promoventia in finem omnibus proposita, tam naturalia, quàm gratuita.* Et quia Deus vult omnes homines salvos fieri, idcircò quantùm in se est, *paratus est omnibus dare gratiam. Et ideo gratia nulli deest, sed omnibus quantùm in se est, se communicat, sicut nec Sol deest oculis cæcis*, ait S. Doctor in caput 12. ad Hebr. Et L. 3. contra Gent. c. 159. ait: Deus, *quantùm in se est, paratus est omnibus dare gratiam, vult enim omnes homines salvos fieri & ad cognitionem veritatis venire. Sed illi soli gratia privantur, qui in seipsis gratiæ impedimentum præstant, sicut Sole mundum illuminante, in culpam imputatur ei, qui oculos claudit, si ex hoc aliquod malum sequatur; licèt videre non possit nisi lumine Solis præveniatur.* Nec obstat adducta comparatio Judicis qui nihil facit ut hominem homicidii reum liberet à pœna. Judex equidem nihil facit ut hominem reum probatum & convictum (quod ad voluntatem consequentem pertinet) salvum faciat; sed ante plenam criminis probationem ac convictionem, nonne reo ea omnia concedit, quibus jus suum, si quod habeat, tueri possit, aut innocentiam, si oppressa fuerit, vindicare? Nonne facultatem & copiam tribuit diluendi criminis intentatam accusationem; recusandi testes, si legitima fuerit recusationis causa; consulendi patronos; uno verbo, causam suam vel per se vel per alios agendi? Unde verò ista Judex permittit? nisi ex illa voluntate generali & antecedente, qua vult cives omnes vivere, quia in se bonum est omnem hominem vivere; licèt bonum non sit velle (voluntate consequente) homicidam aut quemlibet alium Reipublicæ noxium hominem vivere. Illud igitur exemplum quo S. Thomas utitur, mentem sancti Doctoris exponit, ejusque sententiæ plùs favet, quàm noceat. Dissimulandum quippè non est, perfectam & omni ex parte accuratam non esse comparationem. Judex quippè ille homini reo probato & victo nihil confert quo possit debitam criminis pœnam declinare: at verò Deus tanquam provisor generalis, ad quem omnium cura & providentia pertinet, etiam post prævisum peccatum origi- Est efficax & actuosa respectu medioru. *To. 7. p. 403 col 1. B.* *To. 18. p. 681. col. 1. B.* *To. 14. p. 509. col 1. A*

nale, eoque ſuppoſito, omnibus providet de mediis ad ſalutem aſſequendam verè ſufficientibus.

V. Denique, colliges quo ſenſu Doctor Angelicus dixerit voluntatem antecedentem eſſe voluntatem *ſecundùm quid*, *& velleitatem* appellaverit. Scilicet comparatè & per oppoſitionem ad voluntatem abſolutam & conſequentem. Seipſum exponit ſanctus Doctor citato loco 1. p. q. 19. art. 6. ad 1. *Neque tamen*, inquit, *id quod antecedenter volumus, ſimpliciter volumus, ſed ſecundùm quid: quia voluntas comparatur ad res ſecundùm quod in ſeipſis ſunt: in ſeipſis autem ſunt in particulari. Unde ſimpliciter volumus aliquid ſecundùm quod volumus illud conſideratis omnibus circumſtantiis particularibus: quod eſt conſequenter velle . . . Unde magis poteſt dici velleitas quàm abſoluta voluntas.* Ea ratio & cauſa cur ex Sancto Doctore voluntas antecedens dicatur voluntas ſecundùm quid. Quia ſcilicet talis antecedens voluntas rem in ſe abſolutè conſiderat præciſis omnibus circumſtantiis particularibus ſeu perſonalibus, & ad unum quid, non ad omnia perſonæ adjuncta ſe extendit. Eam pariter *velleitatem* appellat Doctor Angelicus, non ut eam opponat voluntati veræ, reali, formali ac beneplaciti; ſed voluntati dumtaxat abſolutæ, efficaci & conſequenti: quia nempè comparatè ad illam, & ad finem beatitudinis aſſequendum, perinde ſe habet ac ſi mera foret ac ſterilis velleitas: reipſa enim inefficax illa eſt reſpectu finis; tametſi reſpectu aliquorum mediorum ad finem ſit efficax, atque hominis culpa ſit, quòd ad deſtinatum finem divina auxiliante gratia non perveniat.

Eſſe autem in Deo veram, ſinceram, formalem ac beneplaciti pro ſalute omnium voluntatem, paulò poſt oſtendemus.

Voluntas Dei efficax & inefficax.

Tertiò dividitur voluntas Dei in efficacem & inefficacem. Diviſio hæc manifeſtè colligitur ex Scripturis, quibus conſtat eſſe quandam Dei voluntatem quæ ſemper impletur ac finem aſſequitur. Iſaiæ 46. v. 10. *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet.* Pſal. 113. v. 3. *Omnia quæcunque voluit, fecit.* Gen. 50. v. 19. *Num Dei poßumus reſiſtere voluntati?* His profectò verbis abſoluta, conſequens & efficax Dei voluntas deſignatur. Aliunde verò patet ex iiſdem Scripturis, Deum aliqua velle, quæ tamen non eveniunt ob contumacem hominis reſiſtentiam. Matth. 23. v. 37. *Jeruſalem... quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* Ezechielis 24. v. 13. *Mundare te volui, & non es mundata à ſordibus tuis.* Iſaiæ 5. v. 4. *Quid eſt quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? An quòd expectavi ut faceret uvas, & fecit labruſcas?* 2. Petri 3. v. 9. *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.* Act. 7. v. 51. *Vos Spiritui ſancto ſemper reſiſtitis.* Conſtat ex mox dictis, antecedentem Dei voluntatem pro ſalute omnium, veram eſſe ac beneplaciti voluntatem, quæ tamen efficax non eſt reſpectu finis, ſeu ſalutis æternæ ad quam omnes non perveniunt. Non minùs certum videtur, eſſe in Deo voluntatem internam qua vult ut à malo abſtineamus, & operemur bonum: quis enim ſibi facilè perſuaſerit Deum ſub tam gravibus pœnis prohibere actus malos, ſi verè ac ſincerè non vult ut homines ab iis abſtineant? Quorſum tot præmia homini-

minibus pollicetur si rectè operentur, si non vult ut benè operentur? Atqui tamen tristi experientia compertum est, ejusmodi voluntatem Dei non eum semper habere effectum quem Deus intendit, cùm multi sint qui huic voluntati resistunt; ergo datur in Deo quædam voluntas inefficax quæ suo effectu frustratur: verùm de hoc argumento rursus erit dicendi locus Articulo sequenti.

Voluntas Dei absoluta & conditionata.

Quartò dividitur Dei voluntas in absolutam & conditionatam.

Absoluta dicitur quæ à nulla conditione pendet: talis fuit voluntas creandi mundum.

Conditionata verò dicitur, quæ ab aliqua conditione pendet.

Quæstio est inter Theologos, an dentur in Deo decreta conditionata, sive ex parte objecti, sive ex parte subjecti. Sunt qui hujusmodi decreta volunt esse absoluta quidem ex parte Dei, & conditionata tantùm ex parte objecti; alii verò negant. Quæ controversia, nostro quidem judicio, componi facilè potest hac distinctione: Vel enim conditio quam voluntas conditionata involvit, à solo Deo dependet; vel à Deo simul & à creatura intelligente libera; vel conditio illa ponenda est aliquando, vel non ponenda.

I. Si conditio pendeat à solo Deo, quam tamen nunquam ponere decreverit, certè inutile ac superfluum imò & illusorium videtur pro re tali decretum absolutum & in actu, ut vocant, exercito: ad quid enim tale decretum actuale? Quin infinita hujusmodi admittenda forent decreta; quia multa sunt & numero quidem infinita, quæ fierent certa quadam suppositâ conditione, quam tamen nunquam futuram esse Deus decrevit. Dixi illusorium etiam fore tale decretum absolutum ex parte Dei pro re quæ futura esset sub aliqua conditione à solo Deo dependente, quam tamen nollet unquam ponere; sensus enim esset, *Volo ut id fiat, si voluerim talem ponere conditionem, quam tamen ponere nolo.* Quid absurdius? Exemplum sit in conversione Tyriorum quæ futura fuisset si vidissent Christi miracula. Conversio illa haud dubiè futura erat sub conditione: conditio verò, nempè prædicatio Evangelii, miraculorum operatio, ab uno certè Deo pendebat; quæ tamen, Deo ita decernente, nunquam ponenda erat. Si supponas absolutum & actuale fuisse in Deo decretum pro conversione Tyriorum, sub conditione prædicationis Evangelii quæ futura non erat, hic sensus erit, *Volo ut convertantur Tyrii, si videant Christi miracula; sed nolo ut ea videant*: ubi *volo* & *nolo* pro eodem signo rationis & circa idem objectum pugnam & contradictionem quamdam important, quæ à Deo longiùs removenda est. In hujusmodi ergo futuris conditionatis sub conditione nunquam ponenda, Dei decretum, ut jam monuimus, est veluti pars conditionis sub qua res futura esset: ita ut iste sensus sit in exemplo adducto, *Si vellem apud Tyrios prædicari Evangelium, iisque gratiæ meæ dona conferre, illi converterentur.*

II. Si conditio sub qua res futura dicitur, à solo Deo non pendeat, sed ab ipso simul & à creatura liberè agente, sive ponatur conditio sive non, admittenda sunt in Deo decreta ex parte ipsius absoluta, & conditionata ex parte objecti seu creaturæ. Sic voluntate antecedente vera & actuali, quam S. Thomas conditionatam appellat, vult Deus omnium salutem, si tamen ipsi

salvi esse voluerint: quæ conditio à solo Deo non pendet, sed etiam à libera hominis voluntate, qui gratiæ potest consentire vel dissentire, prout voluerit. Pariter Deus olim decreverat ob peccata disperdere gentem Judaicam, si Moyses pro illa divinam clementiam non exorasset. Psal. 105. v. 23. *Dixit ut disperderet eos: sinon Moyses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus, ut averteret iram ne disperderet eos.* Sic etiam Lib. 4. Regum cap. 13. v. 19. Volebat Regi Joas plenam de Syriis concedere victoriam, si jaculo terram quinquies, aut sexies, sive septies percussisset. Et L. 3. cap. 9. v. 4. Deus Salomoni regni perennitatem promittit, sub conditione quæ ab ipso Salomone ex parte dependebat, *Si ambulaveris coram me*, ait Deus, *sicut ambulavit pater tuus in simplicitate cordis & in æquitate, & feceris omnia quæ præcepi tibi, ponam thronum regni tui super Israel in sempiternum.* Pariter statuerat urbem Ninivem infra dies quadraginta subvertere, nisi pœnitentiam ageret. Jonæ 3. v. 4. Quibus in exemplis perspicuum est conditionem sub qua res illæ à Deo decernuntur, pendere & à Deo & à creatura rationali liberè agente. Voluntas autem conditionata transit in absolutam cùm impletur conditio.

Porrò in negotio salutis consensum voluntatis, seu liberam divinæ gratiæ cooperationem conditionem esse sub qua Deus vult hominem salvum fieri, ita ut utramque simul concurrere necesse sit, nec una sine altera sufficiat, egregiè exponit sanctus Bernardus Tractatu de Gratia & libero arbitrio cap. 14. n. 47. his verbis. *Cavendum ergo, ne cùm hæc invincibiliter in-*
Tom. 1. Oper. S. Bern. p. 621. E. F. *tra nos ac nobiscum actitari sentimus, aut nostræ voluntati attribuamus, quæ infirma est; aut Dei necessitati, quæ nulla est; sed soli gratiæ, qua plenus est. Ipsa liberum excitat arbitrium, cùm seminat cogitatum; sanat, cùm immutat affectum; roborat, ut perducat ad actum; servat, ne sentiat defectum. Sic autem ista cum libero arbitrio operatur, ut tantùm illud in primo præveniat, in cæteris comitetur; ad hoc utique præveniens, ut jam sibi deinceps coöperetur. Ita tamen quod à sola gratia cœptum est, pariter ab utroque proficiscitur: ut mixtim, non sigillatim; simul, non vicissim, per singulos profectus operentur. Non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere individuo peragunt. Totum quidem hoc, & totum illa; sed ut totum in illo, sic totum ex illa.*

Voluntatem absolutam multi eandem prorsus esse volunt cum efficaci & consequente quæ semper impletur; voluntatem verò conditionatam eamdem cum antecedente & inefficaci, quod quidem ex iis quæ mox dicturi sumus majorem lucem accipiet.

ARTICULUS SEXTUS.

An Dei voluntas semper impleatur.

VOluntatem Dei semper impleri, idem est ac eam suum semper effectum obtinere quem intendit; non impleri verò, idem ac suo frustrari effectu.

Quæ dicta sunt hactenus de voluntate Dei, viam facilem aperiunt præsenti controversiæ, quæ tota ferè videtur esse de nomine. Quippè si tollatur æquivocationominis, & distinguatur inter voluntatem Dei absolutam, & conditionatam; & inter ea quæ Deus operatur vel per seipsum solum, vel per se & creaturam rationalem, plana & aperta videbitur hujuscemodi quæstionis solutio.

Obser-

Observa itaque 1. ex antedictis, eorum quæ Deus vult & operatur alia esse quæ ab ipso solo pendent, & solus operatur: talis est in ordine naturali, creatio mundi; in ordine verò supernaturali, gratia prævéniens seu excitans, quam Deus in nobis sine nobis operatur. Alia verò esse quæ non solus, sed simul cum creatura rationali producit: tales sunt omnes actus deliberati fidei, spei & charitatis, qui liberam exigunt voluntatis cooperationem divinæ gratiæ ad illos actus moventi & excitanti.

Observa 2. ex dictis paulò antè, duplicem in Deo voluntatem distingui: unam absolutam, quæ vel non pendet ab ulla conditione, vel saltem conditionem illam vult absolutè poni, ut v.g. si dicat Deus, *Volo efficaciter Petrum salvare, si benè operetur & in bono perseveret; & volo ut reipsa benè operetur ac in bono perseveret.* Altera verò voluntas dicitur conditionata, quæ pendet ab aliqua conditione vel à solo Deo ponenda, qualis erat conversio Tyriorum ex conditione miraculorum Christi; vel ponenda à Deo simul & à creatura rationali liberè agente; qualis est cooperatio libera voluntatis divinæ gratiæ moventi & excitanti.

Observa 3. tametsi fide divina certum sit voluntatem à Deo motam & excitatam divinæ gratiæ posse dissentire si velit, non minùs etiam certum esse nunquam eam velle dissentire, cùm Deus absoluta & efficaci voluntate statuit, ut non dissentiat. Istud enim sine injuria & præjudicio divinæ omnipotentiæ Deo denegari non potest.

Observa 4. ex S. Thoma hic q. 19. art. 6. divinam voluntatem spectari prout est causa universalissima rerum omnium; quo sensu necesse est illam semper impleri, ut mox dicemus.

Observa denique, triplicem hìc involvi quæstionem seu difficultatem. Prima est, utrum detur aliqua Dei voluntas interna & beneplaciti quæ sit inefficax & non impleatur. Negant Janseniani, qui nullam in Deo agnoscunt pro statu præsenti voluntatem inefficacem quæ sit beneplaciti; quique idcircò contendunt voluntatem Dei antecedentem pro salute omnium, esse dumtaxat voluntatem signi, impropriam & metaphoricam, non veram, propriam, Deo internam & beneplaciti. Secunda quæstio est, utrum Deus circa liberas hominum actiones voluntatem interdum habeat ex se se efficacem & absolutam, quæ semper impletur. Tertia, unde repetenda sit illa divinæ voluntatis vis & efficacia, an ex seipsa seu ex decreto antecedenter ad scientiam conditionatam; an consequenter ad illam, cùm directiva sit decretorum Dei: quam controversiam abundè satis in utramque partem suprà versavimus. Est autem istud ex utraque parte concessum, nempè posse Deum circa liberas hominum actiones absolutè quidquid voluerit decernere: quapropter hinc & inde ultro subscribunt iis omnibus Scripturæ testimoniis, quæ vim & efficaciam divinæ voluntaris extollunt ac commendant. His præmissis, sit

PRI-

PRIMA CONCLUSIO.

In iis quæ Deus ſolus operatur ſine ullo creaturæ conſortio ſeu cooperatione, voluntas Dei ſemper impletur, nec illi reſiſti poteſt.

Tam perſpicua & certa eſt vel ex ipſis terminis, hujus Concluſionis veritas, ut probatione non indigeat. In hunc ſenſum, dicitur Eſther 13. v.9. *Domine Deus Rex omnipotens, in ditione tua cuncta ſunt poſita, & non eſt qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati, ſi decreveris ſalvare Iſrael.*

Gen.50. v.19. Joſeph ad fratres ſuos ait: *Nolite timere, num Dei poſſumus reſiſtere voluntati?*

Paralipom.Lib.2. cap.20.v.6. *Tu es Deus in cœlo, & dominaris cunctis regnis Gentium, in manu tua eſt fortitudo, nec quiſquam poteſt tibi reſiſtere.*

Job 9. v.13. *Deus cujus iræ nemo reſiſtere poteſt.*

Fruſtra Janſeniani hæc & multa hujuſcemodi alia Scripturæ teſtimonia congerunt, ut efficiant divinæ gratiæ nunquam reſiſti: in his etenim locis non agitur de operatione interioris gratiæ, ſed de externis quibuſdam divinæ potentiæ operibus quæ Deus ſolus efficit. In primo loco Mardochæus ſupplex Deum deprecatur, ut conjuratam à ſuperbiſſimo Aman gentis Judaicæ cladem ac ruinam, ſua omnipotentia, cui nihil reſiſtit, dignetur
V. 19. avertere. *Domine Rex Deus Abraham*, ait Mardochæus, *miſerere populi tui, quia volunt nos inimici noſtri perdere, & hæreditatem tuam delere.* Gen. 50. Cùm fratres Joſeph timerent ne memor injuriæ quam ab illis paſſus fuerat, eam ulciſceretur, Joſeph eos bono ac ſecuro animo eſſe juſſit, quia miro ac ſtupendo eventu Deus ſua virtute malam eorum voluntaV. 15. & 20. tem in bonum converterat. *Nolite timere*, ait, *num Dei poſſumus reſiſtere voluntati? Vos cogitaſtis de me malum: ſed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me, ſicut in præſentiarum cernitis, & ſalvos faceret multos populos.* Nihil hic profectò de interiori gratia. Pariter Rex Joſaphat timore perterritus, ob magnam multitudinem hoſtium ingruentium quibus periculum erat ne opprimeretur, ad Deum ſupplex acceſſit, deprecans ut
Cap.20. v. 12. periculum iſtud imminens ſua ſolita potentia averteret. *In nobis*, inquiebat 2. Paralip. *non eſt tanta fortitudo, ut poſſimus huic multitudini reſiſtere, quæ irruit ſuper nos .... hoc ſolùm reſidui habemus, ut oculos noſtros dirigamus ad te.* Hæc porrò quid ad gratiam interiorem? Nihil certè. Sicut & iſtud Job 9. *Deus cujus iræ nemo poteſt reſiſtere.* De ira enim & abſoluta Dei potentia hìc ſermo eſt, nullatenus de gratia: addit enim ſtatim, *Sub quo curvantur qui portant orbem.* v. 10. dixerat: *Qui facit magna, & incomprehenſibilia, & mirabilia, quorum non eſt numerus.*

Quamquam Concluſio intelligi etiam debeat de gratia interiori præveniente, & de omnibus piis motionibus præviis & indeliberatis, quas Deus ſolus in nobis ſine nobis liberè cooperantibus producit.

SE-

SECUNDA CONCLUSIO.

Voluntas Dei abſoluta & efficax etiam circa liberas hominis actiones, ſemper impletur, nec ipſi unquam reſiſtitur.

Probant manifeſtè Scripturæ loca paulò ſuperiùs, ubi de voluntate Dei efficaci, laudata. Iſaiæ 46. v. 10. *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet.* Pſal. 113. v. 3. *Omnia quæcunque voluit fecit.* Rom. 9. v. 19. *Voluntati ejus quis reſiſtit?* Denique Danielis 4. v. 33. *Omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati ſunt: juxta voluntatem enim ſuam facit tam in virtutibus cœli quàm in habitatoribus terræ, & non eſt qui reſiſtat manui ejus, & dicat ei: Quare feciſti?*

Conſtans illa eſt Patrum doctrina.

Tertullianus contra Praxeam cap. 10. *Dei poſſe, velle eſt; & non poſſe, nolle.* Pagina

S. Hieronymus in caput 1. Epiſt. ad Epheſ. *Nos homines*, inquit, *pleraque* 505. D.
volumus facere conſilio, ſed nequaquam voluntatem ſequitur effectus. Illi autem
nullus reſiſtere poteſt, quin omnia quæ voluerit, faciat. Ed. no. T. 4. p. 1. pa. 331.

S. Auguſtinus pluribus in locis hanc veritatem inculcat.

Enchiridii cap. 96. *Neque veraciter*, inquit, *ob aliud vocatur omnipotens, niſi* To. 6 p.
quoniam quidquid vult poteſt, nec voluntate cujuſpiam creaturæ voluntatis omnipo- 232. A.
tentis impeditur effectus. Paulò antè dixerat: *Niſi hoc credamus, periclitatur*
ipſum noſtræ confeſſionis initium, qua nos in Deum Patrem omnipotentem crede-
re confitemur. Quod quidem etiam de actibus hominum liberis, quos Deus
abſolutè vult, affirmandum eſſe docet idem Auguſtinus. *Quis enim tam im-* Ibid. p.
piè deſipiat, pergit cap. 98. *ut dicat Deum malas hominum voluntates quas vo-* 231. F.
luerit, quando voluerit, ubi voluerit, non poſſe convertere? Ibid. p. 232. D.

Lib. 1. ad Simplic. q. 2. *Effectus*, inquit, *miſericordiæ Dei non poteſt eſſe* Ibid. p.
in hominis poteſtate, ut fruſtra ille miſereatur, ſi homo nolit. Si enim Deus 95. D.
miſeretur, ergo jam volumus; ad eandem quippè miſericordiam pertinet ut ve- Ibid. p.
limus: Deus enim eſt qui operatur in nobis velle & perficere. Ibidem. *Cujus* 94. G.
miſeretur eum ſic vocat, quomodo ſcit ei congruere ut vocantem non reſpuat. Ibid. p.
Quæ certè Auguſtini verba, non de alia quàm de abſoluta & efficaci 95. E.
Dei voluntate intelligi poſſunt.

Lib. de correct. & grat. cap. 14. n. 43. *Volenti ſalvum facere nullum homi-* T. 10. p.
num reſiſtit arbitrium. Sic enim velle ſeu nolle in volentis autnolentis eſt poteſta- 774. C.
te, ut divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem. Etiam de his qui
faciunt quæ non vult, facit ipſe quæ vult . . . Sine dubio habens humanorum Ibid. F.
cordium quò placeret inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem ..... magis
enim habet in poteſtate voluntates hominum, quàm ipſi ſuas. Ibid. p. 775. D.

Denique ut alia propè infinita omittam, Lib. de Gratia & libero arbitrio Ibid. p.
cap. 21. ſic loquitur. *Agit Omnipotens in cordibus hominum etiam motum volun-* 741. C.
tatis eorum, ut per eos agat quod per eos agere ipſe voluerit, qui omninò injuſtè
aliquid velle non novit. Et poſt multa Scripturæ teſtimonia quæ ad hoc probandum adducit, ſic concludit: *His & talibus teſtimoniis divinorum eloquio-*
rum, quæ omnia commemorare nimis longum eſt, ſatis, quantùm exiſtimo, mani- Pagina
feſtatur, operari Deum in cordibus hominum, ad inclinandas eorum voluntates 742. C.

quo-

quocunque voluerit, sive ad bona, pro sua misericordia, sive ad mala, pro meritis eorum, judicio utique suo, aliquando aperto, aliquando occulto, semper tamen justo.

Dices: Conciliari vix potest humana libertas cum efficaci & absoluta Dei voluntate circa liberas nostras actiones; siquidem necesse est id hominem agere, quod Deus absolutè vult ut faciat: ejus quippè voluntati resistere nemo potest, cùm essentialem, infallibilem & antecedentem habeat cum effectu futuro connexionem.

Ad hoc argumentum varia est responsio, pro vario Theologorum systemate circa usum scientiæ conditionatorum, quod suprà exposuimus.

I. Qui contendunt scientiam conditionatorum directricem esse decretorum Dei; ac consequenter decreta subsequi, non verò præcedere hujusmodi scientiam per quam Deus ab æterno novit ad quid homo sub his vel illis circumstantiis, sub hac vel illa gratia se se liberè determinaturus sit, illi nullo negotio componunt, ut per se manifestum est, libertatem cum efficacia divinorum decretorum; ac tota necessitas faciendi quod Deus absolutè vult, est dumtaxat consequens liberam hominis determinationem à Deo prævisam, qua præsuppositâ Deus pro beneplacito hanc absolutè decernit. Ad argumentum igitur respondent: Necesse est hominem facere quod Deus absolutè vult ut faciat, necessitate consequente liberam hominis determinationem quam Deus ab æterno præscivit, concedunt: necessitate prævia & antecedente, negant.

II. Thomistæ qui explodunt illum scientiæ conditionatorum usum, ac contendunt Dei decreta vim ex se se propriaque ac interna virtute habere efficacem independenter à prævisione futuri voluntatis consensus, ii libertatem cum efficacia divinæ voluntatis & gratiæ hac potissimum ratione conciliant, quòd primum agens, primum liberum, qualis Deus est, attingat non tantùm substantiam, sed & modum actionis, ita ut res necessarias necessariò, liberas liberè moveat ac determinet, adeoque modum agendi liberum humanæ libertatis conservet. Ad argumentum verò sic respondent: Necesse est hominem agere id quod Deus absolutè vult ut agat, in sensu composito, concedunt; quia fieri non potest ut homo simul componat actum cum non actu quem divina voluntas absolutè imperat: in sensu diviso, negant. Judicabit Lector quænam ex his duabus solutionibus argumentum apertiùs dissolvat, ac menti magis satisfaciat: præterquamquod enim distinctio sensus compositi & diviši paulò implicata & obscura videtur; difficile quoque est duo hæc simul conciliare, nempè velle servare modum agendi liberum voluntatis, & simul in eam immittere prævium, antecedentem ac physicè ad unum infallibiliter ac invictissimè determinantem motionem quæ ab homine nullatenus pendeat. Miramur ac laudamus eos qui rem tam obscuram & implicatam intelligunt.

TERTIA CONCLUSIO.

Voluntas Dei conditionata, cujus nempè conditio non pendet à solo Deo, sed à libera etiam creatæ voluntatis cooperatione, non semper impletur.

Probatur Conclusio iis Scripturæ testimoniis quibus declaratur Deum aliquid velle, quod tamen non fit vitio creatæ voluntatis Deo reluctantis ac resis-

sten-

ſtentis. Pro verbiorum 1. v.24. *Vocavi, & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis.*

Iſaiæ 65. v.2. *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem.*

Et cap.5. v.3. & ſeq. ſub figura vineæ Judæorum incredulitatem ac contumaciam increpat. *Nunc ergo*, ait, *judicate inter me & vineam meam. Quid eſt quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? Expectavi ut faceret uvas, & fecit labruſcas.*

Ezechielis 24. v.13. *Mundare te volui, & non es mundata à ſordibus tuis.*

Matth.23.v.37. *Jeruſalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?*

2.Petri 3. v.9. *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.* Atqui tamen multi ſunt qui pereunt & ad pœnitentiam non adducuntur; qui Spiritui ſancto reſiſtunt. Actorum 7. v.51. *Vos Spiritui ſancto ſemper reſiſtitis.* Ergo eſt aliqua Dei voluntas quæ non impletur: eſt autem illa conditionata dumtaxat, quæ nempè conditionem aliquam ex parte creaturæ rationalis expectat, ſcilicet liberam ejus divinæ gratiæ cooperationem, *Qui enim creavit te ſine te*, ait S. Auguſtinus, *non ſalvabit te ſine te.*

Reſervamus in alium locum referre ac confutare ſubterfugia & evaſiones quibus Eſtius Magiſtri ſui Bajidoctrinæ nimiùm addictus, & Janſenianitam perſpicua Scripturæ teſtimonia eludere conantur.

Accedit ad mox citata teſtimonia Scripturæ, & iſtud celeberrimum Apoſtoli 1. ad Timoth. cap.2. v.4. ubi ait, *Deum omnes homines velle ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Quæ profectò Dei voluntas abſoluta non eſt, cùm in omnibus non impleatur; ergo conditionata, cujus conditio à Deo pendet ſimul & à libero humanæ voluntatis conſenſu quem Deus expectat: creatura igitur conditionem ex parte ſui non adimplente, Dei voluntas non impletur; ita docent SS. Patres.

S. Hieronymus in caput 63. Iſaiæ. *Voluit itaque Deus*, inquit, *ſalvare cupientes; & provocavit ad ſalutem, ut voluntas haberet præmium, ſed illi credere noluerunt....ſed voluntas venientis hæc fuit, ut omnes crederent & ſalvarentur.* To.3.p. 468. *Ibid. p.*

S. Ambroſius Lib. de Paradiſo cap.8. *Quod in Deo fuit*, inquit, *oſtendit omnibus, quòd omnes voluit liberare.* Audis *quod in Deo fuit.* Quaſi diceret, Deum quantùm eſt ex ſe velle omnes ſalvos fieri, ſi ipſi vellent gratiæ ſuæ obtemperare. 469. Ed. no. To.1.p. 161.C.

Et in Pſalm.72. *Venit Chriſtus*, inquit, *ut peccatum mundi tolleret, vulnera noſtra curaret: ſed quia non omnes medicinam expetunt, ſed plerique refugiunt . . . . . ideò volentes curat, non aſtringit invitos. Accipiunt igitur ſanitatem qui medicinam expetunt: illi autem qui refutant medicum, nec requirunt, bonitatem medici, quam non experiuntur, ſentire non poſſunt.* Ed.Pa- riſ.1602. To.1.p. 853.G.

S. Auguſtinus Lib. de Catechiſandis rudibus cap 26. *Deus*, inquit, *vult homines liberare, ſi ſibi ipſi non ſint inimici, & non reſiſtant miſericordiæ Creatoris ſui.* To.6.p. 294.D.

Et Tractatu 12. in Joan. *Quantùm*, inquit, *in medico eſt, ſanare venit egrotum. Ipſe ſe interimit, qui præcepta medici obſervare non vult. Venit Salvator ad* To.3.p. 2. pag 389.A

mun-

mundum; quare Salvator dictus est mundi, nisi ut salvet mundum, non ut judicet mundum? Salvari non vis ab ipso, ex te judicaberis.

Pagina 1510. S. Joannes Chrysostomus hom. 5. in 2. ad Thessalon. *Si vos*, inquit, *elegit ad salutem, non mentitur neque finit perire: ne autem per hæc duceret ad socordiam, & totum esse Dei arbitrati ipsi dormirent, vide quomodo ab eis quoque exigit ut cooperentur, dicens: Confidimus autem de vobis, fratres in Domino, quòd quæ præcipimus & facitis & facietis. Fidelis quidem, inquit, est Deus, & promittens salutem dare, omninò dabit, sed ut promisit. Quomodo autem promisit? si velimus, & eum audiamus, non absolutè, neque tanquam lignis & lapidibus otiosis.*

Necessariam prorsus esse liberam illam voluntatis nostræ cooperationem, ut quam Deus habet salutis nostræ voluntatem, adimpleat, infinitis propemodum in locis asserit S. Augustinus. Lib. 1. ad Simplic. q. 2. *Si voluisset & cucurrisset*, (Esau) *Dei adjutorio pervenisset, qui etiam velle & currere vocando præstaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret. Aliter enim Deus præstat ut velimus, aliter præstat, quòd voluerimus: ut velimus enim & suum esse voluit & nostrum; suum vocando, nostrum sequendo.*

To. 6. p. 94. B.

Et Lib. de spiritu & littera cap. 33. *Vult autem Deus*, inquit, *omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire; non sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo bene vel malè utentes justissimè judicentur. Quod cùm sit, infideles quidem contra Dei voluntatem faciunt, cùm eius Evangelio non credunt: nec ideò tamen eam vincunt, verùm seipsos frandant magno & summo bono, maliscque pœnalibus implicant, experturi in supplicijs potestatem eius, cujus in donis misericordiam contempserunt. Ita voluntas Dei semper invicta est.* Audis infideles contra Dei voluntatem facere, quando non credunt: vult igitur Deus verè ac sincerè ut illi credant; quæ tamen voluntas defectu conditionis ex parte creaturæ necessariæ, non impletur.

To. 10. p. 118. E.

At, inquies, quorsum istæc omnia, quæ nullus negat? velle quidem nostrum est, sic tamen ut à Deo detur, *Operatur* quippè *in nobis velle & perficere pro bona voluntate.* Philipp. 2. v. 13. *Cujus vult miseretur.* Rom. 9. v. 18. Si ergo Deus seriò vellet aliquid ab homine fieri, illud profectò, Deo donante, fieret: ac planè absurdum, imò & divina potentia indignum videtur, ut Deus aliquid velit, quod tamen non fiat, defectu conditionis quę ab ipso pendet. Cùm igitur Deus significat se aliquid velle, quod tamen non fit, pro certo habendum, Deum id velle tantùm voluntate signi non beneplaciti. *Ubi est illa omnipotentia*, exclamat Augustinus Enchiridii c. 97. *qua in cœlo & in terra omnia quæcumque voluit fecit, si colligere filios Jerusalem voluit, & non fecit?*

To. 6. p. 232. C.

Resp. Argumentum istud in quo adversarii tantam fiduciam habent, planè nullum esse ac funditus ruere, si ad statum innocentis naturæ transferatur. Certè eo in statu sicut & in præsenti, Deus erat omnipotens: aliquid tamen tunc seriò ac propriè voluit, quod impletum non est. Voluit Angelos & Adamum in accepta justitia perseverare, quæ tamen voluntas suo effectu caruit in malis Angelis & Adamo. An porrò illam perseverantiam voluntate absoluta tunc voluit Deus? Non certè; aliàs illi certissimè perseverassent. Ergo eam voluit voluntate dumtaxat conditionata, & quidem conditione, quam si voluisset, ipse posuisset. Si enim gratiam efficacem illis concedere voluisset, ut poterat, certissimè perseverassent: aliam tamen contulit eorum arbi-

arbitrio permissam, qui non benè utentes, lapsi sunt. Ergo voluntas in Deo conditionata, cujus conditio partim ab homine pendet, divinæ non repugnat omnipotentiæ.

Neque dixeris ex Augustino, Deum in statu priori voluisse ostendere *quid posset liberum hominis arbitrium, deinde verò quid gratiæ suæ beneficium*. Esto: liberum illud hominis innocentis arbitrium, judice ipsomet S. Augustino, gratia & habituali seu sanctificante, & actuali adjuvabatur, & tamen ea non obstante peccavit.

Propositum igitur argumentum merum est sophisma, quod confundit voluntatem Dei absolutam cum conditionata. Equidem quidquid Deus absolutè vult, etiam circa liberas hominis actiones, illud certissimè fit, nemo est qui istud negare audeat: de hac autem voluntate absoluta loquitur S. Augustinus loco qui hic objicitur. Verùm sua voluntate & absoluta potestate non semper erga nos utitur Deus, multa etenim vult, quorum exitum & eventum voluit à nobis pendere: non quidem ex defectu virtutis ac potentiæ, absit; sed ex suavissima providentia. *Provocat enim ad salutem*, ait S. Hieronymus hic à nobis laudatus, *ut voluntas habeat præmium*. Et in caput 49. Isaiæ, *Potentiam suam Deus*, ait, *nostro arbitrio derelinquit, ut justi voluntas præmium consequatur*. Et S. Fulgentius de remiss. peccat. Lib. 1. cap. 11. *In hoc*, inquit, *testimonio conditionali.... Si conversus fueris &c. ostendit ex conditione conversionis promissionem salutis omninò pendere*.

To. 3. p. 468. ibid p. 351. P. 368.

Hanc Dei providentiam in hominibus non ex absoluta suâ potestate, sed suavi dispositione regendis egregiè exponit Sapiens Sapientiæ c. 12. v. 8. & seq. *His*, inquit, *tanquam hominibus pepercisti, & misisti antecessores exercitus tui vespas, ut illos paulatim exterminarent. Non quia impotens eras in bello subjicere impios justis, aut bestiis sævis, aut verbo duro simul exterminare: sed partibus judicans dabas locum pœnitentiæ, non ignorans quoniam nequam est natio eorum*. Et v. 18. *Tu autem dominator virtutis, cum tranquillitate judicas, & cum magna reverentia disponis nos: subest enim tibi, cùm volueris, posse*.

QUARTA CONCLUSIO.

Voluntas Dei quatenus est omnium causa universalis, semper impletur.

Ita S. Thomas hìc q. 19. art. 6.

Sic probat & explicat Angelicus Doctor. *Cùm voluntas Dei sit universalis causa omnium rerum, impossibile est quòd divina voluntas suum effectum non consequatur. Unde quod recedere videtur à divina voluntate secundùm unum ordinem, relabitur in ipsam secundùm alium: sicut peccator, qui, quantùm est in se, recedit à divina voluntate peccando, incidit in ordinem divinæ voluntatis, dum per ejus justitiam punitur*.

Hoc ipsum docet S. Augustinus paulò antè citatus Lib. de spiritu & littera c. 33. *Infideles quidem*, inquit, *contra Dei voluntatem faciunt, cùm ejus Evangelio non credunt: nec ideo tamen eam vincunt... experturi in suppliciis potestatem ejus, cujus in donis misericordiam contempserunt. Ita voluntas Dei semper invicta est; vinceretur autem si non inveniret quid de contemptoribus faceret, aut ullo modo possent evadere, quod de talibus ille constituit*.

T. 10. p. 118. F.

Et

Et cap.100. Enchiridii, loquens de peccatoribus qui faciunt quod Deus non vult, ſic ait: *Quantùm ad ipſos attinet, quod Deus noluit, fecerunt: quantùm verò ad omnipotentiam Dei, nullo modo id efficere valuerunt. Hoc quippè ipſo quòd contra voluntatem fecerunt ejus, de ipſis facta eſt voluntas ejus...ut miro & ineffabili modo non fiat præter ejus voluntatem, quod etiam contra ejus fit voluntatem.*

T.10.p. 234. B. C.

Et Serm.214. in traditione Symbolin.3. *Nec ideò credant iniqui*, ait, *Deum non eſſe omnipotentem, quia multa contra ejus faciunt voluntatem. Quia & cùm faciunt quod non vult, hoc de eis facit quod ipſe vult. Nullo modo igitur omnipotentis vel mutant, vel ſuperant voluntatem: ſive homo juſtè damnetur, ſive miſericorditer liberetur, voluntas omnipotentis impletur.*

T.5.p. 941. D. E.

ARTICULUS SEPTIMUS.

Utrum voluntas Dei ſit cauſa rerum.

VOluntas hìc naturæ opponitur, & quæſtio eſt an Deus neceſſitate naturæ ſit rerum cauſa, quomodo Sol neceſſitate naturæ mundum illuminat; an libera voluntate?

CONCLUSIO.

Voluntas Dei eſt rerum cauſa.

Probatur ex Scripturis. Pſal.113. v.3. *Omnia quæcunque voluit fecit*. Sapient.11. v.26. *Quomodo poſſet aliquid permanere, niſi tu voluiſſes?* Epheſ. 1. v.11. *Operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.*

Ratio eſt manifeſta: *Cùm enim*, ait hìc S. Th. q.19. art.4. *Deus ſit primum agens, per intellectum & voluntatem cuncta cauſare dicendum eſt.* Nihil quippè aliud in agente ſpirituali deprehendi poteſt, præter ſcientiam, voluntatem & potentiam executivam; ſive hæc diſtinguatur à ſcientia & voluntate, ſive non.

Et certè ſi Deus ut agens naturale res extra ſe produceret, ad certos effectus certumque finem eſſet determinatus, ac neceſſe foret eum ab alio dirigi, ut finem attingat quem non cognoſceret, ſicut ſagitta, ut ſcopum attingat, debet dirigi à ſagittario: atqui Deus ad certum ac determinatum finem certoſque effectus non eſt determinatus, ſed ſeipſum dirigit, ac agendi finem ſibi præfigit; ergo Deus non eſt rerum cauſa ut agens naturale; ergo voluntas Dei ut libera facultas, eſt rerum cauſa.

Quæres quo ſenſu tam ſcientia quàm voluntas in Deo ſit rerum cauſa; & utra ſit propinquior ſeu immediatior?

Reſp. rem totam ab aliquibus exponi, ſervata proportione, exemplo artificis creati, in quo hi actus diſtinguuntur. 1. Intellectus proponit modum operis faciendi. 2. Voluntas conſentit, & modum propoſitum approbando amplectitur. 3. Intellectus imperat executionem. 4. Sequitur executio ad imperium intellectus. Ita, ſervata proportione, (neque enim eſt in Deo ſicut in nobis realis actuum diſtinctio & multiplicitas) ſcientia in Deo

eſt

est causa dirigens & proponens varios modos quibus res fieri possit. 2. Voluntas eligit ac determinat unum ex illis modis. 3. Intellectus imperat ut modus à voluntate selectus executioni demandetur. 4. Potentia Dei exequitur quod fuit ab intellectu propositum & à voluntate decretum.

Thomistæ ajunt scientiam Dei non solùm dirigere Deum in productione creaturarum, sed etiam imperare & exequi immediatè earum productionem, per actum imperii formaliter immanentem & virtualiter transeuntem, quod ad eas immediatè dirigitur: unde nullam aliam potentiam executivam agnoscunt in Deo, quàm ejus intellectum practicum. Illam autem scientiam quam ajunt esse rerum causam, dicunt esse scientiam visionis; non quidem præcisè ut intuitiva est objecti, sed quatenus illud approbat & adjunctum habet voluntatis decretum. *Conet. disp. 5. de caussalitate scientia Dei nr. 1. §. 1.*

Alii rem sic explicant, duoque dumtaxat actus in Deo existimant sufficere, nempe scientiam practicam, & decretum efficax. Scientia Dei practica, est causa rerum, in genere causæ exemplaris: voluntas seu decretum, in genere causæ efficientis. Scientia habet vim dirigendi per modum ideæ: voluntas vim producendi per modum principii activi. Et ratio est, quia voluntas Dei per se efficax est; ergo nec opus est novo imperio intellectus, nec alia potentia exequente. Hinc sequitur voluntatem esse causam rerum magis immediatam, quàm scientiam; siquidem scientia dirigit per modum ideæ, deinde voluntas eligit & efficaciter exequitur quod propositum est.

ARTICULUS OCTAVUS.

Utrum voluntatis divinæ assignari possit aliqua causa.

SEnsus propositæ quæstionis non est, utrum ratio & causa aliqua reddi possit cur Deus in ordine, v.g. naturali, hos potius effectus quàm alios producere voluerit; & in ordine gratiæ istum potius quàm alium ad fidem efficaciter vocare: in his etenim rebus tota ratio facti est voluntas facientis: hunc vocat, alium relinquit; hujus miseretur, alium indurat seu indurari permittit, quare? *O altitudo!*

Quæstio igitur in eo est, numquid sicut unum attributum alterius attributi, si non causa, saltem ratio esse potest, ut v.gr. immutabilitas æternitatis &c. ita volitionis rei quoad determinationem, altera volitio sit ratio, & quomodo: seu utrum inter volitiones Dei sit aliquis ordo statuendus.

Ubi observa 1. cum Becano, de triplici causa moveri posse quæstionem, nempe de efficiente, meritoria, & finali.

Observa 2. cum eodem, tria in decreto Dei spectari posse. 1. actum divinæ voluntatis secundùm entitatem suam increatam, qui est ab æterno. 2. effectum illius actus, qui datur in tempore, ut gratia & gloria. 3. terminationem divini actus ad hunc effectum, quæ pariter ab æterno est. Nam si Deus ab æterno liberè voluit ac decrevit conferre nobis gratiam & gloriam in tempore, necesse est, ut volitio seu decretum Dei ab æterno fuerit liberè terminatum ad futuram gratiam & gloriam, tanquam ad rem volitam & decretam.

Quæritur igitur 1. Utrum voluntatis Dei sit aliqua causa efficiens. 2. Utrum actus divinæ voluntatis secundùm entitatem suam increatam possit habere

bere causam meritoriam aut finalem. 3.Utrum effectus illius actus, nempe gratia vel gloria, possit habere utramque causam. 4. Utrum terminatio divini actus ad gratiam, vel gloriam, possit illam habere.

PRIMA CONCLUSIO.

Divinæ voluntatis nulla potest assignari causa efficiens.

Ratio est manifesta. Divina quippe voluntas non distinguitur ab entitate seu substantia Dei: cùm igitur divinæ substantiæ nulla sit causa efficiens, quia ex S.Aug. L.83. quæstionum qu.28. omnis causa efficiens major est eo quod efficitur, Deo autem nihil majus esse possit; consequenter nec divinæ voluntatis ulla potest esse causa efficiens.

Probat hic q.19.art.5. S.Th. ex simplici Dei natura. *Cùm Deus*, inquit, *unico & simplicissimo actu velit omnia in sua bonitate, ejus voluntatis nulla prorsùs causa est*. Quod illustrat exemplo & comparatione intellectus divini, qui cùm unico intuitu conclusiones in principiis intueatur, cognitio principiorum non dicitur causa cognitionis conclusionum; id enim non est causa sui ipsius: ita pariter, cùm divina voluntas unico actu reali & entitativo velit & finem & media ad finem, volitio unius non est causa volitionis alterius.

SECUNDA CONCLUSIO.

Actus divini decreti secundùm entitatem suam increatam non potest habere causam meritoriam.

Ratio est, quia actus ille hoc modo spectatus est ipsamet Dei substantia seu divinitas: at divinitas non habet causam meritoriam, nemo enim mereri potest divinitatem tanquam præmium.

TERTIA CONCLUSIO.

Effectus divini decreti, v.g. gratia & gloria, qui confertur in tempore, potest habere causam meritoriam.

Probatur, quia Christus per suam mortem ac passionem meruit nobis omnia dona gratiæ & gloriæ. Ephes.1.v.3. *Benedixit nos omni benedictione spirituali in Christo*. Et c.4. v.7. *Unicuique nostrum data est gratia secundùm mensuram donationis Christi*. Et Rom.3. v.24. *Justificati per redemptionem, quæ est in Christo Jesu*. Et verò cùm vita eterna seu gloria nobis tanquam præmium & merces proponatur, necesse est ut meritis gratiæ tanquam corona justitiæ rependatur, juxta illud Christi Matth.5.v.12.*Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælo*. Et Apostolus Rom.2. v.6. *Deus reddet unicuique secundùm opera ejus: iis quidem qui secundùm patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem, quærunt vitam æternam*. Et 2. ad Timoth.4. v.8. idem Apostolus ait: *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex: non solùm autem mihi, sed & his qui diligunt adventum ejus*.

QUAR-

QUARTA CONCLUSIO.

Libera terminatio decreti divini ad effectum futurum, quæ ab æterno facta est, potest habere causam meritoriam: id est, Deus ab æterno potuit decernere & velle dare nobis aliqua dona propter futura merita.

Sequitur hæc conclusio ex dictis. Namque fieri non potest ut Deus propter merita donet alicui gloriam in tempore, nisi ab æterno voluerit seu decreverit id facere: qui ergo potest mereri effectum divinæ prædestinationis, nempe gloriam, potest etiam mereri, ut prædestinatio divina terminetur ad illum effectum; hęc enim simul connexa sunt.

QUINTA CONCLUSIO.

Actus divinæ volitionis secundùm entitatem suam increatam non potest habere veram causam finalem: potest tamen, nostro intelligendi modo, una volitio esse causa finalis alterius.

Probatur prima pars. Quia vera causalitas finis in eo consistit, quòd sui amore ac desiderio moveat voluntatem ad electionem mediorum. Unde requiruntur duæ distinctæ actiones ad causalitatem finis, una, qua voluntas amat finem; altera, qua voluntas ex amore finis movetur ad electionem mediorum: atqui non sunt in Deo duæ distinctę actiones, quarum una velit finem, altera velit media, sed unico ac simplicissimo actu vult finem & media, sicut unico ac simplicissimo actu cognoscit principia & conclusiones: ergo volitio Dei, qua vult media, non habet veram causam finalem.

Probatur secunda pars. Quia licèt non sint in Deo duæ actiones realiter distinctæ, quarum una velit finem, altera velit media; sunt tamen, nostro intelligendi modo, distinctæ. Deum enim hac in vita concipimus per conceptus varios, inadæquatos, magis vel minùs explicitos, & ideo concipimus illum quasi uno actu velit media, & alio finem: ergo finis uno actu volitus à Deo, potest esse ratio volendi media alio actu, secundùm nostrum concipiendi modum. Hoc pacto Deus amando suam bonitatem tanquam finem, censetur moveri ad amandas creaturas, tanquam media; ac proinde bonitas Dei amata per modum finis, est quasi ratio amandi creaturas per modum mediorum. Hoc sensu dicitur Proverb. 16. v. 4. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus*. Quæ particula, *propter*, arguit causalitatem finalem. *Cùm Deus*, ait S. Th. hic q. 19. art. 2. ad 2. *alia à se non velit, nisi propter finem qui est sua bonitas, non sequitur quòd aliquid aliud moveat voluntatem ejus; nisi bonitas sua.*

SEXTA CONCLUSIO.

Effectus volitionis seu decreti divini qui confertur in tempore, potest quidem habere veram causam finalem respectu nostri; non tamen propriè ac strictè loquendo respectu Dei.

Probatur 1. pars. Quia cùm omnes effectus Dei sint veræ creaturæ, ad

Deum referuntur tanquam ad veram causam finalem increatam. Similiter inter ipsos effectus creatos unus potest ad alium referri tanquam ad finem. V.g. Incarnatio ad redemptionem generis humani, gratia ad gloriam; & hæc omnia veræ sunt respectu nostri qui uno actu v.g. amamus Deum, & alio media quæ ducunt ad Deum; uno actu gloriam, & alio media quibus ad eam pervenimus: at non ita est in Deo.

Itaque probatur 2. pars. Quia ex dictis Conclusione quinta, Deus non duplici, sed uno ac simplicissimo actu vult finem & media; ergo licèt Deus velit omnes creaturas esse media in ordine ad suam bonitatem: & similiter inter ipsas creaturas velit unam esse finem alterius, tamen non vult unam propter aliam: quia ut dictum est, non duobus, sed unico actu reali vult & finem & media.

Attamen, nostro concipiendi modo, ut diximus in quinta Conclusione, intelligimus, Deum unum velle tanquam medium, & aliud tanquam finem.

Hinc intelliges quo sensu S. Th. hic q. 19. art. 6. in corpore dicat, *in Deo velle finem, ipsi causam non esse volendi ea quæ sunt ad finem; sed tamen velle ea quæ sunt ad finem ordinari in finem. Vult ergo*, inquit S. Th. *Deus hoc esse propter hoc, sed non propter hoc vult hoc*. Posterior propositio falsa est, quia volitio unius rei non est Deo vera causa, cur velit aliam; utramque enim vult unico ac simplicissimo actu: prior verò propositio est vera; quia Deus vult unam rem esse causam finalem alterius; non quidem respectu sui, sed respectu nostri.

ULTIMA CONCLUSIO.

Terminatio volitionis seu decreti divini ad effectum futurum, quæ ab æterno facta est, non habet etiam veram causam finalem respectu Dei, sed tantùm respectu nostri.

Prima pars patet ex dictis. Quia licèt Deus voluerit ab æterno suam volitionem terminari ad effectum futurum, propter bonitatem suam increatam, non per veram causalitatem finis: quia non sunt, ex dictis sæpius, distincti actus in Deo, quorum uno voluerit suam bonitatem, alio terminationem sui decreti ad futurum effectum.

Secunda pars etiam manifesta est. Quia possumus nos illam terminationem referre ad honorem Dei tanquam ad causam finalem per veram causalitatem finis: possumus etiam amare Deum, tanquam finem; & ex illo amore velle omnia alia referre ad Deum per distinctum actum.

ARTICULUS NONUS.

Utrum sit aliquis ordo secundùm prius & posterius inter divina decreta.

CErtum est 1. inter divina decreta nullum esse ordinem realem secundùm prius & posterius ratione existentiæ; quia unum ab alio realiter non distinguitur, nec unum est alio prius tempore, cùm in Deo, una sit ac simplicissima entitas eaque æterna.

Cer-

Certum est 2. nullum esse ordinem naturæ ac veræ causalitatis; quia nulla reipsa in divinis causa est, ubi nulla dependentia unius ab alio.

Certum est 3. nullum quoque esse ordinem originis aut emanationis; quia nullum decretum est ab alio, tanquam à sua origine, quomodo Filius est à Patre, Spiritus Sanctus à Patre & Filio; nullum pariter decretum ab alio profluit via emanationis, qua ratione intelligimus attributa fluere seu dimanare ab essentia.

Quæstio igitur est dumtaxat, an inter divina decreta sit aliquis ordo virtualis secundùm prius & posterius; qui ordo dicitur simplicis præsuppositionis, seu instantis à quo & meræ præcisionis, non instantis in quo & negationis; quatenus scilicèt unicus ac simplicissimus secundùm entitatem divinæ voluntatis actus ratione suæ infinitatis æquivalet per se, ac intrinsecè diversis ac realiter distinctis creatæ voluntatis actibus.

CONCLUSIO.

Admittendus est inter divina decreta ordo aliquis virtualis, & secundùm nostrum intelligendi modum inter decreta divinæ voluntatis.

Probatur. Quia ad hunc ordinem secundùm prius & posterius stabiliendum, sufficit tùm virtualis quædam distinctio inter divina decreta, tùm quædam inter illa virtualis præsuppositio ac veluti connexio & dependentia, tum denique quòd ordo ille nullam in se involvat imperfectionem: atqui 1. est quædam virtualis distinctio inter divina decreta, qua fit ut unus & simplicissimus actus quoad entitatem propter suam perfectionem æquivalens sit pluribus actibus in voluntate creata distinctis. Quid enim huic decretorum distinctioni virtuali obstaret? Summa Dei simplicitas? At hæc non obstat virtuali distinctioni inter intellectum & voluntatem divinam, & inter utriusque facultatis actus; imò nec virtuali distinctioni attributorum tùm ab essentia tùm ab invicem. Quare igitur obstaret distinctioni virtuali decretorum divinorum? 2. est quædam præsuppositio ac veluti connexio inter divina decreta, in quantùm scilicèt unius objecti volitio est veluti ratio volendi aliud, & concipitur à nobis velut alterius causa virtualis. Ita volitio finis, prior est volitione mediorum; volitio meriti, prior volitione præmii; volitio redemptionis hominum, volitione Incarnationis &c. Et verò datur ordo secundùm prius & posterius inter intellectum & voluntatem, actus enim intellectus præcedit actum voluntatis cui prælucet; quidni pariter inter actus voluntatis? 3. denique talis ordo divinorum decretorum nullam involvit imperfectionem, imò potius arguit in Deo perfectionem infinitam, per quam scilicèt simplex divinæ voluntatis entitas pluribus distinctis æquivalet. Aliunde verò si varia illa signa seu instantia rationis, ordinemque secundùm prius & posterius nostro concipiendi modo à divinis sustuleris, nullatenus poterunt exponi mysteria Trinitatis, Incarnationis, prædestinationis &c.

Quæres, qualis & unde repetendus sit divinorum decretorum ordo? Resp. ordinem illum repeti debere ex ordine quem objecta illorum decretorum servant inter se, prout à divina voluntate hoc vel illo modo ordinata sunt ac disposita. Revocari autem potest ad ordinem qui est 1. inter finē &

media: priùs enim intenditur finis, tùm eliguntur media ad illum finem obtinendum neceſſaria. Ita prior eſt in Deo voluntas reparandi hominem quàm voluntas Incarnationis. 2. inter ipſa media inter ſe comparata. Illud quippe medium alio prius concipitur, quod eſt propinquius fini, non quidem dignitate, ſed cauſalitate: tale eſt donum finalis perſeverantiæ reſpectu vitæ æternæ. 3. inter meritum & præmium. Sic volitio meritorum, prior eſt volitione præmii, quia non datur præmium niſi propter meritum. 4. inter ſubjectum & formam; hominem v.g. & gratiam quæ ipſi confertur. Prius enim eſt in decreto Dei velle ſubjectum, quàm formam ipſi accidentalem; hominem, v.g. creare, quàm velle ipſi gratiam concedere.

ARTICULUS DECIMUS.

An ſit in Deo vera, ſincera, formalis ac beneplaciti voluntas ſalvandi omnes; ac Chriſtus pro omnibus mortuus fuerit.

UNico articulo hæc duo ſimul complectimur, quæ ſunt inter ſe ita connexa, ut ſeparari invicem non poſſint: tùm quia Apoſtolus 1. ad Timoth. 2. v. 4. 5. 6. & voluntatem Dei pro ſalute omnium, & mortem Chriſti pro omnibus ſimul conjunxit. *Qui omnes homines*, inquit, *vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus unus & mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus: qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Tùm quia voluntas Chriſti conformis ſemper fuit voluntati divinæ: ſi ergo pro ſalute omnium mori Chriſtus voluit, pro certo haberi debet, Deum velle omnium ſalutem.

Vaſquez in 1.p. S.Thomæ viſus eſt hæc duo ſeparaſſe. Diſput. enim 95. c.6. docet Deum eorum parvulorum nolle ſalutem, quibus remedia ſalutis applicari nullo modo poſſunt; & diſp.96.cap.3. ſcribit, Chriſtum pro omnibus etiam parvulis mortuum eſſe: quę duo pugnarent inter ſe, ſi Vaſquez putaret Chriſtum pro parvulis ea intentione mortuum, ut pretium ſanguinis ſui pro illis Patri ſuo obtulerit; at mortuum tantùm intelligit Vaſquez, quantùm *ad cauſæ communitatem, & magnitudinem atque potentiam pretii*, non quantùm ad intentionem offerentis: iſta etenim ſemel præſuppoſita offerentis intentione, negari non poteſt, quin ſit in Deo voluntas ſalvandi iſtos parvulos; porrò negat Vaſquez velle Deum illos ſalvos fieri. *Quamvis Deus*, inquit citata diſp.95. cap.6. *ex ſeipſo ante omne peccatum velit omnibus beatitudinem voluntate illa primaria & antecedenti; præviſo tamen peccato primi parentis & voluntate conſequenti talem præviſionem, jam non voluit gloriam iis quibus nec conceſſit aliquo modo poſſe applicari remedia, ſed voluntate conſequenti peccatum primi parentis, voluit eos à regno excludere.* Quæ Vaſquefii ſententia noſtro quidem judicio, extenuare ac imminuere videtur generalem illam, quæ in Deo eſt, veram ac ſinceram ſalvandi omnes voluntatem.

To.1.p. p.716. col.1.n. 11.

Ibid. p. 703.col. 2.n.31.

Status quæſtionis.

Ex Articulo quinto ſuperiori repetendum eſt & animo hìc recolendum, quid ſit in Deo voluntas ſigni, & beneplaciti; quid voluntas antecedens, & conſequens; abſoluta, & conditionata; efficax, & inefficax.

Non

Non hic quæritur utrum Deus absoluta, consequente ac efficaci voluntate omnes homines salvos esse velit: hujusmodi enim voluntas semper impletur; certum autem est non omnes homines salvos fieri. *Multi vocati, pauci electi.*

Neque etiam quæritur utrum antecedenter ad præviſum originale peccatum, voluerit Deus omnium salutem: id fatentur, qui nobis hic adversantur.

Quæstio etiam non est utrum præsuppoſito peccato originali, Deus voluntate saltem signi aut simplicis complacentiæ otioſæ ac sterilis, velit omnes salvos fieri: non recusant id fateri, quos hic impugnamus.

Quæstio igitur est, utrum Deus prævisо ac praesuppoſito peccato originali, (à quo, ut antea diximus, antecedens voluntas non abstrahit) velit, voluntate non tantùm signi, externa, figurata & metaphorica, sterili, & otioſa, sed etiam voluntate beneplaciti, interna, vera, reali & formali, antecedente, conditionata, & activa alios, quàm prædestinatos salvos fieri.

Quæstio autem movetur non tantùm pro præsenti naturæ lapsæ statu, sed etiam innocentis: non desunt enim inter Theologos, qui negant Deum in statu etiam innocentiæ voluisse omnes Angelos salvos fieri. Ita Estius in Lib. 1. Sentent. dist. 46. parag. 3. n. 4. Quam Estii sententiam tenentur sequi, quotquot à Deo excludunt voluntatem beneplaciti inefficacem quę non impleatur, tanquam Deo indignam ejusque virtuti & omnipotentiæ injuriosam. Porrò non omnes Angelos ad finalem beatitudinem perveniſse, certo certius est.

Patiter cùm quæritur utrum Christus sit mortuus pro omnibus, controversia non est utrum quoad sufficientiam pretii, vel causæ communitatem, vel efficacem respectu finis pretii applicationem, vel propter solam electorum salutem mortuus fuerit: nemo quippe dubitat, infiniti pretii ac valoris esse sanguinem Christi; nemo dubitat causam propter quam mori voluit, naturam scilicet humanam, omnibus communem esse: nemo nescit non omnibus efficaciter quoad finis assecutionem applicari pretium sanguinis Christi, siquidem non omnes salvantur. Fatentur etiam Janseniani, non esse mortuum Christum pro sola electorum salute, sed etiam pro temporalibus gratiæ auxiliis quæ reprobis fidelibus conceduntur.

Quæstio igitur est, utrum eo animo eaque intentione pro omnibus mori Christus voluerit, ut pretium sanguinis sui Deo Patri obtulerit non pro solis prædestinatis, sed etiam pro omnibus hominibus, maximè verò fidelibus quibus sanguinis sui pretium voluerit applicari.

Eò igitur tota reducitur præsens controversia.

I. An sit dogma fidei, Deum alios (fideles scilicèt) quàm prædestinatos, verè ac sincerè velle salvos fieri; & Christum pro aliis quàm pro prædestinatis, mortuum esse, ac sanguinis sui pretium Deo Patri obtulisse.

II. An vera sit, pia, Catholica, & ad fidem proximè accedat sententia quæ affirmat, & Deum verè, sincerè & ex animo seu beneplacito velle omnium prorsùs hominum salutem; & Christum eo animo seu ea intentione mortuum, ut pretium sanguinis pro salute omnium hominum Deo Patri obtulerit.

ERRORES.

Circa voluntatem Dei ſalvandi omnes, & mortem Chriſti pro omnibus, errarunt Pelagiani & Semipelagiani, Prædeſtinatiani, Calvinus, Janſenius.

PELAGIANI ET SEMIPELAGIANI.

In multis hìc aberrarunt Pelagiani ac Semipelagiani.

I. Pelagiani aſſerebant Deus omnes quidem homines velle ſalvos fieri, ſi ipſi velint, ſed hanc eorum voluntatem ſolis naturæ viribus, non divinæ gratiæ auxilio; Semipelagiani verò quibuſdam initiis ſeu naturæ conatibus, deſideriis ſalutis, ac fidei exordiis deputabant.

II. In eo peccabant etiam Semipelagiani, quòd ſtatuerent ita Deum velle omnes homines ſalvos eſſe, ſi ipſi velint, ut ejuſmodi conditionem etiam in parvulis præmatura morte extinctis locum habere arbitrarentur. Cùm verò in illis præſentem aſſignare non poſſent voluntatem, ad futuram confugiebant, quàm habituri fuiſſent, ſi ad pleniorem perveniſſent ætatem.

III. In eo quòd vellent præviſa opera bona etiam ex gratia, Deo certam eſſe legem, regulam ac conditionem, qua certò & quaſi ex condicto movebatur, & excitabatur ad gratiam largiendam.

IV. In eo quòd unam dumtaxat generalem, communem & indifferentem Dei pro ſalute omnium hominum voluntatem ac Chriſtum æqualiter, nulla facta ſpeciali electorum diſcretione ac dilectione, pro omnibus ſanguinem fudiſſe agnoſcerent.

V. denique in eo maximè errarunt Semipelagiani, quòd contenderent ita Deum velle omnes ſalvos fieri, ſeu ex ſe paratum eſſe ſalutem illis impertiri, ſi ipſi quærerent, ſi peterent, ſi pulſarent, ut aliter ſalvare illos Deus non poſſet, niſi præmiſſis illis diſpoſitionibus: quæ profectò ſententia divinæ omnipotentiæ plurimùm detrahit ac derogat.

Errores iſtos ut cautiùs declinaret Auguſtinus, & adversùs Pelagianos commodiùs refelleret, ad varias hujuſce Apoſtoli ſententiæ, *Deus vult omnes ſalvos fieri*, interpretationes excogitandas compulſus fuit: unde factum, ut nonnullis etiam ex noſtris viſus fuerit voluntatem illam Dei non ad omnes, ſed ad ſolos prædeſtinatos retuliſſe. Ita Molina Concord. q.19. art.6. diſp.1. Ed. Antuerp. 1595. p. 274. col. 1. *Ceſſat*, inquit, *objectio quam ſæpius Auguſtinus repetit, quæque in cauſa fuit ut teſtimonium Pauli non de omnibus univerſim hominibus exponeret, ſed ad tres illas expoſitiones relatas confugeret.* Vaſquez pariter in 1.p.S.Th. diſp.83. c.1. To.1.p. 305.col. 2.nu.3. *S. Auguſtinus*, inquit, *teſtimonium Pauli nuſquam explicat de voluntate beneplaciti, quæ revera in Deo ſit circa ſalutem omnium hominum; ſed tribus aliis modis, quibus planè eam voluntatem beneplaciti circa omnium ſalutem negat.* Hos ſequitur & ipſe Petavius T.1. Theologic. dogmatum L.9. c. 15. n.2. *Auguſtinus*, inquit, *expreſsè ac diſertè negat, Deum omnes omnino ſalvos eſſe velle; ſed eos ſolos aſſerit velle, quos ex æterno prædeſtinavit.* Et n.3. *Quocirca*, inquit, *ex mente illius aſſeverandum eſt, reprobis in maſſa damnabili derelictis Deum auxilia quædam gratiæ velle concedere ſine dandæ gloriæ voluntate.* Verùm, pace illorum dixerim, paulò liberiùs Auguſt. deſerunt,

P.648.

P.649.

runt, quem causæ Catholicæ hic eripere, summo præsidio eam fraudare est. Quapropter in decursu hujus disputationis ostendemus, sanctum Doctorem tribus dictæ Apostoli sententiæ expositionibus, unum dumtaxat excludere voluisse perversum hæreticorum sensum, non Catholicam expositionem de voluntate Dei salvandi omnes.

PRÆDESTINATIANI.

De prædestinatianis data opera egimus, ubi de variis circa modum agendi gratiæ erroribus. Quæ eò loci dicta sunt, consulenda. Hoc unum hic retulisse sufficiet, in eo potissimùm errorem Prædestinatianorum positum fuisse, quòd dicerent ex hominibus alios ad sempiternum exitium, alios verò ad gloriam sola Dei voluntate ab æterno destinatos fuisse: primis nihil prodesse, si quæ sint bona eorum opera; aliis verò non nocere, quæ perversè interdum operantur: Deum nolle omnes salvos fieri; nec Christum pro omnibus, sed pro solis prædestinatis mortuum fuisse. *Prædestinatorum hæresis*, ait Sigebertus Gemblacensis Monachus ad an. Christi 415. *hoc tempore incepit serpere, qui ideo Prædestinati vocantur, quia de prædestinatione & divina gratia disputantes asserebant, quòd nec piè viventibus profit bonorum operum labor, si à Deo ad mortem prædestinati fuerint; nec impiis obsit, quòd improbè vivant, si à Deo prædestinati fuerint ad vitam. Quæ assertio*, pergit Sigebertus, *& bonos à bonis avocabat, & malos ad mala provocabat.*

Inter articulos quos Lucidus Presbyter revocavit in Libello emendationis quem Episcopis Gallicanis obtulit, istileguntur. *Damno vobiscum*, inquiebat, 1. *illum qui dicit humanæ obedientiæ laborem divinæ gratiæ non esse jungendum.* 2. *Qui dicit post primi hominis lapsum ex toto arbitrium voluntatis extinctum.* 3. *Qui dicit quòd Christus Salvator noster mortem non pro omnium salute susceperit.* 4. *Qui dicit quòd præscientia Dei hominem violenter compellat ad mortem, vel quòd cum Dei pereant voluntate, qui pereunt.* 5. *Qui dicit alios deputatos esse ad mortem, alios ad vitam esse prædestinatos.* *Apud Sirmond. To. 2. p. 418. B.*

Prædestinatianorum dogmata renovavit nono Ecclesiæ sæculo Gotheschalcus Monachus, de quo plura dicta sunt cùm de gratia disputabamus.

MISERICORDES.

In alium extremum errorem Prædestinatianis è diametro contrarium lapsi fuere, qui *Misericordes* appellantur, quales fuere Origenistæ. *Illi*, ait S. Aug. Lib. 21. de Civit. Dei c. 18. n. 1. *multò majorem misericordiam Deo tribuunt ergà humanum genus. Dicunt enim de malis & infidelibus hominibus divinitus quidem verum prædictum esse, quòd digni sunt pœna: sed cùm ad judicium ventum fuerit, misericordiam esse superaturam. Donabit etenim eos, inquiunt, misericors Deus precibus & intercessionibus Sanctorum suorum.* Quam sententiam sanæ fidei adversari asserit c. 24. *Alioqui*, ait, *nulla causa est, cur non etiam nunc pro diabolo & Angelis ejus oret Ecclesia.* *To. 7. p. 637. E.* *Ibid. p. 642. B.*

Extendunt ergo illi divinam misericordiam ac beneficium mortis Christi ad damnatos homines, quos à suppliciis suis aliquando liberandos, & æternæ vita donandos fore confidebant. Plures eorum ordines distinguit ibidem sanctus

ctus Doctor c. 19. 20, 21. & 22. Alii ab æterno supplicio omnes etiam infideles promiscuè liberandos asserebant. Alii *eos tantùm qui Christi Baptismate ablutii, participes corporis ejus facti fuerant, in quacumque hæresi vel impietate fuerint*. Alii solos Catholicos. Alii eos solos qui in Ecclesia Catholica perseverassent, *quamvis in ea malè viventes*. Alii denique putabant *eos tantummodo arsuros illius æternitate supplicii, qui pro peccatis suis facere dignas eleemosynas negligunt*: juxta illud Apostoli Jacobi: *Judicium autem sine misericordia, illi qui non fecerit misericordiam*. Hos omnes solidè more suo refellit ibidem sanctus Doctor. Jac. 2. v. 13.

CALVINUS.

Calvinus toto passim Opere de æterna Dei prædestinatione docet, *Deum nolle omnes homines salvos fieri*. Eadem ad fastidium inculcat toto Libro de occulta Dei providentia; ac rursus idem argumentum versat Lib. 3. Inst. c. 24. n. 16. ubi Catholicorum argumenta aut eludit, aut miserè depravat, & ad eas interpretationes detorquet, quæ voluntatem illam Dei ad solos electos restringunt ac limitant.

Non satis constare sibi videtur Calvinus, ut statuat an illa Dei voluntas, qua ex ejus mente Deus non vult omnes homines salvos fieri, prior sit, vel posterior prævisione peccati originalis. Aliquando enim priorem, & ab omni peccati prævisione suspensam illam esse, supponere videtur. *Non pari conditione creantur omnes*, inquit ille citato L. 3. Inst. c. 21. n. 5. *sed aliis vita æterna, aliis damnatio æterna præordinatur. Itaque prout in alterutrum finem quisque conditus est, ita vel ad vitam vel ad mortem prædestinatum dicimus*. Eodem tamen capite n. 7. videtur supponere reprobationem in demeritis subnixam esse. *Hoc consilium*, inquit, *quoad electos in gratuita ejus misericordia fundatum esse asserimus, nullo humanæ dignitatis respectu: quos verò damnationi addicit, his justo quidem & irreprehensibili, sed incomprehensibili ipsius judicio vitæ aditum præcludi*. P. 337. P. 339.

Exilla porrò non satis fixa & perspecta Calvini sententia, duæ inter Calvinianos subortæ sunt Sectæ: una *Antelapsariorum* dicta, quòd nempe docerent, Deum ante lapsum hominis & eo sepositò, aliquos ad vitam, alios verò ad æternam mortem præordinasse: altera dicta *Postlapsariorum*, quæ post lapsum dumtaxat hominis, eoque supposito, docet, Deum aliquos nolle salvos fieri, sed æternis addicere suppliciis.

Multis Calvini discipulis durior & acerbior visa est prior sententia: quapropter ea rejecta, Calviniani ferè omnes contendunt voluntatem illam Dei ex Adami culpa suspensam esse, & cum ea necessariò conjunctam: qua culpa supposita dicunt, nec Christum pro omnibus fuisse mortuum, nec Deum velle omnes salvos fieri. Ita ferunt celeberrima Dordracenæ Synodi decreta an. 1618. cap. 2. art. 8. ubi mortem Christi ad solos electos restringunt. *Fuit enim*, ajunt, *hoc Dei Patris liberrimum consilium, & gratiosissima voluntas atque intentio, ut mortis pretiosissimæ filii sui vivifica & salvifica efficacia se se exerceret in omnibus electis, ad eos solos fide justificante donandos, & per eam ad salutem infallibiliter perducendos*. Acta Dordrac. p. 258.

Iisdem porrò rationibus ac motivis errorem illum tuentur Calvinistæ, quibus

quibus & ipsi Janseniani, omnem scilicèt Dei voluntatem efficacem esse, nec sine injuria infinitæ Dei potentiæ inefficacem, quæ vitio creaturæ non impleatur, admitti posse: nullus enim homo est qui ejus voluntati possit resistere. Rem dilucidè ac paucis expresserunt Janseniani in Gallico Catechismo de Gratia. Nam ad illam interrogationem 66. *Vultne Deus solos electos salvos fieri?* Respondet. *Ita: eos tantùm salvare vult, quos prædestinavit; at solos electos prædestinavit. Si vellet omnes ac singulos homines salvare, omnes reipsa salvarentur; quia omnia quæcumque vult in cœlo & in terra facit, nec est qui possit ejus resistere voluntati.* Illud porrò argumentum tritum ac vulgare est apud Calvinistas.

Urget illud acerrimè Theodorus Beza: *Si verè*, inquit, *& simpliciter Deus vellet omnes salvos fieri, omnes necessariò ad salutem perducerentur; quia voluntas ejus est omnipotentissima: at non omnes actualiter salvantur.* Urget quoque Hieronymus Zanchius, *Cum Dei volutas*, inquit, *nulla ratione impediri possit, & sit omnipotentissima; idcirco nullo modo dici potest, Deum simpliciter & propriè velle omnes in universum homines salvos fieri.* *In Apol. Colloq. Mompel. De præd. & ss. Th. esse 11. & 12.*

Petrus Molinæus cujus confessio ac votum refertur inter Acta Synodi Dordracenæ, distinctionem voluntatis antecedentis & consequentis, de qua S. Damascenus Lib. 2. Orthodoxæ fidei cap. 29. quam & ipsi usurpant Arminiani, inverecundè carpit ac fugillat: *Hæc doctrina*, inquit, *si quæ alia, in Deum est contumeliosa; eumque accusat insipientiæ, & humanis affectibus induit, eique affingit imbecillia vota & desiderium inefficax &c.* *Acta Synodi Dordr. p. 98.*

Nonne porrò hæc ipsamèt sunt absurda, quæ Sectatores Jansenii urgere solent adversùs antecedentem, inefficacem & conditionatam Dei pro salute omnium voluntatem? Tanta scilicèt est inter illos & Calvinianos in præsenti causa, & doctrinæ, & momentorum quibus eam muniunt, affinitas & consensio.

JANSENIUS.

Nulla in Jansenio sententia est, quæ magis à communi pietatis sensu abhorreat, & majorem in ipsum invidiam concitaverit, quàm ea, qua docet nec Deum verè ac propriè velle omnes homines salvos fieri; nec Christum pro omnibus, sed pro solis dumtaxat prædestinatis mortuum fuisse. Errorem hunc arte tanta, tot æquivocationibus, effugiis ac verbis in speciem Catholicis involvunt ac dissimulant Jansenii discipuli, vix ut in ipsis apertè detegi ac revinci possit. Accuratè igitur eorum evolvenda est ac discutienda sententia.

Jansenius Lib. 3. de Gratia Christi cap. 20. data opera exponit locum Apostoli, *Deus vult omnes homines salvos fieri.* Et cap. 21. expendit, quomodo Christus sit Redemptor omnium, pro omnibus crucifixus & mortuus. *Hoc argumentum*, inquit, *jam olim ad nauseam usque à Pelagianis, præsertimque Massilienſibus imculcatum fuit, ut mirum sit recentiores tanto studio trita hæreticorum arma colligere, & absoleta recudere.* Postquam verò c. 20. tres ex Augustino interpretationes protulit, quarum prima est, Deum per accommodam distributionem dici velle omnes salvos fieri, quia nullus nisi ex ejus voluntate salvus est; quo sensu Ludimagister dicitur omnes alicujus Oppidi pueros docere, non quòd omnes revera doceat, sed quòd quicunque docentur, ab eo doceantur. Secunda, ut vox ista, *omnes*, non pro singulis generum, *To. 3. p. 157. Ibid. p. 162. col. 1. B.*

sed

sed progeneribus singulorum usurpetur: ut sensus sit, Deum velle ut multi ex quacunque gente, notione, conditione, sexu, ætate salutem assequantur. Tertia, Deus dicitur omnes homines velle salvos fieri, non quòd revera id perse, & in se velit, sed quòd imperet & faciat id nos velle: qua ratione Spiritus sanctus Rom. 8. v. 15. dicitur, *interpellare pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, quia nos interpellare facit. Postquam, inquam, tres illas interpretationes protulit, de quarta, quæ voluntatem illam ad omnes extendit, ait, *nullam esse necessitatem, ad illam Pelagianis omnibus probatam expositionem confugere, quasi omne alioquin effugium intercluſum esset*. Ad Auctoritatem verò Græcorum, Chrysostomi, Oecumenii, Theophilacti, & aliorum qui interpretationem istam secuti sunt, *Nulli*, respondent, *imperfectiùs de gratia quàm Græci locuti sunt, nec ulla difficultas de gratia magis lubrica est, quàm ista, in cujus intelligentia & ipse Auguſtinus usque ad Episcopatum hallucinatus est*.

Ibid. p. 161. col. 1. B.

Ibid.

Ibidem non improbat, imò libenter amplectitur divisionem voluntatis Dei in antecedentem & consequentem quam excogitavit S. Joannes Damascenus Lib. 2. de fide orthodoxa c. 29. Unam vocat *primariam & bonitatis*, *quam Deus ex seipso in creaturis condendis concipit*: alteram *consequentem seu secundariam & justitiæ*, *quam propter superinductas ab hominibus circumstantias habere compellitur . . . . Significat ergo Damascenus*, ait Jansenius, *voluntatem quam Deus ex se concepit, quando humanum genus instituit, quæque omnia peccata hominis antecessit, fuisse bonitatis, ut homo gratiæ, salutis felicitatisque particeps fieret . . . . voluntatem autem consequentem esse justitiæ, qua peccatores diversis suppliciis plecti vult ac jubet. Sed talis antecedens voluntas*, pergit ibidem Jansenius, *quamdiu res sine accessoriis circumstantiis consideratur, aliquid ad causandam gratiam sufficientem, aliaque media necessaria procurandæ saluti facit, utpote ex qua gratia primorum hominum sufficiens fluxit. Sed postquam peccata jam ab hominibus inducta considerantur, antecedens voluntas in sola præcisione mentis, adeoque nuda quadam velleitate nihil omnino gratiæ causante, consistere potest. Quod ex eo manifestissimè patet, quia talem antecedentem voluntatem etiam erga damnatas creaturas sive hominum sive Angelorum Deus habet*. Addit ibidem, *doctrinam Damasceni de antecedente salutis omnium voluntate nihil omnino recentioribus prodesse, ut quæ optimè cum negandæ salutis & gratiæ sufficientis voluntate consistit*. Quibus verbis innuit Jansenius, præsentis quæstionis punctum in eo non esse utrum sit in Deo voluntas antecedens pro salute omnium, quod non negat Jansenius, sed utrum ex illa defluant gratiæ verè sufficientes, quod negat.

Ibid. E.

Ib. col. 2. A.

Ibid. B.

Ibid. D.

Docet igitur eò loci Jansenius

I. Voluntatem illam Dei antecedentem pro salute omnium hominum; quæ dicitur *bonitatis* & *creationis*, terminari ad hominem præcisè in se, ut creatura est, abstractione facta lapsus illius in peccatum.

II. Voluntatem illam sterilem & otiosam non esse, sed actuosam, ex qua movetur Deus ad conferenda media saluti procurandæ necessaria, *unde gratia sufficiens primorum hominum fluxit*.

III. Post lapsum hominis, & considerato ejus peccato, *Voluntatem illam in sola præcisione mentis consistere; adeoque in nuda quadam velleitate nihil omnino gratiæ causante*.

IV. Ta-

IV. *Talem antecedentem voluntatem etiam erga damnatas creaturas ſive hominum ſive Angelorum Deum habere.*

V. Denique, recentioribus nihil omnino prodeſſe doctrinam S. Damaſceni de voluntate Dei antecedente; quia illa etiam admiſſa, rectè ſtat Deum nolle hominem ſalvare, & veram ipſi ſufficientem gratiam concedere.

Ex his inferunt multi, Janſenium in eo præcisè hic erraſſe, quòd nullam veram, beneplaciti & actuoſam pro ſalute omnium hominum voluntatem antecedentem in Deo agnoverit. Iſtum revera ſenſum apertè indicare videntur verba ex ipſo mox relata.

Verùm aliis in locis videtur Janſenius paulò temperaſſe quod duriùs ſcripſerat; & agnoviſſe voluntatem illam Dei antecedentem non eſſe planè ſterilem & otioſam. Namque eodem Lib. 3. de Gratia Chriſti c. 17. docet, per illam voluntatem Deum paratum eſſe dare omnibus eam gratiam quam ante peccatum homini innocenti dederat. *Non ſufficit*, inquit, *prior gratia quam ante peccatum Deus homini conferebat, & etiamnum omnibus conferre paratus eſt, ſi voluntatem ejus uſui ſufficientem reperiret.* Porrò ut Dei voluntas antecedens activa dicatur, ſufficit quòd parata ſit omnibus aliqua divinæ gratiæ auxilia impertiri. Unde paulò poſt ſic pergit Janſenius: *Non eſt*, inquit, *illuſoria Dei vocatio, & admonitio, & increpatio, & correctio .... Tribuit enim quidquid creaturæ rationali à ſe conditæ ad audiendam ſequendamque vocem ſuam neceſſarium fuit.* Capite verò 27. Lib. 2. de Gratia Chriſti, ait, *multos divinæ gratiæ motibus in voluntate percelli, qui tamen ab ejus interna ſuaſione & inclinatione diſſentiunt.* Deus porrò aliqua voluntate vult & intendit illud opus bonum ad quod provocat interna gratiæ ſuæ ſuaſione. Illa autem voluntas eſt tantùm antecedens, neque penitùs otioſa & ſterilis.

Ibid. p. 153. col. 8. E.

Ibid. p. 154. col. 1. B.

Ibid. p. 86. col. 2. D. E.

Dicere igitur quis poſſet Janſenium non omnino negaſſe omnem in Deo pro ſalute omnium voluntatem veram & aliquo etiam ſenſu activam.

Neque deſunt momenta quibus iſtud ſuaderi poſſit.

I. Hæc ipſa voluntas antecedens, qua Deus ante peccatum & in ſtatu innocentiæ voluit omnes ſalvos fieri, etiam in ſtatu præſenti perſeverat: neque enim mutatur Dei voluntas quæ ſemper ex ſe fertur ad id omne quod rectum ac juſtum eſt, qualis eſt in ſe ſalus hominum; ergo eodem modo jam activa eſt illa voluntas, quo fuit in ſtatu naturæ innocentis. Janſenius porrò agnoſcit ante peccatum Deum voluntate antecedente voluiſſe omnes ſalvos fieri, eiſque ſuppeditaſſe media ſaluti aſſequendæ neceſſaria; ergo neceſſe eſt fateatur eandem jam ſuperſtitem eſſe ac perſeverare voluntatem. Cùm igitur c. 20. & 21. Lib. 3. citati dixit, *antecedentem voluntatem in ſola præciſione mentis & nuda velleitate nihil omnino gratiæ cauſante, tam in hominibus, quàm in damnatis Angelis conſiſtere*, intelligi poteſt de gratia quæ cum effectu conjungatur, ſeu quantùm ad efficacem & abſolutam ſalutis aſſecutionem: quia reipſa, virtute voluntatis hujus antecedentis, non magis ſalutem aſſequuntur reprobi in via adhuc conſtituti, quàm damnati in inferis recluſi.

II. Syſtemati Janſeniano nullatenus eſſentiale ac neceſſarium eſt, ut diximus agendo de gratia, negare aliquam eſſe in Deo antecedentem pro ſalute omnium voluntatem: atque ſalvum & integrum ſtat illud ſyſtema, ſive aſſeratur, ſive rejiciatur hujuſmodi voluntas. Iſtud quippe unum cum illo neceſſariò connexum eſt, quòd gratiæ parvæ quas Deus reprobis largitur, viribus impares

impares ac insufficientes sint relativè ad eorum concupiscentiam superandam; adeo ut nullus reprobus salvari possit. Sive autem dicatur voluntas illa Dei antecedens pro salute omnium, beneplaciti, realis, & non puræ complacentiæ, sive tantùm signi, metaphorica & omninò sterilis; perinde est in Jansenianò systemate. Error in eo versatur, quòd (ut diximus) gratiæ parvæ, quas Deus virtute voluntatis antecedentis paratus est dare, inferiores sint, impares & insufficientes domandæ hujusce statûs concupiscentiæ. Sensum hunc apertè Jansenius expressit, cùm dixit Lib. 3. de Gratia Christi c. 17. *non sufficere priorem gratiam, quam ante peccatum Deus homini conferebat, & etiamnum omnibus conferre paratus est, si voluntatem ejus usui sufficientem reperiret.* Duo hic ait Jansenius: primum, Deum paratum jam esse gratiam prioris statûs etiam nobis conferre; ergo agnoscit etiamnum esse in Deo voluntatem illam antecedentem salvandi omnes, eamque non planè otiosam, sed activam esse. Alterum, gratiam illam quam paratus est dare, *usui voluntatis sufficientem non esse*: hoc est, talem, qua voluntas, superiori dominante concupiscentia, ad opus bonum, & ad salutem uti non possit.

Ibid. p. 155 col. 2. E.

III. Vim hujusce momenti sentiunt ac fatentur, quibus datum est intima Jansenianæ doctrinæ arcana & mysteria penetrare, fideliſſimi ejus discipuli Paulus Irenæus, Dionysius Raymundus, auctores quinque Articulorum: illi quippe omnes ultro agnoscunt Deum vera & reali voluntate etiam nunc omnium velle salutem. Quid ita? Quia probè norunt voluntatem illam rectè cohærere cum systemate Jansenii.

D. Nicole Jansenii discipuli agnoscere videntur veram esse in Deo salvandi omnes voluntatem.

Paulus Irenæus disp. 6. art. 8. ad calcem Diar. p. 267. col. 1. rem totam his verbis dilucidè exponit: *Ista*, inquit, *voluntas antecedens non eò solùm pertinet, ut Deus abstrahendo ab hominis lapsu, salutem omnium, quatenus homines sunt, optare dicitur; sed generatim antecedens Dei voluntas fertur in id quod rectum, quod justum, quod bonum secundùm se est. Ita quia rectum est hominem converti, pœnitentiam agere, bonitatem Dei non contemnere, gratias ejus non respuere, ad Sacramenta accedere; hæc omnia antecedente voluntate censetur Deus velle, licèt spectatis singulis circumstantiis, non decreverit singulis efficaces gratias conferre, quibus ad salutem certò perveniunt, sine quibus certò ab salute excidunt. Ergo non eo solùm nomine antecedenti voluntate Deus omnium hominum salutem optat, quia omnes creaturas rationales ad beatitudinem fecit; sed etiam quia cùm permultas gratias vel externas vel internas in reprobos diffundat, quibus injustum est eos abuti, iisdemque aditum ad Ecclesiam suam patere velit, antecedente voluntate velle censetur omnes ad salutem pervenire, quia vellet ipsos obstinatos in malitia non manere.*

D. Girard.

Lege & Dionysium Raymundum 1. part. c. 6. art. 6. pag. 231. & seq. Et Epistolam ad Deckerium pro vindiciis Quenellii, pag. 51. 98. & 101.

Auctores quinque Articulorum Articulo quinto. *Veritati consentaneum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse ac sanguinem fudisse: tùm quia antecedenti voluntate salutem omnium voluit: tùm quia sufficiens pro omnibus pretium obtulit. Falsum autem est & hæreticum dicere, Christum pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuum esse; cùm multis reprobis, omnibusque adeo justificatis gratias, tradita à Thomistis notione, sufficientes meruerit, quibus ad salutem pervenire possent, quamvis nemo illis benè utatur & in accepta justitia perseveret, nisi uberioribus illis & efficacibus auxiliis adjuvetur.*

Constat

Conſtat ex iſtis Janſenianorum teſtimoniis, Deum voluntate antecedente etiam nunc velle omnium hominum ſalutem, *Quia vult id omne quod rectum, quod juſtum, quod bonum ſecundùm ſe eſt*; non tantùm voluntate ſigni, impropria & figurata, ſed vera & reali. Conſtat ex illa voluntate defluere in reprobos & omnes juſtificatos aliquas gratias non tantùm externas, ſed etiam internas. Conſtat denique, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, ac ſanguinem fudiſſe. Non immeritò igitur diximus, Janſenianum ſyſtema id neceſſariò non poſtulare, ut omnino excluditur antecedens Dei voluntas pro ſalute omnium: neque in eo præcisè doctrinæ Janſenianæ error ac falſitas collocari debet.

Quippe ſi ab ipſis ſectatoribus Janſenii poſtulaveris, utrum admittant in Deo antecedentem voluntatem ſalvandi omnes, non tantùm abſtractione facta a lapſu primi hominis, ſed etiam eo ſuppoſito: reſpondebunt ſe admittere; quia tali voluntate Deus vult quidquid in ſe bonum ac rectum eſt. Rurſus ſi quæſieris an ea voluntas ſit activa? Reponent activam eſſe, ex qua Deus hominibus concedit, aut ſaltem dare paratus eſt gratias aliquas non tantùm externas, ſed etiam internas. Iterum ſi rogaveris utrum illæ gratiæ poſſint hominem perducere ad ſalutem? Etiam affirmabunt; atſolita fraude & æquivocatione: nempe gratias illas abſolutè ac in ſe ſpectatas id poſſe, non verò relativè ad præſentes ſubjecti circumſtantias; atque in eo propriè verſatur error. Denique ſi poſtulaverisan illa Dei voluntas antecedens ſit vera, realis & beneplaciti; an verò tantùm ſigni, ſeu figurata & metaphorica: utrumque perinde & promiſcuè affirmabunt. Veram dicent & beneplaciti, quia Deus verè & internè vult quidquid in ſe bonum eſt. Figuratam etiam & ſigni voluntatem appellabunt, nempe reſpectu affectionis finis: quia ſcilicet ex iſta voluntate, quocunque tandem nomine donetur, nullus unquam ſalutem aſſequitur. Atque hoc reſpectu perinde eſt ac ſi nulla, vel meri ſigni foret voluntas. Quapropter Janſenius, ut jam diximus, Lib. 3. de Gratia Chriſti c. 20. loquens de ſententia S. Joannis Damaſceni, eam quidem non rejicit, ſed contendit recentioribus inutilem eſſe. *Nihil omnino*, inquit, *hæc doctrina Damaſceni de antecedente ſalutis omnium voluntate recentioribus prodeſt; ut quæ optimè cum negandæ ſalutis & gratiæ ſufficientis voluntate conſtitit.*

Quot modis Janſeniani eludât dogma Catholicum voluntatis Dei pro ſalute omniũ, & mortis Chriſti pro omnibus.

To. 3. p. 161. col. 2. D.

Non minori arte ac dolo incautos fallunt circa mortem Chriſti pro omnibus: diceres eos nobiſcum catholicè prorſus ſentire. Interrogati utrum exiſtiment Chriſtum pro omnibus mortuum fuiſſe? Ultro concedent: *Mortuus enim eſt*, ait Janſenius L. 3. de Gratia Chriſti cap. 21. *pro univerſa Eccleſia toto orbe diſperſa, & conſequenter pro omnibus generibus, Regibus, privatis, nobilibus, ignobilibus &c.* Si urgeantur, an mortuus fuerit etiam pro omnibus & ſingulis hominibus? Nec diffitebuntur: at intelligunt, quoad ſufficientiam pretii, & cauſæ communitatem, humanam ſcilicet naturam omnibus communem. Rurſus ſi poſtulaveris, an etiam quoad intentionem ſeu oblationem pretii ſanguinis, Chriſtus pro ſalute tantùm prædeſtinatorum mortuus fuerit? Reſpondebunt hæreticum eſſe id affirmare; ſed quo ſenſu? quia etiam mortuus eſt pro temporalibus gratiæ auxiliis, quæ nonnullis reprobis ſaltem fidelibus conceduntur, qui tamen non ſalvantur: atque fatetur imſemet Janſenius, *phraſim iſtam, qua quis dicitur ſe pro aliquo redemptionem dare præ ſe ferre redemptionem, ex redimentis animo in uſum ac libe-*

Ibid. p. 163. col. 1. A.

Ibid. p. 162. col. 2. E.

ratio-

rationem captivorum offerri ac dirigi . . . alioquin dici posset Christus etiam mortuus pro dæmonibus, quibus redimendis sine dubio pretium sanguinis ejus fuit sufficiens. Si verò instes, gratias illas temporales non alio consilio seu non alia intentione à Christo reprobis concedi, quàm ut salvi esse possint; quia gratia semen est gloriæ ad quam tendit & ordinatur: reponent, isto revera sensu Christum dici posse mortuum pro salute reproborum, quia illis meruit gratias quæ ex se, seu absolutè spectatæ & in aliis circunstantiis, possent hominem ad vitam perducere: sed quæ relativè ad præsentes concupiscentiæ superioris circumstantias non possunt.

Denique non inviti fatebuntur reipsa voluisse Christum eorum, qui pereunt, salutem: at ea, inquient, voluntate, quæ non rationis est, sed naturæ; id est, voluit motu naturalis cujusdam compassionis ortæ ex ipsa naturæ nostræ infirmitate: eo ferè modo quo imminente morte, tædii ac timoris sensum pro infirmitate naturæ humanæ expertus fuit.

His solitis artibus & æquivocationibus sese illi perpetuò involvunt, illudunt Catholicis; ac nisi pressiùs coarctentur, ex eorum manibus elabuntur.

In quo igitur, inquies, præcisè constitit error Jansenianorum circa voluntatem Dei salvandi omnes, & mortem Christi pro omnibus?

Resp. In eo quòd auxilia gratiæ, quæ Deus ex voluntate antecedente fidelibus reprobis concedit, vires pares & verè sufficientes non conferant, ut hìc & nunc oppositam concupiscentiam superare possint.

Ratio aperta est. Quia gratia illa quæ virtute antecedentis voluntatis datur, est gratia propria innocentis naturæ: hujusmodi porrò gratia, in mente Jansenii, jam non sufficit, nec idonea est, utpote debilior oppugnandæ superiori concupiscentiæ; seu, ut loquitur Jansenius, *Voluntas ejus usui sufficiens non est.* In eo etiam fallitur Jansenius, quòd existimet voluntatem Dei antecedentem abstrahere ab omnibus planè circumstantiis, etiam naturæ lapsæ: è contra S. Thomas docet eam abstrahere dumtaxat à circumstantiis personæ, consensu nimirum vel dissensu gratiæ.

Pariter error circa mortem Christi in eo versatur, quòd pro omnibus ea intentione mortuus non fuerit, ut gratias mereretur quibus omnes possent æternam salutem consequi: quia nempe non omnibus, sed solis prædestinatis confert gratias illas sufficientes, seu delectationem illam cœlestem, superiorem ac victricem, quæ sola potest ad salutem perducere, & in qua Jansenius virtutem sufficientem & efficaciam gratiæ reponit.

SCHOLASTICI.

Multos Ecclesiasticos Scriptores, ac Scholæ præsertim Thomisticæ Theologos in erroris sui defensionem appellare solent Jansenii discipuli: quasi illi omnes docuerint, Deum non alios, quàm prædestinatos, velle salvos fieri; atque Christum pro iis solis sanguinis sui pretium Deo Patri obtulisse. Majoris claritatis causa Theologos illos ad varias Classes revocant.

I. Ad eos qui nullam in Deo esse omnium hominum salvandorum voluntatem definiunt præter efficacem: quique idcirco hunc locum Apostoli, *Deus*

vult

vult omnes homines salvos fieri, ad solos prædestinatos referunt; & verba ista per accommodam distributionem, aut de generibus singulorum, non de singulis generum interpretantur.

II. Qui voluntatem hanc putant non extendi ad parvulos, quibus nulla humana industria potest applicari Baptismus; quales ii sunt qui in utero materno extinguuntur.

III. Qui nullam aliam esse existimant omnium salvandorum Dei voluntatem, quàm signi.

IV. Qui antecedentem quidem agnoscunt voluntatem; verùm eam sic explicant, ut non versetur circa salutem ipsam, sed tantùm circa ea quæ salutem antecedunt.

V. Ad eos qui solum inesse Deo opinantur erga omnium hominum salutem complacentiæ amorem.

VI. Denique, ad eos qui hujusmodi voluntatem Deo non propriè, sed metaphoricè tantùm adscribi posse; in eoque non formaliter, sed dumtaxat eminenter illam esse decernunt.

Momenta hæc fusè prosequitur Auctor recentior in Tractatu de divinis Attributis T. 3. à pag. 1091. usque ad pag. 1166. quæ cùm ille non dissolvat nec diluat, non levem suspicionem injicit, quæstionem istam sibi problematicam visam esse; atque ea ipsa SS. Patrum testimonia, quæ profert, ut asserat *Deum omnes homines in statu naturæ corruptæ velle salvos fieri*, aliquo ex modis, quos ille recenset, exponi ac eludi posse; unde sequitur, doctrinam fidei circa præsens argumentum quasi in suspenso esse, & ad merum problema deduci: quo quid absurdius, & in Religione periculosum magis? Pagina 1084.

His verò præmissis, sit

PRIMA CONCLUSIO.

Deus omnes sive Angelos, sive homines in statu innocentiæ verè ac sincerè salvos fieri voluit. Est contra Estium in 1. Sent. dist. 46. parag. 3. n. 4.

Probatur: Quia eos Deus vera & sincera voluntate vult salvos fieri, quibus auxilia gratiæ saluti assequendæ necessaria subministrat: quo enim consilio, quove fine media illa salutis conferret, nisi quantùm in se est, vellet eos ad salutem pervenire? Atqui Q. 2. hujus Tractatus Art. 1. demonstratum à nobis fuit, Angelis & Adamo innocenti concessum à Deo gratiæ auxilium, quo, si voluissent, in accepta justitia perseverassent. *Tunc ergo*, ait S. Augustinus Lib. de corrept. & grat. cap. 11. num. 32. *dederat homini Deus bonam voluntatem, in illa quippè eum fecerat rectum: dederat adjutorium, sine quo in ea non posset permanere si vellet; ut autem vellet, in eius libero reliquit arbitrio.... Si autem hoc adjutorium vel Angelo vel homini, cùm primùm facti sunt, defuisset; quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio posset manere si vellet, non utique sua culpa cecidissent: adjutorium quippè defuisset, sine quo manere non possent.* T. 10. p. 767. F. p. 768. A. B.

Sententiam hanc ultro amplectuntur Jansenius, & quotquot cum ipso discrimen gratiæ utriusque status admittunt. *Habuit igitur*, ait Jansenius Lib. 10. de gratia Christi cap. 1. *Deus generalem voluntatem benevolentiæ erga omnes*, Tom. 3. p. 419. col. 1. B. C.

nes, ex qua, quantùm in se est, omnium beatitudinem æternam voluit, omnibusque propterea beatitudinis consequendæ media sufficientissima largitus est.

Mira hic, nec tacenda, Jansenianorum pugna & contradictio. Scilicet ferre illi non possunt admitti in Deo pro præsenti naturæ corruptæ statu voluntatem inefficacem & conditionatam, cui homo resistat, quæ non impleatur, & suspensa sit ab aliqua conditione ex parte creaturæ: quasi Deus, inquiunt, omnipotens non foret, & conditionem expectare teneretur, quæ ab ipsomet dependet, quam dare & efficere potest si voluerit. Explodunt pariter gratiam versatilem libero voluntatis arbitrio permissam, qua videtur ipsis divinæ derogare potentiæ, ac Creatorem creaturæ subjicere &c. Atqui tamen hæc omnia illi agnoscunt & admittunt in statu innocentis naturæ: *Quantùm est in se*, ait Jansenius mox citatus, *Deus omnium beatitudinem voluit*. En vera & beneplaciti voluntas; inefficax tamen & conditionata, quæ impleta non fuit, cui pervicaciùs restitere Angeli mali, cæteris in accepta justitia perseverantibus. En quoque gratia versatilis libero Angelorum & Adami arbitrio permissa; qua bene usi sunt Angeli boni, cæteri verò, ut & Adamus ipse, non usi sunt. An dicent Jansenistæ ita detractum ac derogatum fuisse divinæ virtuti & omnipotentiæ in statu priori? Non puto. Desistant igitur Catholicos Theologos lacessere, ac tanquam reos violatæ Dei omnipotentiæ traducere, quòd hæc omnia in præsenti etiam statu admittant. Oculos convertant ad statum naturæ innocentis: scopulus ille est, ad quem omnia Jansenianorum argumenta contra voluntatem Dei inefficacem & conditionatam cui homo resistat, & contra gratiam hujusce status sufficientem libero voluntatis arbitrio permissam, allisa confringuntur.

Contradictionem hanc & pugnam sensit Estius, quam cùm voluit declinare, in aliud extremum longe gravius delapsus videtur. Nam que si Deus omnes Angelos salvare noluit, ut ille putat; ergo cum Calvino dicendum, Deum aliquas creaturas innoxias & innocentes ad æternum exitium creare voluisse: atque nonnisi irrisorie & illudendo, gratias illis aliquas contulisse, quibus nolebat ut ad beatitudinem pervenirent. Ista sunt extrema, in quæ hinc & inde prolabuntur, quicunque à regia, trita & communi Orthodoxorum via deflectunt.

SECUNDA CONCLUSIO.

Certa fide tenendum est, Deum vera, interna & formali voluntate alios velle salvos fieri, quàm prædestinatos; & Christum non pro solis prædestinatis mortuum ac sanguinis sui pretium Deo Patri obtulisse; sed etiam pro aliis, saltem fidelibus qui per Baptismum gratiam justificantem seu sanctificantem adepti sunt.

Duæ sunt Conclusionis partes sigillatim probandæ.

Probatur prima pars Conclusionis.

I. Ex Scripturis, & primò quidem ex collatis simul versibus 39. & 40. capitis 6. S. Joannis, cum versu 12. capitis 17. Sic enim legitur cap. 6. *Hæc est autem voluntas ejus qui misit me Patris, ut omne quod dedit mihi non perdam*

ex

ex eo, ſed reſuſcitem illud in noviſſimo die. Hæc eſt autem voluntas Patris mei qui miſit me: ut omnis qui videt Filium & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die. Cap. 17. v. 12. dicitur: *Quos dediſti mihi, cuſtodivi: & nemo ex eis periit, niſi filius perditionis.* V. 6. ejuſdem capitis Chriſtus dixerat: *Manifeſtavi nomen tuum hominibus quos dediſti mihi de mundo. Tui erant, & mihi eos dediſti, & ſermonem tuum ſervaverunt.* Et v. 24. *Pater, quos dediſti mihi, volo ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum: ut videant claritatem meam quam dediſti mihi.* Ex his teſtimoniis conſequens eſt filium perditionis, nempè Judam, unum fuiſſe ex iis, quos Deus Pater Filio ſuo dederat, ut haberent vitam æternam, & ut viderent claritatem Chriſti in cœlum aſſumpti. Datur ergo voluntas in Deo ſalvandi alios quàm prædeſtinatos; eos ſcilicet quos Pater Filio ſuo dederat ut ſalvi eſſent: porrò illi omnes ſalutem non ſunt aſſecuti.

Nihil non tentarunt poſt Euium Janſeniani ut vim hujus argumenti eluderent. Particulam, *niſi*, quæ legitur in textu laudato, *Nemo ex iis periit, niſi filius perditionis*, auctoritate ſua inverterunt in particulam adverſativam, *ſed*; quaſi dictum à Chriſto fuiſſet, Nemo ex eis quos dediſti mihi periit: ſed tantùm filius perditionis qui ex illis non erat. Sicque illa contra fidem tùm latini, tùm græci textus gallicè reddiderunt in verſione Montenſi, *J'ai conſervè ceux que m'avez donnè; & nul d'eux ne s'eſt perdu: mais celui-la ſeulement qui etoit enfant de perdition.* Nemo non videt quo conſilio particulam, *niſi*, ſic detorqueant, ne ſcilicet Judas unus inveniatur ex iis quos Deus Chriſto dederat, ut haberent vitam æternam. Vide quæ circa illam textus citati perverſam interpretationem ſcripſit eruditus Theologus in Libro cui titulus gallicè, *Obſervations ſur la nouvelle defenſe de la verſion Francoiſe de Mons*. Obſervation ſeconde. Vide & diſputationem Theologicam de prædeſtinatione hominum ad gloriam, auctore P. Carolo Joſeph, Tricaſſino Concionatore Capucino parag. 5. ſecundæ partis puncto 1. 2. & 3.

II. 1. ad Theſſal. 5. v. 9. & 10. *Non poſuit nos Deus in iram, ſed in acquiſitionem ſalutis per Dominum noſtrum J. C. qui mortuus eſt pronobis.* Nihil hoc teſtimonio clarius. Ibi enim agitur de voluntate Dei præparationem mediorum includente, quæ non tantùm ad prædeſtinatos, (neque enim Theſſalonicenſes, ad quos ſcribebat Apoſtolus, omnes prædeſtinati erant) ſed etiam ad quoſdam reprobos extenditur.

Mitto aliâ plura, imprimis celebre illud Joan. 3. v. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret: ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Certè vox iſta, *mundus*, ad ſolos prædeſtinatos reſtringi non poteſt, cùm ad eos omnes qui credunt in Chriſtum, ibi referatur.

Probatur 2. auctoritate Conciliorum quibus damnati ſunt priores ac poſteriores Prædeſtinatiani, qui docebant pro ſolis prædeſtinatis ſalvandis Deum Filium ſuum in hunc mundum miſiſſe, eorumque tantùm velle ſalutem.

Ita Concilium Arelatenſe, in quo probata fuit Fauſti Regienſis Epiſtola ad Lucidum Presbyterum; Lugdunenſe, in quo probata pariter fuit Epiſtola Lucidi revocantis errores ſuos; Moguntinum, Cariſiacum, Tullenſe, Valentinum, de quibus ſuo loco diximus.

Probatur 3. auctoritate SS. Patrum. Sufficiet hic referre quæ in citatum S. Joannis textum, unde argumentum deſumpſimus, ſcripſerunt.

S. Auguſtinus Tract. 106. in Joan. in hæc verba capitis 17. *Manifeſtavi*

nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo, ait: *Quamquam & hæc omnia de futuris omnibus fidelibus dici potuerunt spe tam perfecta, cùm adhuc essent futura: sed ut de his solis quos tunc habebat discipulis, hæc loqui intelligatur, illud magis urget quod paulò post ait, Cùm essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo: quos dedisti mihi custodivi, & nemo ex eis periit nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur, Judam significans qui tradidit eum: ex isto quippe duodenario numero Apostolorum solus periit.* Non poterat clariùs sanctus Doctor Jansenianam hujus loci versionem confodere.

In eundem Joannis locum Venerabilis Beda citata Augustini verba tran-
To.5 p. 791. n. 10. scribit; ex quibus duo habes. 1. Omnes fideles Christo à Patre dari. 2. Ipsum Judam filium perditionis datum fuisse Christo.

S. Chrysostomus hom. 44. in 6. caput S. Joan. sic loquitur. *Sed quid sibi vult ea particula, Omne quod dat mihi Pater ad me veniet? Eorum tangit incredu-*
Pagina 230. C. *litatem, ostendens quòd qui non credunt, non se tantùm, sed & Patrem offendunt, & ejus transgrediuntur voluntatem: non tamen tam apertè id dicit, ut semper facit: quòd si hæc ejus voluntas est, & propterea venit, ut salvum hominem faceret; qui non credunt, eum oppugnant. Cùm enim Pater*, inquit, *aliquem dirigit, nihil prohibet eum ad me venire.*

Tam apertum Chrysostomi dictum eleganter exprimit S. Th. in caput 6. S. Joannis Lectione 4. In hæc verba, *Eum qui venit ad me non ejiciam foras:*
To. 16. pa. 357. col. 2. B. *quia descendi de cœlo non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me*, sic habet sanctus Doctor: *Secundùm Chrysostomum verò sic ideò non ejicio foras eum qui venit ad me, quia ad hoc veni ut impleam voluntatem Patris de salute hominum. Si ergo pro salute hominum incarnatus sum, quomodo debeo eos ejicere? Et hoc est quod dicit, Ideò non ejicio, quia descendi de cœlo non ut faciam voluntatem meam . . . . . sed voluntatem ejus qui misit me Patris qui vult omnes salvos fieri.*

Theophilactus in caput 6. S. Joan. *Ostendens autem*, inquit, *quòd fides*
Pagina 648. A. *in Christum non vulgaris quædam res sit, sed donum Dei dignis & rectis corde à Patre datum, dicit quòd omne quod dat mihi Pater, ad me veniet, hoc est, illi credent in me, quos dat mihi Pater. Vos autem Judæi, cùm indigni sitis, non dum mihi à Patre: propterea neque venitis ad me, neque habetis rectum cor, ut vos diligens Deus & Pater ducat ad meam fidem.* In mente igitur Theophilacti, eos Pater Christo dat, quos ad ipsius fidem ducit; ergo omnes fideles, non soli prædestinati dati sunt Christo. Et paulò post idem auctor sic loquitur: *Igitur ego*, inquit, *non perdam quos dat mihi Pater, hoc est, eos qui credunt*
Ibid. E. *mihi.* Et in hæc capitis 17. Joan. verba. *Quos dedisti mihi custodivi, & nemo ex eis periit nisi filius perditionis*, ait, *Quomodo, ò Domine, nullum perdidisti,*
Ibid. p. 800. E. *cùm & Judas perierit, multique alii retroceserint? Quantùm ad me attinet, inquit, nullum perdidi: quantùm in me fuit nullum amisi; sed servavi eos, hoc est, omnibus modis eos custodivi.* Vides secundùm Theophilactum, Judam unum fuisse ex iis, quos sibi datos à Patre tanta cura se custodiisse Christus testatur.

S. Cyrillus Alexandrinus Lib. 3. Commentarii in Joan. in hæc verba, *Et*
To. 4. p. 327. *eum qui venit ad me non ejiciam foras*, sic loquitur: *Non inutilem fore dicit* (Christus) *iis qui ad ipsum veniunt, conversionem per fidem.* Igitur in mente sancti Doctoris, fideles omnes veniunt ad Christum ipsique dati sunt. Et Lib. 11. Ejusdem Commentarii, in hæc verba, *Quos dedisti mihi custodivi eos*,

& ne-

& nemo ex eis periit nisi filius perditionis, hæc habet: *Suos verò discipulos ita servaße ait, tantamque eorum curam habuisse, ut nemo præter unum perierit.* Et in hæc verba: *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego illic sint*, ait: *Volo igitur, ô Pater, ut qui ad te per fidem accedunt, & qui per tuam illuminationem mei facti sunt, (id est fideles) mecum sint, & meam claritatem videant.* Rursus intelligis S. Cyrillum per eos qui à Patre Christo dati sunt, intelligere fideles. *Ibid. p. 975. B.* *Ibid. p. 1003. D.*

S. Thomas in caput 6. S. Joan. Lect. 4. ad hæc verba, *Omne quod dat mihi Pater ad me veniet, Id est*, inquit, *qui in me credunt, quos Pater mihi facit adhærere ex dono suo.* Et in caput 17. Lect. 3. hæc Christi verba proponens, *Nemo ex eis periit nisi filius perditionis. Efficacia*, inquit, *custodia est perfecta, quia nemo ex eis periit.... sed ab efficacia excipitur unus, scilicet filius perditionis, scilicet Judax.* Ergo in mente S. Thomæ, Judas unus erat ex iis quos Pater Christo dederat. *To. 16. p. 356. col. 2. E.* *Ibid. p. 508. col 1. E.*

His testimoniis & aliis hujusmodi benè multis, quæ brevitatis causa omittimus, manifestum est, omnes fideles à Patre Christo datos fuisse: Atqui Deus vult salvos fieri omnes quos Christo dedit: *Nam hæc est*, ait Christus Joan. 6. v. 39. *voluntas eius qui misit me Patris, ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die.* Ergo Deus vult alios à prædestinatis salvos fieri: neque enim omnes fideles sunt prædestinati.

Probatur secunda pars Conclusionis.

I. Ex Scripturis. Joan. 17. v. 20. *Non pro eis autem rogo tantùm, sed & pro iis qui credituri sunt per verbum eorum in me.* Porrò omnes qui credunt in Christum non sunt prædestinati; ergo pro aliorum quàm prædestinatorum salute Christus oravit.

Rom. 8. v. 31. & 32. *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Textum hunc non de prædestinatis tantùm intelligi, sed ad omnes justos extendi, probant infinita SS. Patrum, Augustini præsertim testimonia, quæ refert Auctor Libri cui titulus, *Sentimens de S. Augustin sur la grace, opposés à ceux de Janſenius, premiere partie.*

Rom. 14. v. 15. *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est.* Et 1. Corinth. 8. v. 11. *Peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est?* Frater autem ille de quo Apostolus loquitur, est individuum indeterminatum, seu quicumque frater in fide infirmus occurrens. An dicent adversarii existimare S. Paulum, ad numerum prædestinatorum pertinere individuum vagum, seu quemcumque Christianum in fide infirmum? Præterea ex ipso contextu patet, Apostolum anxium esse de salute illius fratris; ergo pro illo censebat Christum mortuum fuisse, quem tamen pro prædestinato certissimè non habebat.

Primæ ad Timoth. 4. v. 10. *Speramus in Deum vivum, qui est Salvator omnium hominum maximè fidelium.*

Probatur 2. ex Conciliis quibus damnati sunt Prædestinatiani, qui contendebant Christum pro solis prædestinatis mortuum fuisse, & sanguinis sui pretium Deo Patri obtulisse.

3. Ex doctrina Concilii Tridentini, unde duplex argumentum ducimus.

Primum: Concilium ſeſſ. 6. de juſtificatione cap. 11. docet Dei præcepta hominis juſtificato ad obſervandum impoſſibilia non eſſe: *Nam Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis.* Un-
To. 14. Conc. p. 761. B. de perſpicuum fit mentem Concilii eſſe, Chriſtum ſanguinem ſuum fudiſſe ac Deo Patri obtuliſſe pro illis ſufficientibus gratiæ auxiliis quæ juſtis conceduntur; ac conſequenter pro aliorum, quàm prædeſtinatorum ſalute mortuum fuiſſe. Ita Hallerius in Memoriali, de quo mox dicemus.

Secundum argumentum: Concilium Tridentinum iis qui baptizantur, & juſtificantem obtinent gratiam, proponit tanquam finem ſeu objectum juſtificationis vitam æternam; variaſque ab illis prævias diſpoſitiones exigit, inter quas hæc una eſt, ut *accedentes ad Deum credant quia eſt, & quòd inquirentibus ſe remunerator ſit. Diſponuntur autem*, ait Concilium cap. 6. *ad ipſam juſtitiam, dum excitati divina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera eſſe, quæ divinitùs revelata & promiſſa ſunt.... fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore, illumque tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt.... Denique dum proponunt ſuſcipere Baptiſmum, inchoare novam vitam & ſervare divina mandata: de hac diſpoſitione ſcriptum eſt, Accedentem ad Deum oportet credere quia eſt, & quòd inquirentibus ſe remunerator ſit.*
Ibid. p. 758. E.

Et cap. 7. ait, *juſtificationis cauſam finalem eſſe gloriam Dei & Chriſti, ac vitam æternam..... Hanc fidem*, pergit ibidem Concilium, *ante Baptiſmi Sacramentum ex Apoſtolorum traditione Catechumeni ab Eccleſia petunt, cùm petunt fidem, vitam æternam præſtantem, quam ſine ſpe & charitate fides præſtare non poteſt.*
Ibid. p. 760. A.

Docet hic Synodus Tridentina, eos qui ad Sacramentum Baptiſmi accedunt, credere debere vera eſſe quæ divinitùs revelata & promiſſa ſunt: revelata autem eſt ac promiſſa vita æterna iis *qui credunt quia Deus eſt, & quòd inquirentibus ſe remunerator ſit.* Ergo quicunque baptizantur tenentur credere ſibi tanquam fidei ac bonorum operum mercedem vitam æternam proponi, *quæ cauſa eſt finalis juſtificationis, & quam fides ipſa præſtat.* Ergo tenentur credere, & Deum velle ut ſalvi fiant; & Chriſtum pro illis eſſe mortuum: *fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore.* Ergo qui baptizantur, & ſiunt filii & hæredes Dei, cohæredes autem Chriſti, non tantùm ex ſpe, ſeu fiducia, ſed ex firma & certa fide credere tenentur, velle Deum ut ſalvi fiant, ac Chriſtum pro ſua ſalute mortuum fuiſſe. Spei quippè fundamentum, eſt fides, quæ dicitur *ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.* Hinc eſt quòd interrogatus qui ad Baptiſmum accedit, *utrum credat vitam æternam*, reſpondet: *Credo.* Quam quidem vitæ æternæ fidem ac promiſſionem in ſingulis Baptiſmi ritibus ſemper repetit Eccleſia, & ante oculos illius qui baptizatur vult ſemper obverſari.

Probatur 4. ex Conſtitutionibus Innoc. X. & Alexandri VII. quibus *ut impiam, blaſphemam, contumelioſam, divinæ pietati derogantem & hæreticam* proſcripſerunt hanc quintam Janſenii Propoſitionem, *Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe, eo ſenſu intellectam, ut Chriſtus pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum mortuus ſit.*
Recueil des Bulles, Pag. 81. & 144.

Ludunt hic more ſuo Janſeniani in exponenda iſta particula, *dumtaxat*; quaſi S. Pont. definierit, Chriſtum non eſſe mortuum dumtaxat ut ſalutem æternam

nam electorum sanguine suo mereretur; sed etiam ut ex reprobis nonnulli aliqua gratiæ adminicula, imò gratiam sanctificantem, consequerentur. Verùm hanc ipsorum fallaciam piget iterum referre, de qua jam fusè diximus, ubi de systemate Jansenii circa quintam propositionem. Unum tamen hìc observabo; nempè, quem volunt damnatæ Propositionis sensum, à nullo vel Catholico, vel hæretico Scriptore Jansenii Libro affixum unquam fuisse: unde consequens est, prætensum illum sensum non esse sensum Jansenii. Atqui tamen SS. Pontifices quintam illam Propositionem damnarunt in sensu Jansenii; ergo sensus ille alius est ab eo quem hìc confingunt. Et verò conceptis verbis Jansenius docet, Christum esse mortuum non tantùm pro salute prædestinatorum, sed etiam pro temporalibus gratiæ auxiliis, quibus nonnulli ex reprobis in hac vita donantur. Ergo non iste, sed alter in eo sensu proscriptus fuit, nempè mortuum esse Christum pro salute solorum prædestinatorum.

Appositè dixerat, pendente quinque Propositionum examine, Hallerius in Memoriali tunc S. Pontifici & Cardinalibus oblato, *Hoc sensu* (quòd pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit Christus) *examinata Propositione, intactæ relinquuntur difficultates quæ occurrunt aut circa infantes sine Baptismo decedentes, aut infideles, aut obduratos. Nam qui dicit Christum non pro solis prædestinatis esse mortuum, non dicit consequenter pro quolibet reprobo in particulari mortuum esse, sed sufficit quòd pro aliquibus saltem reprobis.* *Diarii de S. Amour p. 285. col. 2.*

Probatur 4. ex SS. Patribus, ex S. præsertim Augustino. Lib. 2. de Symbolo ad Catechumenos cap. 5. loquens de Herode Christum ad necem quærente, ait: *O mundè immunde, venit qui te redimat, & turbaris; & tunc eum vis perdere, quando ille te dispositi liberare.... Ille tibi annuntiat Deum hominem suscepisse pro te, & tu vis perdere eum qui venit redimere te.* *To. 6 p. 561. E.*

Tractatu 4. in Joan. de Judæis ad Christum non conversis hæc habet: *Populi autem spernentes propter superbiam suam humilitatem Dei, crucifixerunt Salvatorem suum, & fecerunt damnatorem suum.* *Tom. 3. p. 2. pa. 313. A.*

In Psal. 68. Enarr. 2. de Juda proditore: *Christus pati venerat*, inquit, *& punivit per quem passus est. Nam Judas traditor punitus est, & Christus crucifixus est: sed nos redemit sanguine suo, & punivit illum de pretio suo. Projecit enim pretium argenti, quo ab illo Dominus venditus erat; nec agnovit pretium quo ipse à Domino redemptus erat.* *To. 4. p. 707. B.*

Idem sanctus Doctor eodem loco sic loquitur; *De cruce cùm diceret* (Christus,) *Sitio, fidem illorum* (astantium qui certè non omnes fuere prædestinati) *quærebat, pro quibus dixerat, Pater, ignosce illis.* Pluribus in locis diserte asserit sanctus Doctor, pro omnibus justis mortuum esse Christum. De anima cujuslibet justi, quæ Christi sponsa est, sic loquitur in Psal. 122. *Sponsa est, & accepit arrham magnam sanguinem Sponsi.* Tract. 8. in Joan. *Habet ergo*, inquit, *hic sponsam quam redemit sanguine suo.... mortuus est propter delicta ejus.* In Psal. 148. *Attendamus ad indicium dilectionis. Promissionis Dei tales arras accepimus: tenemus mortem Christi, tenemus sanguinem Christi.* Et in Psal. 90. Serm. 2. *Tantum pignus dedit* (Sponsus,) *non timeat sponsa ne deseratur ab Sponso: non dimittit pignus suum. Quod pignus dedit? Sanguinem suum fudit.* In Psal. 96. *Filius Dei pro nobis mortuus est: securus esto accepturum te vitam ipsius, qui pignus habes mortem ipsius.* Infiniti essemus, si omnia ex Augustino

Ibid. p. 698. F.
Ibid. p. 1397. D
To. 3. p. 2. pag. 154. F.
To. 4. p. 1676. G.
Ibid. p. 980. C.
Ibid. p. 1052. F

ſtino teſtimonia vellemus colligere, quæ Concluſionem noſtram aſtruunt ac confirmant.

P.220. S Cyprianus Tractatu de opere & eleemoſynis dæmonem adversùs Chriſtianos æternis ſuppliciis addictos ſic loquentem inducit: *Ego pro iſtis quos mecum vides, nec alapas accepi, nec flagella ſuſtinui, nec crucem pertuli, nec ſanguinem fudi, nec familiam meam pretio paſſionis & cruoris redemi; ſed nec regnum illis cæleſte promitto, nec ad Paradiſum reſtituta immortalitate dennò revoco &c.* Quæ dæmon non fecit pro ſuis, hæc fecit Chriſtus pro fidelibus, ſeu pro ſua familia quam pretio paſſionis & ſanguinis redemit. At non omnes qui de familia Chriſti ſunt, ſeu, non omnes fideles ſunt prædeſtinati; ergo pro aliis quàm pro prædeſtinatis Chriſtus mortuus eſt.

S. Ambroſius de Paradiſo cap. 8. *Venerat Dominus Jeſus*, inquit, *omnes ſalvos facere peccatores, etiam circa impios oſtendere ſuam debuit voluntatem. Et*

To. 1. p. 161. B. *ideò nec proditurum debuit præterire: ut adverterent omnes quòd in electione etiam proditoris ſui ſervandorum omnium inſigne prætendit.* Ergo pro ipſomet proditore Juda redimendo Chriſtus mortem ſubiit; ergo pro aliis, quàm prædeſtinatis eſt mortuus.

T. 2. Op. S. Max. pa. 189. S. Maximus diſput. cum Pyrrho, ad hæc verba Matth. 23. *Jeruſalem, Jeruſalem .. ..quoties volui congregare filios tuos &c. Perſpicuum eſt*, inquit, *non hoc dixiſſe, quatenus homo erat: ſiquidem recens homo extiterat; ſed quatenus idem Deus erat; oſtendens diverſos ſapientis providentiæ ſuæ modos erga genus humanum; quibuscùm ab exteriori errore naturam ad ſe congregare vellet, ipſa noluerit.* Non ergo affectu tantùm naturalis cujuſdam compaſſionis ex infirmitate naturæ, ut quidam ſcribere auſi ſunt, Jeruſalem Chriſtus ut homo ſervare voluit, ſed etiam ut Deus, vero & interiori voluntatis affectu.

Denique Eccleſia Lugdunenſis Lib. de tenenda veritate Scripturæ cap. 14. *Catholica*, inquit, *fides tenet, & Scripturæ ſanctæ veritas docet, quòd pro om-*

Bibl. PP. To. 15. pag. 715. col. 2. F. *nibus credentibus & per gratiam Baptiſmi ex aqua & Spiritu ſancto regeneratis.... Salvator noſter ſit paſſus.* Problematica igitur opinio non eſt, ſed ex Catholica fide tenenda ſententia, Chriſtum pro omnibus fidelibus baptizatis eſſe mortuum: ergo de fide eſt Chriſtum pro aliis, quàm prædeſtinatis ſanguinem ſuum fudiſſe; quod adversùs errorem Janſenii in quinta ipſius Propoſitione expreſſum, demonſtrandum habebamus.

Atque inde facile eſt inferre, de fide quoque eſſe, quòd ſit in Deo quædam vera & interna voluntas inefficax quæ non impleatur: quia ſcilicet, ex dictis hactenus, de fide eſt, Deum velle alios ſalvos fieri, quàm prædeſtinatos; & Chriſtum pro aliis quàm pro prædeſtinatis mortuum fuiſſe. Atqui hæc Dei voluntas inefficax eſt, nec in omnibus impletur: neque enim fideles omnes, qui Baptiſmo initiantur, & jus acquirunt ad vitam æternam, eam de facto conſequuntur ac ſalvantur. Ergo fidei noſtræ caput eſt, eſſe in Deo aliquam veram, ſed inefficacem voluntatem quæ non impletur.

TER-

TERTIA CONCLUSIO.

Vera est, pia, Catholica & fidei proxima sententia, Deum, supposito etiam peccato originali, verè ac sincerè velle omnes & singulos homines salvos fieri; & Christum pro omnibus & singulis hominibus mortuum esse, ac sanguinis sui pretium pro omnibus Deo Patri obtulisse.

Probatur: Quia ea sententia vera est, pia, Catholica, & fidei proxima, cui Scripturæ, SS. Patrum ac Conciliorum constans Traditio, Scholæ universæ consensus suffragantur, & cui una dumtaxat deest expressa & publica Ecclesiæ declaratio ac definitio, ut rei definitæ & ad fidem expressè pertinentis vim & auctoritatem habeat: atqui talis est sententia Conclusionis nostræ; ergo &c.

Minor propositio per singulas partes demonstranda.

PRIMA PROBATIO.

Ex Scripturis.

Primò, iis testimoniis quibus Deus singularem suam in omnes homines clementiam, benignitatem & effusam pro eorum salute voluntatem sæpissimè testatur.

Ezechielis 36. v. 11. *Vivo ego, dicit Dominus; nolo mortem impii, sed ut convertatur à via sua & vivat.* Deum hic juravisse observat Tertullianus Lib. de pœnit. cap. 4. ut nempè promptiorem fidem obtineat. *Jurans etiam*, inquit, *Vivo, dicens, cupit credi sibi. O beatos nos, quorum causa Deus jurat! O miserrimos, si nec juranti Domino credimus!* Porrò si Deus mortem impii, id est damnationem non vult, necesse est velit salutem; non vult autem omnium salutem absoluta & consequente voluntate; ergo antecedente & conditionata. P. 123.

Huic testimonio affine est istud Christi Matth. 18. v. 14. *Non est voluntas ante Patrem vestrum qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis.* v. 11. dixerat, *Venit filius hominis salvare quod perierat.* Et cap. 11. v. 28. *Venite*, ait Christus, *ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Irrisoria certè non est hæc Christi invitatio. Ergo quantùm est ex se, paratus est omnes accedentes reficere, ac salvos facere: dat autem vires ut accedere ad ipsum possimus, si illis, sicut oportet, uti voluerimus. *Sto ad ostium & pulso*, ait Apoc. 3. v. 20. *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem.* Isaiæ 65. v. 2. Et cap. 5. v. 4. *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? Quoties volui congregare filios tuos, & noluisti?* Matth. 23. v. 37. *Vocavi & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret.* Proverb. 1. v. 24.

Secundæ Petri 3. v. 9. *Non tardat Dominus*, ait Apostolorum Princeps, *promissionem suam... sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Hæc porrò omnia Scripturæ testimonia de homine lapso ac peccatore intelligenda esse, cœcus sit oportet, qui non videat. *Non enim,*

ait

ait Christus Matth.9. v.13. *veni vocare justos, sed peccatores*. Et cap.18.v. 11. *Venit Filius hominis salvare quod perierat.*

Decretoria est Apostoli Sententia 1. ad Timoth.2. v.4. *Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. Quæ sanè verba proprio ac litterali sensu intelligenda sunt de vera & interiori Dei voluntate, non de illa quæ dicitur esse meri signi, figurata & metaphorica: quia juxta receptam de interpretatione Scripturarum regulam, Scripturæ verba ad sensum figuratum, improprium & metaphoricum detorqueri nunquam debent, nisi sensus litteralis aliquid contineat quod sit vel Deo indignum, vel pugnet contra fidem & bonos mores: porrò nihil tale hìc occurrit. Rationem verò & causam hujusce voluntatis Dei pro salute omnium, istam reddit Apostolus versu sequenti. *Unus enim Deus*, inquit, *unus mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*, Pariter hanc Dei voluntatem ad omnes & singulos homines extendi, demonstrat & hæc ipsa ratio: sicut enim Deus omnium planè, nullo excepto, hominum Deus est, ita & omnium Salvator & Redemptor. Demonstrat & votum Apostoli monentis v.1. *fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus.... Hoc enim bonum est & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri*. Inde est quòd Ecclesia in Officio Parasceves orat pro omnibus hominibus etiam hæreticis, schismaticis, infidelibus & perfidis Judæis. Demonstrant & alia Scripturæ loca quæ testantur Dei bonitatem ac beneficam voluntatem ad omnes extendi. Gen.22.v. 18. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.*

Joan.4. v.42. *Ipsi audivimus & scimus, quia hic est verè Salvator mundi*. Ibidem 1.v.9. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Ibid.v.29. *Ecce Agnus Dei qui tollit peccatum mundi*.

Roman.3. v.22. & 23. *Justitia Dei per fidem Jesu Christi, in omnes & super omnes qui credunt in eum: non enim est distinctio. Omnes enim peccaverunt & egent gloria Dei*. Ibidem v.29. & 30. *An Judæorum Deus tantùm? nonne & gentium? Imò & gentium: quoniam quidem justificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem.*

Denique Ephes.4. v. 5. & 6. *Unus Dominus, una fides, unum Baptisma. Unus Deus & Pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.*

Secundò, iis testimoniis quibus manifestum est, Christum pro omnibus hominibus mortuum fuisse, eoque consilio seu intentione, ut pretium sanguinis sui pro omnibus & singulis hominibus Deo Patri obtulerit.

Roman.8. v.32. *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*. Quam sententiam ad ipsos etiam infantes pertinere asserit S. Augustinus Lib.2. de nupt. & concup. cap.33.

Primæ ad Timoth.2.v.5. & 6. *Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*. Si ergo unus est mediator ac redemptor hominum, sicut unus est Deus; prorsus necesse est Christum omnium & singulorum hominum Redemptorem esse, sicut eorumdem unus est Deus.

Primæ Joan.2. v. 1. & 2. *Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum:*

justum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.

Denique 2. Corinth. 5. v. 14. & 15. rem nostram decretoriè conficit Apostolus his verbis: *Charitas Christi urget nos: æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: & pro omnibus mortuus est Christus; ut & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit.* Igitur, Apostolo pronuntiante, pro illis omnibus mortuus est Christus, qui mortui sunt in Adamo: atqui omnes & singuli homines (una excepta B. Virgine) mortui sunt in Adamo, *in quo omnes peccaverunt*; ergo pro omnibus & singulis hominibus mortuus est Christus: non tantùm sufficientia seu valore pretii, quem omnes infinitum esse fatentur, sed etiam ex animo & voluntate pretium illud pro salute omnium offerentis.

Janseniano-rū resp. Mirè distorta hìc est Jansenianorum ad istud, quo premuntur, Apostoli ratiocinium, responsio.

Ajunt scilicet, in mente & argumentatione Apostoli rectè valere istud entymema: *Christus pro prædestinatis mortuus est; ergo omnes spiritaliter mortui sunt.* Quia, inquiunt, conclusio universalis deduci potest ex propositione antecedente particulari, quando subauditur propositio universalis. Atqui in ratiocinio Apostoli hæc universalis propositio subauditur: *Eodem modo judicandum est de cæteris hominibus quoad spiritualem mortem, ac de illis pro quibus Christus mortuus est: atqui illi pro quibus Christus mortuus est, spiritaliter mortui sunt; ergo & alii pariter homines mortui sunt spiritaliter.*

Refellitur. Verùm pervertunt illi ac corrumpunt Apostoli ratiocinium, hoc brevi ac dilucido entymemate expressum, *Christus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt*; cui si major propositio, quam in mente Apostolus retinuit, addatur, hic erit syllogismus perfectus: *Illi omnes spiritaliter mortui sunt, pro quibus mortuus est Christus: atqui Christus mortuus est pro omnibus; ergo omnes spiritaliter mortui sunt.* Falsò igitur & contra mentem Apostoli supponitur, per vocem istam, *omnes*, solos intelligi prædestinatos; & adversarii in suo ratiocinio minorem argumenti Apostolici propositionem nullatenus exprimunt.

SECUNDA PROBATIO.

Ex Conciliis.

Ex Nicæno generali primo an. 325. in Symbolo fidei, ubi de Christo hanc suam publicam fidem Christi omnes profiteri tenentur, *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælo, Et incarnatus est, homo factus, passus & mortuus.* Huic publicæ fidei professioni apertè contradicunt & adversantur, quotquot mortem Christi ad paucos numero homines, solos nempè prædestinatos limitant ac restringunt.

Tom. 4. Conc. p. 1043. B. Ex Arelatensi versùs an. 475. in quo lecta & probata fuit Fausti Regiensis Episcopi ad Lucidum Presbyterum Epistola, in qua sex ipsi proponit errores capita revocanda. Sextum istud est: *Anathema illi qui dixerit, quòd Christus non pro omnibus mortuus sit, nec omnes homines salvos esse velit.*

Ex Lugdunensi an. 490. in quo Lucidi retractatio & emendatio facta & probata fuit.

Ex

Ex Moguntino II. ſub Rabano Archiepiſcopo, anno 848. ubi damnatus eſt Goteſchalcus qui veterum Prædeſtinatianorum errores de novo excitaverat. Ita teſtantur Rabanus in Epiſtola ad Hincmarum Remenſem, & Hincmarus Epiſtola ad Nicolaum I. S. Pontificem. *Dicit*, ait Hincmarus, *quod veteres Prædeſtinatiani dixerunt, quoniam ſicut Deus quoſdam ad vitam æternam, ita quoſdam prædeſtinavit ad mortem æternam. Dicit, quod veteres Prædeſtinatiani dixerunt, quoniam non vult Deus omnes ſalvos fieri, ſed tantùm eos qui ſalvantur, omnes autem ſalvari quoſcunque ipſe ſalvare voluerit, ac per hoc quicumque non ſalvantur, penitùs non eſſe voluntatis illius ut ſalventur . . . . . Dicit quod veteres Prædeſtinatiani dixerunt, quòd non pro totius mundi redemptione, id eſt, non pro omnium hominum ſalute & redemptione Dominus & Salvator noſter Jeſus Chriſtus ſit crucifixus & mortuus, ſed tantùm pro his qui ſalvantur.*

To. 2. p. 263.

Ex Cariſiaco Conventu anno 849. ubi quatuor Capitula contra totidem errores ſtatuta & determinata fuere. Tertium ſic habet: *Deus omnipotens omnes homines ſine exceptione vult ſalvos fieri, licèt non omnes ſalventur. Quòd autem quidam ſalvantur, ſalvantis eſt donum: quòd autem quidam pereunt, pereuntium eſt meritum.*

Tom. 8. Conc. p. 57. A.

Rurſus Capitulo 4. *Chriſtus Dominus noſter, ſicut nullus hominum eſt, fuit, vel erit, cujus natura in illo aſſumpta non fuerit; ita nullus eſt, fuit, vel erit homo, pro quo paſſus non fuerit, licèt non omnes paſſionis ejus myſterio redimantur.*

Ibid. B.

Ex ipſo denique Tridentino Seſſ. 6. de juſtificatione, poſtquam cap. 2. dixit, *miſſum a Patre Chriſtum, ut & Judæos, qui ſub lege erant redimeret, & gentes quæ non ſectabantur juſtitiam, juſtitiam apprehenderent, atque omnes adoptionem filiorum reciperent. Hunc propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius pro peccatis noſtris; non ſolùm autem pro noſtris, ſed etiam pro totius mundi.* Capite tertio ſic pergit: *Verùm, etſi ille pro omnibus mortuus eſt, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt; ſed ii dumtaxat, quibus meritum paſſionis ejus communicatur.* Supponit hìc apertè Concilium, Chriſtum non tantùm pro electis ſeu prædeſtinatis mortuum eſſe, ſed etiam pro iis qui mortis ipſius beneficium non recipiunt, ſeu qui non ſalvantur, quales ſunt reprobi.

To. 14. Conc. p. 757. E. Ibid. p. 758. A.

Reponunt adverſarii, hoc unum ex Conc. Trid. inferri meritò poſſe; Chriſtum, quoad ſufficientiam pretii, pro aliis quàm prædeſtinatis mortuum fuiſſe; non verò quoad efficientiam, ſeu applicationem meritorum Chriſti: quando quidem Concilium affirmat, non omnes mortis Chriſti beneficium recipere.

Verùm 1. ipſemet Janſenius fatetur phraſim iſtam, *Dare ſemetipſum redemptionem pro omnibus, præferre redemptionem, ex redimentis animo, in uſum & liberationem captivorum offerri ac dirigi.* Ergo non tantùm pretii valorem ſeu ſufficientiam exprimit. 2. hoc ſenſu dici poſſet etiam mortuus pro dæmonibus. 3. Concilium Novatorum errores hic perſtringit: at nuſquam illi negarunt ſanguinis Chriſti pretium ſufficiens eſſe omnibus hominibus redimendis. Denique cùm Synodus ait, non omnes mortis Chriſti beneficium recipere, loquitur vel de gratia habituali ſeu ſanctificante, non verò de

Tom. 3. pa. 162. col. 2 D. E.

quolibet mortis Christi beneficio, auxiliis nempè gratiæ actualis sufficientis quibus potest homo seu mediatè seu immediatè ad gratiam sanctificantem se præparare, ac pervenire; vel de assecutione gloriæ seu vitæ æternæ, ad quam non omnes perveniunt.

Concilium denique cap. 6. loquens de modo præparationis ad gratiam justificantem, ait: *Disponuntur autem* (adulti) *ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera esse quæ divinitus revelata & promissa sunt .... & dum peccatores se esse intelligentes, à divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore.* To. 14. Conc. p. 758. E.

Hanc porrò spem sibi omninò præcludunt qui Christum pro solis prædestinatis mortuum fuisse prædicant: quippè cùm nemo sine speciali revelatione certus esse possit se de numero esse prædestinatorum, certus pariter esse non potest, Christum pro sua salute mortuum fuisse ac sanguinis sui pretium Deo Patri obtulisse. In quo ergo spem suam homo collocabit? Quodnam erit suæ in divina clementia fiduciæ firmum ac securum fundamentum? Imò, reponunt, eò magis firma & erecta debet esse nostra in Deum spes ac fiducia, quòd dubia & incerta sit prædestinatio. Egregia sanè ratio! Quasi spei firmitas ac certitudo ex re dubia & incerta deduci posset? Non aliud certè assignari potest ac debet firmum spei nostræ fundamentum, quàm verbum Dei quo declaratur, Deum *velle omnes homines salvos fieri: Nolle mortem impii, sed magis ut convertatur & vivat;* eosque non confundi, qui spem omnem suam in illo collocant. *Fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri,* quàm in nomine Domini nostri Jesu Christi. Act. 4. v. 12.

TERTIA PROBATIO.

Ex Sanctis Patribus.

Græcorum testimonia hìc adversùs Jansenium laudare superfluum videtur, quos ille nobis ultro dimittit, quia nempè, inquit L. 3. de Gr. Christi cap. 20. *Nullis imperfectiùs, de gratia, quàm Græcis locuti sunt;* Ita ne verò licebit utramque Ecclesiæ universalis partem Græcam & Latinam inter se discordem circa fidem committere, quo præsertim tempore florentissima fuit Ecclesia Græca? Ergo diversa & contraria dicenda erit Ecclesiæ utriusque Traditio? Atqui tamen à Græcis ad Latinos fluxit ac derivata est vera & pura fidei doctrina; ergo interciso veræ Traditionis apud Græcos circa gratiam filo, fides ad tempus usque Concilii Ephesini in Ecclesia Græca defecisse dicenda erit? Atqui tamen confidenter ac verè S. Augustinus Julianum impugnans dicebat Lib. 1. adversùs ipsum cap. 4. n. 14. *Non est cur provoces ad Orientis antistites; quia & ipsi utique Christiani sunt, & utriusque partis terrarum fides ista una est; quia fides ista Christiana est.* Est profectò quod nostræ gratulemur sententiæ quæ tot habeat sanctitate ac profunda eruditione illustres Tom. 3. pa. 161. col. 1. B. T. 10. p. 504. C.

ſtres patronos ac defenſores, Juſtinos, Methodios, Baſilios, Gregorios, Cyrillos, Chryſoſtomos: tantis nominibus in Domino gloriamur.

Verùm & Græcis Latini etiam mirè conſentiunt.

S. Hieronymus Comment. in caput 1. Epiſt. ad Epheſios de voluntate & propoſito Dei ſic loquitur: *Vult quæcunque ſunt plena rationis atque conſilii: vult ſalvari omnes; & in agnitionem veritatis venire. Sed quia nullus abſque propria voluntate ſalvatur, (liberi enim arbitrii ſumus) vult nos bonum velle: ut cùm voluerimus, velit in nobis & ipſe ſuum implere conſilium.*

Et in caput 63. Iſaiæ. *Voluit itaque Deus*, ait, *ſalvare cupientes; & provocavit ad ſalutem, ut voluntas haberet præmium: ſed illi credere noluerunt & c. Nec ſtatim in culpa eſt, ſi plures credere noluerunt; ſed voluntas venientis hæc fuit, ut omnes crederent, & ſalvarentur.*

De morte verò Chriſti pro omnibus, idem ſanctus Doctor hæc habet Comment. in 2. ad Corinth. cap. 5. ad hæc verba. *Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, Solus*, inquit, *inventus eſt, qui ut immaculata hoſtia pro omnibus, qui erant in peccatis mortui, offerretur.*

Et in Epiſtola ad Oceanum. *Mentitur Joannes Baptiſta, & digito Chriſtum & voce demonſtrans: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, ſi ſunt adhuc in ſæculo, quorum Chriſtus peccata non tulerit.*

S. Ambroſius L. de Paradiſo cap. 8. *Venerat Dominus Jeſus*, inquit, *omnes ſalvos facere peccatores, etiam circa impios oſtendere ſuam debuit voluntatem .... Quod in Deo fuit, oſtendit omnibus quòd omnes voluit liberare.*

In Lib. 2. de Abel & Cain cap. 3. *Ideò*, inquit, *omnibus opem ſanitatis detulit; ut quicumque perierit, mortis ſuæ cauſas ſibi aſcribat, qui curari noluit, cùm remedium haberet, quo poſſet evadere: Chriſti autem manifeſta in omnes prædicatur miſericordia, eò quòd ii qui pereunt, ſua pereant negligentia: qui autem ſalvantur, ſecundùm Chriſti ſententiam liberentur, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire.*

Et in Pſalm. 72. *Venit* (Chriſtus) *ut peccatum mundi tolleret, vulnera noſtra curaret. Sed quia non omnes medicinam expetunt; ſed plerique refugiunt: .... ideò volentes curat, non adſtringit invitos. Accipiunt igitur ſanitatem qui medicinam expetunt: illi autem qui refutant medicum, nec requirunt, bonitatem medici quam non experiuntur, ſentire non poſſunt.*

Non minùs diſertè Chriſtum pro omnibus mortuum fuiſſe affirmat idem ſanctus Doctor L. 3. de Officiis cap. 3. *Chriſtus quoque*, inquit, *qui pro omnibus mortuus eſt, mercedem ſuam evacuatam dolebit.* Et in Lib. de Joſeph cap. 7. *Chriſtus omnibus vitam dedit, ipſe pro omnibus mortem ſuam obtulit.*

Verùm inſtar omnium ſit D. Auguſtinus, quem ad partes ſuas invitum & obtorto collo trahit Janſenius.

Inſignis imprimis locus eſt Lib. de Spiritu & Littera cap. 33. ubi celebrem iſtam verſat quæſtionem, *Si voluntas bona qua creditur, eſt donum Dei, cur non omnibus datur, cùm Deus velit omnes ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire?* Sic verò mentem ſuam aperit ſanctus Doctor. *Vult autem Deus omnes homines ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire; non ſic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel benè vel malè utentes juſtiſſimè judicentur. Quod cùm fit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt; cùm ejus Evangelio non credunt: nec ideò tamen eam vincunt, verùm ſe ipſos fraudant*

magno

magno & summo bono, malisque pœnalibus implicant, experturi in suppliciis potestatem ejus, cujus in donis misericordiam contempserunt. Ita voluntas Dei semper invicta est: vinceretur autem, si non inveniret quid de contemptoribus faceret, aut ullo modo possent evadere quod de talibus ille constituit. Intellexit Jansenius, mox citatis verbis clarè adstrui esse in Deo voluntatem quandam salvandi omnes, quæ tamen non impletur, quia multi per liberum suum arbitrium ipsi resistunt. Intellexit tali doctrina suam funditùs everti, & *divinæ gratiæ,* ut ipse loquitur Lib.2. de Gr. Ch. cap.30. *jugulum peti.* Quapropter, ut vim hujus testimonii elideret, finxit S.Augustinum citato in loco non *tradere doctrinam suam, sed adversariam; non docere, sed disputare; non asserere, sed refellere; adeoque mirabili hallucinatione, recentiores nostros, objectionem pro solutione, Pelagianam responsionem pro Augustini doctrina; errorem pro veritate accepisse.* Hæc Jansenius. Verùm ne tenuissimum quidem vestigium extat in citatis verbis, quo pateat S.Doctorem objectionem Semipelagianorum proponere, non suam propriam sententiam; nihil enim nisi maximè Catholicum exprimunt verba laudata. Solet autem ut plurimùm Jansenius cum suis, ut Semipelagianam traducere doctrinam, quæ Catholica est & orthodoxa. *Tom.3. pag.92. col.1.C* *ibid. E.*

Hanc propriam esse S. Augustini doctrinam, non Semipelagianorum objectionem, demonstrant alia ejusdem S.Doctoris testimonia, quibus asserit velle Deum omnes liberare; pro omnibus mortuum, pro omnibus pretium sanguinis Deo Patri obtulisse. Lib. de Catechisandis rudibus cap.26. *A quo interitu,* ait, *hoc est pœnis sempiternis Deus misericors volens homines liberare, si sibi ipsi non sint inimici, & non resistant misericordiæ Creatoris sui, misit unigenitum filium suum.* *To.6.p. 294.C. D.*

Enarratione in Psal.95. n.15. *Judicabit orbem terrarum in æquitate: non partem, quia non partem emit. Totum judicare habet, quia pro toto pretium dedit.* *To.4.p. 1039.E*

Tractatu 12. in Joan.n.12. *Quantùm in medico est, sanare venit ægrotum. Ipse se interimit, qui præcepta medici observare non vult. Venit Salvator ad mundum. Quare Salvator dictus est mundi, nisi ut salvet mundum, non ut judicet mundum? Salvari non vis ab ipso? ex te judicaberis.* *To.3.p. 2. pag. 389.A. B.*

Lib.20. de Civitate Dei cap.6. adducto testimonio Apostoli, ex cap.5.2. ad Corinth. v.14. sic pergit: *Omnes itaque mortui sunt in peccatis, nemine prorsus excepto, sive in originalibus, sive etiam voluntate additis vel ignorando, vel sciendo, nec faciendo quod justum est: & pro omnibus mortuis vivus mortuus est unus, id est, nullum habens omninò peccatum.* *To.7.p. 579. B.*

Lib.6. contra Julian. cap.4. *Ex hoc probavit* (Apostolus) *omnes mortuos esse, quia pro omnibus mortuus est unus. Impingo, inculco, infercio recusanti. Accipe, salubre est, nolo moriaris. Unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Vide quia consequens esse voluit, ut intelligantur omnes mortui, si pro omnibus mortuus est.... Tu autem jam in primo tuo libro contra nos clamans dixisti, Christum etiam pro parvulis mortuum. Nullo modo igitur negare permitteris eos trahere originale peccatum.* Sic Augustinus invictè demonstrabat originale peccatum in omnes planè homines diffundi, quia Christus pro omnibus mortuus est. *T.10.p. 666.A.*

Lib.2. Operis imperf.n.175. cùm Julianus ad eludendam vim verborum Apostoli dixisset, vocemistam, *omnes*, pro multis sumi: respondet S.Augu- *ibid. p. 1023.E*

sti-

ſtinus. *Hinc te exue ſi potes, quòd unus pro omnibus mortuus eſt ; & aude dicere, non omnes mortuos, pro quibus mortuus eſt Chriſtus; cùm ſtatim tibi Apoſtolus fauces premat, & opprimat audaciſſimam vocem, quid ſequeretur oſtendens & dicens, Ergo omnes mortui ſunt. . In hos omnes cum peccato mors pertranſiit , per illum in quo omnes moriuntur : ibi ſunt & parvuli , quia pro ipſis Chriſtus mortuus eſt , qui propterea pro omnibus mortuus eſt , quia omnes mortui ſunt .*

Clara hæc ſunt atque manifeſta , quæ ſolita evaſione non poſſunt eludi aut infirmari; quaſi de ſolo mortis Chriſti pretio ac valore toto mundo, imò infinitis, ſi eſſent, hominibus redimendis ſufficientiſſimo , loqueretur ſanctus Doctor, non autem de animo ſeu intentione Chriſti pretium ſanguinis pro ſalute omnium offerentis. An, quæſo, ſatis eſſet ut quis diceretur captivos velle redimere, quòd haberet recondita m in arca pecuniam ad illos redimendos parem ac ſufficientem ? An non præterea requireretur ut ita foret animo affectus & comparatus , ut eam pecuniam in liberationem illorum captivorum ſincerè vellet impendere? Ita certè judicabit quiſquis æquus eſt rerum æſtimator; ergo ut Chriſtus dicatur pro ſalute omnium hominum verè mortuus, non ſatis eſt quòd pretium ſanguinis ipſius ſufficiens fuerit omnibus hominibus redimendis ; ſed præterea requiritur , ut illud Deo Patri

Tom. 3. fol. 162. col. 2. D. E. *pro ſalute omnium obtulerit. Vel ipſemet Janſenius fatetur phraſim iſtam , qua quis dicitur ſe pro aliquo redemptionem dare, præſeferre redemptionem , ex redimentis animo; in uſum ac liberationem captivorum offerri ac dirigi .* L. 3. de Gr. Chriſti cap. 21.

Ab Auguſtino fideliſſimum ejus diſcipulum ſejungere non poſſumus S. Proſperum in Reſp. ad octavam objectionem Gallorum; ubi ſanctus Doctor vult in quæſtionibus, quæ gratiam & prædeſtinationem ſpectant, eas ſeponendas eſſe, quæ inſcrutabiles ſunt ac humanæ menti prorſus inacceſſæ ac imperviæ;

Pagina 212. A. aliis verò firmiter adhærendum , quas docet fides. *Remoto ergo* , ait, *obſcurarum turbine quæſtionum, ad revelatæ nos gratiæ latitudinem conferamus; dicamuſque cum Apoſtolo , quoniam Deus vult omnes homines ſalvos fieri , & in agnitionem veritatis venire. Et iterum dicamus cum Apoſtolo, Qui eſt ſalvator omnium, maximè fidelium.*

Pagina 231. C. Idem in Reſp. ad ſecundam Object. Vincent. *Sinceriſſimè credendum atque profitendum eſt , Deum velle ut omnes homines ſalvi fiant . Si quidem Apoſtolus , cujus iſta ſententia eſt , ſollicitiſſimè præcipit , quod in omnibus Eccleſiis piiſſimè cuſtoditur , ut Deo pro omnibus hominibus ſupplicetur : ex quibus quòd multi pereunt, pereuntium eſt meritum ; quòd multi ſalvantur , ſalvantis eſt donum.*

Pagina 238. A. Et in Reſp. ad decimam quartam object. Vincent. *Receßurum*, inquit, *non deſerit antequàm deſeratur ; & facit plerumque ne deſerat , aut etiam ſi diſceſſit , ut redeat . Cur autem illum retineat , illum non retineat ; nec poſſibile eſt comprehendere , nec licitum veſtigare ; cùm ſcire ſufficiat , & ab illo eſſe quòd ſtatur , & non ab illo eſſe quòd ruitur .* Audis ex S. Proſpero , *revelatum eſſe ac ſinceriſſimè credendum & profitendum Deum velle ut omnes homines ſalvi fiant.* Exiſtimat igitur ſanctus Doctor fideliſſimus Auguſtini diſcipulus & interpres, caput eſſe fidei *ſinceriſſimè credendum ac profitendum, Deum velle ut omnes homines ſalvi fiant .* Non eſt ergo quòd quis ægrè ferat nos dixiſſe Concluſionem noſtram Catholicam eſſe ac fidei proximam. Eam ad fidem pertinere non auſi ſumus affirmare ; quod tamen affirmavere S. Proſper & poſt illum Scholaſtici non pauci.

Idem

Idem S. Prosper, aut qui auctor est Librorum de Vocatione Gentilium Lib. 2. c. 30. *Hoc*, inquit, *iterum commendamus; ut cùm de gratiæ profunditate & altitudine disputatur, tribus illis saluberrimis & veracissimis definitionibus simus innixi. Quarum una profitetur æternum & proprium divinæ esse bonitatis, ut omnes homines salvos fieri velit, & in agnitionem veritatis venire. Alia simul prædicat omnem hominem qui salvus fit, quique in agnitionem veritatis venit, Dei auxilio juvari & regi, utque in fide quæ per dilectionem operatur, permaneat, custodiri. Tertia verò temperanter & sobriè protestatur, non omnem voluntatis Dei comprehendi posse rationem, & multas divinorum operum causas ab humana intelligentia esse subductas: ut cùm in temporibus, in nationibus, in familiis, in parvulis, in nondum natis & geminis, quædam aut variè aut insigniter gesta noscuntur, non ambigamus ea ex illis esse, quæ justus & misericors Deus in hoc transituro sæculo noluit sciri. Quod quidem ad utilitatem nostram dispositum sentiendum est, ut quoniam spe salvi facti sumus, cui præparavit Deus quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit; sicut constanter credimus, videndum quod nondum videmus, ita patienter expectemus intelligendum quod nondum intelligimus.* P. 918. A.

Ejusdem Libri c. 2. *Quod*, pergit, *de salvatione omnium hominum in eodem Scripturarum corpore reperitur, nulla contraria argumentatione temerandum est; ut quantò hoc ipsum difficiliore intellectu capitur, tantò fide laudabiliore credatur. Magna enim fortitudo est consensionis, cui ad sequendam veritatem auctoritas sufficit, etiam latente ratione.* Describendum fuit, tametsi prolixius, istud testimonium, adeo egregium est, & causæ nostræ præsenti accommodatum; ex quo iterum habes, inter definitiones Scripturarum hanc unam esse, *Velle Deum omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* P. 888. B.

Idem auctor eodem Lib. cap. 20. & 21. opponit sibi omnium in hac materia intricatissimam difficultatem, ductam scilicet ab exemplo infantium, qui priùs immaturo fato extinguuntur, quàm ipsis per baptismum succurri possit. *In hoc*, inquit, *angusto quidem, sed tamen recto intelligentiæ tramite, non parum difficultatis opponit consideratio parvulorum.... Cùm omnes homines velit Deus salvos fieri; quid est quòd alienatur à salute perpetua tanta infantium multitudo? ....Verumtamen de hac altitudine discretionis Dei non conturbabitur cor humilitatis nostræ, si firma & stabili fide omne judicium Dei justum esse credamus, nec appetamus habere cognitum, quod voluit esse secretum; ut ubi investigari non potest quare ita judicet, sufficiat scire quis judicet.* P. 908. D. P. 909. B.

Cap. verò 24. ejusd. Lib. ait: *Non irreligiosè arbitror credi, neque inconvenienter intelligi, quòd isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ semper universis est impensa nationibus: qua utique si benè eorum uterentur parentes, etiam ipsi per eosdem juvarentur.* P. 911. C.

Revera S. Aug. disputans contra Semipelagianos, eorum pervicacia compulsus aliquando fuit hæc Apostoli verba, *Deus vult omnes salvos fieri*, sic interpretari, ut non ad omnes & singulos, sed ad aliquos dumtaxat ea Dei voluntas extendatur.

Verùm non idcirco aliam vulgatam & communem interpretationem rejecit aut excusit S. Doctor; imò potius supponit, eamque usurpari permittit. Ita cap. 103. Enchiridii numer. 27. ubi postquam alias interpretationes

To.6.p. 236.A. dictæ Apoſtoli ſententiæ retulit: *Et quocumque*, ait ſtatim, *alio modo intelligi poteſt*, *dum tamen* (addit) *credere non cogamur aliquid omnipotentem Deum velle fieri, factumque non eſſe*. Voluntatem Dei efficacem & abſolutam haud dubiè hic intelligit S. Doct. paulò enim antea c. 102. n. 26. agnoverat homines interdum aliud velle quàm Deus velit: ergo ſupponit eſſe aliquam in Deo voluntatem inefficacem cui homo reſiſtit. *Quantælibet*, inquit, *ſint voluntates vel Angelorum vel hominum, vel bonorum vel malorum, vel illud quod Deus, vel aliud volentes quàm Deus, omnipotentis voluntas ſemper invicta eſt.*

Ibid. p. 254.G.

QUARTA PROBATIO.

Ex conſenſu Scholæ.

Obſerva 1. per Scholæ conſenſum nos hìc intelligere Theologorum Scholæ multitudinem in aliquam ſententiam conſpirantium; non autem privatos aliquos Doctores, qui vel à communi cæterorum ſententia recedunt, vel nulli Scholæ ſunt addicti, ſed ex ſingulis, quod magis arridet, excerpunt & adoptant. Sua quidem ſtat Scholæ auctoritas ac libertas, nec ulli fas eſt publicam Scholæ alicujus probatæ ſententiam, quam Eccleſia permittit, ulla cenſuræ nota infamare. Privati verò, qui cæteros deſeruerunt, à nobis quoque viciſſim deſerendi ſunt, quorum vel admodum exigua, vel nulla penitus eſt auctoritas.

Obſerva 2. Inter Theologos Scholæ præſertim verò Thomiſticæ, quos diſcipuli Janſenii nobis hìc opponunt, alios ante natas circa Bajum & Janſenium controverſias floruiſſe, alios verò poſt. Inter primos, nonnulli tam apertè Novatorum errоribus favent, quales imprimis Gregorius Ariminenſis & Thomas Bradvvardinus, ut in teſtimonium adduci non poſſint: alii verò benignè explicandi; ſecuri enim loquebantur quia nullus aderat hoſtis; ut in ſimili cauſa dicebat S. Auguſtinus. Inter illos verò qui poſt exortas circa Bajum & Janſenium controverſias vixere, qui doctrinæ illorum defenſionem apertè ſuſcipiunt, ii certè non audiendi, ſed potius confutandi.

Ut igitur Scholæ conſenſus hìc ſit manifeſtus, conſulendi & audiendi Scholarum duces ac principes Petrus Lombardus Epiſcopus Pariſienſis, dictus Magiſter Sententiarum, S. Thomas, S. Bonaventura, Scotus &c.

Magiſter Sententiarum.

Poſtquam Lib. 1. diſt. 45. L. M. dixit, *magnam eſſe adhibendam diſcretionem in cognitione divinæ voluntatis, quia & beneplacitum Dei eſt voluntas ejus; & ſignum beneplaciti ejus dicitur voluntas ejus*: poſtquam diſt. 46. L. C. exponens quo ſenſu Apoſtolus dixerit, *Deum velle omnes ſalvos fieri*, plures ex Auguſtino illorum verborum interpretationes adduxit ac concludit eiſdem planè verbis quibus Auguſtinus Enchiridii citato cap. 103. *Poteſt*, inquit, *& alio modo illud intelligi, dum tamen credere non cogamur omnipotentem aliquid fieri voluiſſe, factumque non eſſe.*

Aliam igitur interpretationem ab illis quas refert diſtinctam non rejicit, nec excludit Magiſter, modò iſtud apud omnes certò conſtet, Deum omnipotentem nihil abſolutè velle, quod non fiat.

Verùm


image
not
available

Voluntatem illam Dei antecedentem pro ſalute omnium revocat S. Doct. ad voluntatem beneplaciti. *Invenitur*, inquit de veritate q. 23. art. 3. *in Deo propriè ratio voluntatis, & ſic voluntas de Deo propriè dicitur, & hæc eſt voluntas beneplaciti, quæ per antecedentem & conſequentem diſtinguitur.* Rurſus in 1. Sent. diſt. 47. art. 2. *Poſſumus ergo loqui*, ait, *de voluntate beneplaciti vel ſigni, & de voluntate beneplaciti vel conſequente, vel antecedente.* Denique in Commentario ad cap. 2. 1. ad Timoth. tribus modis quibus S. Aug. interpretatur iſta verba S. Pauli, *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, addit & quartum ex S. Joanne Damaſc. qui eſt de voluntate antecedente & quidem beneplaciti; quam rurſus exponit in Summa q. 19. art. 6. ad 1.

T. 12. p. 845. col. 1. B.

T. 7. p. 409 col. 1. A.

Ex illa porrò antecedente voluntate moveri Deum ut gratias ſufficientes omnibus conferat, conſtanter tradit idem Angelicus Doctor.

In cap. 12. Epiſt. ad Hebræos, ad hæc verba, *Contemplantes ne quis deſit gratiæ Dei; Deus*, ait, *voluntate ſua liberaliſſima dat eam omni præparanti ſe. Apocal. 3. Ecce ſto ad oſtium & pulſo; ſi quis aperuerit mihi, intrabo ad eum. 1. Timot. 2. Qui vult omnes homines ſalvos fieri. Et ideo gratia Dei nulli deeſt; ſed omnibus, quantùm in ſe eſt ſe communicat; ſicut nec Sol deeſt oculis cæcis.*

T. 18. p. 681. col. 1. A. B.

Idem docet Lib. 3. contra Gentiles cap. 159. *Licèt aliquis*, inquit, *per motum liberi arbitrii divinam gratiam nec promereri nec acquirere poſſit, poteſt tamen ſeipſum impedire ne eam recipiat . . . cùm hoc ſit in poteſtate liberi arbitrii impedire divinæ gratiæ receptionem, vel non impedire: non immeritò in culpam imputatur ei qui impedimentum præſtat gratiæ receptioni. Deus enim, quantùm in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare, Vult enim omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, ut dicitur ad Timoth. 2. Sed illi ſoli gratia privantur, qui in ſeipſis gratiæ impedimentum præſtant: ſicut Sole mundum illuminante, in culpam imputatur ei qui oculos claudit, ſi ex hoc aliquod malum ſequatur; licèt videre non poſſit niſi lumine Solis præveniatur.*

T. 14. p. 508. col. 2. D. E.

Et qu. 14. de verit. art. 11. ad 1. *Hoc*, inquit, *ad divinam providentiam pertinet, ut cuilibet provideat de neceſſariis ad ſalutem, dummodo ex parte ejus non impediatur.*

T. 12. p. 762. col. 2. E.

Communem hanc eſſe Thomiſtarum doctrinam teſtatur inter recentiores Gonetus. Thomiſtas Gonetus Tom. 2. diſp. 5. art. 6. parag. 4. n. 243. *Non diffiteor quidem*, inquit, *Thomiſtas hæc duo tanquam certa fide tenenda unanimiter profiteri: omnibus ſcilicet, tam parvulis quàm adultis media ſeu auxilia ad ſalutem ſufficientia, per voluntatem Dei antecedentem, & generalem Chriſti redemptionem eſſe divinitùs oblata ſeu præparata; & omnibus juſtis, inſtante aliqua gravi tentatione, & alicujus præcepti ſupernaturalis obligatione, de facto collata & conceſſa.*

Gonetus. P. 106. col. 1. D.

Tomo verò 1. diſp. 4. de voluntate Dei art. 5. parag. 2. n. 131. ad exemplum Judicis quo S. Thomas utitur ut exponat voluntatem Dei antecedentem pro ſalute omnium, ad exemplum illud, inquam, reſpondet Gonetus, aptum non eſſe *quantùm ad omnia, ſed ſolùm*, inquit, *quantùm ad aliquid. Paritas ſtat in hoc, quòd ſicut Judex vult homicidam vivere, in quantùm homo eſt, ita etiam Deus vult omnes homines ſalvare, quatenus conveniunt & communicant in eadem natura in finem ſupernaturalem ordinata. Diſparitas verò conſi-*

P. 431. col. 1. D.

consistit in eo quòd Judex non est provisor generalis, sicut Deus; ac proinde licèt Judex ex voluntate, qua vult homicidam vivere, in quantum homo est, nulla ei media præparet, quibus capitis pœnam evadere possit; Deus tamen, ut generalis provisor per voluntatem antecedentem, qua vult omnes homines salvos fieri, debet eis aliqua media ad salutem sufficientia præparare.

Antoninus Massoulié in Opere cui titulus, *S. Thomas sui interpres*, Thomistarum doctrinam his verbis expressit, To. 1. Differ. 4. de Gratia Adami q. 3. art. 3. *Neque enim*, ait, *ut Jansenius existimat, in sola præcisione mentis putandum est positam esse voluntatem divinam antecedentem . . . Sincerissima est divina voluntas, sincerissimus Dei erga omnes amor; ex quo amore omnibus hominibus sufficientia auxilia confert, & nedum præparat & offert, sed & applicat, etsi variis modis, quibus auxiliis majora semper accipere, & salutem consequi homo possit, nisi ipse majoribus auxiliis impedimentum apponat . . . Alterum principium errorum Jansenii est . . . & quo infinito penè intervallo à D. Thomæ Schola sejunctus est, quòd nimirum existimaverit non omnibus offerri gratiam: neque aliam quærendam esse causam cur homo deseratur, nisi quia Deus gratiam nec vult dare, neque etiam offert.* Massoulié. P. 358. & seq.

Est igitur constans Scholæ Thomisticæ doctrina, & Deum vera & sincera voluntate velle omnes homines salvos fieri, & omnibus non tantùm offerri, sed conferri media saluti consequendæ idonea & sufficientia.

Alvares de Auxiliis disp. 33. n. 4. *Infertur*, inquit, *Deum velle ut omnes salvari possint; quod quidem verissimum est: quia quantùm est ex parte sua, paratus est omnibus gratiam dare, ut disp. 112. & 113. manifestum fiet.* Alvares. P. 311.

Et disp. 102. n. 7. *Voluntate antecedente, sicut Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; ita omnibus vult media ad salutem, inter quæ lavacrum regenerationis computatur.* P. 812.

Et disp. 112. n. 5. *Secunda Conclusio. Deus omnibus tribuit pro loco & tempore auxilium supernaturale intrinsecum, & sufficiens ad implenda præcepta naturalia, quæ, supposito peccato, impleri non possunt ex solis viribus naturæ. V. g. puero, quando pervenit ad usum rationis, tribuit auxilium sufficiens, quo possit converti ad bonum proportionatum suæ naturæ, & proponat vivere secundùm rationem: & intelligitur Conclusio, de facto omnes recipere hujusmodi auxilium sufficiens, saltem pro loco & tempore quo obligat hujusmodi præceptum.* P. 888.

Ibidem n. 7. *Ad credendum mediatè vel immediatè, omnes recipiunt pro loco & tempore auxilium sufficiens, si perveniant ad usum rationis: nam ut suprà dicebamus, si puer infidelis perveniens ad usum rationis faceret quod in se est ex auxilio speciali, se ad Deum convertendo, & ad bonum rationis naturæ proportionatum, Deus illuminaret illum de mysteriis fidei, & justificaretur per gratiam. Et juxta hanc doctrinam intelligenda sunt, quæ docet S. Thomas q. 14. de Verit. art. 11. ad 1. . . . . & in 2. Sentent. dist. 28. qu. 1. art. 4. ad 4.* P. 890.

Cumel vel Zumel inter Thomistas celebris, in 1. partem S. Th. q. 23. art. 3. qu. 2. propositione 3. Et in variis disputationibus in 1. & 1. 2. S. Thomæ disput. 5. sectione 5. in 1. prop. pro decisione difficultatis, *Certum est*, ait, *Deum habuisse voluntatem universalem circa omnes nascituros ex Adam per seminalem propagationem, dandi illis sufficientia media contra peccatum, & sufficien-* Cumel.


image
not
available

conferri, ut ſalus æterna poſſit obtineri; ſicut eo animo & fine leges ac præcepta imponit, ut obſerventur. Attamen voluntas illa Dei genera'is & antecedens non impletur; ergo &c.

S. BONAVENTURA.

In Lib. 1. Sent. diſt. 46. art. 1. q. 1. *Dicendum*, inquit, *quòd cùm Apoſtolus dicat, quòd Deus hoc vult, ſcilicèt omnes homines ſalvos fieri, neceſſe habemus concedere, quòd Deus velit. Et cùm non poſſit exponi de voluntate ſigni, neceſſe habemus exponere de voluntate beneplaciti. Sed cùm non omnes ſalventur, & voluntas Dei nunquam fruſtretur, ideo neceſſe eſt, quòd fiat vis in modo diſtribuendi, vel in modo volendi. Et egregius Doctor Auguſtinus duplicem facit vim in modo diſtribuendi in Enchiridio &c. . . . Sed Damaſcenus facit vim in modo volendi: diſtinguit enim in Deo voluntatem antecedentem, & voluntatem conſequentem . . . . Prima, ſcilicèt antecedens, dicitur à Magiſtris voluntas conditionalis, ſive voluntas, qua Deus vult quantùm in ſe eſt. Secunda autem, ſcilicèt conſequens, dicitur abſoluta. Differentia autem inter hanc voluntatem, & illam, non eſt ſecundùm diverſitatem affectionis; ſive modi volendi, qui ſit in Deo; ſed ſecundùm rationem connotandi & intelligendi. Prout enim Deus dicitur velle omnium ſalutem, quantùm in ſe eſt, & antecedenter, connotatur in omnibus ordinatio ad ſalutem, tùm ex parte naturæ datæ, tùm ex parte gratiæ oblatæ. Dedit enim eis Deus naturam, ſecundùm quam poſſent eum cognoſcere, & cognitum quærere, & invento inhærere, ac per hoc ſalutem obtinere. Gratiam ſimiliter obtulit, dum Filium miſit & obtulit, cujus pretium omnium ſaluti ſufficit. Leges etiam & mandata tribuit ſalutis, & oſtendit. Ipſe enim præſto eſt omnibus inquirentibus, & prope eſt omnibus invocantibus eum. Velle ergo hominem antecedenter ſalvare, eſt ordinatum ad ſalutem facere, & volenti pervenire non deeſſe. Unde velle antecedenter ſalvare, non connotat ſalutem, ſed ordinabilitatem ad ſalutem. Velle autem conſequenter, ſive abſolutè ſalvare, eſt velle dare ſalutem ei, quem præſcit ad ſalutem perventurum per ſuum auxilium & gratiam, & connotat ſalutis effectum. Et ſic non eſt dicere, quòd Deus velit omnes homines ſalvos fieri. Huic reſponſioni magis conſonant Magiſtri, quamvis utraque bona ſit. Secundùm hanc ergo reſpondendum, quòd Deus vult omnes homines ſalvos fieri, quantùm in ſe eſt, voluntate antecedente, non autem voluntate abſoluta ſive conſequente: & quia illa non connotat effectus eventum, ideo non impeditur in hoc quòd non omnes ſalventur . . . . Ad illud quod obiicitur, quòd voluntas conditionata non cadit in Deum; dicendum quòd non ponitur in Deo velleitas, quantùm ad defectum plenitudinis voluntatis, nec propter diverſos modos volendi, ſed propter aliam comparationem in connotando.* Neceſſe fuit integrum hunc textum retuliſſe, quo S. Bonaventuræ mens atque ſententia plenè ac clare dignoſcitur. Ubi obſerva quòd ſanctus Doctor teſtatur, Magiſtros ſui temporis magis conſonare interpretationi S. Damaſceni circa voluntatem Dei pro ſalute omnium, quàm interpretationi ſancti Auguſtini, quamvis utraque bona ſit; & ipſemet communi Magiſtrorum ſententiæ inhærens, Damaſceni ſententiam amplectitur.

To 4. p. 374. col. 2. A. B.

ibid. C.

ibid. D.

P. 375. Col. 1. A.

SCOTUS.

In Lib. 1. Sentent. dist. 46. q. unica ad 1. arg. hæc Apostoli verba *Deus vult omnes homines salvos fieri*, sic exponit. *Dico, quòd licèt illud dictum Apostoli posset exponi de distributione accommodata pro omnibus, qui salvi fient, tamen multò melius posset exponi de voluntate antecedente, sic; Id est, vult omnes homines salvare & salvos fieri, quantùm scilicet est ex parte sui, & voluntate sua antecedente, pro quanto dedit eis dona naturalia, & leges rectas, & adjutoria communia sufficientia ad salutem &c.... Ita dico in proposito, quòd etsi Deus non haberet voluntatem beneplaciti ad istum salvandum: tamen vult istis illa adjutoria communia antecedentia ad salutem omnium, quibus iste etiam potest sufficienter benè vivere & salvari: propter quæ dici potest, quòd quantum est ex parte sui, vult omnes salvos fieri.* Tria hic observa. Primum, fateri Scotum ex voluntate antecedente Deum moveri ad concedenda salutis *antecedentia*, id est media ad salutem assequendam idonea & necessaria, inter quæ sunt interioris gratiæ adjumenta. Quo sensu dixit S. Thomas in 1. dist. 46. q. 1. art. 1. *effectum hujus voluntatis Dei* (antecedentis) *esse ordinem naturæ in finem salutis, & promoventia in finem omnibus communiter proposita, tam naturalia quàm gratuita.* Secundum, cùm Scotus ait, *Deum non habere voluntatem beneplaciti ad istum salvandum*, intelligendus est de voluntate beneplaciti absoluta & consequente, non de antecedente & conditionata; siquidem agnoscit ex ista voluntate defluere media ad salutem assequendam sufficientia. At vix intelligi potest, quomodo Deus media illa salutis dare vellet & reipsa daret, nisi etiam vellet, voluntate saltem generali & antecedente illorum hominum salutem: Tertium voluntatem illam Dei antecedentem, in mente Scoti, conditionatam esse seu suspensam ex parte creaturæ: Deus enim, quantùm est in se, vult omnes homines salvos fieri, si ipsi velint oblatam gratiam non rejicere, sed illi se faciles & obsequentes exhibere. Erat hæc communis ætate Scoti & S. Bonaventuræ Scholarum doctrina.

To. 5. f. 138. A.

To. 5. f. 403. col. 1. B.

Idem Scotus in Reportatis Lib. 1. dist. 46. statuit voluntatem Dei semper impleri, quia volitio beneplaciti est ultima determinatio divinæ voluntatis; deinde addit: *Tamen propter illud Apostoli, Vult omnes homines salvos fieri, distingue de voluntate antecedente, & consequente. Voluntas antecedens, qua vult omnes homines salvos fieri, est illa, qua vult illa bona eis, quibus possunt pervenire ad salutem; voluntas verò consequens est, qua vult alicui propter merita sua beatitudinem.*

T. 11. f. 236. col. xi. 2.

An voluntas Dei salvandi omnes sit signi vel beneplaciti.

Nullus, opinor, ignorat, & Molinam, & Suarem cum suis, & Bellarmiuum, & Petavium in eandem consprirare sententiam, quorum proinde testimonia hìc exscribere superfluum omnino videtur. Ita pariter ex nostris Gamachæus, Duvallius, Ysambertus, Grandinus: atque hinc communis ille Scholæ totius consensus, cujus apud omnes Theologos magna vis esse debet & auctoritas.

Quæres 1. An illa Dei antecedens pro salute omnium voluntas, sit tantùm signi, seu impropria & metaphorica; an vera, realis, formalis & beneplaciti.

Resp.

Resp.1. Ex testimoniis hactenus adductis manifestum esse, voluntatem illam Dei antecedentem pro salute omnium hominum, veram esse, sinceram, realem, formalem ac beneplaciti; non fictam, non meri signi, non figuratam & metaphoricam. Ratio est, tùm quia verba Scripturæ, quæ unanimi consensu laudant SS.Patres & Scriptores Ecclesiastici mox citati, proprio ac litterali sensu intelligenda sunt, ubi nihil & contra fidem & contra bonos mores timeri meritò inde potest: atqui nihil prorsùs & contra fidem & contra bonos mores timeri meritò potest, si verba ista, *Deus vult omnes homines salvos fieri*; proprio & litterali sensu de vera, reali, ac formali beneplaciti voluntate intelligantur; imò potiùs ex contraria interpretatione ac sententia Jansenii in discrimen adducuntur & fides, & spes ac pietas Christiana. Tùm quia ea voluntas vera & beneplaciti dicenda est, ex qua in omnes homines defluunt media saluti assequendæ sufficientia: nisi velis dicere, quod impium foret, Deum ficto ac fimulato animo gratias illas conferre, non ut homines iis utendo salvi esse possint, sed ut iis abutendo æternùm pereant.

Resp.2. nonnullos eosque numero paucos Scholæ Doctores scripsisse quidem, voluntatem Dei antecedentem pro salute omnium esse tantùm voluntatem signi, non beneplaciti; voluntatem non realem nec formalem, sed figuratam & metaphoricam, quæ eminenter tantùm in Deo existat.

Verùm si propiùs eorum mens dispiciatur, videbitur mera esse de nomine quæstio. Scilicet voluntas Dei generalis & antecedens aut consideratur per ordinem ad finem, nempe salutem æternam, aut per ordinem ad media. Nonnullis placet voluntatem illam per ordinem ad finem, appellare tantùm voluntatem signi, figuratam, & metaphoricam, non veram, formalem ac beneplaciti; quia non aliam illi agnoscunt in Deo beneplaciti voluntatem, quàm absolutam quæ semper impletur. Cùm igitur voluntas illa antecedens non impleatur, quia scilicèt non omnes salvantur; consequenter asserunt illam, in ordinem ad finem, veram non esse nec beneplaciti voluntatem, sed tantùm signi, figuratam & metaphoricam. Attamen hanc ipsam voluntatem in ordine ad media, seu auxilia gratiæ sufficientia pro assequenda salute, agnoscunt esse veram, realem & activam, ex qua oriuntur auxilia gratiæ ad salutem verè sufficientia. Nodum hunc ita solvit Mariales in Bibliotheca Interpretum S. Th. T. 3. q. de voluntate Dei art. 6. controv. 15. c. 3. *Voluntas antecedens*, inquit, *potest vocari voluntas metaphorica; seu signi, & non voluntas propriè & formaliter ... per ordinem ad media collata, est realis voluntas, & non metaphorica; quia revera vult, actualiterque confert media quibus possimus ad gloriam pervenire.* Et paulò post. *Habetur*, ait, *distinctionem de voluntate antecedenti & consequenti non recidere in idem cum distinctione de voluntate simplicis complacentiæ & efficaci .... simplex enim complacentia nihil producit circa volita; Deus enim habet simplicem complacentiam circa possibilia nunquam futura, circa quæ tamen nihil efficit: futura autem vult voluntate efficaci, quia perducit illa ad esse. Voluntas autem antecedens & consequens causant aliquid realiter; antecedens confert media ad gloriam, consequens confert gloriam.* Hæc Mariales. Mariales. P. 304.

In eundem sensum Alexander de Hales 1.p. q.36. memb.2. hæc scribit. *Ad quæstionem qua quæritur, utrum voluntate beneplaciti velit omnes salvari,* Alexander de Hales. To.1.p. 181.col. 3.

vari, per hoc est responsio. Nam voluntas beneplaciti potest dici respectu possibilitatis rationalis creaturæ ad salutem: quæ quidem possibilitas est in ipsa a Deo: & hoc modo voluntate beneplaciti vult omnes salvos fieri. (Per possibilitatem illam intelligit auxilia gratiæ, seu media quibus salus possibilis redditur) *Alio modo voluntas beneplaciti dicitur respectu effectus qui redditur à Deo rationali creaturæ pro meritis; & sic voluntate beneplaciti non vult omnes homines salvos fieri, sed solùm prædestinatos.*

Censet igitur Alexander de Hales voluntatem Dei salvandi omnes, beneplaciti esse respectu mediorum quæ Deus reipsa omnibus confert; non autem respectu finis, seu vitæ æternæ quam non omnes, sed soli prædestinati assequuntur.

Deinde expendit idem Theologus utrum illa Dei voluntas conditionata dici possit, & an vera sit ista propositio, *Deus vult omnes salvos fieri, si ipsi velint.* Respondet: *Conditio talis non debet apponi .... si ipsi volunt propter parvulos, sed debet apponi, Vult omnes homines salvos fieri, in quantum in se est; videlicet qui sunt digni vel susceptibiles salutis .... Sic vult homines salvare quantùm in se est, & qui sunt susceptibiles salutis: sed parvuli non sunt susceptibiles salutis* (supple propria & personali voluntate) *propter culpam originalem; quia ergo in illis non servatur conditio, ideo non consequuntur effectum salutis.* Uno verbo in mente hujus Theologi, Dei voluntas antecedens pro salute omnium dici non debet conditionata respectu parvulorum; sed respectu adultorum qui capaces sunt salutis, si ipsi velint divinæ gratiæ cooperari.

Guiartius p. 302. & 303.

Observat Guiartius Lib. 2. discriminis q. 5. art. 7. paucos esse inter Thomistas qui dicant voluntatem Dei antecedentem non esse in actu & formaliter, sed tantùm eminenter; quamquam & ii ipsi cum aliis, quantùm ad præcipuum difficultatis caput attinet, consentiant. *Licèt pauci illi ex nostris,* ait, *voluntatem dicant antecedentem non ponere actum in Deo, nisi eminenter; à communi tamen Thomistarum consensu in hoc quod præcipuum est, non recedunt, omnibus viatoribus dari, aut offerri auxilium sufficiens; locumque Apostoli, Vult omnes salvos fieri, non de voluntate tantùm, quàm Deus habuit ante peccatum originale; (ut adversarius Jansenius contendit), verùm etiam de ea, quam post habuit, & adhuc in præsenti habet, intelligendum esse.*

Cùm igitur pauci illi Thomistæ, qui asserunt voluntatem antecedentem non esse in Deo actu & formaliter, sed eminenter tantùm, à communi tamen Scholæ Thomisticæ sententia non recedant, circa id quod in præsenti quæstione præcipuum ac capitale est, nempe Deum etiam post peccatum originale, eoque supposito, velle omnes homines salvos fieri, omnibusque dare aut saltem offerre sufficientia gratiæ auxilia; quæ subjungitur quæstio, utrum illa voluntas sit actu & formaliter in Deo, vel eminenter tantùm; an sit non tantùm signi, sed etiam beneplaciti, mera videtur esse de nomine controversia, & quidem ad solvendum obvia & facilis. 1. Quia cùm Deus, fatentibus illis paucis Thomistis de quibus Guiartius, omnibus hominibus præparet, offerat vel conferat sufficientia gratiæ auxilia, promptum est inde colligere, Deum verè ac sincerè velle eos salvos fieri: media enim ad finem non assumuntur, nisi ex intentione finis saltem generali, antecedente ac conditionata. 2. Ratio qua ducuntur illi, ut dicant, voluntatem Dei antecedentem esse tantùm signi, non beneplaciti, esse eminenter dumtaxat in

Deo,

Deo, non actu nec formaliter, ratio, inquam, illa hæc est, quia voluntas beneplaciti semper impletur: atqui tamen contrarium affirmare tenentur ii ipsi Theologi; siquidem agnoscunt illi Deum voluntate beneplaciti velle ut bonum quod imperat, fiat, & malum quod prohibet, non fiat; at certum est huic Dei voluntati homines resistere, eamque non impleri; ergo velint nolint, necesse est agnoscant esse in Deo aliquam etiam beneplati voluntatem quæ non impletur. Ad id quoque profitendum necesse est adduci eos omnes qui docent esse in Deo propriè odium aversionis, & abominationis quo peccatum ipsi displicet, illudque abominatur & detestatur velut quidpiam simpliciter malum. Vult ergo Deus malum non fieri: attamen ex lege suæ providentiæ illud permittit fieri, quod revera fit ab homine contra Dei voluntatem. Unde Estius qui in Lib. 1. Sent. dist. 46. paragr. 3. & 4. existimat probabiliùs dici voluntatem Dei pro salute omnium esse signi, non beneplaciti; dist. 45. paragr. 8. agens de divisione voluntatis Dei in antecedentem & consequentem, ait, *ad antecedentem Dei voluntatem ea quoque referri posse, quæ Deus vult peccato quidem præsupposito, non tamen peccato exigente, sed præter eius meritum; cuiusmodi sunt omnia opera misericordiæ Dei circa peccatores, velut vocatio, conversio, remissio peccatorum &c.* Hæc igitur omnia ex voluntate antecedente Deus vult, judice ipsomet Estio; ergo vera est, activa, formalis & interna in Deo voluntas dandi media salutis, quod unum certè præcipuum est in præsenti causa; quo semel posito, longè magis cohærenter sentiunt & loquuntur, qui dicunt voluntatem Dei salvandi omnes esse beneplaciti, quàm qui negant: videntur enim isti sibi quodammodo contradicere nec satis consequenter loqui, ut patet ex mox dictis. To. 1. p. 194. col. 2. E. F.

Quæres 2. an voluntas Dei antecedens pro salute omnium sit conditionata. Hoc est, an Deus quantùm est ex se, velit omnes homines salvos fieri, si tamen ipsi stelint. An voluntas Dei pro salute omnium sit conditionata.

Resp. 1. Antecedentem Dei pro salute omnium hominum voluntatem hoc sensu conditionatam dici non posse, quòd sit mera in Deo actus suspensio, aut simplex & nuda quædam velleitas. Ratio est manifesta: quia talis actus suspensio in Deo, qui est actus purissimus, maximam importaret imperfectionem. Cùm igitur à S. Th. cæterisque Scholæ Magistris voluntas illa Dei antecedens, velleitas, aut voluntas secundùm quid appellatur; loquuntur illi comparatè ad voluntatem absolutam & consequentem, quæ semper impletur, non verò absolutè ac simpliciter quasi voluntas antecedens in Deo actu & formaliter non esset. Ista pariter conditio, *si ipsi velint*, intelligenda non est ad sensum hæreticum Pelagianorum, quasi ex solo libero hominis arbitrio sine adjutorio gratiæ penderet, ut vellet salvus fieri, absit; sed intelligenda est ad sensum Catholicum, si nempe velint oblatæ gratiæ consentire. Pro salute omnium conditionata.

Resp. 2. voluntatem Dei antecedentem pro salute omnium absolutam esse ex parte Dei, & conditionatam ex parte hominis: quia scilicèt ita Deus vult omnes salvos fieri, *ut tamen liberum ipsis non adimat arbitrium*, ait S. Augustinus Lib. de spir. & litt. cap. 33. Hoc est ut liberum eorum expectet divinæ gratiæ consensum; quem quidem liberum consensum certissimè per gratiam suam Deus ab humana voluntate exprimit, quando illum vult absolutè. At non semper, ut constat, illum vult absolutè; To. 1. p. 118. E.

sed

ſed ut plurimùm voluntatè tantùm antecedente & conditionata; conditio verò illa à Deo pendet & ab homine: à Deo gratiam liberaliter concedente; à creatura liberè Deo moventi & excitanti conſentiente ac cooperante. Cave autem quæras cur Deus aliquorum conſenſum abſolutè velit ac decernat, non aliorum: res enim eſt humanæ menti planè impervia. Noli hoc quærere, ait Sanctus Auguſtinus, ſi non vis errare. Divina voluntas myſterium eſt inſcrutabile: vult Deus omnium ſalutem, nec illam tamen obtinet; non vult Deus mortem peccatoris, & tamen peccator ille æternùm perit. Potuiſſet Deus, ſi voluiſſet, ea efficacioris gratiæ auxilia conferre, quibus certiſſimè peccator conſenſum præbuiſſet, quæ tamen non conceſſit; ſed alia dumtaxat quibus hominem non eſſe obtemperaturum prævidebat. Quare hoc? *O altitudo ſapientiæ & ſcientiæ Dei: quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus!* Rom. 11. 33.

Hoc unum ſufficere nobis debet quod univerſi Sancti Patres & Scholæ Theologi affirmant, Deum quantùm eſt ex ſe, velle omnes homines ſalvos fieri, ſi ipſi velint: hoc eſt, voluntatem illam Dei antecedentem pro ſalute omnium ita conditionatam eſſe, ut noſtrum cupiat & expectet conſenſum: non quòd non poſſit Deus, ut jam diximus, ſi voluerit, conſenſum illum per efficacem ſuam gratiam certò in nobis efficere, abſit ut quis id cogitaverit; ſed qua ſic ferunt æternæ ac inſcrutabiles providentiæ divinæ leges, quas proni adorare, non curioſiùs ſcrutari debemus. Pro certo habentes, quòd ſi auxiliis gratiæ ſufficientis quæ Deus largitur, benè ut oportet uteremur, certiſſimè uberiores & efficaciores concederet, quibus ad ſalutem infallibiliter perduceremur.

Ita porrò ſentiunt ſancti Eccleſiæ utriuſque, Græcæ & Latinæ Doctores.

To. 2. p. 421. col. 1. C. Ex Græcis, Origenes Lib. 1. contra Celſum: *Quomodo*, inquit, *probabile eſt eum qui tanta ſit auſus pro humano genere, dediſſeque quantum in ſe erat operam ut omnes Græci pariter & barbari metu judicii divini abſtinerent à vitiis, ſeque ad facienda quæ Deo mundi fabricatori placent converterent, non mirandam habuiſſe nativitatem?*

Ibid. p. 499. col. 2. f. Et Lib. 4. *Acceſſit poſtremò*, inquit, *magna correctio per Jeſum, non unius tantùm terrarum anguli medicum, ſed univerſorum quantùm in ipſo eſt. Servator enim venit omnibus hominibus.*

S. Clemens Alexandrinus Origenis magiſter, Lib. 7. Stromatum oſtendit, ad univerſi ſalutem, Deum, utpote univerſorum Dominum, ordinare omnia tùm generatim, tùm particulatim.

P. 505. B. Ibidem: *Qui eſt omnium Græcorum & Barbarorum Dominus, perſuadet iis qui volunt. Neminem enim cogit ab ipſo ſalutem accipere, propterea quòd poſſit eligere, & omnia à ſe implere ad ſpem accipiendam.*

P. 1516. S. Joannes Chryſoſtomus homil. 5. in 2. ad Theſſal. *Fidelis quidem*, inquit (*Apoſtolus*) *eſt Deus, & promittens ſalutem dare, omnino dabit, ſed ut promiſit. Quomodo autem promiſit? ſi velimus, & eum audiamus; non abſolutè, neque tanquam lignis & lapidibus otioſis.*

To. 2. p. 219. A. Oecumenius in cap. 2. Epiſt. 1. ad Tim. *Si ergo*, inquit, *Deus vult, quare non fit quod vult? Non fit, quia illi nolunt.*

Theo-

Theophilactus in eundem locum. *Quare igitur*, ait, *non ſervati ſunt omnes? Quia nolunt.* P. 756.

S. Baſilius in Pſal. 29. ad iſta verba Prophetæ, *Quoniam ira in indignatione ejus, & vita in voluntate ejus. Quid ergo dicit?* inquit, *quod Deus vult, hoc eſſe, ut vitæ ejus ſint participes omnes. Mala autem non ejus voluntate fiunt, ſed merito eorum qui peccaverunt inferuntur.* Fiunt ergo ex voluntate hominum, Deo tantùm permittente. To. 1. p. 127. E.

S. Gregorius Nazianzenus Orat. 25. ait omnia omnibus eſſe communiter propoſita, ſolem, ſtellas, terram, rationem, legem, Prophetas, *ipſos etiam*, inquit, *Chriſti cruciatus per quos omnes citra ullam exceptionem inſtaurati ſumus, qui eidem Adamo participavimus.* To. 1. p. 436. D.

S. Cyrillus Hieroſolym. Catech. 18. *Cùm benignus ſit Dominus*, inquit, *non unum neque alterum tantùm, ſed multas æternæ vitæ januas aperuit, ut omnes, quantùm in ipſo eſt, abſque impedimento illa potiri poſſent.* P. 224. B.

Ex Latinis S. Cyprianus Epiſt. 52. ad Antonianum; *Cùm ſcriptum ſit*, inquit, *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum: utique qui neminem vult perire, cupit peccatores pœnitentiam agere, & per pœnitentiam denùò ad vitam æternam redire.* Adverte verbum iſtud, *cupit*, quo S. Martyr utitur, & quo vera & ſincera, ſed conditionata Dei voluntas pro ſalute omnium deſignatur. P. 72.

S. Ambroſius Lib. de Paradiſo cap. 8. *Venerat*, inquit, *Dominus Jeſus omnes ſalvos facere peccatores ..... ideo nec proditorem debuit præterire .... Quod in Deo fuit, oſtendit omnibus quòd omnes voluit liberare.* To. 1. p. 161. B. Ibid. C.

Et in Pſalm. 118. Serm. 8. n. 57. *Myſticus autem Sol ille juſtitiæ*, inquit, *omnibus ortus eſt, omnibus venit, omnibus paſſus eſt, & omnibus reſurrexit .... Si quis autem non credit in Chriſtum, generali beneficio ipſe ſe fraudat: ut ſi quis clauſis feneſtris radios Solis excludat, non ideo Sol non ortus eſt omnibus, quia calore ejus ſe ipſe fraudavit; ſed quod Solis eſt, prærogativam ſuam ſervat: quod prudentis eſt, communis à ſe gratiam lucis excludit.* Ibid. p. 1077. C.

S. Hieronymus in caput 63. Iſaiæ, *Quòd ſi prudens lector*, inquit, *tacita cogitatione reſponderit: Quare multi non ſunt ſalvati, ſi ipſe ſalvavit eos, & dilexit, & pepercit filiis ſuis, & redemit eos ſanguine ſuo; ſuſcepitque & exaltavit aſſumptos? Infertur cauſa perſpicua: Ipſi autem non crediderunt, & exacerbaverunt Spiritum ſanctum ejus ..... Voluit itaque Deus ſalvare cupientes: & provocavit ad ſalutem, ut voluntas haberet præmium, ſed illi credere noluerunt ..... nec ſtatim in culpa eſt, ſi plures credere noluerunt; ſed voluntas venientis hæc fuit, ut omnes crederent, & ſalvarentur.* To. 3. p. 468. Ibid. 469.

S. Paulinus Nolanus Epiſcopus Epiſt. 24. ad Severum n. 9. *Omnibus dicit*, (Chriſtus) *Venite ad me onerati & laborantes, & invenietis requiem animabus veſtris. Omnem enim, quantùm in ipſo eſt, hominem ſalvum fieri vult, qui fecit omnes: Nam & idcirco deſcendit ad nos &c.* To. 1. Oper. S. Paulin. P. 156.

Et Serm. 34. de Gazophylacio hæc egregia ſcribit n. 5. & 6. *Dominus noſter, qui ſolus bonus, ut unus Deus, non avaritiæ ſtudio accipere deſiderat, ſed largitatis effectu. Quid enim non habeat, qui omnia dedit? Aut quid non poſſideat, qui ipſos poſſidet poſſidentes? Quia omnes viri divitiarum in manibus ejus: ſed immenſa ejus juſtitia pariter & bonitas de ipſis muneribus ſuis vult ſibi munera invicem fieri; ut ſibi materiam erga te beneficentiæ pariat, quia bonus eſt; & tibi faciat meritum, quòd dignè recipias, quia juſtus eſt ..... In hoc enim nos fecit* Ibid. p. 218. & 219.

bonus

bonus Dominus & Pater sanctus, ut nostro bono essemus boni. Nam quo ille indigeret & extrinsecus bono, qui totus ipse quantus est, bonitas & beatitudo est? Ob hoc, quantùm in ipso est, charissimi, omnem hominem vult salvum fieri, quia in omni homine opus suum diligit; & impensè tibi largus est de suis opibus, si tu tibi ipse non sis invidus & avarus de iis quæ Deus tua fecit, non ut causa tibi ad mortem, sed ut pretium ad vitam forent. O abundantia bonitatis Dei! Vult fenerari ex iis, quæ ipse largitus est: cupit debitor fieri donorum suorum, ut cum multa tibi ratione tuam reddat usuram. Eandem loquendi rationem ac formulam, *Deus vult quantùm in ipso est omnes salvos fieri*, repetit S. Doctor Epist. 49. ad Macarium n. 4. Ibid. p. 285.

S. Joannes Damascenus Dial. contra Manichæos n. 72. *Cæterum*, inquit, *Deus omnes pariter bonos condidit. Ipse namque tam esse, quàm benè esse largitur, bonitatis suæ radios in universa opera sua Solis instar expandens. Atque in nostra quidem potestate nos est accipere ut simus; ut verò boni beative simus, hoc penes non est. Quo circa si velimus & cupiamus, bonitatis ipsius participes erimus, ac in sempiterna luce versabimur.* To.1.p. 459.C.

S. Aug. Lib. de spiritu & littera c. 33. jam citato inter probationes tertiæ Conclusionis, distertis verbis affirmat, *velle Deum omnes homines salvos fieri; non sic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium quo vel benè vel malè utentes justissimè judicentur.* Quod quidem idem est ac si diceret, velle Deum omnes homines salvos fieri, si ipsi velint. T.10.p. 118. E.

Lib. 1. de Gen. contra Manichæos c. 3. *Illud autem lumen*, ait, *non irrationabilium animalium oculos pascit, sed pura corda eorum qui Deo credunt, & ab amore visibilium rerum & temporalium se ad ejus præcepta servanda convertunt: quod omnes homines possunt, si velint, quia illud lumen illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Quem textum recognoscens S. Doctor Lib. 1. Retract. cap. 10. *Verum est omnino*, ait, *omnes homines hoc posse si velint; sed præparatur voluntas à Domino.* To.1.p. 648. B. Ibid. p. 16. A.

Et in Psal. 18. Enar. 1. *Cùm autem*, inquit, *Verbum etiam caro factum est, & habitavit in nobis mortalitatem nostram suscipiens, non permisit ullum mortalium excusare se de umbra mortis; & ipsam enim penetravit Verbi calor.* To.4.p. 80. A.

In Psalm. 6. *Dedit eos in reprobum sensum. Nam ea est*, inquit, *cæcitas mentis. In eam quisquis datus fuerit, ab interiore Dei luce secluditur: sed nondum penitus cùm in hac vita est.* Ibid. p. 26. D.

Lib. de catechisandis rudibus c. 2. *A quo interitu*, inquit, *hoc est, pœnis sempiternis Deus Misericors volens homines liberare, si sibi ipsi non sint inimici, & non resistant misericordiæ Creatoris sui, misit unigenitum Filium suum &c.* To.6.p. 294.C. D.

S. Fulgentius Lib. 1. de remiss. pec. c. 11. *In hoc testimonio conditionali*, ait, *Deus & præcepto utitur & promisso. Dicens quippe: Si conversus fueris & ingemueris, salvus eris; ostendit ex conversionis conditione promissionem salutis omnino pendere. Hæc est igitur inter Deum & hominem conditio, id est, inter præcipientem Dominum servumque poscentem, inter judicem qui sine justitia misericordiam prærogat, & peccatorem qui misericordiam juste judicantis expectat.* P. 368.

S. Anselmus in c. 6. S. Matth. ad hæc verba, *Fiat voluntas tua. Duæ sunt*, inquit, *voluntates in Deo: una misericordiæ, quæ non est cogens, nec aliquid libero arbitrio aufert, qua omnes homines vult salvos fieri, quod tamen in libera eorum voluntate positum est .... In terra multi contradicunt voluntati Dei, illi scilicet,* Ed.Col. 1612.p. 36.col. 1.

ſcilicet, quæ eſt ex miſericordia. Cùm enim vellet pravos etiam ſalvare, ſi vellent, tamen ipſi contradicunt operibus huic voluntati. Orat ergo iſte, quòd ſicut voluntas Dei eſt in omnibus cívibus Cœli, ita faciat ſe & alios terrenos tales, qui nullo modo voluntati Dei reſiſtant.

Eccleſia, ſeu Remigius Lugdunenſis Lib. de tribus Epiſtolis c. 12. rem noſtram clariſſimè conficit. *Quarto autem modo*, inquit, *ita à SS. Patribus intellectum invenitur quod dictum eſt, Qui vult omnes homines ſalvos fieri, ut ſimpliciter accipiatur hoc de omnibus quantùm in ipſo eſt Deum velle, eò quòd omnes ſalvari velit bonitate Creatoris: ſed quia liberi arbitrii eos condidit, expectet ut hoc etiam ipſi velint; & ſi voluerint, juſtè ſalventur; ſi noluerint, juſtè puniantur.* Bibl. PP. T. 15. p. 673. col. 1. A. B.

Denique in hunc ſenſum dixit Synodus Arauſicana II. c. 25. *Hoc etiam ſecundùm fidem Catholicam credimus, quòd accepta per Baptiſmum gratia omnes baptiſati, Chriſto auxiliante & cooperante, quæ ad ſalutem animæ pertinent, poſſint & debeant, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere.* Tom. 4. Conc. p. 1672. A.

Communis hæc veterum doctrina Scholas omnes ſubinde pervaſit, apud quas tria hæc pervulgata ſunt ac recepta: Primum, Deum quantùm eſt de ſe velle omnes homines ſalvos fieri, ſi ipſi velint. Secundum, omnibus præparaſſe, dare vel offerre ſufficientia ſalutis media. Tertium, paratum illum eſſe majora & efficaciora conferre iis, qui prioribus contumaciùs non reſiſtunt; ſeu, ut loquitur S. Thomas, iis, qui ſeipſos non impediunt. Patent iſta manifeſtè ex teſtimoniis Doctorum Scholæ paulò antè laudatis.

QUINTA PROBATIO.

Ex momentis Theologicis.

Primum petitur ex firmitate ſpei Chriſtianæ, cujus fundamentum eſt ipſa Dei fidelitas in promiſſis, ac effuſa pro ſalute omnium ejus voluntas. *Regenerávit nos in ſpem vivam*, ait S. Petrus Epiſt. 1. c. 1. v. 3. *per reſurrectionem Jeſu Chriſti, in hereditatem incorruptibilem & incontaminatam & immarceſſibilem, conſervatam in cœlis in vobis, qui in virtute Dei cuſtodimini per fidem in ſalutem.* Porrò quàm debilis, quàm infirma erit ſpes noſtra, niſi pro fundamento certam hanc fidem ac perſuaſionem habeat, eſſe in Deo veram ac ſinceram ſalvandi omnes voluntatem, & dandi omnibus auxilia gratiæ ſaluti aſſequendæ idonea & ſufficientia.

Secundum ex providentia Dei, cujus eſt res quaslibet ad fines ſuos per media idonea dirigere ac perducere. *Hoc quippe ad divinam providentiam pertinet*, ait S. Thomas q. 14. de verit. art. 11. *ut cuilibet provideat de neceſſariis ad ſalutem, dummodo ex parte ejus non impediatur. Si enim aliquis taliter nutritus* (in ſylvis) *ductum naturalis rationis ſequeretur in appetitu boni & fuga mali, certiſſimè eſt tenendum quòd ei Deus vel per internam inſpirationem revelaret ea quæ ſunt ad credendum neceſſaria, vel aliquem fidei Prædicatorem ad eum dirigeret, ſicut miſit Petrum ad Cornelium.* Porrò qui confert media ad finem aſſequendum apta & ſufficientia, ille procul dubio finem illum velle cenſendus eſt; intentio quippe finis movet ad mediorum electionem: vult autem Deus media ad ſalutem, nempe mandatorum ſuorum per auxilium gratiæ ſuę obſer- To. 12. p. 762. col. 2. E.

observationem. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Matth. 19. v. 17.

Tertium ex omnibus signis & argumentis exterioribus quibus Deus contestatus est nolle se mortem peccatoris; se feciſse quidquid ſufficiens erat, ut ipſum ad vitam perduceret &c. quę profectò ſigna & externa argumenta internum ac ſincerum Dei affectum præſupponunt ac demonſtrant. Quæcumque enim Deus velle ſe affirmat, ea verè ac ſincerè velle dicendus eſt, niſi fortè ipſemet aliquo alio ſigno contrarium declaravit; ut contigit quando reipſa noluit Iſaac immolari, quem tamen immolari juſſerat.

Quartum ab exemplis. Si enim ſalvare voluit Adamum omnium malorum quibus obruimur, fontem ac parentem; ſi Judam proditorem, ſi latronem in cruce propter ſcelera pendentem &c. an non certò confidere ac credere debemus benignam ac beneficam illam Dei voluntatem ad omnes prorſus homines referri & extendi? Cave tamen ne de divina clementia præſumens, negligentiùs opus tuæ ſalutis perficias. Qui enim latronem pœnitentem ſalvavit, alium latronem ut & Judam deſperantem ac impœnitentem dereliquit, ac certæ damnationi deſtinavit. Meritò igitur S. Petrus 2. Epiſt. cap. 1. v. 10. ait: *Fratres magis ſatagite ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis.* Et Apoſtolus Philipp. 2. v. 12. *Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini. Deus eſt enim qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate.*

Quintum denique petitur ex amore quo Deus res quaslibet à ſe factas proſequitur. *Diligis omnia quæ ſunt*, ait Sapiens c. 11. v. 25. *& nihil odiſti eorum*
T. 4. p. 138. B. *quæ feciſti. Habet autem*, ait S. Aug. Enarr. in Pſal. 121. *omnis amor vim ſuam, nec poteſt vacare amor in anima amantis.* Cum ergo Deus præ cæteris creaturis hominem diligat, pro quo Filium ſuum unigenitum dedit, conſequenter quantùm eſt in ſe, ipſius ſalutem verè ac ſincerè vult & deſiderat; eique ſufficientia præparat, confert, vel ſaltem offert media, quibus eam poſſit, ſi fideliter cum gratia allaborare voluerit, obtinere.

Atque his in probationem Concluſionum noſtrarum abundè diſcuſſis, ſuperſunt nobis diluendæ adverſariorum objectiones, tùm circa voluntatem Dei generalem & antecedentem pro ſalute omnium; tùm circa mortem Chriſti pro omnibus; tùm eas quas ex Doctoribus Scholæ colligunt.

Solvuntur Objectiones contra voluntatem Dei generalem & antecedentem ſalvandi omnes.

Objicies 1. Præcipuum doctrinæ noſtræ præſidium ac fundamentum petitur ex iſta Apoſtoli ſententia, *Qui vult omnes homines ſalvos fieri &c.* Atqui ſententia illa Apoſtoli ad omnes & ſingulos homines extendi non debet.

Probatur minor propoſitio auctoritate S. Auguſtini, qui cùm intelligeret Pelagianos & Semipelagianos ex dicta Apoſtoli ſententia generalem & indiſcretam pro ſalute omnium in Deo voluntatem inferre, tres alias huic errori planè adverſas verborum Apoſtoli interpretationes protulit.

Prima eſt, ut vox iſta, *omnes*, per diſtributionem accommodam negativam intelligatur hoc ſenſu, quòd nullus ſalvetur niſi per divinam voluntaT. 6. p. 315. B. tem. *Tanquam diceretur*, ait S. Auguſt. Enchiridii cap. 103. *nullum hominum fieri ſalvum, niſi quem fieri ipſe voluerit: non quòd nullus ſit hominum, niſi*

nisi quem salvum fieri velit; sed quòd nullus fiat, nisi quem velit; & ideò sit rogandus ut velit. Quod illustrat sanctus Doctor Lib. de prædest. SS. cap. 8. comparatione Magistri qui dicitur in civitate omnes docere. *Sicut*, inquit, *integrè loquimur, cùm de aliquo Litterarum Magistro, qui in civitate solus est, dicimus, Omnes iste hic Litteras docet; non quia omnes discunt, sed quia nemo nisi ab illo discit, quicunque ibi Litteras discit: ita rectè dicimus, Omnes Deus docet venire ad Christum; non quia omnes veniunt, sed quia nemo aliter venit.* T. 10. p. 860. C.

Secunda est, ut vox, *omnes*, per distributionem accommodam affirmantem intelligatur, de generibus singulorum, non de singulis generum. Hoc est, ait S. Augustinus cap. mox citato Enchiridii, *intelligatur omne genus humanum per quascumque differentias distributum, Reges, privatos, nobiles, ignobiles, sublimes, humiles, doctos, indoctos &c.* Et Lib. de corrept. & grat. cap. 14. *Omnes homines*, inquit, *vult salvos fieri, ut intelligantur omnes prædestinati; quia omne genus hominum in eis est. Sicut dictum est Pharisæis, Decimatis omne olus, ubi non est intelligendum nisi omne quod habebant; neque enim omne olus quod erat in toto terrarum orbe decimabant.* T. 6. p. 235. D. T. 10. p. 774. D.

Tertia interpretatio est, ut Deus dicatur omnium hominum velle salutem, quia vult ac nobis jubet ut omnium salutem velimus, & hanc nobis inspirat voluntatem. Ita Spiritus sanctus Rom. 8. v. 26. dicitur postulare pro nobis, quia nos postulantes facit & orantes. Ita exponit S. Augustinus Lib. de corrept. & grat. cap. 15. *Potest sic intelligi*, ait, *quòd omnes homines Deus vult salvos fieri; quoniam nos facit velle: sicut misit Spiritum Filii sui clamantem, Abba, Pater, id est, nos clamare facientem.* Ibid. p. 776. D.

Ex his sic arguunt adversæ partis Theologi.

Ille non agnoscit veram ac sinceram in Deo esse voluntatem salvandi omnes, qui 1. eam ad solos electos & prædestinatos restringit. 2. Qui varias profert verborum Apostoli expositiones omninò alienas ab illa voluntate generali quæ omnes & singulos homines complectatur. 3. Qui in Pelagianis ac Semipelagianis istam generalem & indiscretam Dei pro salute omnium voluntatem damnat ac redarguit: atqui ita S. Augustinus; ergo &c.

Resp. ad 1. dist. maj. Ille non agnoscit veram ac sinceram in Deo esse salvandi omnes voluntatem absolutam & consequentem, qui eam ad solos prædestinatos restringit, concedo: voluntatem antecedentem & conditionatam, nego. Dist. min. S. Augustinus restringit voluntatem Dei salvandi omnes absolutam & consequentem ad solos prædestinatos, concedo: voluntatem antecedentem & conditionatam, nego. Porrò iis in locis in quibus S. Doctor voluntatem illam Dei salvandi omnes ad solos prædestinatos restringit, manifestè loquitur de voluntate absoluta & consequente, cui nemo resistit.

Instar omnium sit locus ex cap. 14. Lib. de corrept. & gr. desumptus. *Volenti salvum facere*, ait, *nullum resistit arbitrium. Sic enim velle seu nolle in volentis aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem. De his enim qui faciunt quæ non vult, facit ipse quod vult .... Dictum est, Omnes homines vult salvos fieri, ut intelligantur omnes prædestinati.... Non est itaque dubitandum, voluntati Dei .... humanas voluntates non posse resistere, quominùs faciat ipse quod vult: quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, cùm vult, facit.* Quod probat ibidem T. 10. p. 774. B. C. Ibid. D. Ibid. E.

exemplo Saulis & Davidis, ad quos in Reges seligendos populum adduxit.

16.p.775 C.D. Et quo modo adduxit? inquit, Numquid corporalibus vinculis alligavit? Intus egit, corda tenuit, corda movit, eosque voluntatibus eorum, quas ipse in illis operatus est, traxit. Si ergo cùm voluerit reges in terra Deus constituere, magis habet in potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas &c. Nemo certè est qui non videat S. Doctorem loqui de voluntate Dei absoluta, quam Schola consequentem appellat, & quæ semper impletur: alteram verò antecedentem ex parte quidem creaturæ conditionatam, at ex parte Dei veram, sinceram, ac respectu mediorum, efficacem & absolutam, non excludere, imò expressè admisisse S. Doctorem, patet ex testimoniis ipsius inter probationes relatis.

Adde quòd nullibi dicat S. Augustinus testimonium Apostoli restringi debere ad solos prædestinatos, sed tantùm posse restringi.

Adductæ responsionis vades ac sponsores habemus S. Thomam & S. Bonaventuram. Secundùm Damascenum, ait S. Thomas in 1. dist. 46. q. 1. art.

Tom. 7. pa. 401. col. 1. D 1. ad 1. verbum Apostoli intelligitur de voluntate antecedente, & non de consequente. Sed secundùm Augustinum intelligitur de consequente. Unde exponit eam dupliciter: uno modo ut sit distributio accommoda pro omnibus quisalvantur, ut in littera dicitur: alio modo ut sit distributio pro generibus singulorum. Et S. Bonaventura loco antea citato in 1. dist. 46. art. 1. q. 1. Egre-

Tom. 4. pa. 174. col. 1. B gius, ait, Doctor Augustinus duplicem facit vim in modo distribuendi, in Enchiridio..... Sed Damascenus facit vim in modo volendi &c.

Ad 2. dist. maj. Ille non agnoscit veram ac sinceram in Deo esse voluntatem salvandi omnes, qui varias profert verborum Apostoli expositiones omninò alienas ab illa voluntate generali quæ omnes & singulos homines complectatur, si postremam istam interpretationem excludat & rejiciat, concedo: si non rejiciat nec excludat, nego. Reipsa S. Augustinus Pelagianorum & Semipelagianorum pervicacia compulsus aliquando fuit ad illas tres verborum Apostoli expositiones quas adduximus referendas, quòd nempè magis commodæ ac opportunæ forent ad errores illorum hæreticorum confutandos, ut mox ostendemus; at non idcircò censeri debet aliam rejecisse & excluisse interpretationem: imò eam apertè tradit c. 33. L. de spir. & littera aliisque in locis suprà laudatis. Unde cap. 103. Enchiridii, postquam tres adductas explicationes protulit, non dissimulat sententiam Apostoli alio

To. 6. p. 236. A modo posse intelligi, dum tamen credere non cogamur, inquit, aliquid omnipotentem Deum voluisse fieri, (voluntate scilicet absoluta & consequente) factumque non esse. Et Lib. de corrept. & gr. cap. 14. n. 44. fatetur hæc ver-

T. 10. p. 774. C ba, Vult omnes homines salvos fieri, multis modis intelligi posse, ex quibus, inquit, in aliis Opusculis nostris aliquos commemoravimus: sed hic unum dicam. Ita dictum est, Omnes &c. ut intelligantur omnes prædestinati. Hunc igitur modum adjungit ibidem sanctus Doctor, & quidem appositè ad suum institutum; quia nempè de absoluto prædestinationis decreto, seu absoluta & consequente Dei voluntate loquebatur.

Nec est prætermittendum 1. quòd S. Augustinus illas alias expositiones attulerit tantùm cùm objectiones Pelagianorum resolveret; nostram verò expositionem, cùm ex propria sententia quæstionem ipse de hac materia instituret, Lib. nempè de Spiritu & litt. cap. 33. Unde fit ut hæc postrema expositio textus Apostoli, obvia & naturalis Augustino visa fuerit, aliæ

aliæ verò tantùm ad eludendas adversariorum objectiones adduci possint; ad quod satis est ut per aliquam accommodationem huic textui aptari possint, quod non negamus. 2. Varias illas expositiones sic profert S. Augustinus, ut permittat unicuique, ex illis aliisque quas adhuc posse adduci profitetur, deligere quam voluerit, modò Pelagianum errorem declinet, & omnipotentiæ Dei non adversetur. Talis profectò est nostra expositio, juxta quam Deus ita vult omnes homines salvos fieri, ut voluntatem Dei nemo vincat, nec ipsi impunè contradicat. 3. Dum nostram Apostoli textus expositionem adducit S. Augustinus Lib. de Spir. & litt. cautè abstinet ab ista loquendi formula, *potest intelligi*, quam semper usurpat ubicumque alias affert expositiones.

Ad 3. dist. Qui Pelagianos & Semipelagianos damnat & redarguit eò quòd generalem in Deo admitterent voluntatem pro salute omnium, ille hanc in Deo voluntatem non agnoscit, ad sensum & mentem Pelagianorum & Semipelagianorum, concedo: ad sensum orthodoxum, ac sepositis eorum hæreticorum erroribus, nego.

S. itaque Augustinus non in eo præcisè Pelagianos & Semipelagianos redarguit, quòd dicerent Deum velle omnes salvos fieri; est enim sana & orthodoxa hæc sententia: sed quòd huic doctrinæ multos admiscerent errores.

I. Itaque Deum omnes homines salvos fieri velle asserebant, si ipsi vellent, ut hanc eorum voluntatem solis tribuerent liberi arbitrii viribus sine ulla gratiæ voluntatis necessitate: quo profectò sensu falsum est dicere, velle Deum omnes homines salvos fieri, si ipsi velint, solis nempè liberi arbitrii viribus. At nusquam negavit sanctus Doctor velle Deum omnes homines salvos fieri, si ipsi velint per gratiam suam; seu, ut loquitur cap. 26. Lib. de Catechisandis rudibus, *si sibi ipsi non sint inimici, & non resistant misericordiæ Creatoris sui*. Sic enim vult salvos homines facere, *ut eis liberum non adimat arbitrium, quo vel benè, vel malè utentes justissimè judicentur*, ait Lib. de Spir. & littera cap. 33. Admittit ergo sanctus Augustinus istam in Deo voluntatem conditionatam, Volo salvare homines, si ipsi velint gratiæ meæ consentire ac cooperari. *Quantùm in medico est*, ait idem sanctus Doctor Tract. 12. in Joan. *sanare venit ægrotum. Ipse se interimit, qui præcepta medici observare non vult*. Talem voluntatem absolutam ex parte Dei & conditionatam ex parte creaturæ exprimunt ista Christi verba, *Quoties volui congregare filios tuos, & noluisti?* To. 6. p. 294. D. To. 10. p. 118. E. To. 2. p. 2. pag. 389.

II. In eo maximè peccabant Semipelagiani, quòd statuerent ita Deum velle omnes homines salvos fieri, si ipsi velint, ut hujusmodi conditionem etiam in parvulis præmatura morte extinctis locum habere arbitrarentur; & cùm præsentem in illis assignare non possent voluntatem, ad futuram confugiebant, quam Deus illos habituros prævidebat si ad pleniorem ætatem perveniissent. Ita refert S. Prosper in Epistola ad S. Augustinum præfixa Libro ipsius de prædestinatione Sanctorum. Hoc porrò erroneo & planè absurdo sensu, meritò negat S. Augustinus velle Deum omnes homines salvos fieri, si ipsi velint: nemo etenim salvatur aut damnatur propter opera quæ facturus fuisset, si vixisset diutius, sed propter ea quæ reipsa fecit.

III. Error Semipelagianorum in eo etiam versabatur, quòd dicerent Deum indifferenter & indiscretè, seu aqualiter velle omnium hominum salu-

tem, ac Christum æqualiter pro omnibus mortuum fuisse; ita ut nulla major sit Dei erga electos quàm reprobos prædilectio, & omnes æqualibus afficiat gratiæ supernaturalis beneficiis: (quantum enim ad distributionem donorum naturalium, fatebantur parem non esse Dei erga omnes voluntatem ac providentiam.) Unde, teste eodem S. Prospero, decretum omne prædestinationis illi rejiciebant. *Contrarium putant*, inquit n. 2. *Patrum opinioni & Ecclesiastico sensui, quidquid de vocatione electorum secundum Dei propositum disputasti*: opposito igitur sensu negat S. Augustinus velle Deum omnes homines salvos fieri; nempè non indiscretè, non indifferenter, nec æquali prorsus donorum gratiæ distributione, sicut contendebant Semipelagiani, sed ita velle voluntate generali & antecedente omnes salvos fieri, & ipsis media salutis sufficientia impertiri, ut speciali voluntate absoluta & consequente feratur circa salutem aliquorum, nempè prædestinatorum, eisque specialia & efficaciora conferat gratiæ adjumenta. Utraque autem ista Dei voluntas, tùm generalis & antecedens pro salute omnium, tùm specialis, absoluta & consequens pro electis, rectè simul cohæret ac conciliatur: quod eleganter exponit auctor Lib. de vocatione gentium Lib. 2. cap. 31. his verbis. *Gratia Dei omnibus hominibus adfuit providentia quidem pari & bonitate generali, sed multimodo opere, diversaque mensura: quoniam sive occultè, sive manifestè, ipse est, ut ait Apostolus, salvator omnium, maximè fidelium. Quæ sententia subtilissimæ brevitatis & validissimi roboris si tranquillo consideretur intuitu, totam hanc, de qua agimus, controversiam dirimit. Dicendo enim, Qui est salvator omnium hominum; confirmavit bonitatem Dei super universos homines esse generalem. Adjiciendo autem, maximè fidelium; ostendit partem esse generis humani, quæ merito fidei divinitùs inspiratæ, ad summam atque æternam salutem specialibus beneficiis provehatur.*

Apud Aug. T. 10. pag. 779.

Pagina 918. E.

IV. Denique, in eo maximè errabant Pelagiani, quòd textum Apostoli sic intelligerent, ut divinæ omnipotentiæ derogarent. Sic enim volebant Deum omnes velle salvos fieri, seu ex se paratum esse illis salutem impertiri, si quærerent, si peterent, si pulsarent, ut contenderent Deum non posse illos salvare, nisi tales dispositiones ipsi homines præmittant; quia alioquin Deus esset personarum acceptor. Hunc Pelagianorum errorem Augustinus ipsis exprobrat Lib. 4. contra Julian. cap. 8. *Docetis vos idèo non omnes salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, quia ipsi nolunt petere, cùm Deus velit dare: nolunt quærere, cùm Deus velit ostendere; nolunt pulsare, cùm Deus velit aperire.* Et in Epistola ad Sixtum 194. aliàs 105. *Personarum acceptorem Deum se credere existimant, si credant quòd sine ullis præcedentibus meritis cujus vult misereatur.*

T. 1. c. p. 605. E.

To. 2. p. 716. C.

Mirum igitur videri non debet, quòd S. Augustinus Pelagianos ac Semipelagianos confutans, hanc Apostoli sententiam, *Qui vult omnes homines salvos fieri*, sæpius exponat de voluntate absoluta & consequente, potius quàm de antecedente & conditionata: cùm enim istam hæretici illi ultro admitterent suisque erroribus corrumperent, parum idonea & commoda iis confutandis visa fuisset. Appositè igitur ac prudenter admodum dictam Apostoli sententiam non ita frequenter exposuit de singulis generum, sed de generibus singulorum; de voluntate antecedente, sed consequente; præsertim

tim cùm voluntatem illam antecedentem omni ſepoſito Pelagianorum errore, ac Catholico ſenſu aliis in locis admittat.

Inſtabis 1. Saltem diffitendum non eſt nonniſi ſemel & quidem in Libro de ſpiritu & litt. Paulinam noſtram interpretationem adduxiſſe S. Doctorem; qui Liber non reperitur in editione Lovanienſium inter Opera S. Auguſtini de Gratia conſcripta.

Reſp. Illam reperiri in Lib. de Catechiſandis rudibus, & præterea in omnibus illis locis ubi permittit Auguſtinus eas omnes uſurpari prædicti loci expoſitiones quæ omnipotentiæ divinæ non derogent, & voluntatem divinam non ſuperent. Talem porrò licentiam concedit Auguſtinus in locis ipſis qui objiciuntur. Inſuper expoſitio noſtra ſubintelligitur in illis omnibus teſtimoniis in quibus Deum dare gratias ſufficientes omnibus, Chriſtumque pro ſalute omnium mortuum eſſe profitetur ſanctus Doctor, quæ certè innumera ſunt, & maximè in Libris de Gratia conſcriptis. Quantùm ad id quod objiciunt ex Editione Lovanienſium, incuria certè Typographi factum eſt, ut Liber ille inter alia Auguſtini Opera excuſus non fuerit.

Inſtabis 2. Vel hoc uno titulo ſuſpecta videri debet, adeo rejicienda Concluſionis noſtræ doctrina, quòd Pelagianis & Semipelagianis accepta fuerit & probata, quos Auguſtinus infeliciter impugnaſſet, ſi generalem Dei pro ſalute omnium voluntatem agnoviſſet.

Reſp. 1. antecedens eſſe de falſo ſupponente; nunquam enim illi hæretici approbarunt doctrinam qualem hic defendimus puram & Catholicam, quam illi multis deformabant erroribus.

Reſpondet 2. alia in occaſione Janſenius Lib. 8. de Gratia Chriſti cap. 21. *Non omnia quæ hæretici docent, eſſe hæretica; mos enim ſolemnis omnium hæreticorum eſt, ut falſis vera miſceant, miſcendoque perturbent omnia, quo venenum quaſi melle circumlitum ab incautis cum ſecuritate hauriatur.* Si quid ergo veri Pelagiani retinuerunt, rejici non debet propter admixtos errores; ſed rejectis ac ſepoſitis illis erroribus, quod verum & Catholicum eſt retinendum. Porrò non in eo præcisè aberrarunt Pelagiani, quòd putarent Deum velle omnes homines ſalvos facere, ſed quòd voluntatem illam ad omnes ſingulos æqualiter & indiſcretè ſine ulla ſpeciali erga electos, quantùm ad dona ſupernaturalia, providentia & voluntate extendi affirmarent: quo errore, ut & aliis jam expoſitis, ſecluſis, meritò aſſerimus & Deum velle omnes homines ſalvos fieri, & ab Auguſtino Pelagianos & Semipelagianos feliciter expugnatos fuiſſe. *Tom. 3. pa. 370. col. 2. B.*

Inſtabis 3. Tam ſtupidi non fuere Pelagiani, ut admiſerint in Deo efficacem, quantum in ipſo eſt, ſalvandi omnes voluntatem, quæ tamen non impleatur: non ignorabant etenim efficacem Dei voluntatem ſemper impleri. Errabant igitur in eo quòd putarent Deum ſimpliciter velle omnes ſalvos fieri: quia ſi vellet, omnes procul dubio ſalvarentur.

Reſp. Diſtant. Tam ſtupidi non fuere Pelagiani, ut admiſerint in Deo voluntatem ſimpliciter efficacem & abſolutam, quæ non impleatur, concedo: efficacem quidem ex parte Dei, ſed conditionatam ex parte hominum, nego. Poteſt quippè Deus aliquid ex parte ſui efficaciter velle, quod tamen ſemper non fit; quia conditionem aliquam ex parte creaturæ liberam præſupponit. V.g. dici poteſt velle Deum efficaciter, quantùm eſt ex ſe, Solem ab

omnibus videri; quia & omnibus illum videndum objicit, & est in homine virtus sufficiens seu facultas ad illum videndum: neque tamen illum videt, qui oculos claudere voluerit; & ita eorum respectu non impletur Dei voluntas. Pelagiani autem non docebant voluntatem Dei pro salute omnium simpliciter & absolutè efficacem esse, sed conditionatè conditione se tenente ex parte creaturæ. Errabant illi quidem, ut diximus, circa conditionem illam quam in negotio salutis ab uno voluntatis arbitrio pendere asserebant; at error in eo non erat, quòd vellent illam voluntatem salvandi omnes absolutam esse ex parte Dei. *Quoties volui congregare filios tuos, & noluisti? Quid est quod debui ultrà facere vineæ meæ, & non feci? &c.*

Instabis 4. Voluntas antecedens & conditionata non semper impletur: atqui S. Augustinus nullam agnoscit in Deo veram voluntatem quæ non impleatur; ergo nullam agnoscit in Deo voluntatem antecedentem & conditionatam.

Minor propositio probatur ex sancto Augustino, tùm Lib. de corrept. & gr. cap. 14. cujus verba hic laudavimus in responsione ad primam Objectionem; tùm maximè in Enchiridio, ubi ex professo momentum istud expendit cap. 95. *In clarissima*, inquit, *sapientiæ luce videbitur.... quam certa, immutabilis, efficacissima sit voluntas Dei: quàm multa possit & non velit, nihil autem velit quod non possit: quámque sit verum quod in Psal. canitur, Omnia quæcunque voluit fecit. Quod utique non est verum, si aliqua voluit & non fecit; & quod est indignius, ideo non fecit, quoniam ne fieret quod volebat omnipotens, voluntas hominis impedivit. Hoc nisi credamus, ait c. 96. periclitatur ipsum nostræ confessionis initium, qua nos in Deum Patrem omnipotentem credere confitemur;* Deinde c. 97. quærit quomodo intelligenda sit hæc Apostoli sententia, *Qui vult omnes homines salvos fieri. Cùm enim*, inquit, *non omnes, sed multò plures non fiunt salvi, videtur utique non fieri quod Deus vult fieri, humanæ scilicet voluntate impediente voluntatem Dei. Quando enim quæritur causa, cur non omnes salvi fiant, respondere solet, quia hoc ipsi nolunt. Quod quidem de parvulis dici non potest, quorum nondum est velle seu nolle. Nam quod infantili motu faciunt, si eorum voluntati indicaretur esse tribuendum, quando baptisantur, cùm resistunt quantùm possunt, etiam nolentes eos salvos fieri diceremus. Sed apertiùs Dominus in Evangelio compellans impiam civitatem; Quoties, inquit, volui colligere filios tuos, sicut gallina pullos suos, & noluisti? Tanquam Dei voluntas superata sit hominum voluntate, & infirmissimis nolendo impedientibus, non potuerit facere potentissimus quod volebat. Et ubi est illa omnipotentia quam in cælo & in terra omnia quæcunque voluit fecit, si colligere filios Jerusalem voluit, & non fecit?* Denique cap. 103. exponens quo sensu dictum sit, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, tres adducit interpretationes, additque aliam quamcumque eorum verborum expositionem admitti posse, *dum tamen credere non cogamur aliquid omnipotentem Deum voluisse fieri, factumque non esse.*

To. 6. p. 231. C. D.

Ibid. F.

Ibid. p. 232. A.

Ibid. p. 236. A.

Mirum quantùm adversarii in hoc S. Doctoris testimonio proponendo & urgendo exultent. In eo enim, inquiunt, S. Augustinus asserit 1. falsum omninò esse Deum aliquid velle, quod non possit; & quod *indignius est*, ideò Deum aliquid velle & non facere, quòd humana obstet & impediat voluntas. 2. primum Symboli seu Confessionis nostræ articulum periclitari, si Deus idcircò quod vult, non facit, quia humana resistit ac reluctatur vo-

lun-

luntas. 3. causam & rationem cur non omnes salvi fiant, istam non esse, quæ tamen solet afferri, quia non omnes volunt salvi esse; quod probat parvulorum exemplo in quibus nondum est velle, aut nolle. 4. denique hanc Christi sententiam, *Quoties volui congregare filios tuos & noluisti?* non esse hoc sensu intelligendam, ut divina voluntas ab humana superata fuerit. Quæ omnia, inquiunt, apertissimè demonstrant S. Augustinum nullam in Deo agnovisse veram voluntatem inefficacem, conditionatam & antecedentem quæ non impleatur.

Resp. dist. min. S. Augustinus nullam in Deo agnoscit veram voluntatem quæ simpliciter absoluta sit, consequens & efficax, & quæ non impleatur, concedo: nullam veram voluntatem quæ ex parte Dei sit absoluta, sed conditionata ex parte creaturæ, nego. Porrò loco citato & aliis hujusce modi benè multis, S. Augustinus Pelagianorum errori confutando unicè intentus, de voluntate Dei absoluta & consequente potissimum loquitur, quam illi hæretici rejiciebant. Ferre quippè illi non poterant absolutum prædestinationis decretum, sed tantùm conditionatum; ita ut conditio sub qua salus decerneretur, à solis liberi arbitrii viribus pendere vellent: imò Deum non posse sine illis prævis naturalibus ex parte hominis conditionibus, eum salvum facere, affirmare non erubescebant. Quam falsam & impiam doctrinam meritò fugillat ac reprimit S. Augustinus, atque hoc sensu rejicit erroneam interpretationem Pelagianorum hujus sententiæ Apostoli, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, & istius Christi, *Quoties volui &c.* quasi, ut illis videbatur, conditio sub qua Deus vult omnes salvos fieri, & Christus voluit congregare filios Jerusalem, ab una penderet humana voluntate sine gratia. In eundem sensum utitur exemplo parvulorum, ut nempè ostendat ex solo voluntatis nutu & arbitrio non pendere, ut unus salvetur, alter verò non salvetur: siquidem ex duobus infantibus quorum nondum est velle aut nolle, ait S. Augustinus, unus percepta baptismi gratia salvatur, alter non percepta, damnatur.

Porrò S. Augustinum agnovisse in Deo voluntatem veram salvandi omnes ex parte Dei absolutam, quæ tamen non impletur ob defectum conditionis quæ ex parte creaturæ requiritur, clarè & invictè demonstratur ex eo ipso Libro Enchiridii unde objectio petitur. Capite 102. eodem modo loquitur de voluntate Dei salvandi homines, ac de ea qua voluit salvare omnes Angelos. Fatetur quippè vel ipse Jansenius Lib. 10. de Gr. Christi cap. 1. *Deum habuisse generalem voluntatem benevolentiæ erga omnes Angelos, ex qua, quantum in se est, omnium beatitudinem æternam voluit, omnibusque propterea beatitudinis consequendæ media sufficientissima largitus est.* Atqui tamen in omnibus Angelis impleta non fuit ista Dei voluntas. Unde? An defectu potentiæ ex parte Dei? Quis sanus id unquam excogitaverit? An divinæ virtuti & omnipotentiæ derogatum est in statu innocentiæ? An minor tunc illa fuit, quàm in statu præsenti? Quæ absurditas! Velint ergo nolint, necesse est adversarios agnoscere esse quandam in Deo voluntatem, quæ sine præjudicio & imminutione divinæ virtutis non impletur; quòd nempè conditionata illa sit ex parte creaturæ, licèt absoluta ex parte Dei. Hoc uno ex statu naturæ innocentis ducto argumento eliduntur quæcunque adversarii contra voluntatem Dei generalem & antecedentem pro salute

Tom. 3. pa. 319. col. 1. B

omnium in ſtatu præſenti, quæ tamen non impletur, tela ſolent contorquere:

Quamquam, ut jam diximus, Dei voluntas aliquo ſenſu ſemper obtineat & impleatur. *Quantælibet ſint voluntates vel Angelorum vel hominum*, ait ſanctus Auguſtinus cap. 102. Enchiridii, *vel bonorum vel malorum, vel illud quod Deus, vel aliud volentes quàm Deus, omnipotens voluntas ſemper invicta eſt: quæ mala nunquam eſſe poteſt; quia etiam cùm mala irrogat, juſta eſt, & profectò quæ juſta eſt, mala non eſt.* To. 6. p. 234. G.

Inſtabis 5. Ille cenſendus non eſt velle omnium ſalutem voluntate etiam conditionata, qui conditionem neceſſariam ad ſalutem obtinendam implere poteſt ſi velit, nec tamen vult implere; hoc eſt, qui gratiam efficacem poteſt omnibus dare per quam ſalventur, nec tamen illam dat: atqui Deus poteſt, ſi velit, conditionem neceſſariam ad ſalutem obtinendam implere, nec tamen illam vult implere, conferendo ſcilicet omnibus gratiam efficacem; ergo &c.

Reſp. Nego maj. ſufficit enim ad voluntatem illam Dei conditionatam pro ſalute omnium, quòd Deus gratias ſufficientes conferat quibus homo quilibet poteſt uberiores & efficaciores orando à Deo impetrare. Et certè ſi valeret argumentum iſtud, pariter concluderet contra veram & ſinceram Dei voluntatem pro ſalute omnium Angelorum, quibus ad perſeverandum efficacem gratiam Deus non conceſſit. Concluderet etiam contra voluntatem ſalvandi vel unum juſtum, qui reprobus eſt, cui pariter efficax perſeverantiæ donum non conceditur; quod tamen ſine periculo fidei negari non poteſt.

Inſtabis 6. Duplex illa Dei voluntas antecedens & conſequens pugnare ſecum invicem videtur; ſic enim Deus vult & non vult ſalutem hominis.

Reſp. Nego ant. Deus quippè in ſtatu naturæ innocentis reſpectu Angelorum, & antecedentem & conſequentem habuit voluntatem: antecedentem quidem, quia ſatente ipſomet Janſenio, voluit Deus omnes Angelos ſalvos fieri, qui tamen omnes ſalvi factinon ſunt; conſequentem verò, quia rebelles & contumaces ſalvare noluit, ſed damnare.

Ratio verò & cauſa cur utraque illa voluntas non ſit contraria, nec ſecum invicem pugnet, hæc eſt, quia verſatur circa idem objectum ſub vario reſpectu, ſeu diverſo modo conſideratum: antecedens quippè voluntas objectum ſeu hominem ſalvandum conſiderat in ſe abſolutè ac præciſis omnibus circumſtantiis perſonalibus, meriti vel demeriti, conſenſus, vel diſſenſus gratiæ: voluntas autem conſequens ſpectat ſalutem hominis facta conſideratione circumſtantiarum perſonalium. Ita vult eum ſalvare qui perſeverat in gratia uſque in finem; eum è contra vult non ſalvare, qui non perſeverat ſed moritur in peccato mortali ac finali impœnitentia. Rectè id exponit S. Th. 1. p. q. 19. art. 6. ad primum his verbis. *Unumquodque*, inquit, *ſecundùm quod bonum eſt, ſic eſt volitum à Deo. Aliquid autem poteſt eſſe in prima ſui conſideratione, ſecundùm quod abſolutè conſideratur, bonum vel malum, quod tamen prout cum aliquo adjunctò conſideratur, quæ eſt conſequens conſideratio ejus, è contrario ſe habet. Sicut hominem vivere eſt bonum; & hominem occidi eſt malum ſecundùm abſolutam conſiderationem. Sed ſi addatur circa aliquem hominem, quòd ſit homicida vel vivens in periculum multitudinis, ſic bonum eſt eum occidi,*

& mi-

& malum eſt eum vivere. Unde poteſt dici quòd Judex juſtus antecedenter vult hominem vivere; ſed conſequenter vult homicidam ſuſpendi. Similiter Deus antecedenter vult omnem hominem ſalvari, ſed conſequenter vult quoſdam damnari ſecundùm exigentiam ſuæ juſtitiæ.

Inſtabis 7. Voluntas antecedens verſatur circa ſalutem hominis prout in ſe abſolutè ac præciſis omnibus circumſtantiis ſpectatur, ſeu prout ſimpliciter creatura eſt, quam bonum eſt ſalvari; ergo voluntas illa abſtrahit à circumſtantia peccati originalis; ac conſequenter eo ſuppoſito ac præviſo, Deus voluntate antecedente non vult omnes homines ſalvos fieri.

Reſp. Diſt. ant. Voluntas Dei antecedens verſatur circa ſalutem hominis in ſe abſolutè conſiderati ac præciſis omnibus circumſtantiis perſonalibus, meriti vel demeriti, conſenſus vel diſſenſus gratiæ, concedo: præciſis circumſtantiis naturæ communibus, nempè peccati originalis, nego. Conſiderato quippè hominem in ſe ac præciſis communibus naturæ totius circumſtantiis, quid aliud eſt, quàm conſiderare hominem in abſtracto? Quæ certè conſideratio merum eſt ens rationis: quò ſenſu Janſenius dixit voluntatem illam Dei antecedentem *in mera præciſione mentis conſiſtere*. At non ita profectò Deus hominem ſalvandum conſiderat; ſed eum conſiderat qualis eſt revera, obnoxius ſcilicet communi naturæ peccato, quo ſuppoſito ac præciſo vult eum ſalvum fieri voluntate generali & antecedente. *Tom. 3. pa. 161. col. 2. B.* Suprà ex ipſo S. Thoma probavimus voluntatem antecedentem abſtrahere dumtaxat à circumſtantiis ſubjecti perſonalibus, non verò à generalibus & communibus circumſtantiis totius naturæ humanæ, quod rectè hic obſervandum eſt ad præcavendam nonnullorum fraudem, qui notione & idea voluntatis antecedentis ad errorem ſuum propugnandum abutuntur.

Inſtabis 8. Voluntas illa Dei generalis & antecedens pro ſalute omnium ſterilis eſt & otioſa, ſeu mera complacentia, ex qua nulla in homines defluunt gratiæ beneficia. Patet 1. ex hoc ipſo Judicis exemplo quo S. Thomas utitur. Tametſi enim velit ille hominem homicidam vivere quatenus ſimpliciter homo eſt; at quatenus homicidii reus eſt, vult eum mori, nec ulla ipſi media ſuppeditat quibus mortis pœnam declinare poſſit. Patet 2. quia in 1. diſt. 47. q. 1. art. 2. *Operatio*, inquit, *non correſpondet voluntati Dei antecedenti ſed conſequenti. Et voluntas antecedens non habet effectum, niſi voluntas conſequens adjungatur*, ait idem ſanctus Doctor Lib. 1. ad Annib. diſt. 47. q. de voluntate Dei art. 2. ad 2.

Reſp. Nego ant. Ad exemplum Judicis quo ſanctus Thomas utitur, Gonetus To. 1. diſp. 4. de voluntate Dei art. 3. parag. 2. n. 131. reſpondet, paritatem perfectam non eſſe, atque exemplum Judicis in eo deficere, *Quòd Judex non eſt proviſor generalis ſicut Deus, ac proindelicèt Judex ex voluntate, qua vult homicidam vivere in quantùm homo eſt, nulla ei media præparet, quibus capitis pœnam evadere poſſit, Deus tamen, ut generalis proviſor per voluntatem antecedentem, qua vult omnes homines ſalvos fieri, debet eis aliqua media ad ſalutem ſufficientia præparare. Divus Thomas*, ait ibidem Gonetus n. 130. *comparat voluntatem illam antecedentem etiam voluntati mercatoris, qui imminente tempeſtate vult ſalvare merces &c. Sed mercator non poſſet dici habere voluntatem* *P. 431. col. 1. E.* *Ibid. C.*

tem veram & ſinceram ſalvandi mercès, niſi quantùm eſt de ſe, omnem diligentiam ſufficientem adhibeat ad illas conſervandas.

Ad 2. diſt. Operatio effectûs principalis qualis eſt collatio gratiæ efficacis ac plenus voluntatis conſenſus, non correſpondet voluntati Dei antecedenti ſed conſequenti, concedo: operatio effectus minùs principalis, qualis eſt præparatio auxiliorum ſufficientium, nego.

Reſpondet verò P. Maſſoulié Tom. 2. diſſert. 4. de Gratia. Adami q. 1. art. 1. exemplum illud Judicis hìc quoque aptum eſſe, etiam quantùm
P. 256. col. 2. ad collationem mediorum: *Cùm certum ſit*, inquit, *à Judice homini quantumvis reo ea omnia concedi, quibus ſus ſuum, ſi quod habeat, tueri poſſit, aut innocentiam, ſi oppreſſa fuerit, vindicare, aut atrocitatem criminis, ſi ſupra verum actum fuerit, minuere, ex ea voluntate antecedente, quæ ipſum Judicem erga hominem miſerum inflectit: quamvis deinde ex voluntate conſequente ſupplicia in reum decernat.*

Reſponſionem hanc antea nos ipſi adduximus.

Inſtabis 9. Vel ipſo judice S. Thoma 1. p. q. 19. art. 6. ad 1. voluntas antecedens magis velleitas, ſeu voluntas ſecundùm quid dicenda eſt, quàm vera & actualis voluntas.

Reſp. Diſt. ant. Si voluntas antecedens comparetur cum voluntate conſequente, præſertim quantùm ad finis aſſecutionem, concedo. Si in ſe ſimpliciter ſpectetur, nego. Scipſum interpretatur loco citato Angelicus Doctor: *Simpliciter*, inquit, *volumus aliquid ſecundùm quod volumus illud conſideratis omnibus circumſtantiis particularibus; quod eſt conſequenter velle.* Cùm igitur voluntas antecedens abſtrahat ab illis circumſtantiis particularibus ſeu perſonalibus, mirum non eſt quòd non dicatur ſimpliciter voluntas, ſed ſecundùm quid, ſeu velleitas: non quòd ſit in Deo actus ſuſpenſio vel imperfectio quædam, aut non ſit vera & actualis voluntas, abſit; hanc enim beneplaciti eſſe docet Angelicus Doctor. Velleitas igitur, aut voluntas ſecundùm quid appellatur, comparatè ad voluntatem abſolutam & conſequentem quæ ſemper impletur & finem obtinet; non ita verò voluntas antecedens. *Velleitas*, ait Alvares de auxil. diſp. 34. ad 1. *non dicit intrinſecam imperfectionem*
Pagin. 335. *ex parte actus voluntatis in ipſo Deo, ſed ſolùm ex parte objecti; quia videlicet non eſt amabile à Deo prout habet adjunctam privationem majoris boni: ſed ſolùm eſt amabile abſolutè, & ſecundùm ſe conſideratum.* Et Gonetus de voluntate Dei diſput. 4. art. 3. parag. 2. n. 80. ſolvens propoſitam ex S. Thoma objectio-
To. 1. p. 423. C. nem, *Per hoc*, inquit, *non intendit docere* (S. Thomas) *illam non eſſe voluntatem de facto, aut non eſſe formaliter in Deo, ſed ſolùm illam non eſſe voluntatem ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, quatenus attingit objectum ſecundùm ſe, & præciſum à circumſtantiis.*

Inſtabis 10. Voluntas Dei antecedens, ex dictis, conditionata eſt: at voluntas conditionata Deo indigna videtur, quia ab ipſo omninò pendet conditionem ponere vel non ponere.

Reſp. Diſtinguo min. Deo indigna videtur voluntas quæ ſit conditionata
Tom. 7. pa. 405. col. 1. D. ex parte ſubjecti, ſeu Dei volentis, concedo: quæ ſit conditionata ex parte objecti ſeu creaturæ, nego. Ita S. Thomas in 1. diſt. 46. q. 1. art. 1. ad 2. ubi docet voluntatem Dei poſſe dici conditionatam. *Nec tamen*, inquit, *eſt imperfectio ex parte voluntatis divinæ, ſed ex parte voliti; quod non accipitur*
cum.

cum omnibus circumſtantiis quæ exiguntur ad rectum ordinem in ſalutem.

Inſtabis 11. Deus non vult ſalvos fieri infantes qui in utero materno priùs extinguuntur, quàm poſſit ipſis remedium ſalutis, nempe Baptiſmus, applicari: nulla quippe ipſis media confert quibus ſalvi eſſe poſſint; ergo non habet Deus generalem & antecedentem pro ſalute omnium voluntatem.

Reſp. nego ant. Ad hanc enim Dei voluntatem erga ipſos etiam infantes admittendam ſatis eſt, quòd pro illis Baptiſmum inſtituerit, ac paratus ſit quantùm eſt ex ſe eum ipſis procurare, niſi obſtaret naturalis cauſarum ſecundarum ordo, qui mortem infantis poſtulat, quem ordinem interturbare Deus non tenetur. Non ergo ex defectu miſericordiæ ex parte Dei fit, quòd ille infans non ſalvetur; ſed vel ex incuria & negligentia parentum, vel ex alia quacumque cauſa. *Dicendum*, inquit S. Thomas in 4. diſt. 6. q. 1. art. 1. ad 1. *quòd non eſt ex defectu divinæ miſericordiæ, quòd* (infantibus) *in maternis uteris exiſtentibus remedium non exhibetur, ſed quia non ſunt capaces illius remedii, per quod ſecundùm legem communem participes paſſionis Chriſti efficiantur, à qua eſt remiſſio peccatorum; quia non poſſunt ſubjici operationi Miniſtrorum Eccleſiæ, per quos talia remedia miniſtrantur.* Sed de hoc argumento pleniùs ubi de Gratia. T. 10. p. 89. col. 2. B.

Inſtabis 12. Deus voluntate antecedente ipſorum etiam dæmonum & omnium damnatorum vult ſalutem; quia ſalvus in ſe ſimpliciter conſiderata bona eſt: atqui tamen planè ſterilis eſt & otioſa iſta Dei erga ſalutem dæmonum voluntas.

Reſp. nego maj. Voluntas enim Dei antecedens ex S. Thoma eſt voluntas beneplaciti actuoſa, *cujus effectus*, ait S. Doctor in 1. diſt. 46. qu. 1. art. 1. *eſt ipſe ordo naturæ in finem ſalutis, & promoventia in finem omnibus communiter propoſita, tam naturalia quàm gratuita.* Porrò nihil operatur Deus circa ſalutem dæmonum & omnium damnatorum, cujus illi ſunt incapaces, utpote in termino conſtituti & obſtirmati in malo. *Unumquodque autem ſecundùm quod bonum eſt, ſic eſt volitum à Deo*, ait S. Thomas 1. p. q. 19. art. 6. ad 1. bonum autem non eſt nec juſtitiæ divinæ conſentaneum, ut dæmones ceterique æternis ſuppliciis addicti ſalventur & liberentur à pœnis; ergo Deus voluntate vera & ſincera eorum ſalutem non vult; ſed habet dumtaxat erga ſalutem illam meram, otioſam & inutilem complacentiam, qualem habet erga creaturas merè poſſibiles. T. 7. p. 403. col. 1. B.

Inſtabis 13. Deus ex voluntate illa antecedenti non movetur ad concedenda omnibus & ſingulis hominibus ſufficientia ſalutis aſſequendæ media. Namque c. 16. Act. Apoſt. v. 6. & 7. Apoſtoli *tranſeuntes Phrygiam & Galatiæ regionem vetati ſunt à Spiritu ſanctò loqui verbum Dei in Aſia. Et cùm venirent in in Myſiam tentabant ire in Bithyniam, & non permiſit eos Spiritus Jeſu.*

Reſp. nego ant. Ad probationem dico, quòd ſi Apoſtoli tunc prohibente Spiritu Evangelium in Aſia non prædicaverint, poſtea tamen divina ordinante Providentia illud annuntiarunt.

Inſt. 14. Si Deus vult quantùm in ſe eſt omnium hominum ſalutem, rogandus non eſt pro illa obtinenda ſalute, utpote qui quod ſuarum eſt partium jam perfecerit, dato omnibus ſufficienti auxilio; ſed admonendi dumtaxat erunt homines, ut auxilio ſibi conceſſo benè ut oportet utantur: fruſtra quippe id petitur, quod præſto eſt, imò quod jam conceſſum eſt, & poſitum in tua poteſtate.

Reſp.

Resp. sequelam antecedentis planè ineptam esse. Namque Deus ita vult omnes homines salvos fieri, ut velit eorum salutem mutuis precibus adjuvari, quarum intuitu sæpissimè majora & copiosiora gratiæ auxilia largitur, quibus salus reipsa obtinetur, & sine quibus non obtineretur. Certè Deus vult quantùm est ex se, humano generi suppeditare quæ ad vitam corporalem tuendam sunt necessaria, causasque generales & sufficientes ad hunc finem instituit: an propterea fideles ab ipso non petunt ut fructus terræ dare & conservare dignetur? Nonne panem nostrum quotidianum à Deo postulari jubet Christus? Ita certè. Quid ita? Quia vult ut petamus etiam ea quæ nobis conferre decrevit. Sic postulat à Christo Ecclesia, ut gregem suum Pastor æternus non deserat, in Præfatione Apostolorum. Et in Litaniis ac publicis supplicationibus, ut Ecclesiam suam sanctam regere & conservare dignetur. Innumera possent afferri ejusmodi supplicationum exempla.

Instabis 15. Vox ista, *omnes*, in textu Apostoli, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, omnes planè & singulos homines non significat, sed aliquos dumtaxat: quemadmodum cùm dicitur Gen. 6. *Omnis caro corruperat viam suam.* Et Psal. 31. v. 3. *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt.* Et tamen erant etiam tunc temporis aliqui justi. Pariter 1. Cor. 15. dicitur, *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur*, attamen non omnes in Christo vivificantur.

Resp. Ex adjunctis loci circumstantiis, ex communi Ecclesia ac SS. Patrum traditione cognosci debere, quando vox ista, *omnes*, in tota sua & lata significatione usurpanda sit, vel non. Aliquando enim significatio illa restringenda est, aliquando non restringenda. Quando v. g. dixit Apostolus, omne mortuos esse in Adamo, ac pro omnibus Christum esse mortuum, vox illa, *omnes*, universim pro omnibus & singulis hominibus usurpatur: reipsa enim omnes (una excepta B. Virgine) in Adamo mortui sunt, & Christus pro omnibus mortuus est. Pariter cùm dixit idem Apostolus, Deum velle omnes homines salvos fieri; omnes omninò & singulos homines intelligit, quia jubet pro omnibus hominibus orationes & deprecationes ad Deum fieri, quos Deus vult salvos fieri.

Objicies denique cum nonnullis apud S. Augustinum Epist. 194. alàs 105. ad Sixtum cap. 2. n. 5. Omnes non salvantur; ergo Deus non habet voluntatem salvandi omnes; *Quia nempè injustum est in una eademque mala causa hunc liberari, illum puniri.*

Vide p. 7. 6. D. Ibid. E.

Respondet S. Aug. citato loco his verbis: *Ergo justum est utrumque puniri. Quis hoc negaverit? Agamus ergo gratias Salvatori, dum nobis non redditum cernimus, quod in damnatione similium etiam nobis debitum fuisse cognoscimus. Si enim omnis homo liberaretur, utique lateret quid peccato per justitiam debeatur: si nemo, quid gratia largiretur.*

Solvuntur Objectiones adversùs mortem Christi pro omnibus.

Objicies 1. Scriptura declarat Christum non pro omnibus indistinctè hominibus, sed pro multis dumtaxat mortuum fuisse. Matth. 20. v. 28. *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis.* Et cap. 26. v. 29. *Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Hebr. 9. v. 28. *Christus semel oblatus est*

eſt ad multorum exhaurienda peccata. Hæc potrò loquendi ratio, *pro multis*, non ſingulos homines deſignat, ſed aliquos dumtaxat ex illis; ſeu ut ajunt, non pro ſingulis generum, ſed pro generibus ſingulorum intelligenda eſt: quo ſenſu Apocal.5. v.9. dicitur: *Occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo ex omni Tribu, & lingua, & populo, & natione*.

Reſp. Nego ant. Ad cujus probationem dico voces iſtas, *pro multis*, citatis in locis ſupponere pro *omnibus*, id eſt, pro multitudine & plebe univerſa. Quo ſenſu Rom.5. v.15. Apoſtolus ait, *Unius delicto multi mortui ſunt*: omnes planè homines mortui ſunt in Adamo, *in quo omnes peccaverunt*. Pro illis autem omnibus mortuus eſt Chriſtus, qui mortui ſunt in Adamo: (eſt ipſummet Apoſtoli argumentum 2. Corinth.5.) Atqui omnes planè homines in Adamo mortui ſunt; ergo pro omnibus mortuus eſt Chriſtus. Quòd ſi placeat adducta Scripturæ loca interpretari tantùm de morte Chriſti pro generibus ſingulorum, non repugnabo; modò intelligas de efficaci, abſoluta & conſequente applicatione mortis Chriſti, non verò de ſufficiente & efficaci ex parte Chriſti ipſius oblatione. Reſponſionem iſtam affert S. Auguſtinus Julianum impugnans Lib.2. Operis imperf. cap.175. ubi dicit, *non repugnare omnibus multos, quia ipſi omnes non pauci ſed multi ſunt*. T.10.p. 1023.E

Inſtabis 1. Teſtatur eadem Scriptura Chriſtum mortuum eſſe pro electis dumtaxat ſeu prædeſtinatis. Joan.10. *Animam meam pono pro ovibus meis*. Matth.1. *Vocabis nomen ejus Jeſum: ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum*. Et Joan.3. *Exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipſum, non pereat*. Epheſ.5. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ*. Denique Joan.6. *Deſcendi de Cœlo non ut faciam voluntatem meam, ſed ejus qui miſit me. Hæc eſt autem voluntas ejus qui miſit me, Patris, ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo*. Unde Matth.15. Chriſtus declarat non ſe *miſſum niſi ad oves quæ perierunt domus Iſrael*.

Reſp.1. plures in iſto argumento citatos textus in ipſos adverſarios retorqueri, qui fatentur Chriſtum non tantùm pro ſalute electorum eſſe mortuum, ſed etiam pro donis quibuſdam gratiæ temporalibus, quæ reprobis conceduntur: habent igitur illi ſolvendos illos Scripturæ textus.

Reſp.2. Diſtinguo ant. Teſtatur Scriptura Chriſtum mortuum fuiſſe pro electis dumtaxat, quantùm ad efficacem meritorum Chriſti applicationem, & aſſecutionem vitæ æternæ, concedo: quantùm ad ſufficientem mortis Chriſti oblationem pro ſalute omnium, nego. Laudata igitur Scripturæ teſtimonia affirmant quidem Chriſtum eſſe paſſum pro ovibus ſuis, ut non pereant, ſed habeant vitam æternam: attamen non negant eſſe paſſum etiam pro aliis, neque repugnant pluribus Scripturæ locis affirmantibus Chriſtum eſſe mortuum *pro peccatis totius mundi*. 1. Joan.2. *Guſtaſſe mortem pro omnibus*. Hebr.2. *Dediſſe ſemetipſum redemptionem pro omnibus*. 1. ad Timot. 2. *Salvatorem eſſe omnium, maximè fidelium*. Ib.4. Nempè quoad ſufficientiam & intentionem Chriſti, ut omnibus applicetur & proſit, ſicut delictum omnibus nocuit. Rom.5.

Adde quòd Chriſtus velit omnes eſſe ſuas oves, populum ſuum, & membra ſuæ Eccleſiæ; velit omnibus Evangelium ſuum prædicari; velit omnes credere & baptizari, ut habeant vitam æternam; velit omnes juſtificatos ſervare man-

mandata, quæ jubet etiam proponi omnibus. Quare citata Scripturæ teſtimonia, quibus dicitur Chriſtum poſuiſſe animam ſuam pro ovibus ſuis, venisſe ut ſalvum faceret populum ſuum, & ſeipſum tradidiſſe pro Eccleſia, non adverſantur, ſed potiùs favent intentioni Chriſti generali ſalvandi omnes.

Perperam etiam colligunt adverſarii Deum non dediſſe Chriſto omnes prorſus homines, ex eo quòd multi eorum pereunt, ſed ſolos electos & efficaciter prædeſtinatos: namque longè aliud eſt, Deum velle ut nullus pereat eorum, quos Chriſto dedit, & aliud nullum perire de facto. Deus quidem id vult voluntate beneplaciti; ſed quidquid Deus eo modo vult, quando conditionatum eſt, non fit reipſa: & Chriſtus ipſe Joan. 17. diſertè affirmat periiſſe aliquos eorum quos à Patre ſibi datos affirmaverat. Loquens enim de duodecim Apoſtolis ſic ait v. 12. *Quos dediſti mihi, cuſtodivi: & nemo ex eis periit, niſi filius perditionis.* Sicut autem Judas periit inter Apoſtolos Chriſto datos à Patre, totque ſpecialibus beneficiis cumulatos & gratiæ auxiliis adjutos; ſic multi alii pereunt inter homines univerſim acceptos, licèt omnes Chriſto dati fuerint juxta illud Pſalm. 2. *Poſtula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Sed pereunt contra intentionem Chriſti, & contra Dei voluntatem, qui vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: pereunt, quia perire volunt.

Inſtabis 2. Cùm Chriſtus dicitur *mortuus pro omnibus*, vis facienda non eſt in hac voce, *omnibus*; quæ licèt ex ſe indeterminata ſit & univerſalis, in multis tamen Scripturæ locis limitatur & reſtringitur. Joan. 12. *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum*: neque tamen Chriſtus omnia trahit ad ſe. Joan. 1. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: non quia nullus ſit qui non illuminetur; ſed quia nullus niſi ab ipſo illuminatur. Pariter 1. Corint. 15. dicitur, *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur*: neque tamen omnes vivificantur, cùm multi æternùm pereant. Hinc obſervat S. Fulgentius Lib. de Incarnatione & Gratia cap. 31. n. 62. *familiare eſſe divinis eloquiis, ut omnes non-*
P. 320. *nunquam dicant, nec tamen omne humanum genus in ipſis omnibus ſemper intelligi debere commoneant.*

Reſp. Hujuſmodi argumenta ex varia grammaticali verborum ſignificatione Socinianis arridere plurimùm ac domeſtica eſſe, ſed planè vana & infirma. Quamquam enim fateamur vocem hanc, *omnes*, pro multis, non pro omnibus aliquando uſurpari in Scripturis, inſulſus tamen ille foret, qui generaliter inde inferret, vocem hanc nuſquam omnes homines planè ſignificare; cò quòd aliquando uſurpetur ad multos denotandos. Circumſtantiæ itaque locorum, ſubjectum argumentum & alia hujuſmodi penſanda ſunt, ut hæc ſignificatio determinetur. Neque verò iſta Socinianorum periculoſa & perverſa methodus adverſariis noſtris favere hìc poteſt, niſi velint in iſta Apoſtoli ſententia, *Omnes in Adamo mortui ſunt, Omnes peccaverunt*, particulam, *omnes*, ſignificare multos, non verò omnes prorſus homines, quod illi tamen non fatentur. Ergo fateantur pariter neceſſe eſt in iſta ejuſdem Apoſtoli ſententia, *Chriſtus pro omnibus mortuus eſt*, vocem, *omnibus*, non pro multis tantùm, ſed pro omnibus planè hominibus ſupponere; maximè cùm pro iis omnibus Chriſtum mortuum eſſe aſſerat Apoſtolus, qui mortui ſunt in Adamo. Porrò omnes planè homines, excepta B. Virgine, in Adamo mortui ſunt.

Inſta-

Instabis 3. Pro illis solis mortuus est Christus, pro quibus oravit: atqui oravit pro solis prædestinatis, Joan. 17. 2.9. *Non pro mundo rogo, sed pro iis quos dedisti mihi.*

Resp. 1. Nimis probat istud argumentum: nempè Christum non esse mortuum pro temporalibus gratiæ donis quibus etiam reprobi hac in vita ornantur, quod vel ipsi adversarii non fatentur; imò & Christum pro solis Apostolis orasse, quia de illis solis eò loci loquebatur.

Resp. 2. Distinguo min. Atqui Christus oravit pro solis Apostolis, seu prædestinatis, hac singulari oratione quam tunc Christus post cœnam ultimam fundebat, esto: nunquam oravit pro aliis, nego. Eodem quippè cap. v. 20. ait: *Non pro eis autem rogo tantùm, sed & pro eis qui creditur sunt per verbum eorum in me.* Et v. 21. orat, *ut mundus credat, quia tu me misisti.* Et Lucæ 23. orat pro suis tortoribus, *Pater*, inquit, *dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* Dubitari autem non potest quin multi ex illis reprobi forent. Et verò pro illis omnibus oravit, pro quorum salute in mundum venit: atqui venit etiam pro salute infidelium, etiam illorum qui moriuntur in infidelitate, ut constat ex istis Christi verbis Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Quòd autem nomine mundi, non intelligat solos fideles aut electos, sed etiam infideles & damnandos, patet ex verbis immediatè sequentibus. *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Qui credit in eum non judicatur, qui autem non credit, jam judicatus est.* Sicut autem reprobi & infideles resistentes Spiritui sancto, reddunt operationem ejus inefficacem; ita & Christi orationem pro salute illorum.

Instabis 4. Oratio Christi non potest esse inanis, semper enim exaudita fuit. *Ego sciebam*, ait Christus Joan. 11. *quia semper me audis.* Et Hebr. 5. *Exauditus est pro sua reverentia.* Atqui inanis fuisset, nec exaudita Christi oratio pro salute reproborum.

Resp. Dist. ant. Oratio Christi efficax & absoluta, concedo: non efficax, nec absoluta, nego. Sicut in Deo duplex distinguitur voluntas, una absoluta & consequens quæ semper impletur, altera conditionata & antecedens quæ non impletur, ita & in Christo duplex oratio, una efficax & absoluta, quæ ex voluntate consequente; altera inefficax & conditionata, quæ ex voluntate antecedente profluit: prior semper impletur, non posterior. De priori intelligenda sunt citata Scripturæ testimonia; de posteriori verò ista, Matth. 26. *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste. Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Et Marci 7. *Neminem voluit scire, & non potuit latere.* Pro electis & prædestinatis oravit Christus oratione efficaci & absoluta, pro reprobis autem oratione inefficaci & conditionata: non quòd illis gratias sufficientes largitus non fuerit, sed quòd collatum ipsis non fuerit beneficium quod virtute gratiæ obtinendum erat, & quod Christus antecedente voluntate intendebat.

Instabis 5. Ex S. Augustino Lib. 21. de civitate Dei cap. 24. *Si de aliquibus certa esset* (Ecclesia) *quòd prædestinati sint in æternum ignem ire cum diabolo, tam pro eis non oraret, quàm nec pro ipso.* Atqui noverat Christus quinam essent reprobi in æternum ignem mittendi; quomodo igitur pro eis oravit? To. 7. p. 462. C.

Resp.

Resp.dist. maj. Non oraret pro iis oratione absoluta & supponente reprobationem, concedo: eam antecedente, nego. Distinguo consequens; ergo Christus non oravit pro reprobis, oratione absoluta supponente eorum reprobationem, concedo: antecedente eorum reprobationem, nego. Cùm enim reprobatio sit effectus abusus seu non usus gratiæ; & gratia concedenda sit, quia & Deus voluit homines salvos fieri, & Christus moriturus erat atque oraturus pro gratia hominibus concedenda; priùs est & voluntatem Dei pro salute omnium, & Christi mortem & orationem saltem in proposito intelligi, quàm reprobationem aut prævisionem reprobationis: adeoque pro iis oravit Christus, qui reprobi facti sunt ob neglecta gratiæ dona, quæ Christus morte sua ipsis promeritus fuerat, & sua oratione impetraverat.

Hæc ipsa objectio etiam retorqueri potest contra voluntatem quam Deus habuit, non diffitentibus adversariis, salvandi omnes Angelos: quomodo enim (dicet aliquis) voluit Deus verè ac sincerè eos salvos esse, quos noverat damnandos fore? Quod ipsi respondebunt, hic nos dictum non abnuemus. Agit citato in Objectione loco S. Augustinus contra nonnullos,
Ib.p.642. A.B. qui existimabant *sanctos Angelos simul cum sanctis hominibus pro damnandis & Angelis & hominibus oraturos, ut misericordia non patiantur, quod veritate merentur pati.* Quam sententiam fidei contrariam affirmat; *aliquin nulla causa est*, inquit, *cur non etiam nunc pro Diabolo & Angelis eius oret Ecclesia.* Ac statim addit, *nec pro reprobis oraturam Ecclesiam, si noscet qui sint illi reprobi*; quia scilicet oratio illa supponeret notitiam reprobationis: oratio verò Christi eam antecedit. Hoc modo exponi debent quædam alia SS. Patrum testimonia, qui eo sensu negarunt Christum esse mortuum pro reprobis, ac Deum velle illorum salutem, quo asseruerat Origenes, nempè illos à suppliciis suis aliquando liberandos & ex inferis eruendos.

Objicies 2. S. Augustinus videtur nonnullis in locis mortem Christi ad solos prædestinatos referre, non ad omnes indistinctè homines. Tract. 1. in 1. Epist. Joan. n. 8. expendens ista verba, *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem, sed etiam pro totius mundi*, ait per mundum signi-
To.3 p. 2.p.831. F.G. ficari Ecclesiam; & Christum nonnisi pro peccatis omnium fidelium propitiationem fuisse. Et Tract. 52. n. 11. in illa verba, *Omnia trahamtem post me*, ait: *Si omnia ipsi homines intelligendi sunt, omnia prædestinata ad salutem posu-*
Ibid. p. 642. G. *mus dicere: ex quibus omnibus aut nihil esse perituram, cùm suprà de suis ovibus loqueretur.* Et Epist. 169. aliàs 102. ad Evodium: *Non perit*, inquit, *unus*
To.2.p. 604. E. *ex illis pro quibus mortuus est* (Christus.) Attamen multi pereunt; ergo pro illis Christus mortuus non est. Denique L. 21. de Civit. Dei cap. 24. expendens n. 6. istud Apostoli, *Concluſit enim Deus omnes in infidelitate, ut omnium*
Tom.7. pa.645. A.B. *misereatur. Quos omnes*, inquit, *nisi de quibus loquebatur, tanquam dicens, & vos & illos? Deus ergo & Gentiles & Judæos, quos præscivit & prædestinavit conformes imaginis Filii sui ..... Omnium itaque misereturvasorum misericordiæ. Quid est, omnium? Et eorum scilicet quos ex Gentibus, & eorum quos ex Judæis prædestinavit, vocavit, justificavit, glorificavit; non omnium hominum, sed istorum omnium neminem damnaturus.* Eo in loco manifestè per *omnes* quorum Deus miseretur, S. Augustinus solos intelligit prædestinatos, sive ex Judæis, sive ex Gentilibus.

Resp. distinguo ant. S. Augustinus mortem Christi nonnullis in locis ad solos

los prædestinatos referre videtur, quantùm ad efficacem meritorum Christi applicationem & certam æternæ vitæ assecutionem, concedo: quantùm ad sufficientem intentionem, seu animum offerendi pretium sanguinis sui, nego. *Et si Christus pro omnibus mortuus est*, ajunt Patres Trid. sess.6. de justif. cap.3. *non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii dumtaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur*. Igitur quantùm ad intentionem & animum Christi morientis pro omnibus omnino mortuus est; non tantùm quia pretium obtulit omnibus redimendis par, ac sufficiens, sed etiam quia pro omnibus illud Patri suo obtulit, ut omnibus ad salutem prodesse posset. Quantùm verò ad efficacem applicationem meritorum Christi, & realem ac certam vitæ æternæ assecutionem, pro solis prædestinatis Christus dicitur mortuus, quia reipsa soli prædestinati salvantur. Locis citatis S.Aug. loquitur reipsa de morte Christi hoc posteriori sensu, sed alium non excludit: imò supponit & probat in iis testimoniis quæ ex eodem sancto Doctore inter probationes adduximus. Aliàs, (quod adversarii non fatentur) dicendus non esset Christus mortuus pro illis gratiæ temporalibus auxiliis quibus donantur reprobi. Tract.1. in Epist.S.Joan. revera per mundum Ecclesiam intelligit, pro qua speciali ratione Christus mortuus est *ut illam sanctificaret.... & exhiberet sibi gloriosam, non habentem maculam aut rugam*. Verùm intelligit etiam mundum universum, *quem suo*, inquit, *sanguine comparavit*. Quamquam ex eo quòd Christus pro Ecclesia mortuus dicatur, recte contra Jansenium infertur, eum pro aliis quàm pro solis prædestinatis mortuum fuisse: in Ecclesia enim multi sunt reprobi, pro quibus consequenter mortuus Christus dicendus est. Tract.52. in Joann. variam significationem hujus vocis, *omnes*, *omnia*, refert S.Doctor, quæ vel pro singulis generum, vel pro generibus singulorum, vel pro omnibus fidelibus, vel pro solis electis, vel pro omnibus planè hominibus sumi potest. Una porrò explicatio alteram non excludit. Citato verò c.24. Lib.21. de Civitate Dei manifestum est sanctum Doctor. loqui de efficaci morte Christi pro solis electis, adversùs Misericordes seu Origenistas, qui fructum seu beneficium mortis Christi ad ipsos etiam damnatos extendebant, quos Sanctorum precibus & intercessionibus à pœnis suis aliquando liberandos & ad vitam æternam perducendos esse fabulabantur. *Hoc autem*, ait S. Doctor initio citati capitis 24. *adversùs eos valet, qui suas agentes causas contra Dei venire verba, velut misericordia majore conantur; ut ideo videlicet vera sint, qui ea quæ dixit homines esse passuros, pati digni sunt, non quia passuri sunt. Donabit enim eos, inquiunt, precibus Sanctorum suorum.* Cùm verò idem sanctus Doctor citata Epistola ad Evodium ait, *Neminem perire ex iis pro quibus Christus mortuus est*, subintelligi debet, nisi ille perire velit. Loquitur scilicèt de adultis, aitque necessariam non esse ad salutem *vivacitatem intelligendi; alioquin simplices & indocti salvari non possent. At*, inquit sanctus Doctor, *non perit unus ex illis pro quibus mortuus est*: supple, ex incapacitate & impotentia sine sua culpa. Et verò perire aliquos pro quibus Christus mortuus est, docet Apostolus 1.Cor.8. v.11. *Peribit*, inquit, *in tua conscientia frater infirmus, pro quo Christus mortuus est*.

To. 14. Conc. p. 758. A.

Ephes. 5.v.26.

To.3.p. 2. pag. 831.G.

Ibid. p. 642. F. G.

To.7.p. 641.E.

Objicies 3. auctoritatem S.Thomæ 3.p. q.21.art.4. ad 2. ubi docet *Dominum non oravisse pro omnibus crucifixoribus, neque etiam pro omnibus qui erant credi-*

crediturí in eum, ſed pro his ſolùm qui erant prædeſtinati, ut per ipſum vitam conſequerentur æternam.

Reſp. ex lectione articuli manifeſtum eſſe S. Thomam eò loci agere de voluntate Dei abſoluta. Sic præfefert vel ipſe titulus ſeu Concluſio. *Cùm Chriſti voluntas abſoluta Deo ſemper fuerit conformis, ſemper ejus oratio à Deo Patre fuit exaudita.* Et in corpore articuli. *Et ideo*, inquit, *abſoluta voluntas Chriſti, etiam humana, fuit impleta, quia fuit Deo conformis; & per conſequens omnis ejus oratio* (ex tali voluntate abſoluta facta) *fuit exaudita.* Tam apertus & evidens eſt Angelici Doctoris ſenſus, ut mirum videri debeat alium ab Arnaldo confingi potuiſſe, Lib. 8. novæ defenſionis Verſionis Montenſis cap. 1.

Objicies 4. cum eodem Arnaldo ibidem, *Petavius Tom. 1. Dogm. Theol. Lib. 10. cap. 5. n. 3. aſſerit, quòd ſi quis Auguſtini ſententiam illam amplecti voluerit, quæ prædeſtinationem ſine ullo ad merita reſpectu tanquam ad cauſam fieri cenſet; reprobationem autem ex ſolo originali delicto: conſequens videtur, ut neque reproborum ſalvandorum voluntatem ullam habuiſſe Deum aſſerat; neque pro eorum ſalute vel eſſe paſſum, vel oraſſe. Qui enim poterat, cùm abſoluto decreto damnare illos ſtatuiſſet?* Agnoſcit ergo Petavius, illud ex prædeſtinatione gratuita, qualem S. Auguſtinus propugnavit, conſequens eſſe, Deum nec reprobos velle ſalvos fieri, nec Chriſtum pro iis mortuum fuiſſe. Porrò ſententia S. Auguſtini de gratuita prædeſtinatione liberè ac tutè in Scholis defenditur.

Reſp. 1. deceptum ea in re fuiſſe Petavium, & à ſententia tùm Suareſii, tùm Bellarmini & aliorum diſcedere, qui duo iſta ſimul conciliant, & decretum abſolutum antecedens prædeſtinandi aliquos, & voluntatem antecedendem ſalvandi omnes.

Reſp. 2. Petavium 2. p. T. 4. Lib. 13. c. 1. 2. & 3. emendaſſe quæ ex T. 1. hìc opponuntur. Probat enim longa teſtimoniorum ex SS. Patribus enumeratione, eſſe in Deo veram an ſinceram antecedentem ſalvandi omnes homines voluntatem, ac Chriſtum pro omnibus ſanguinem fudiſſe. Inter illos autem c. 3. ex profeſſo mentem S. Auguſtini evolvit, ac in ſpeciem pugnantia ejus dicta ad concordiam revocat. Non debuiſſet Arnaldus iſtum Petavii locum diſſimulare, qui priorem tanta confidentia objicit.

Solvuntur Objectiones ex Doctoribus Scholæ.

Vel in ipſo hujus diſputationis aditu monuimus, nonnullos ex noſtris non ſine affectatione ac tacito quodam ſtudio communem Scholæ doctrinam, tùm circa generalem Dei pro ſalute omnium voluntatem, tùm circa mortem Chriſti pro omnibus, vellicandi, benè multa Scholaſticorum per varias Claſſes digeſta teſtimonia colligere & oſtentare: ut tacitè innuant, præſentem quæſtionem illæſa fide ac ſaniore doctrina, varias in partes liberè à Scholaſticis agitari. Quàm malevolo in rem Catholicam conſilio, quàm fide parum recta, ſincera, ac diſtortis argumentis id efficere conentur, juvat hìc paucis demonſtrare.

Objicies itaque primò, eos tùm veteres tùm recentiores Scriptores qui exponendo Apoſtoli ſententiam, *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, ge-

neralem omnium ac ſingulorum ſalvandorum voluntatem inefficacem in Deo non admiſerunt. Ita inter veteres S.imprimis Auguſtinus, S.Proſper Epiſtola ad Rufinum c.13. Hilarius Epiſtola ad S.Auguſtinum n.6. Auctor Librorum de vocatione gentium Lib.1. cap.9. 10. 11. S. Fulgentius Lib. de Incarnatione, & Gratia, Petrus Diaconus Epiſtola ad Fulgentium, Beda Comm. in Epiſt. ad Timoth. Lupus Servatus Lib. de tribus quæſtionibus q.1. n.26. Prudentius Trecenſis in Tractoria ad Synodum Senonenſem, Florus Diaconus Lib. adversùs Scotum cap.2. Eccleſia Lugdunenſis Lib. de tribus Epiſtolis cap.12. & 13.

Ex poſterioribus, Robertus Pullus Lib.1.Sent. cap.14. Petrus Lombardus Lib.1.diſt.46.Petrus Pictavienſis 1.p.Sent.c.11. Præpoſitivus in Summæ ſuæ principio, Gregorius Ariminenſis, Thomas Bradvvardinus, Eſtius, Sylvius, Fromondus, Florentius le Cocq &c.

Reſp. 1. Auctores mox citatos qui Auguſtinum tanquam ducem aut exſcribunt, aut laudant, eo ipſo modo interpretandos eſſe quo ipſemet Auguſt. Porrò ex dictis hactenus conſtat S.Doctorem 1. agnoviſſe in Deo duplicem voluntatem, unam abſolutam & conſequentem quæ ſemper impletur, alteram generalem & conditionatam quæ non ſemper impletur. 2. in iis locis qui ſolent hic nobis opponi, eum revera potiſſimum loqui de voluntate Dei ſalvandi omnes abſoluta & efficaci, idque appoſitè ad confutandos Semipelagianos, qui circa voluntatem Dei generalem pro ſalute omnium inſigniter aberrabant, quorum dumtaxat perverſum & erroneum ſenſum S.Doctor damnat & excludit. 3. Nunquam S.Auguſtinum rejeciſſe & excluſiſſe voluntatem illam Dei generalem & antecedentem ſano & Catholico ſenſu intellectam. Niſi ergo demonſtraverint adverſarii, auctores quos appellant, conceptis verbis voluntatem illam Dei generalem inefficacem excluſiſſe, nihil omnino proficient; at nunquam id profectò demonſtrabunt: imò ſi quid in ipſis candoris eſſet ac rectæ fidei, non diſſimularent ab illis Scriptoribus non modò excluſam non fuiſſe, ſed expreſsè admiſſam illam generalem & inefficacem Dei pro ſalute omnium voluntatem.

An non eam admiſere S.Proſper in iis locis quos in confirmationem tertiæ noſtræ Concluſionis laudavimus, Auctor librorum de vocatione gentium, Eccleſia Lugdunenſis, Magiſter Sententiarum, S.Bonaventura, Scotus &c. Alii verò quos laudant, Fulgentius, Petrus Diaconus, Beda, Lupus Servatus &c. vel interpretationes S.Auguſtini dumtaxat referunt & approbant, alia interpretatione non rejecta; vel erroneum dumtaxat Semipelagianorum ſenſum reprobant.

Reſp.2. Inter Scholæ Doctores eos hic audiendos non eſſe qui vel Novatorum erroribus in multis favent, ut Bradvvardinus, vel duriùs omninoac minùs caſtigatè locuti ſunt, ut Gregorius Ariminenſis; vel apertè Bajo & Janſenio patrocinantur, ut Fromondus, Florentius le Cocq. Auctores quinque Articulorum &c. Eſtius quidem Baji doctrinæ in quibuſdam addictus, veram in Deo pro ſalute omnium generalem voluntatem multùm elevat & immutat; attamen, ut antea obſervavimus cùm de conſenſu Scholæ loquebamur, nonnulla ſtatuit quæ in communem Scholæ doctrinam recidere videntur.

Objicies 2. eos Theologos qui à voluntate Dei pro ſalute omnium parvulos abſque baptiſmate morientes excluſerunt, quales ſunt Gregorius Ari-

minensis in 1.dist.46. q.1. Robertus Kolkot in 2.dist.1. Driedo de Captivitate & Redemptione generis humani Tract.5. c.3. Concl.5. Dominicus Soto de Natura & Gratia Lib.2. cap.10. in fine. Card.Sfrondratus in Nodo prædest. dissoluto par.1. sect.1. n.13. sed imprimis inter recentiores, Vasquesius in 1.p. S.Th. disp.95. cap.6. & disp.96. cap.1.2. & 3.

Resp.1. non dissimulandum objectionem istam ab exemplo parvulorum petitam, qui priùs in utero materno extinguuntur, quàm ulla humana industria possit ipsis per baptismum subveniri, ad solvendum perdifficilem esse: Verùm ea sepositа, in integro remanet nostra Conclusio erga adultos omnes.

Resp.2. dist.ant. Nonnulli Tehologi excludunt à voluntate Dei generali salvandi omnes, ipsos infantes sine baptismo morientes, quantùm ad media salutis actu data & recepta, concedo: quantùm ad illa media in finem salutis præparata & oblata, nego. Scilicèt cùm ex communi Scholæ doctrina ex voluntate Dei generali salvandi omnes, deriventur ac defluant auxilia gratiæ quibus tanquam mediis pervenire ad finem ultimum homines possunt, eos Deus salvos fieri velle non censetur, quibus nulla omnino confert salutis assequendæ media: tales autem sunt infantes, ait Vasquez, *sive editi in lucem, cùm aqua non conceditur: sive in utero materno vi sola naturæ morientes.* Igitur quantùm ad actualem mediorum illorum collationem ac receptionem, citati Theologi reipsa infantes illos excludunt à generali Dei voluntate salvandi omnes: at non ita est quantùm ad præparationem illorum mediorum; ea enim pro omnibus parata esse, & hoc sensu Deum omnes velle salvos fieri ac Christum pro omnibus mortuum esse, iidem Scholæ Theologi declarant ac profitentur: imprimis Vasquez, quem ad versarii continuò nobis objiciunt, in 1.p. S.Th. disput.96. cap.3. cujus hæc verba sunt: *Cæterùm,* inquit, *tribus de causis dicere possumus, Christum pro omnibus parvulis mortuum esse, qui tamen pro dæmonibus nullo modo mortuus dicitur: primò, quia communis erat causa parvulorum & omnium hominum, ob quam venerat & pro qua oravit, extra quam dæmones omnino erant. Secundò, quia justè, & piè credimus Christum non expresè denegasse ullis parvulis meritum suum, & à fructu suæ passionis apud Patrem eos excluisse, sicut dæmones rejecit. Tertiò, quia non minùs piè affirmare possumus, Christum voluntate simplicis affectus omnibus parvulis nemine excepto, etiam post peccatum primi parentis, salutem desiderasse, sicut sibi ipsi vitam concupivit; atque ita pro omnibus oravisse, ut salutem consequerentur, sicut pro se, ut liberaretur à morte, sed cum ea conditione quam orationi pro se factæ adjecit: Veruntamen non mea, sed tua voluntas fiat.* Ergo censet Vasquesius, Christum omnibus parvulis, nemine excepto, desiderasse seu voluisse salutem, voluntate conditionata, omnibusque præparasse remedium salutis assequendæ idoneum; tametsi illud omnibus applicari non permittat, defectu scilicèt conditionis requisitæ, vel ex parte curæ ac diligentiæ parentum, vel ex parte causarum secundarum quæ mortem infantis exigunt, quarum cursum interturbare Deus non tenetur, qui omnium rerum provisor est generalis. Ergo antecedenter ad illam causarum secundarum dispositionem, infantium salutem Deus voluit & remedium salutis pro illis præparavit, licèt consequenter ad illam dispositionem velit eos mori sine baptismo. *Non ergo ex defectu divinæ misericordiæ fit,* ait S.Thomas jam laudatus in 4.dist.6.q.1. art.1. ad 1. *quòd infan-*

To.1.p. 716.col. 1.n.10.

T.10.p. 89. col. 2. B.

fantibus in maternis uteris exiſtentibus remedium non exhibetur, ſed quia non ſunt capaces illius &c. Porrò ut Deus verè dicatur ſalutem illorum infantium velle, ſatis eſt, quòd pro illis remedium ſalutis inſtituerit & præparaverit, quamvis applicari conſequenter illis non poſſit. Ita Vaſqueſium ad communem aliorum Theologorum ſententiam adducere nonnulli conantur.

In eundem ſenſum exponi debere Dominicum Soto, clariſſimè demonſtrat egregium quod ex ipſo teſtimonium ſuprà retulimus, cùm ex conſenſu Scholæ argumentum ducebamus. In eo verò loco qui nobis hìc objicitur Lib. ſcilicet 2. de Natura & Gratia c. 10. in fine, non negat pro illis infantibus, qui in utero materno extinguuntur, inſtitutum & à Deo præparatum publicum ſalutis remedium, nempe Baptiſmum; ſed eos dumtaxat refellit, & meritò quidem, qui aſſerebant divinam decere clementiam, ut pro illis infantibus, quibus conferri Baptiſmus non poteſt, aliud ipſis proprium ac ſingulare remedium inſtituat. *Sed miraculum eſt*, ait Soto, *quòd genus hoc pietatis pientiſſimi Patres Eccleſiæ nunquam agnoverint, tunc vel maximè quando Pelagiani hoc eodem Achille tam erant Eccleſiæ infeſti.* Pa. 90. col. 1.

Driedo loco qui objicitur apertè loquitur de auxilio gratiæ actu dato & recepto. *Ex Scripturis ſacris manifeſtum eſt*, inquit, *non omni in hac vita ſufficiens adeſſe auxilium, quo valeat ſalvus fieri, aut reſipiſcere, aut reſurgere à peccatis. Patet in parvulis qui moriuntur in utero matris. Inſuper patet in adultis impiis, jam dormientibus, aut in furiam, aut inſaniam redactis.* Ed. Lovan. 1548. p. 128.

Agnoſcit verò idem Theologus, omnibus hominibus præparata auxilia ſalutis ſufficientia, quæ ſi ſingulis reipſa non conferuntur, ex hominum culpa vel negligentia contingit. *Quod ergo dicitur*, inquit Tractatu 4. cap. 2. *Deus vult omnes homines ſalvos fieri, ſi ipſi velint credere, ſi velint baptizari & invocare nomen Domini &c. poteſt habere orthodoxum quemdam intellectum, ſed non ſecundùm ſenſum quem prætendit hæreticus Pelagius.* Deinde in quarta parte hujus capituli: *Negligentia & diligentia humanarum voluntatum ſunt cauſæ quædam, quibus in hominem pervenit aut non pervenit motus fidei.* Pa. 94. Pa. 87.

Mirum profectò videri debet hìc nobis opponi Cardinalem Sfondratum qui tam effuſam erga ſalutem omnium Dei voluntatem agnoſcit, ut etiam parvulos ſine Baptiſmo morientes non tantùm ab omni pœna ſenſus eximat, ſed etiam quadam naturali felicitate donandos velit. *Non ergo*, inquit p. 1. n. 13. *negletti dici poſſunt, qui tanto bono donati ſunt, tantoque malo liberati.* Cùm igitur idem Cardinalis ſubjungit, *Fatendum tamen, quia nunquam parvulis ante Baptiſmum ſublatis Deus æternam vitam voluit, iſtos ad alium finem claſſemque providentiæ pertinere*; loquitur haud dubiè de voluntate Dei abſoluta & conſequente, non de antecedente ac conditionata, per quam, ut ipſe ait ibidem, *Deus, qui omnes homines amat, voluit etiam omnes ſalvare nullumque perire.* Et poſtea: *Tota antecedentis illius voluntatis ratio & fons ſola & unica Dei bonitas & miſericordia; non verò hominis merita etiam præviſa, cum iſta non ſint cauſa, ſed effectus efficacis illius & beneficæ voluntatis.* Nod. Prad. p. 69. Pa. 68. Pa. 69.

Objicies 3. ex Scholæ Theologis quamplures qui voluntatem Dei antecedentem pro ſalute omnium, ſigni dumtaxat eſſe, non beneplaciti affirmant: Ita Hugo Victorinus in Summa Sententiarum Tract. 1. cap. 13. ubi duplicem diſtinguit Dei voluntatem, unam beneplaciti quæ ſemper impletur, de qua dicitur, *Quæcumque voluit fecit.* Alteram ſigni, de qua dicit Apoſtolus, *Vult omnes ſalvos fieri*: ad quam ſigni voluntatem revocat præceptionem,

ptionem, prohibitionem, consilium &c. Idem docet & Robertus Pullus 1.p. sent. cap.14. Alexander Alensis 1.p. q.36. membro 2. Robertus Holkot in 2. dist.1. Marsilius ab Inghen, in 1. dist.46. q.45. art.1. Driedo de Concordia liberi arbitrii & prædestinatione 1.p.c.24. ad 2. Bannesius in 1.p.S.Th. q.19. art.6. Conc.1. Cumel in primam partem q.19.art. 6. Basilius Legionensis quem in eam opinionem laudat Gonetus Tract.4. de voluntate Dei, disp.4. art.3. Estius in 1. dist.40. paragr. 33. & ante illos omnes Auctor Librorum de vocatione gentium Lib.2. cap.25. *Rationabiliter, & piè creditur*, inquit, *omnes homines salvos fieri, Deum velle, semperque voluisse; & hoc non aliunde mostratur, quàm de iis beneficiis quæ providentia universis generationibus communiter atqui indifferenter impendit.* Talis ergo est, inquiunt, voluntas salutis omnium in Deo, qualis præparatio mediorum: porrò media illa quæ omnibus conferuntur, sunt externa tantùm, scilicet missio Apostolorum in universum orbem, & prædicatio Evangelii omni creaturæ &c.

Apud S. Prosp. p. 917. B.

Resp. distinguo ant. Plures Scholastici affirmant voluntatem Dei antecedentem esse voluntatem signi, non beneplaciti, respectu finis seu beatitudinis ad quam voluntas illa non certò perducit, concedo: respectu mediorum, nego. Placet nonnullis Theologis, ut jam diximus, eam dumtaxat beneplaciti appellare in Deo voluntatem, quæ semper impletur: cùm igitur voluntas Dei antecedens pro salute omnium non semper impleatur, voluntas illa respectu finis seu salutis, ab illis beneplaciti non appellatur, sed signi; respectu verò mediorum gratiæ quę ex illa voluntate defluunt, dicitur ab illis esse beneplaciti, quia re vera voluntas illa impletur. Itaque, ut jam superiùs observatum est, ubi de consensu Scholæ Quæsito primo, contro versia præsens mera videtur esse de nomine quæstio, utrum scilicet Dei voluntas quæ non impletur, dicenda sit beneplaciti, vel non: quæ quæstio non tanti momenti est, modò, quod præcipuum ac capitale est, servetur, ex illa nempe Dei voluntate in homines deri vari auxilia ad salutem sufficientia: quo salvo, longè rectiùs arguere videntur, qui voluntatem illam veram esse ac beneplaciti affirmant, quàm qui negant; quia nempe mediorum electio nonnisi à voluntate seu intentione finis oritur.

Itarem explicant Mariales, Alexander de Hales, & Guiartius, quorum verba loco mox indicato retulimus. Ita pariter inter Auctores citatos in objectione, Marsilius ab Inghen: *Mihi videtur*, inquit, *quòd ista voluntas antecedens non sit nisi voluntas signi respectu salutis; quamvis possit dici voluntas beneplaciti respectu eorum quæ Deus confert.* Et Driedo postquam varias ex S. Augustino interpretationes istorum verborum, *Deus vult omnes salvos fieri*, retulit, inter quas hæc una est quæ signi voluntatem denotat, nempe Deum velle, quia jubet ut velimus; significat alias etiam eorumdem verborum interpretationes Catholicas afferri posse. *Ac proinde*, inquit, *non erit absurdum intelligere Scripturas de alia quadam voluntate, videlicet optativa Dei communicantis præcepta &c.* Et postea. *Sunt igitur hujus generis Scripturæ accipienda, aut de voluntate quadam alia, quàm de voluntate divini beneplaciti.... aut si de voluntate beneplaciti, secundùm alias sententias quæsdam sint interpretandæ, ut videlicet sermo universalis intelligatur, aut conditione subintellecta, aut non simpliciter de omnibus, sed de omnibus alicujus multitudinis de qua*

P. 18.

pra-

propoſitus eſt ſermo.... Amplius autem conſiderandum eſt, quòd hæc voluntas quæ ſecundùm doctrinam Sanctorum, Deus, quantùm in ſe eſt, æqualiter ſe habet ad omnes, quæ & vult omnes ſalvos fieri, non efficax, ut rectè inquit Bonaventura, eſt ad ſalutem, nec propriè eſt ad producendum ſalutis effectum in quolibet homine. Ergo voluntas illa antecedens inefficax eſt ac dicitur, non quidem reſpectu mediorum quæ reipſa efficit, ſed reſpectu ſalutis quæ non obtinetur.

Rectè affirmat Auctor Libri de vocatione gentium, voluntatem Dei ſalvandi omnes manifeſtam fieri ex iis quæ Deus largitur, ut homines ſalvi eſſe poſſint; at malè omnino aſſeritur, ea ſalutis media externa dumtaxat ab illo Scriptore deſignari: quaſi externa tantùm adjumenta ſufficerent, ut homo poſſit æternam ſalutem adipiſci.

Objicies 4. eorum Scholæ Doctorum teſtimonia, qui voluntatem quidem antecedentem agnoſcunt, ſed eam quæ circa antecedentia ſalutis, non verò circa ſalutem ipſam verſetur: per antecedentia verò ſalutis, illi dona dumtaxat naturalia intelligunt quæ ſalutem antecedunt, & ad eam ordinem important. Laudant eam in rem Alexandrum Alenſem 1.p. q.36. membro 2. ubi diſtinguens duplicem voluntatem antecedentem & conſequentem, *Ad quæſtionem*, inquit, *quæ quæritur utrum voluntate beneplaciti velit omnes ſalvari, per hoc eſt reſponſio. Nam voluntas beneplaciti poteſt dici reſpectu poſſibilitatis rationalis creaturæ ad ſalutem: quæ quidem poſſibilitas eſt in ipſa à Deo; & hoc modo voluntate beneplaciti vult omnes ſalvos fieri. Alio modo voluntas beneplaciti dicitur reſpectu effectus, qui redditur a Deo rationali creaturæ pro meritis; & ſic voluntate beneplaciti non vult omnes homines ſalvos fieri, ſed ſolùm prædeſtinatos.* Poſtea dicit voluntatem beneplaciti antecedentem ferri ad ordinabilitatem ſalutis, non ad ſalutem ipſam. Idem docet S. Bonav. in 1.diſt.46.q.1. art.1. ſcilicèt voluntatem antecedentem *non connotare ſalutem ſeu ordinabilitatem* ad ſalutem. Idem & Scotus in 1.diſt.46.q.unica. *Dictum Apoſtoli*, inquit, *multò melius poſſet exponi de voluntate antecedente, ſic; id eſt, Vult omnes homines ſalvare, & ſalvos fieri, quantùm ſcilicèt eſt ex parte & ſui, & voluntate ſua antecedente, pro quanto eis dedit dona naturalia, & leges rectas, & adjutoria communia ſufficientia ad ſalutem.* Et poſtea. *Dico quòd etſi Deus non habeat voluntatem beneplaciti ad iſtum ſalvandum; tamen vult iſti illa adjutoria communia antecedentia ad ſalutem omnium, quibus iſte poteſt ſufficienter benè vivere & ſalvari: propter quæ dici poteſt, quòd quantùm eſt ex parte ſui, vult omnes ſalvos fieri.* Multos alios in eundem ſenſum appellant, quos referre ſuperfluum eſt, cùm nihil novi addant iis quæ relata mox fuere.

To.1.p. 181.col. 2.

To.4.p. 374.col. 2. E.

To.5.p. 1384.

Reſp.1. Auctores illos inter ea quæ vocant antecedentia ſalutis, non ſola exteriora naturæ, ſed etiam gratiæ auxilia recenſere.

Ratio manifeſta eſt, quia dicunt per illa dona poſſe hominem ad ſalutem pervenire: at fidei noſtræ caput eſt, ſine interiori gratiæ Dei auxilio neminem credere poſſe, ſperare, diligere, ac conſequenter ad ſalutem pervenire. Expreſsè donorum illorum gratiæ meminit S. Bonav. quem ſuperiùs laudavimus: *Connotatur in omnibus*, inquit, *ordinatio ad ſalutem, tùm ex parte naturæ datæ, tùm ex parte gratiæ oblatæ. Dedit enim eis Deus naturam ſecundùm quam poſſent eum cognoſcere, & cognitum querere & invento inhærere ac per hoc ſalutem obtinere. Gratiam ſimiliter obtulit, dum Filium miſit, & obtulit, cujus pretium omnium ſaluti ſufficit.* Idem profectò ſenſus eſt Scoti cùm dixit,

Deum velle omnes ſalvare & ſalvos fieri, quantum eſt ex parte ſui & voluntate ſua antecedente, pro quanto dedit eis dona naturalia, & leges rectas & adjutoria communia ſufficientia ad ſalutem . . . . quibus homo poteſt ſufficienter benè vivere & ſalvari.

Reſp. 2. diſtinguo iſtam illorum Theologorum ſententiam: Voluntas antecedens connotat poſſibilitatem, ſeu ordinabilitatem ad ſalutem, non verò ipſam ſalutem quæ actu & abſoluta voluntate obtineatur, concedo: quæ non poſſit obtineri, & pro qua obtinenda Deus media ſufficientia non conferat, nego. *Deus dicitur*, ait Durandus in 1. diſt. 47. q. 1. *velle omnes homines ſalvos fieri, quatenus dedit omnibus naturam ordinabilem in beatitudinem, & omnibus, quantùm in ipſo eſt, præbet auxilia communia, quibus poſſunt ad beatitudinem dirigi & eam mereri.* Nemo autem Catholicus dixerit hominem ſine interiori gratia vitam æternam mereri poſſe: igitur prædicti Theologi inter illa ſalutis antecedentia, gratiam ipſam annumerant.

Edit. Antuer. 1566. p. 220. col. 1. n. 5.

Objicies 5. Nonnulli Theologi ſolùm in Deo amorem complacentiæ circa hominum ſalutem admittunt, de quibus Vaſques in 1. p. q. 83. cap. 4. & 5. & Suares Lib. 4. de prædeſt. cap. 2.

Reſp. eos, ſi qui ſint, deferendos ac improbandos eſſe: quamquam nullum præter Capreolum ita ſenſiſſe referunt, quiſſummo ſtudio ac diligentia collegerunt quidquid in Scholaſticis deprehendere potuerunt quod voluntati Dei antecedenti ſalvandi omnes minùs faveret.

Objicies denique eos qui omnium ſalvandorum voluntatem nonniſi metaphoricè Deo adſcribendam dixerunt, eamque in ipſo non eſſe formaliter, ſed tantùm eminenter. Ita Gregorius Ariminenſis in 1. diſt. 46. Banneſius in 1. p. q. 19. art. 6. Concluſ. 1. & 2. Cumel, ab Alvare Lib. 5. de auxiliis diſp. 34. & à Goneto laudatus, Eſtius in 1. diſt. 46. parag. 3. Navarretta in 1. p. q. 19. art. 6. controv. 6. Sylvius in 1. p. q. 19. art. 6. ubi opinionem illam pluribus momentis cum Eſtio & Banneſio aſtruit.

Reſp. eo ipſo ſenſu voluntatem antecedentem impropriam, figuratam & metaphoricam dici, quæ in Deo ſit non formaliter ſed eminenter, quo dicitur velle ita ſeu voluntas ſecundùm quid: atqui obſervatum jam fuit eam ſic appellari comparatè ad voluntatem abſolutam & conſequentem quæ ſemper impletur; non verò hoc ſenſu quòd non ſit in Deo vera & formalis. Mariales in Bibliotheca Interpretum S. Thomæ T. 3. q. de voluntate Dei art. 6. controv. 15. c. 3. ait, voluntatem illam metaphoricam appellari per ordinem ad finem ad quem non pervenitur; ſed per ordinem ad media collata, eſſe realem & non metaphoricam. Guiartius verò L. 2. diſcriminis q. 5. art. 7. paucos eſſe inter Thomiſtas qui dicant voluntatem Dei antecedentem non eſſe in Deo actu & formaliter, ſed tantùm eminenter; quamquam & ii ipſi cum aliis quantùm ad præcipuum difficultatis caput attinet, conſentiant. *Licèt pauci alii ex noſtris*, ait, *voluntatem dicant antecedentem non ponere actum in Deo, niſi eminenter, à communi tamen Thomiſtarum conſenſu in hoc quod præcipuum eſt, non recedunt, omnibus viatoribus dari aut offerri auxilium ſufficiens; locumque Apoſtoli, Vult omnes ſalvos fieri, non de voluntate tantùm, quam habuit Deus ante peccatum originale, ut adverſarius* (Janſenius) *contendit; verùm etiam de ea, quam poſt habuit, & adhuc in præſenti habet, intelligendum eſſe.*

Pa. 302.

QUÆS.

QUÆSTIO DECIMAOCTAVA.

De affectibus divinæ voluntatis, amore, odio, desiderio, ira, pœnitentia.

SUnt inter affectus creatæ voluntatis, qui imperfectionem in se ac ratione sui involvunt, v. g. ira, pœnitentia, desiderium, dolor, desperatio &c. Alii saltem ratione subjecti in quo sunt, nempe creaturæ, imperfectionis aliquid semper habent admixtum, licèt in se ac intrinsecè non sint imperfecti, ut amor, gaudium &c. A Deo autem ente perfectissimo vel ipsa imperfectionis umbra procul removenda est. Quapropter cùm aliquos affectus nostris in speciem similes Scriptura Deo tribuere videtur, vel metaphoricè dumtaxat, impropriè & quoad effectum intelligendi illi sunt; vel si etiam quoad affectum, ab ipsis prorsus omnes creatæ imperfectiones animo sunt detrahendæ. Quo sensu eleganter S. Aug. L. 1. Confess. cap. 4. Deum alloquens dicebat: *Tu autem, Amas, nec æstuas: zelas, & securus es: pœnitet te, & non doles: irasce-* To.1.p. 71.B.A. *ris, & tranquillus es: opera mutas, nec mutas consilium: recipis quod invenis, & nunquam amisisti: nunquam inops, & gaudes lucris: nunquam avarus, & usuras exigis.* Et rursus L. 5. de Trin. c. 1. *Intelligimus*, inquit, *Deum* To.8.p. *quantum possumus sine qualitate bonum, sive quantitate magnum, sine indi-* 833.B. *gentia Creatorem, sine situ præsentem, sine habitu omnia continentem, sine loco ubique totum, sine tempore sempiternum, sine ulla sui mutatione mutabilia facientem, nihilque patientem. Quisquis Deum ita cogitat, etsi nondum potest omnimodo invenire quid sit; piè tamen cavet, quantum potest, aliquid de eo sentire quod non sit.* C.

S. Thomas 1. p. q. 20. agit de amore Dei, cujus quæstionis occasione tractant Scholæ Magistri de aliis divinæ voluntatis affectibus.

I. An in Deo propriè sit amor.
II. An Deus amet omnes creaturas.
III. An amet omnes æqualiter.
IV. An sit in Deo odium propriè dictum, & fuga mali.
V. An desiderium, spes, desperatio.
VI. An timor, tristitia, ira, pœnitentia.

An sit in Deo amor propriè dictus.

PRIMA CONCLUSIO.

Est in Deo amor propriè dictus.

Faciliseſt & aperta probatio. Jo: 3. v. 16. *Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* 1. Joan. 4. v. 16. *Deus charitas est.*

Ratio divi Thomæ hæc est. Datur in Deo verè ac propriè dicta voluntas: sed primus actus voluntatis & quasi radix aliorum est amor; ergo &c. *Amor*, inquit hic art. 1. *naturaliter est primus actus voluntatis & appetitus; & propter hoc omnes alii motus appetitivi præsupponunt amorem quasi primam radicem.* Sunt autem duplicis ordinis actus voluntatis: alii consistunt in prosecutione boni,


image
not
available

cit; sed eas amat potius propter bonum & utilitatem quam in seipso tanquam in fine ultimo & perfecta beatitudine illæ consequuntur, qui verus est amor benevolentiæ & amicitiæ.

Unde viros justos ac sanctos Deus vero ac propriè dicto amore amicitiæ prosequitur. Ita Judith 8. v. 22. dicitur: *Abraham Dei amicus effectus est.* Et Psal. 138. v. 17. *Nimis honorati sunt amici tui, Deus.* Et Lucæ 12. v. 4. *Dico autem vobis amicis meis.* Et Joan. 15. v. 14. *Vos amici mei estis.* Et v. 13. *Jam non dicam vos servos, vos autem dixi amicos.*

S. Thomas in 3. Sent. dist. 32. q. 1. art. 2. rem nostram probat his verbis: *Dicendum*, inquit, *quòd amicitia addit aliquid supra amorem: quia ad rationem amoris sufficit quòd homo velit bonum quodcunque alicui; ad rationem autem amicitiæ oportet quòd aliquis velit ei bonum quod vult sibi; ut scilicet velit conversari cum ipso & convivere in illis quæ maximè amat. Sic ergo Deus, communiter loquendo de dilectione, diligit omnia, in quantùm vult eis bonum aliquod, scilicet bonum naturale ipsorum: sed bonum quod ipse sibi vult, scilicet visionem sui, & fruitionem qua ipse beatus est, vult quidem omni creaturæ rationali voluntate antecedente, sed voluntate consequente, solùm electis, quæ est voluntas simpliciter: Et ideò solos electos diligit amore amicitiæ: alia autem diligit amore communiter dicto, in quantùm sunt bona.* Ita sanctus Doctor, ubi diserte pronuntiat Deum diligere homines justos & electos amore amicitiæ; & rationem hanc reddit, quòd proprium est amoris amicitiæ velle eum quem amas fieri participem bonorum quæ tibi ipsi amas: at Deus vult homines justos & electos esse participes boni præcipui quod ipse sibi vult, nempè visionis & fruitionis naturæ divinæ, per quod bonum Deus ipse beatus est; ergo Deus amat homines justos & electos amore amicitiæ. *Tom. 3. pa. 351. col. 1. C. D.*

TERTIA CONCLUSIO.

Deus amat omnes creaturas æqualiter ex parte actus divini, inæqualiter autem ex parte boni quod illis vult.

Conclusionem exponit & probat S. Thomas hìc q. 20. art. 3. *Dicendum*, ait sanctus Doctor, *quòd cùm amare sit velle bonum alicui, duplici ratione potest aliquid magis vel minùs amari: uno modo ex parte ipsius actus voluntatis, qui est magis vel minùs intensus; & sic Deus non magis quædam aliis amat, quia omnia amat uno & simplici actu voluntatis, & semper eodem modo se habente. Alio modo ex parte ipsius boni quod aliquis vult amato; & sic dicimur aliquem magis alio amare, cui volumus majus bonum, quamvis non magis intensa voluntate. Et hoc modo necesse est dicere quòd Deus quædam aliis magis amat: cùm enim amor Dei sit causa bonitatis rerum, non esset aliquid alio melius, si Deus non vellet unì majus bonum quàm alteri.*

Dices 1. Deus magis diligit genus humanum, quàm Christum, siquidem illum tradidit in mortem pro salute generis humani; attamen Christus melior est genere humano.

Resp. Nego maj. Qui enim majus bonum confert, magis diligit: atqui Deus Christo longè majus bonum contulit, quàm humano generi; dedit enim ipsi ut Deus foret per unionem hypostaticam, quo bono nihil excellentius,

præ-

præſtantius nihil eſt aut excogitari poteſt. *Dicendum*, ait hìc S. Thomas art. 4. ad 1. *quòd Deus Chriſtum diligit, non ſolùm plùs quàm totum humanum genus, ſed etiam magis quàm totam univerſitatem creaturarum; quia ſcilicet ei majus bonum voluit; quia dedit ei nomen quod eſt ſuper omne nomen, ut verus ſit Deus.*

Hoc ipſum docuerat S. Aug. Tract. 110. in Joan. *Quis*, inquit, *dignè poſſit explicare quantùm diligat membra Unigeniti ſui: & quantò amplius ipſum Unigenitum, in quo condita ſunt omnia viſibilia & inviſibilia, quę in ſuis generibus ordinata ordinatiſſimè diligit?* Nec obſtat quòd Chriſtum Deus in mortem tradiderit pro redemptione humani generis; imò inde magis elucet ejus dignitas & gloria; tùm quòd ejus commendatur obedientia & charitas; tùm quòd glorioſam victoriam inde reportavit: *Propter quod*, ait Apoſtolus Philipp. 2. v. 9. *Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen.* Tùm quòd factus eſt Salvator & Redemptor generis humani. *Nec ejus excellentiæ deperit*, ait S. Thomas hìc art. 4. ad 1. *ex eo quòd Deus dedit eum in mortem pro ſalute humani generis; quinimò ex hoc factus eſt victor glorioſus. Factus enim eſt principatus ſuper humerum ejus, ut dicitur Iſaiæ 9.*

To. 3. p. 2. p. 778. E.

Inſtabis 1. Deus plùs dilexit hominem quàm Angelum, juxta iſtud Hebr. 2. v. 16. *Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ.* Atqui tamen Angelus eſt melior. Pſalm. 8. v. 6. *Minuiſti eum paulò minùs ab Angelis.*

Reſp. 1. Si natura humana conſideretur ut eſt à Verbo aſſumpta in unionem hypoſtaticam, haud dubiè melior eſt & excellentior natura Angelica: ſi verò conſideretur in ſe ac communiter, eſt quidem natura Angelica illa perfectior, & quoad naturalia magis à Deo dilecta dici poteſt. Quantùm verò ad dona ſupernaturalia gratiæ, plùs Deus dilexit hominem lapſum, quàm Angelum peccatorem: quia homini Redemptorem dedit Chriſtum, non Angelo. *Quantùm ad conditionem naturæ*, ait hìc S. Th. art. 4. ad. 2. *Angelus eſt melior homine: nec ideo naturam humanam aſſumpſit Deus, quia hominem abſolutè plùs diligeret, ſed quia plùs indigebat. Sicut bonus paterfamilias aliquid pretioſius dat ſervo ægrotanti, quod non dat filio ſano.*

Inſtabis 2. Petrus Apoſtolus melior fuit Joanne: ille quippe melior eſt atque perfectior, qui plùs diligit Chriſtum; Petrus autem plùs diligebat Chriſtum, quàm alii Apoſtoli: interrogatus enim à Chriſto Joan. 21. an ipſum amaret plùs aliis, reſpondit, *Etiam Domine, tu ſcis quia amo te.* Ergo Petrus melior erat & perfectior Apoſtolis aliis, atque adeo ipſo Joanne: atqui tamen Chriſtus magis diligebat Joannem quàm Petrum; erat enim Joannes, *Diſcipulus ille quem diligebat Jeſus*, ſicut ipſemet teſtatur cap. 21. ſui Evangelii: quibus verbis, ut ait S. Auguſtinus Tract. ultimo in Joan. *Volebat intelligi, amplius ſe dilectum à Chriſto, quod abſit ut mendaciter diceret*, Ergo interdum Deus magis amat, quæ minùs bona ſunt.

To. 3. p. 820. F.

Reſp. valdè incertum eſſe uter plùs Chriſtum dilexerit, Petrus vel Joannes: incertum non minùs quis eorum à Chriſto magis fuerit dilectus. Poſtquam enim S. Thomas varias eam in rem Doctorum ſententias expoſuit, tandem concludit præſumptuoſum videri hoc dijudicare, & unum Apoſtolum alteri quantùm ad ſanctitatem præferre; præſertim cùm ex ſacris Litteris nihil ea de re certi colligi poſſit.

Inſtabis 3. Melior eſt innocens pœnitente, quia pœnitentia ſupponit peccatum, non autem innocentia; & tamen Deus plùs diligit pœnitentem quàm innocen-

innocentem, Lucæ enim 15. v. 6. dicitur: *Majus erit gaudium in Cælo super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm supra nonaginta novem justis qui non indigent pœnitentia.* Ergo Deus interdum plùs diligit illud quod est minùs bonum.

Resp. eum meliorem habendum esse, qui majoribus gratiæ donis instructus est: si verò paria supponantur in pœnitente & innocente gratiæ ac justitiæ dona, dignior est innocentia & magis dilecta, inquit S. Thomas hic art. 4. ad 4. Quia tamen frequenter contingit pœnitentes majori charitatis & humilitatis ardore successos esse, & accepti à Deo beneficii magis memores, inde consequenter fit ut majus Deo & Angelis gaudium pariant, quàm innocentes; de quibus meritò dici potest, *Perieras nisi periisses. Audeo dicere*, ait S. Aug. Lib. 14. de Civit. Dei c. 13. *superbis esse utile cadere in aliquod apertum manifestumque peccatum, unde sibi displiceant, qui jam sibi placendo ceciderant.* To. 7. p. 266. A.

Instabis 4. Melior est justus reprobus, quàm peccator prædestinatus: atqui tamen Deus plùs diligit peccatorem prædestinatum, quia vult ei majus bonum, nempe vitam æternam, quam non vult reprobo.

Resp. dist. maj. Melior est justus reprobus pro eo tempore quo justus est, quàm peccator prædestinatus, concedo: melior est ac plùs diligitur à Deo per ordinem ad vitam æternam, nego. Distinguo min. Deus plùs diligit peccatorem prædestinatum, pro eo tempore quo vult illi majus bonum, seu per ordinem ad vitam æternam, concedo: pro eo tempore quo est in peccato, nego. Ita S. Thomas in resp. ad 5.

Dices 2. Deo æqualis est cura & providentia de omnibus, Sapient. 6. v. 8. *Æqualiter est illi cura de omnibus*: ergo & æqualis amor omnium.

Resp. Nego conseq. Licèt enim Deus æqualiter curam gerat de omnibus, quatenus scilicet ita omnibus consulit ut nulla sit in eo personarum acceptio, quod testatur Sapiens ibidem, cùm ait: *Non enim subtrahet personam cujusque Deus, qui est omnium dominator, nec verebitur magnitudinem cujusquam, quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter est illi cura de omnibus.* Non tamen inde sequitur, quòd una creatura rationalis plùs à Deo non diligatur quàm altera, pro majori nempe perfectione quam gratuitò Deus ipsi concessit; amor enim Dei, ut jam observatum fuit, est efficax & producit bonum quod amat.

Utrum sit in Deo odium propriè dictum & fuga mali.

Ex S. Thoma 1. 2. q. 29. art. 1. *Odium est dissonantia appetitus ad id quod apprehenditur ut repugnans & nocivum: sicut amor est consonantia quædam appetitus ad id quod apprehenditur ut conveniens.*

Duplex odium distinguitur: unum abominationis, quo Deus abominatur seu detestatur peccatum, illudque totus refugit & aversatur tanquam suæ sanctitati ac bonitati contrarium nobisque noxium: alterum odium dicitur inimicitiæ, quod cadit in personam ipsam peccato maculatam, quam Deus vult punire. Quæritur sitne in Deo odium propriè dictum, sive abominationis, sive inimicitiæ. Contendunt multi odium metaphoricè dumtaxat de Deo affirmari, non propriè.

PRI-

PRIMA CONCLUSIO.

Est in Deo odium propriè dictum abominationis circa peccatum & peccatorem.

Probatur ex Scripturis. Psal. 5. v. 7. *Odisti omnes qui operantur iniquitatem.* Et Psalm. 44. v. 8. *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem.* Ubi eodem modo Deus dicitur odisse iniquitatem, quo amat justitiam: at certum est Deum propriè & non metaphoricè tantùm amare justitiam; ergo propriè & non metaphoricè tantùm avertatur peccatum. Sapientiæ 14. v. 9. *Similiter odio sunt Deo impius & impietas ejus.* Proverb. 8. v. 13. *Arrogantiam & superbiam, & viam pravam & os bilingue detestor.* Et cap. 15. v. 9. *Abominatio est Domino via impii.*

Ratio est, quia qui naturæ suæ necessitate justus & sanctus est, non potest quin odio habeat quidquid justitiæ ac sanctitati contrarium est: pariter qui summè amat aliquod bonum, non potest non odisse malum quod huic bono adversatur; odium enim mali cujuspiam necessariò sequitur ex amore boni oppositi: atqui Deus naturæ suæ necessitate justus ac sanctus est, imò est ipsamet substantialis justitia & sanctitas: seipsum etiam seu suam bonitatem summè diligit, ut & honestatem virtutis; ergo necesse est ut odio habeat peccatum, quod & bonitati divinæ, & virtutis honestati repugnat. Atque hoc indicat Psalmista Psal. 44. v. 8. dum ait: *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem*: quasi dilectio justitiæ quam Deus habet, sit radix odii quo avertatur iniquitatem.

Dices: Odium propriè dictum terminatur ad malum: at nullus actus voluntatis divinæ potest ad malum terminari; objectum enim seu terminus ad quem voluntas fertur, est bonum.

Resp. dist. min. Nullus actus voluntatis terminatur ad malum, prosequendo illud, concedo, fugiendo seu detestando, nego.

SECUNDA CONCLUSIO.

Deus sic peccatum improbat & adversatur, ut tamen peccatorem ipsum non oderit odio inimicitiæ propriè dicto.

Probatur 1. Quia odium inimicitiæ propriè dictum terminatur ad personam ipsam quam quis detestatur & avertatur. Neque enim ad odium hujusmodi sufficit, quòd malum aliquod infligere alicui velimus: pater enim qui filium suum castigat, ut emendet; medicus pariter qui ferrum & ignem vulneri admovet, ut sanet, non dicitur odisse odio inimicitiæ, aut filium, aut ægrotum: quare? quia nec pater filii sui, nec medicus ægrotantis personam avertatur, imò potius ex dilectione pater filium suum corripit: *quem enim diligit Dominus*, ut dicitur Proverb. 3. *castigat*; & medicus ferrum & ignem vulneri sanando applicat. Atqui Deus personam ipsam peccatoris non detestatur nec avertatur, imò, ut homo est, eum amat & diligit, & à malo, quantum in se est, eum avocat, non denegatis etiam iis quæ necessaria sunt, ut virtutem sectetur, & vitium fugiat.

Pro-

Probatur 2. auctoritate SS. Augustini & Thomæ.

S. Augustinus Tract. 110. in Jo. *Deus*, inquit, *habebat ergo nos charitatem, etiam cùm inimicitiam adversùs eum exercentes, operaremur iniquitatem; & tamen ei verissimè dictum est, Odisti, Domine, omnes qui operantur iniquitatem. Proinde miro & divino modo, & quando nos oderat, diligebat: oderat enim nos, qualis ipse non fecerat; & quia iniquitas nostra opus ejus non omni ex parte consumpserat, noverat simul in unoquoque nostrum, & odisse quod feceramus, & amare quod fecerat.*

S. Thomas 1. p. qu. 20. art. 2. ad 4. ad istum Scripturæ locum quem sibi objecerat, *Odisti omnes qui operantur iniquitatem*, sic respondet: Ad quartum *dicendum quòd nihil prohibet unum & idem secundùm aliquid amari, & secundùm aliquid odio haberi. Deus autem peccatores in quantùm sunt naturæ quædam, amat: sic enim & sunt, & ab ipso sunt. In quantùm verò peccatores sunt, non sunt, sed ab esse deficiunt; & hoc in eis à Deo non est. Unde secundùm hoc, ab ipso odio habentur.*

Et Lib. 1. contra gentes c. 96. variis rationibus ostendit Deum non odisse peccatorem propriè, sed *similitudinariè*, seu metaphoricè. To. 13. pa. 192.

Dices: Scriptura eodem prorsus modo loquitur de odio Dei, tùm circa peccatum, tùm circa peccatores. *Odio sunt Deo impius & impietas ejus.* Sap. 14. v. 9. col. 1. E.

Resp. ex SS. Augustino & Thoma mox laudatis, Deum odisse quidem peccatum & peccatorem, quatenus peccator est, & macula peccati, quod adversatur, contaminatus est: non odit verò quatenus homo est. *Neque enim*, ait S. Aug. Lib. 1. ad Simplic. q. 2. *odit Deus* (impios) *nec in quantùm homines sunt, nec in quantùm vasa sunt; id est, nec quod in eis fecit creando, nec quod in eis facit ordinando:* (videlicet pœnam) *nihil enim odit eorum quæ fecit.* To. 6. p. 99. C.

An sit in Deo desiderium, spes, desperatio.

CONCLUSIO.

Non est in Deo desiderium, spes, aut desperatio.

Probatur. Quia affectus illi intrinsecam continent deformitatem & imperfectionem, quæ enti perfectissimo planè repugnat. Desiderium enim est rei absentis & non possessæ; at Deus omnia possidet, & nullo prorsus indiget: si quando verò in Scripturis desiderare aliquid videtur, desiderium illud nos respicit, seu bonum nostrum nostramque salutem quam Deus vult ac desiderat, & quantùm in se est procurat. Pariter spes & desperatio cadere in Deum non possunt: tùm quia spes versatur circa bonum absens & arduum; at nullum bonum à Deo absens est, qui omnia in se continet; nullum ipsi arduum ac difficile, qui omnia potest: tùm quia qui sperat debet agnoscere aliquem quasi superiorem & potentiorem, qui possit præstare id quod speratur; Deus autem superiorem non habet.

An

An sit in Deo timor, tristitia, ira, pœnitentia.

CONCLUSIO.

Non est in Deo timor, nec tristitia, nec ira, nec pœnitentia.

Probatur. Quia illi omnes effectus sunt ex sese imperfecti: timor enim respicit malum proprium imminens; tristitia verò est de malo præsenti: Deo autem nullum potest accidere malum. Pariter ira, furor Dec tribui propriè non potest, sed impropiè ac metaphoricè: ira enim est appetitus vindictæ, cum spe ulciscendi, ex tristitia procedens; sed tristitia sicut & dolor Deo repugnat, qui perfectè beatus est. Unde S. Th. Lib. 1. contra gentes c. 89. *Ira*, inquit, *à Deo longè est secundùm rationem suæ speciei, non solùm quia affectus tristitiæ est, sed etiam quia est appetitus vindictæ, propter tristitiam ex injuria illata conceptam.* Cùm igitur Deus dicitur in Scripturis irasci, in furore corripere &c. metaphoricè & quoad effectus exteriores intelligi debet, non propriè & quoad affectum. *Cùm Deus irasci dicitur*, ait S. Augustinus Enchiridii c. 33. *non eius significatur perturbatio, qualis est in animo irascentis hominis: sed ex humanis motibus translato vocabulo, vindicta ejus, quæ nonnisi justa est, iræ nomen accepit.* Similiter pœnitentia dolorem quemdam importat, ac consilii seu voluntatis mutationem, cujus omnino Deus incapax est; adeoque pœnitentia ipsius, figuratè, metaphoricè, & quoad effectus dumtaxat exteriores, ut dictum est, intelligi debet, nullatenus vero ac proprio sensu. Vide S. Aug. Lib. 2. de diversis quæstionibus ad Simplicianum q. 2. ubi egregiè exponit quomodo affectus illi iræ, pœnitentiæ &c. Deo inesse dicendi sunt: qua de re suprà egimus ad quintam hujus Tractatus Quæstionem Articulo unico, in solutione objectionum.

T. 13. p. 271. col. 1. C. D.

To. 5. p. 209. D.

Ibid. p. 113. & 114.

QUÆSTIO DECIMANONA.

De justitia & misericordia Dei.

ARTICULUS PRIMUS.

Sitne in Deo vera justitia.

JUstitia latiori quodam sensu generatim significat omnium virtutum complexionem: strictè ac propriè hìc est virtus reddens unicuique quod suum est. Duplex vulgò distinguitur, distributiva nempe, & commutativa: per istam, unum pro alio commutatur seu datur & accipitur; & consistit in æqualitate rei ad rem: per illam verò, distribuitur quod unicuique debitum est, præmium bonis, malis supplicium. Unde duplex est justitiæ distributivæ munus seu officium, nempe ut pro benefactis mercedem ac præmium, pro sceleribus autem pœnas decernat, qua parte vocatur vindex seu ultrix justitia.

Marcionitæ à Deo suo, quem optimum prædicabant, vindicem justi-

tiam

tiam tanquam iniquam removebant. Vide Tertull. Lib. 2. adversùs Marcionem cap. 11. & 12.

Sociniani, ut faciliùs Catholicum circa satisfactionem Christi dogma convellant, contendunt vindicem justitiam Deo naturalem non esse, sed esse dumtaxat liberrimum divinæ voluntatis effectum, quæ potest esse & non esse; eo ipso modo quo liberum fuit Deo creare mundum vel non creare. Fatetur quidem Socinus Deo talem justitiam competere, qua si perpetuò uti vellet, posset omnes peccatores, non expectata ipsorum pœnitentia disperdere, & sic nullum impunitum peccatum dimittere. Concedit etiam Deum nolle peccatum remittere, nisi resipiscentibus: non negat etiam Deum constituisse pœnam peccati secundùm normam juris & sapientiæ suæ: sed negat esse aliquod in Deo attributum quod satisfactionem pro peccato necessariò exigat; sed si peccatum punit, hoc esse liberrimum voluntatis ejus effectum, à quo possit abstinere. Ita Socinus prælect. cap. 16. *Nec enim*, inquit, *in Deo ulla est justitia quæ peccata omnino punire jubeat, cui ipse renuntiare non possit. Est quidem in Deo perpetua justitia; sed hæc nihil aliud est, quàm æquitas & rectitudo*, (sic ille turpi æquivocatione illudit.) Et postea. *Justitia ista vulgari nomine sic appellata, quæ misericordiæ opponitur, Dei qualitas non est, sed tantùm effectus voluntatis ipsius.* L. 1. de serva. c. 1.

Observa ultricem Dei justitiam spectari posse vel quoad substantiam & essentiam, vel quoad exercitium externum; seu, ut ajunt, in actu primo aut in actu secundo. Rursus exercitium illud, supposito peccato, spectari vel simpliciter in se & absolutè, vel quoad modum dumtaxat, nimirum pœnæ mensuram, gradum, durationem, dilationem, translationem in aliam personam &c.

Dei justitiam vindicem quoad substantiam Deo essentialem esse ac planè necessariam, nullus salva fide negare potest: de solo igitur exercitio illius externo quæstio excitatur; non quidem spectato quoad modum ac pœnæ mensuram: in confesso enim est apud omnes, Deum liberrimè ea ex parte justitiam suam exercere; sed de exercitio simpliciter & absolutè considerato. Sensus ergo Quæstionis est, an justitia Dei vindex ita sit Deo naturalis, ut non possit non exerceri suppositâ creatura peccatrice, & ei repugnet peccatum impunitum dimittere. Negant Sociniani; & contendunt justitiam in Deo ita liberam esse, ut ejus exercitium simpliciter & absolutè à sola ejus libera pendeat voluntate: quo semel statuto principio, facile ipsis est necessitatem satisfactionis Christi oppugnare. E contra igitur, ut capitale istud fidei Catholicæ dogma firmum & inconcussum adversùs illos maneat, existimamus, Deum sanctum & justum qui necessitate suæ naturæ peccatum odio habet & aversatur, non posse peccatum omnino impunitum dimittere; quamvis liberrimus sit quoad modum, mensuram, gradum, durationem pœnæ, imò personam à qua pœnam illam repetit: atque inde inferemus ac demonstrabimus, cùm de mysterio Incarnationis sermo erit, necessitatem absolutam satisfactionis & incarnationis Christi, ex hypothesi quòd Deus humanum genus redimere & salvum facere voluerit. His præsuppositis

PRIMA CONCLUSIO.

Est in Deo formaliter justitia distributiva, in præmium bonorum & malorum vindictam.

Probatur 1. ex Scripturis quæ tùm generatim in Deo justitiam, tùm specialiter distributivam ac vindicem agnoscunt. Psalm. 84. v. 12. *Justitia de Cœlo prospexit*. Et v. 14. *Justitia ante eum ambulabit, & ponet in via gressus suos*. Psalm. 118. v. 137. *Justus es, Domine, & rectum judicium tuum*. His certè in locis justitiæ nomine, non rectitudo tantùm aut perfectionum aggregatio intelligitur, ficut Socino placet; sed specialis ac distincta perfectio, quæ ad jus unicuique reddendum ordinatur. Quod quidem clariùs adhuc & expressiùs aliis in locis Scriptura significat, cùm bonis operibus laudem ac præmium, malis supplicium & pœnam distribuit.

Bonis quidem mercedem. 2. ad Timoth. 4. v. 7. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex*. Ad Hebræos 6. v. 10. *Non injustus Deus est, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius*.

Malis verò pœnas ac supplicia per vindicem Dei justitiam decerni perspicuum est.

Exodi 34. v. 7. *Aufers iniquitatem, & scelera atque peccata, nullusque apud te per se innocens est. Qui reddis iniquitatem patrum filiis atque nepotibus*.

Psal. 5. v. 6. & 7. *Non habitabit juxta te malignus, neque permanebunt injusti ante oculos tuos. Odisti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium*.

Matth. 16. v. 28. *Tunc reddet unicuique* (Christus) *secundùm opera ejus*. Etc. 25. v. 46. *Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam*.

Rom. 1. v. 18. *Revelatur ira Dei de Cœlo, super omnem impietatem & injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent*. Et v. 32. *Cùm justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt quoniam qui talia agunt digni sunt morte*.

Denique 2. ad Thessal. 1. v. 6. *Justum est apud Deum retribuere tribulationem iis qui vos tribulant*.

Probatur 2. ex Tertulliano qui Marcionem vindicem justitiam à Deo excludentem solidè & ex professo refellit. Existimabat Marcio ultricem Dei justitiam cum ejus bonitate ac misericordia compati ac conciliari non posse: è contra ostendit Tertullianus utramque inter se mirè consentire, atque in ipsa etiam punitione, Dei bonitatem commendari. *Omne justitiæ opus*, ait Lib.

p. 388. E. 2. c. 13. *procuratio bonitatis est, quòd judicando damnat, quòd damnando punit; quòd, ut dicitis, sævit, utique bono non malo proficit. Denique timor judicii ad bonum, non ad malum confert. . . Cæterum tot illecebris mali ex-*

lb. C. *pugnantibus bonum, quis illud appeteret, quod impunè contemneret? quis custodiret, quod sine periculo amitteret? Legis malivam latam, & multò frequentiorem: nonne omnes illa laberentur, si nihil in illa timeretur? Horremus terribiles minas Creatoris; & vix à malo avellimur: quid si nihil minaretur?*

Et

Et paulò post. *Usque adeo*, pergit Tertull. *justitia etiam plenitudo est divinitatis ipsius, exhibens Deum perfectum, & Patrem, & Dominum: Patrem, clementia; Dominum, disciplina: Patrem, potestate blanda: Dominum, severa. Patrem, diligendum piè; Dominum, timendum necessariò. Diligendum, quia malit misericordiam, quam sacrificium; & timendum, quia nolit peccatum. Diligendum, quia malit pœnitentiam peccatoris, quàm mortem; & timendum, quia nolit peccatores sui jam non pœnitentes.* lib. D.

S. Aug. Lib. 3. de libero arbitrio c. 15. docet justitiæ divinæ nihil subtrahi, hominemque semper, aut obsequendo aut patiendo, justitiæ leges implere. *Si non reddit*, inquit, *faciendo quod debet, reddet patiendo quod debet.* T. 1. p. 628. E.

Probatur 3. gravissimis istis momentis.

I. Ex intimo conscientiæ sensu, quo quisque inter peccandum ultricem supremi cujusdam numinis manum pertimescit. Hinc illud Poetæ: *Primus in orbe Deo fecit timor.* Hinc cœca illa verbera quibus torquemur post admissum scelus etiam latens & incognitum. Unde porrò istud? nisi ex intima ac firmissima persuasione ultricis cujusdam justitiæ.

II. Ex ipsa Christi incarnatione, passione & acerbissima morte. Unde enim tanta Dei in unigenitum Filium suum severitas, tantus rigor? nisi ex necessitate justitiæ, quæ plenam ab eo satisfactionem exegit pro peccatis, non quidem suis, sed nostris, pro quibus se vadem ac sponsorem obligavit. An summa Dei benignitas & sapientia patitur, ut credamus id gratis & sine maxima quadam necessitate factum fuisse? An Deus qui non delectatur morte peccatoris, delectatus fuisset turpissima & crudelissima morte justissimi Filii sui, si nulla quasi necessitate suæ justitiæ ad id compulsus fuisset? Quòd ergo Deus lapsum hominem erigere voluerit ac salvum facere, meræ ipsius est benignitatis ac misericordiæ: quòd autem ex Christo sponsore nostro tam duram & rigorosam satisfactionem exegerit, strictioris fuit ac omnino necessariæ justitiæ, cujus jura impunè violari nunquam possunt; Deus enim seipsum negare non potest. Pœnas quidem nobis debitas Deus gratis relaxat ac remittit, sed eas Christus plenissimè, & ad omnes strictæ justitiæ apices pro nobis Deo Patri persolvit. *Justificati gratis per gratiam ipsius*, ait Apostolus Rom. 3. v. 24. & 25. *per redemptionem quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum.*

Inde facile est intelligere quanta sit magnitudo seu gravitas offensæ Deo per peccatum illatæ, cui eluendæ nonnisi Deus homo factus par esse potuit: aliunde verò quàm immensa & effusa Dei erga nos charitas ac clementia, qui Unigenitum suum pro nobis dedit. Quanta ergo memoris animi nostri erga Deum gratitudo, quantæ pro tantis ab ipso acceptis beneficiis sint oportet gratiarum actiones!

III. Qui peccatum necessariò odit, necessariò debet illud punire; quia odium peccati est voluntas constans illud puniendi, quæ non potest effectu carere in eo qui viribus non destituitur: atqui Deus necessariò peccatum odit; qui enim necessariò amat justitiam, ita ut eam non possit non amare, ita necessariò, ex natura contrariorum, aversari debet peccatum, & aversando punire. Quemadmodum enim qui aliquem amat, ei benè vult; & si potest, benè facit: ita qui aliquid odio habet, ei triste aliquid ac molestum velle debet.

Dices 1. Quod est externum ac temporaneum, non est in Deo formaliter: atqui talis est justitia Dei vindex, quæ occasione creaturæ peccatricis est in Deo. Deus, ait Tertull. Lib. de resurrectione carnis c. 14. *de suo optimus, de nostro justus. Nisi enim homo deliquisset, optimum solummodo Deum nosset, ex naturæ proprietate: at nunc etiam justum eum patitur ex causæ necessitate.* P. 333 B.

Resp. distinguo min. Talis est justitia vindex in actu primo, sed quoad essentiam, nego: in actu secundo, seu quoad exercitium, subdistinguo: quantùm ad modum hujus exercitii, nempe pœnæ mensuram, gradum, durationem, personam &c. concedo: quantùm ad exercitium simpliciter & absolutè sumptum, quasi suppositò creaturæ peccato, possit Deus velle illud omnino impunitum dimittere, nego. Potest quidem Deus pro beneplacito creaturæ peccatrici parcere, sed non peccato, cujus vindictam necessariò postulat justitia & sanctitas divinæ naturæ. Et reipsa nobis pœnas relaxat Deus, quando vult; sed eas à Christo sponsore nostro ad plenum & secundùm omnes strícti juris apices repetiit.

Instabis 1. Etsi Deus peccatum omnino impunitum dimitteret, nemini faceret injuriam; ergo potest illud omnino impunitum dimittere.

Resp. distinguo ant. Nemini faceret injuriam extra se, esto: non faceret sibi ac justitiæ suæ, nego. Deus enim seipsum negare non potest: atque hoc justitiæ ac sanctitati suæ, quam impunè offendi non decet: hoc legibus à se latis, quarum majestas intacta servanda est; hoc denique bono publico, cujus Deus custos est & administer, debet, ut offensa sibi per peccatum illata impunita non remaneat.

Instabis 2. Non minùs Deus ex natura sua misericors est, quàm justus: atqui tamen potest non misereri absque ulla sibi ipsi illata injuria; *Cujus enim vult miseretur, & quem vult indurat.* Rom. 9. v. 18. Ergo pariter potest non punire peccatum.

Resp. distinguo maj. Non minùs Deus misericors est quàm justus, quantùm ad naturam seu essentiam, concedo: quantùm ad necessitatem usus seu exercitii exterioris tùm justitiæ, tùm misericordiæ, nego. Dispar ratio est misericordiæ ac justitiæ quoad exercitium: nam misericordia omnino libera est, ut possit sese exerere, vel non exerere citra ullius injuriam, quia nempe omnino gratuita est, & nemini debita; justitiæ autem actus, licèt sit liberrimus quoad modum exercitii, est tamen simpliciter necessarius, quia debitus: in eo enim consistit, ut reddatur unicuique quod suum est; & quamvis Deus propriè loquendo nihil debeat creaturæ, nullumque sit creaturæ jus in ipsum, tamen hoc debet sibi & conservationi legum quas tulit, ut peccatum impunitum non remaneat.

Instabis 3. Si justitiæ Dei exercitium esset simpliciter necessarium, Deus eodem modo, easdemque pœnas iisdem peccatis semper imponeret, pro more scilicet agentium naturalium, quorum uniformis est semper agendi modus: atqui tamen id falsum est; ergo &c.

Resp. nego maj. Diximus enim non semel, modum exercitii qui spectat pœnæ mensuram, conditionem, gradum, durationem, imò & personam à qua repositur, esse Deo liberrimum, atque satis esse, si peccatum puniatur ut oportet, in quocunque tandem, & quocunque modo puniatur.

Instabis 4. Si necesse sit ex lege divinæ justitiæ peccatum puniri, compati simul

simul non potest in Deo justitia & misericordia; ac sese mutuò excludunt, cùm habeant effectus planè contrarios.

Resp. nego ant. Licèt enim effectus justitiæ ac misericordiæ sint contrarii, propter diversitatem objectorum circa quæ versantur, non sequitur tamen ipsas virtutes in se contrarias esse, non magis quàm Sol sibi contrarius est quando liquefacit ceram & indurat lutum: quamquam & in ipsa punitione quam Deus in hominem exercet, semper admixta est divina benignitas ac misericordia. *Quem enim diligit, castigat. Universæ viæ Domini misericordia & veritas.* Misericordiæ Dei est, quòd hominem statim à lapsu æternis non addicat suppliciis; misericordiæ, quòd non patiatur nos tentari supra id quod possumus. Pœna ipsa hominem sui admonet officii, & ad pœnitentiam invitat. Quin & mors hoc affert commodi, ut justos cum Christo æternùm uniat, ac peccatis finem imponat. Unde meritò dicebat Apostolus Philip. 1. v. 23. *Desiderium habens dissolvi & esse cum Christo.* Non ergo adversantur sibi, imò potius amico fœdere sociantur misericordia & justitia. Hinc Cassiodorus ad hæc verba Psal. 100. *Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine,* sic ait: *Potestas Domini semper misereturaut judicat, sed nec ipsius misericordia sine judicio, nec judicium sine misericordia reperitur.* Et S. Aug. Epist. 138. ad Marcellinum, aliàs 5. *Cùm Deus,* inquit, *evertit subsidium vitiorum, & copiosas libidines inopes reddit, misericorditer adversatur.* Dixerat jam antea: *Nihil est infelicius felicitate peccantium, quapenalis nutritur impunitas, & mala voluntas velut hostis interior roboratur.*

Hab. 12. vers. 6. Psal. 24. v. 20.

Edit. Venet. 1517. p. 150.

To. 2. p. 316. B. Lib. A.

Instabis 5. Justitia fuit in Deo ab æterno sine ullo usu seu exercitio: ergo exercitium illud non est simpliciter necessarium.

Resp. distinguo conseq. Non est simpliciter necessarium, si nulla supponatur creatura peccatrix, concedo: si supponatur, nego. *Deus enim de suo bonus, de nostro autem justus,* ait Tertull. antea laudatus. Ab æterno Deus justus fuit quoad essentiam, sicut & omnipotens; tametsi ab æterno neminem judicaverit & nihil creaverit: hujusmodi nempe denominationes, Creatoris, Domini, Judicis &c. petuntur ex objectis creatis.

Instabis 6. Si Deus non potest omnino relaxare ac remittere pœnas debitas peccato, ergo non est omnipotens.

Resp. nego conseq. Perinde est ac si quis diceret: Deus seipsum negare non potest; ergo non est omnipotens. Non enim ex defectu potentiæ in Deo fit quòd multa non possit; imò potius ex summa ipsius & infinita perfectione istud profluit, quæ omnem ab ipso vel minimum defectum excludit. Ita non potest mentiri Deus, non potest falli aut fallere; an defectu virtutis in ipso? imò ex maxima perfectione.

Dices 2. Deus nihil debet creaturæ, nec ullum creatura in ipsum jus habet; ergo non est in Deo formaliter justitia.

Resp. distinguo ant. Deus nihil debet creaturæ ex absoluta & antecedente necessitate, concedo: ex libera ipsius voluntate qua se obstrictum sponte voluit, nego.

Dices 3. Justitia contra temperantiam dividitur: temperantia autem non est in Deo; ergo nec justitia. Ita sibi objicit S. Thomas 1. p. q. 21. art. 1. ad 1.

Respondet S. Doctor. *Dicendum,* inquit, *quòd virtutum moralium quæ-*

dam sunt circa passiones: sicut temperantia circa concupiscentias; fortitudo circa timores & audacias; mansuetudo circa iram. Et hujusmodi virtutes Deo attribui non possunt, nisi secundum metaphoram, quia in Deo neque passiones sunt, neque appetitus sensitivus .... Quædam verò virtutes morales sunt circa operationes, ut puta circa donationes & sumptus, ut justitia, & liberalitas, & magnificentia, quæ etiam non sunt in parte sensitiva, sed in voluntate. Unde nihil prohibet hujusmodi virtutes in Deo ponere: non tamen circa actiones civiles, sed circa actiones Deo convenientes. Ridiculum enim est secundum virtutes politicas Deum laudare. Hæc S. Thomas.

SECUNDA CONCLUSIO.

Justitia commutativa non est in Deo stricto ac proprio, sed latiori dumtaxat sensu.

Probatur. Quia justitia commutativa stricto ac proprio sensu consistit in æqualitate dati & accepti: sed nihil habemus ex nobis ipsis quod Deo conferre possimus. *Quis prior dedit illi*, ait Apostolus Rom. 11. v. 35. *& retribuetur ei?* Et reipsa quidquid boni in nobis est, à Deo est fonte & auctore totius boni. *Deus bonorum nostrorum non eget.* Psal. 15. v. 2. *Cùm omnia nostra ex Deo sint*, ait S. Thomas hìc 1. p. q. 21. art. 1. *nec quisquam quidpiam dederit, pro quo sibi à Deo retribuatur, jure in ipso justitia commutativa non est; sed distributiva, qua singulis, quod sibi ad sui complementum spectat, tribuere dicitur, ut inde universi ordo servetur.*

Latiori tamen quodàm sensu admitti potest in Deo justitia commutativa; in eo nempe quòd opera nostra bona ex gratia elicita, proportionem & æqualitatem habeant cum gloria. Unde interdum SS. Patres ajunt nos unum pro alio commutare, Cœlum bonis operibus venale esse, & alia hujusmodi, quæ sensu morali & accommodatitio interpretanda sunt. Reipsa enim cùm Deus mercedem gloriæ bonis nostris operibus rependit, sua ipse dona coronat.

ARTICULUS SECUNDUS.

Sitne in Deo formaliter misericordia.

Facilis est hujus quæstionis solutio, si æquivocatio nominis tollatur. Misericordia enim vel sumitur pro affectu compassionis & tristitiæ, qui in nobis excitatur ex aliena miseria, vel simpliciter ac nudè pro voluntate subveniendi alienæ miseriæ. Priori sensu non est in Deo formaliter & affectivè, sed effectivè dumtaxat: posteriori autem sensu est in Deo formaliter. *Tristari de miseria alterius non competit Deo, sed repellere miseriam alterius, hoc maximè ei competit.* ait S. Thomas hic q. 21. art. 3. in corp.

CON-

CONCLUSIO.

Misericordia quæ est voluntas subveniendi alienæ miseriæ, est formaliter in Deo.

Probatur. Quia nihil est quod sæpius commendet & ante oculos nostros ponat Scriptura, quàm Dei benignitatem, clementiam ac misericordiam. Exodi 34. v. 6. *Dominator Domine Deus, misericors & clemens, patiens & multæ miserationis, ac verax, qui custodis misericordiam in millia: qui aufers iniquitatem & scelera atque peccata.* Psal. 144. v. 8. *Miserator & misericors Dominus, patiens & multum misericors... Miserationes eius super omnia opera eius.*

QUÆSTIO VIGESIMA.

De omnipotentia Dei.

DUplex generatim distinguitur potentia, una activa, & altera passiva: prior est principium agendi: posterior principium seu capacitas aliquid patiendi seu recipiendi. Istam à Deo excludi, omnes fatentur: Deus enim, cùm sit perfectissimus, nihil in se recipere potest. De potentia activa solummodò hic agitur.

Hæc verò spectari potest vel quoad actus Dei immanentes, vel quoad actus transeuntes. Propriè loquendo, potentia Dei activa non datur ad actus immanentes & notionales generationis Filii & spirationis Spiritus sancti, quia potentia Dei activa propriè & accuratè loquendo tendit circa terminum à Deo distinctum: sed Filius & Spiritus sanctus à Deo non distinguuntur; ergo activa Dei potentia versatur dumtaxat circa transeuntes, ut vocant, Dei operationes, quarum termini sunt extra Deum.

Disputant Theologi utrum potentia Dei activa debeat esse principium alicujus actionis in Deo; an verò sufficiat quòd sit principium alicujus effectus. S. Thomas 1. p. q. 25. art. 1. ad 3. negat esse principium actionis, quia Dei actio ab ipso non distinguitur: atque istud statuit discrimen inter potentiam divinam & creatam, quòd hæc sit principium actionis & effectus simul; illa verò solius effectus. Creaturæ quippe nullum possunt effectum producere, nisi mediante actione: Deus autem potest sine actione. Sunt tamen inter Theologos qui aliter sentiunt, & qui inter Deum & creaturam agnoscunt mediam actionem, non quidem immanentem sed transeuntem, nempe ipsam creationem, qua Deus producit creaturas. Quidquid sit de hac controversia,

Observandum, objectum adæquatum ac totale divinæ omnipotentiæ esse illud omne quod est possibile; illud verò possibile dici, quod non repugnat aut in se, aut respectu Dei: potest etenim aliquid in se non repugnare absolutè, quod tamen Deo repugnat, & consequenter fieri ab ipso non potest; quale est v. g. peccare, mentiri, fallere &c. Hæc etenim imperfectionem & defectum potentiæ magis arguunt, quàm potentiam & virtutem.

Omnipotentiam Dei oppugnarunt hæretici, Hermiani, Sceleciani, qui

Platoni adhærentes, materiam primam propterea Deo coæternam finxerunt, quòd negarent Deum posse aliquid facere ex nihilo. De quibus scribunt Epiphanius & Augustinus Libro contra hæreses: & rursum S. Aug. Lib. de Fide & Symbolo c. 2. Eandem oppugnavere Judæi illi de quibus Psal. 77. v. 9. dicitur; *Numquid poterit Deus parare mensam in deserto?* Unico Articulo quæ pertinent ad divinam omnipotentiam hìc expendemus.

ARTICULUS UNICUS.

An sit in Deo omnipotentia; & quod illius totale & adæquatum objectum.

PRIMA CONCLUSIO.

Est in Deo omnipotentia, eaque infinita.

PRobatur ex Scripturis Gen. 18. v. 14. *Numquid Deo est quidquam difficile?* Numeror. 11. v. 23. *Numquid manus Domini invalida?* Job 42. v. 2. *Scio quia omnia potes.* Jerem. 32. v. 17. *Non erit tibi difficile omne verbum.* Matth. 19. v. 26. *Apud homines hoc impossibile est, apud Deum omnia possibilia sunt.*

Est autem infinita hæc Dei virtus & potentia; quippe quæ non distinguatur ab ejus natura & essentia, quæ procul dubio infinita est. Huc spectat istud Psalm. 144. v. 3. *Magnitudinis ejus non est finis.* Et Baruch 3. v. 25. *Magnus est & non habet finem.*

Ratio est manifesta. Quia est Deus ens perfectissimum: sed perfectissimum non esset, si careret virtute & potentia infinita; ergo &c.

SECUNDA CONCLUSIO.

Objectum totale & adæquatum divinæ omnipotentiæ non sunt solummodo res omnes creatæ, sed aliæ perfectiores quæ produci possunt; illudque omne quod est possibile, sive quod non repugnat aut ex parte sui, aut ex parte Dei.

Duæ sunt Conclusionis partes.

Prima pars probatur ex Scripturis. Sap. 11. v. 18. dicitur: *Non impossibilis erat omnipotens manus tua, quæ creavit orbem terrarum ex materia invisa, immittere illis multitudinem urforum, aut audaces leones, aut novi generis ira plenas ignotas bestias, aut vaporem igneum spirantes, aut fumi odorem proferentes &c.*

Matth. 3. v. 9. *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Et c. 26. v. 53. *An putas quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum?*

T. 10. p. 130. D. E. Ita expresè docet S. Aug. Lib. de natura & gratia c. 7. *Quia Dominus Lazarum suscitavit,* inquit, *sine dubio potuit: quia verò Judam non suscitavit, numquid dicendum est, Non potuit? Potuit ergo, sed noluit. Nam si voluisset,* Ibid. p. 85. *eadem etiam hac potestate fecisset, quia & Filius quos vult vivificat.* Et Libro de spir. & litt. cap. 1. probatex professo, potuisse Deum plura, quæ

quæ tamen non fecit; ut per foramen acus camelum traducere; duodecim Angelorum legiones in defensionem Christi mittere; item & nova adinvenire tormenta quibus peccatores torqueantur. Denique Serm. 213. aliàs de tempore 119. n. 1. sic loquitur. *Omnipotens est* (Deus) *ad facienda majora & minora. Omnipotens ad facienda cœlestia & terrestria .... Magnus in magnis, nec parvus in minimis. Postremò omnipotens ad facienda omnia quæ facere voluerit.* To. 5. p. 939. A.

Ratio Conclusionis videtur manifesta. Si enim Deus ea tantùm posset, quæ fecit, non alia, & quidem perfectiora & meliora saltem accidentaliter, finita esset & exhausta ejus virtus ac potentia per creationem rerum quæ factæ sunt: at Dei virtus, perinde ac ejus essentia, est infinita nec exhauriri unquam potest.

Secunda pars Conclusionis, nempe Deum id omne posse, quod est possibile seu quod non repugnat, aut ex parte sui aut ex parte Dei, ex mox dictis probata manet.

Porrò aliquid impossibile potest esse duobus modis, ut jam observavimus.

I. Absolutè & in se, quod nimirum implicat ac repugnat: si impossibile est præteritum non esse præteritum; nec Deus efficere potest, ut quod præteritum est, non sit præteritum; non quidem ex defectu potestatis, sed possibilitatis rei. Ita S. Augustinus Lib. 26. contra Faustum cap. 5. *Quisquis*, inquit, *dicit, Si omnipotens est Deus, faciat, ut quæ facta sunt, facta non fuerint; non videt hoc se dicere, Si omnipotens est, faciat ut ea quæ vera sunt, eo ipso quo vera sunt, falsa sint ..... Sententia quippe qua dicimus aliquid fuisse, ideo vera est, quia illud de quo dicimus, jam non est. Hanc sententiam Deus falsam facere non potest, quia non est contrarius veritati.* To. 8. p. 436. A. ibid. F.

II. Aliquid impossibile dicitur respectu Dei, quod est imperfectum, indecens, aut vitiosum. Quæ sunt hujusmodi, non potest Deus, quia perfectissimus est; & ita non potest mori, peccare, mentiri, fallere &c. Audiatur S. Augustinus Lib. 5. de Civitate Dei c. 10. *Potestas Dei*, inquit, *non minuitur, cùm dicitur mori, fallique non posse. Sic enim hoc non potest, ut potius, si posset, minoris esset potestatis. Rectè quippe omnipotens dicitur, qui tamen mori & falli non potest. Dicitur omnipotens faciendo quod vult, non patiendo quod non vult.* To. 7. p. 125. A

Idem clarissimè exponit in Sermone de Symbolo ad Catechumenos cap. 1. *Deus*, inquit, *omnipotens est: & cùm sit omnipotens, mori non potest, falli non potest, mentiri non potest; & quod ait Apostolus 2. Tim. 2. v. 13. negare seipsum non potest. Quàm multa non potest, & omnipotens est: & ideo omnipotens est, quia ista non potest. Nam si mori posset, non esset omnipotens: si mentiri, si falli, si fallere, si iniquè agere, non esset omnipotens.* Eadem ferè repetit Serm. 213. mox citato. To. 6. p. 547. C.

Dices 1. ex S. Augustino Enchiridii cap. 96. *Non ob aliud Deus veraciter vocatur omnipotens, nisi quoniam quidquid vult potest, nec voluntate cujuspiam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus.* Ergo Dei potentia ejus voluntate concluditur, nec alia potest, præter ea quæ voluit. ibid. p. 231. A.

Resp. nego cons. Voluntas quidem Dei signum est & argumentum omnipotentiæ, quia nempe potest quidquid vult; sed non est ratio omnipotentiæ quasi alia non possit Deus quàm quæ voluit: ratio quippe omnipotentiæ in eo consistit, quòd possit efficere id omne quod est possibile, seu quod non repugnat seu ex parte sui, seu ex parte Dei.

Insta-

Instabis. 1. Si Deus alia posset quàm quæ reipsa voluit, posset ergo aliquid de novo velle & ita mutationi foret obnoxius.

Resp. nego conseq. Hoc enim concludi dumtaxat legitimè potest; ergo Deus plura velle potuisset, quæ noluit; quod verum est.

Instabis 2. Potentia & voluntas Dei sunt idem realiter; ergo potentia ad ea solùm extenditur quæ Deus vult, non ad alia.

Resp. distinguo ant. Potentia & voluntas sunt idem realiter quoad entitatem, concedo; quoad tendentiam, seu terminationem ad objecta, nego. Potentia enim ad plura se extendit quàm voluntas.

Dices 2. Potentiæ infinitæ debet assignari terminus seu effectus infinitus: atqui nullus extra Deum talis assignari potest terminus infinitus; ergo potentia Dei non est infinita.

Resp. 1. nego maj. Quia potentia infinita exhauriri non potest: atqui si posset assignari aliquis effectus realis ac subsistens & infinitus extra Deum, exhauriretur divina potentia.

Resp. 2. satis esse quòd modus agendi divinæ potentiæ sit infinitus: *Deus magnus in magnis, nec parvus in minimis*, ait S. Augustinus Serm. jam laudato 213. Et Lib. 11. de Civit. Dei c. 22. *Deus*, inquit, *ita artifex est magnus in magnis, ut minor non sit in parvis: quæ parva non sua granditate, nam nulla est, sed artificis sapientia metienda sunt.*

To. 7. p. p. 288. E. F.

Resp. 3. terminum divinæ omnipotentiæ hoc sensu esse infinitum, quia non tot producit creaturas, quin plures & plures producere semper possit.

Dices 3. Deus jam non minùs est potens, quàm fuit ab æterno: sed ab æterno potuit facere ut Adam non esset; ergo jam potest facere ut non fuerit.

Resp. distinguo maj. In iis quæ possibilia sunt & non implicant, concedo: in iis quæ implicant, nego. Porrò nihil repugnasset, si ab æterno Deus voluisset Adamum non esse: at supposito quòd voluerit illum esse, implicat jam eum non fuisse, nec efficere potest Deus ut non fuerit; quia efficere non potest, ut quod verum est, falsum fiat.

Instabis. Si Deus non potest efficere ut præterita non fuerint; non poterit etiam efficere ut futura contingentia non eveniant: atqui hoc falsum est; ergo &c.

Resp. nego min. Supposito enim quòd Deus cognoscat & statuat, aut saltem permittat quæ futura sunt, consequenter non potest efficere, ut non sint futura, quia falli non potest ejus præscientia, nec frustrari ejus voluntas absoluta. Quo sensu dixit S. Augustinus Lib. 26. contra Faustum c. 4. *Tam non possunt futura non fieri, quàm non fuisse facta præterita.*

To 8. p. 436. C.

Dices 4. Agens spiritale perfectissimum, quod ex idea perfectissima, modo perfectissimo & propter finem perfectissimum agit, debet semper id quod perfectius est operari, nec ulla proferri potest ratio, cur omisso perfectiori, minùs perfectum produceret: at talis est Deus; ergo &c.

Resp. nego maj. Cùm enim agens illud perfectissimum liberè operatur; nec ullus aliunde effectus creatus totam adæquare possit divinæ potentiæ virtutem, non tenetur id semper facere quod est optimum; sed sufficit quòd agat modo perfectissimo, & ad finem quem sibi proponit aptissimo & maximè idoneo: atqui Deus semper agit modo perfectissimo, summa nimirum potentia & sa-

& ſapientia, & propter finem perfectiſſimum, ſuam nimirum gloriam, & modo etiam ad finem proximum, quem ſibi proponit, aſſequendum aptiſſimo & maximè idoneo. Ad manifeſtationem autem gloriæ Dei, non tantùm quæ magna ſunt, ſed minima quoque opera etiam conferunt. Quippe non tam ex perfectione operis, quàm ex modo operandi gloria Dei pendi debet & æſtimari.

Inſtabis. Artifices creati eò peritiores æſtimantur, quò perfectiora emittunt artis ſuæ opera; ergo longè magis ſplendeſceret Dei gloria, potentia & majeſtas, ſi ea ſemper operaretur quæ ſunt meliora & præſtantiora.

Reſp. nego conſeq. & paritatem. Diſparitas eſt, quia creati artifices nonniſi ex perfectione operum æſtimantur, quia omnem ſuam induſtriam in artefactis elaborandis ac perpoliendis collocare præſumantur: at Dei gloria & commendatio non tantùm ex opere ipſo, ſed maximè ex modo quo fit, erumpit; modus enim ille ſemper eſt infinitus, tametſi opus in infimo perfectionis gradu eſſe ſupponatur: eſt etenim in ordine ſuo ſemper perfectum & ad finem à Deo præfixum, maximè idoneum & accommodatum.

QUÆSTIO VIGESIMAPRIMA.

De providentia Dei.

SI vim nominis attendas, providentia idem ſonat ac prævidentia, hoc eſt antecedens futuri cognitio; vel porrò videntia, quæ velut ab excelſo rerum cacumine cuncta proſpicit; vel procul videntia, id eſt, à longè rerum cognitio. Hoc ſenſu providentia Dei ab ejus præſcientia non diſtinguitur, de qua ſuperiùs actum eſt. Aliter hic uſurpatur nomen providentiæ.

Sic autem deſcribitur à Boetio Lib. 4. Conſolat. Philoſophiæ Proſa 6. *Providentia eſt ipſa illa divina ratio in ſummo omnium principe conſtituta, quæ cuncta diponit.... quæ cùm in ipſa divinæ intelligentiæ puritate conſpicitur, providentia nominatur; cùm verò ad ea quæ movet atque diſponit, refertur, fatum à Veteribus appellatum eſt: ut ſit fatum inhærens rebus mobilibus diſpoſitio, per quam providentia ſuis quæque nectit ordinibus.* P. 935.

Ex hac providentiæ divinæ deſcriptione conſtat providentiam duo complecti, 1. rerum omnium ordinem ſeu diſpoſitionem in mente divina. 2. ordinis illius ſeu diſpoſitionis certam in tempore executionem: ſeu ut loquitur Hugo de S. Victore, Providentia includit *ſcientiam dirigentem, voluntatem imperantem, & potentiam exequentem.*

Preſſiùs definiri ſolet providentia, rerum omnium ad fines ſuos ordinatio; ac conſtans in tempore ordinis illius per certa media executio.

Providentiam Dei negarunt inter veteres Philoſophos, Epicurus, Democritus. Ipſe Tullius ut homines faceret liberos, fecit ſacrilegos; cùm nempe Dei providentiam negavit, quam cum libertate actionum humanarum conciliare non poterat. Inter Chriſtianos, Marcion de quo Tertull. Lib. 2. contra ipſum. Bardeſanes Syrus, de quo S. Auguſtinus Lib. de hæreſib. c. 35. Priſcillianus, de quo Conc. Bracarenſe I. cap. 9. & 10. Et impii illi qui dicunt apud Job cap. 22. v. 14. *Nubes latibulum ejus, nec noſtra conſiderat, & circa cardines Cæli perambulat.*

In-

Inter hoſtes divinæ providentiæ recenſeri debent, quotquot ex Veteribus aut ferream quamdam ex ſyderum influxu neceſſitatem, quæ fatum dicebatur, invexere; aut fortuitò omnia contingere; aut nobiliora dumtaxat, non verò minuta & vilia entia Deo curæ eſſe ſomniarunt.

To.1.p. 260.D. Quos errores ſic enumerat S.Gregorius Nazianzenus Orat.16. *Alii*, inquit, *caſum atque fortunam, fortuitò ſanè temereque conflatam, induxerunt: alii ſyderum principatum quemdam rationis expertem, atque indiſſolubilem, res humanas arbitratu ſuo, imò etiam neceſſariò, contexentium, & errantium quarumdam atque fixarum ſtellarum congreſſus & receſſiones, ac motionem quæ mundo dominetur: alii ..... providentiam ad nos uſque dimittere gravati ſunt; perin-*

Ibid.p. 161.A. *de ac vererentur, ne benefactorem eò meliorem eſſe pronuntiarent, quòd plures beneficiis afficeret; aut ne Deus benè de pluribus merendo defatigaretur.*

Horum errorum origo fluit ex corruptela & depravatione hominis, qui ſuperiorem aliquem Judicem criminum ultorem agnoſcere reformidat, ne hac importuna cognitione inter peccandum turbetur. Unde Vellejus Epicureus, qui providentiam impugnat, ſic diſſerit apud Tullium Lib.de natura Deorum. *Impoſuiſtis in cervicibus noſtris ſempiternum Dominum, quem dies & noctes timeremus: quis enim non timeat omnia providentem, & cogitantem, & animadvertentem, & omnia ad ſe pertinere putantem, curioſum & plenum negotii Deum?*

Adversùs errores illos duo hìc ſtatuenda: primò, nihil fatali neceſſitate, aut caſu fortuito fieri: ſecundò, omnia omninò entia vel abjectiora & viliora divinæ providentiæ ſubjacere.

ARTICULUS PRIMUS.

An res humanæ vel fatali neceſſitate, vel caſu fortuito eveniant.

CONCLUSIO.

Res humanæ nec fatali neceſſitate, nec caſu fortuito eveniunt.

AC primò quidem nulla fatali neceſſitate homines ad agendum compelli, variis rationibus & argumentis oſtendunt SS.Patres, cùm adversùs Mathematicos ſeu Genethliacos diſputant.

I. Quia hinc funditus ruit humana libertas, qua ſemel ſublata, ruit boni & mali, virtutis ac vitii diſcrimen; nec ullus amplius ſupereſt præmio vel ſupplicio locus. Inde projecta ad omne facinus audacia; inde impietas, irreligio, totalis divini cultus extinctio; quin & rerum etiam politicarum

To.8.p. 67. E. maxima confuſio ac perturbatio. *Si Dei providentia*, inquit S.Auguſt.Lib.de utilitate credendi c.16. *non præſidet rebus humanis, nihil eſt de Religione ſa-*

P.452. *tagendum.* Et Lactantius de ira Dei c.8. *Si Deus*, inquit, *nihil unquam boni tribuit, ſi colentium obſequio nullam gratiam refert, quid tam vanum, tam ſtultum, quàm templa ædificare, ſacrificia facere, dona conferre, rem familiarem minuere, ut nihil aſſequamur?* Conſecutionem vidit ipſe Tullius Libr.1. de natura Deorum. *Si Dii*, ait, *neque poſſunt nos juvare, nec volunt, nec curant omnino, quid nobis Diis immortalibus cultus, honores, preces exhibemus?*

II. Admiſſo fato, evaneſcit omnis divinitas: neque enim Chriſtianæ Religionis

gionis inſtitutio aut propagatio fato tribui poteſt, quæ ab omni fatali neceſſitate adeo abhorret: quin & ipſa Martyrum fortitudo ac conſtantia in obeundo morte pro defenſione Religionis, manifeſtè demonſtrant, non fatali neceſſitate, ſed libera voluntate illos ad ſubeundam mortem ductos fuiſſe. *Ibant gaudentes à conſpectu Concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati.* Act. 3. v. 41. Ita Euſeb. Lib. 6. de præpar. c. 4. Si verò Chryſoſtomus Oratione 2. de fato & providentia his momentis & iſtud adjungit, nempe per fatum fidem dæmonibus majorem, quàm Deo ipſi conciliari. Ed. no. To. 2. p. 758. & ſeq. Et Oratione 3. ait, eò gravioris ſceleris reos fieri homines, quòd inducta fati neceſſitate vitia ſingula Deo imputarent. Ibid. p. 762.

III. Probat S. Auguſtinus Lib. 2. de Gen. ad litteram cap. 17. exemplo duorum gemellorum Jacob & Eſau, qui ſub eadem conſtellatione nati, ingenio, vita, moribus tam diſpares fuere. *Quid ergo vanius*, ait S. Doctor, *quam ut illas Conſtellationes intuens Mathematicus, ad eundem horoſcopum, ad eamdem lunam, diceret unum eorum à matre dilectum, alterum non dilectum?* Ibidem argumentum petit S. Auguſt. ex eò quòd *animæ noſtræ non ſint natura corporibus nequidem cæleſtibus ſubditæ.* Nihil etenim commercii eſt inter corpora illa cœleſtia & animam ſpiritualem, in quam agere non poſſunt. Quapropter meritò Jeremias cap. 10. v. 2. ait: *A ſignis Cæli nolite metuere, quæ timent gentes.* T. 3. p. 1. pag. 145. B. Ibid. p. 144. F.

Dæmonum autem operationi, induſtriæ ac perſpicaciæ tribuit loco mox citato ſanctus Doctor, quòd interdum ea quæ prædixere, contingant. *Fatendum eſt*, inquit, *quando ab iſtis vera dicuntur, inſtinctu quodam occultiſſimo dici, quem neſcientes humanæ mentes patiuntur. Quod cùm ad decipiendos homines fit, ſpirituum ſeductorum operatio eſt: quibus quædam vera de temporalibus rebus noſſe permittitur, partim quia ſubtilioris ſenſus acumine, partim quia corporibus ſubtilioribus vigent, partim experientia callidiore, propter tam magnam longitudinem vitæ; partim ſanctis Angelis, quod ipſi ab omnipotente Deo diſcunt, etiam juſſu ejus ſibi revelantibus; qui merita humana occultiſſimæ juſtitiæ ſinceritate diſtribuit. Aliquando autem iidem nefandi ſpiritus etiam quæ ipſi facturi ſunt, velut divinando prædicunt. Quapropter bono Chriſtiano, ſive Mathematici, ſive quilibet impiè divinantium, maximè dicentes vera, cavendi ſunt, ne conſortio dæmoniorum animam deceptam, pacto quodam ſocietatis irretiant.* Ibid. p. 145. C.

Idem S. Auguſtinus Epiſtola 246. aliàs 243. colligit argumenta præcipua quibus fatum impugnatur ac convellitur. *Illud*, inquit, *noveris, omnes leges atque omnia inſtituta diſciplinæ, laudes, vituperationes, exhortationes, terrores, præmia, ſupplicia, cæteraque omnia, quibus humanum genus adminiſtratur & regitur, penitùs labefactari, atque ſubverti, nihilque in eis omnino juſtitiæ remanere, niſi voluntas ſit cauſa peccandi.* To. 2. p. 873. G.

Deinde probat eum, qui redarguí ac reprehendi non vult, atque culpæ ſuæ cauſam in fatum refundit, ſeipſum ſpoliare jure alios etiam redarguendi. Et ita fiet ut nec Dominus ſervum furem, nec pater improbum filium arguere ac reprehendere meritò poſſit; quia ad ea, quorum cauſa caſtigantur, ſe fato compulſos & coactos fuiſſe cauſabuntur. Bellè igitur idem Doct. Tract. 37. in Joan. dicebat: *Si cor tuum non eſſet fatuum, non crederes fatum.* T. 03. p. 553. F.

Hinc inferes apud Chriſtianos nullum admittendum eſſe caſum; nullam fortunam; quæ enim nobis ignaris fortuita videntur, certo ac definito

Dei

Dei consilio eveniunt. *Quæ vulgò fortuna nominatur*, ait S. Augustinus Lib. To.1.p. 249.C. 1. contra Academicos c.1. *occulto quodam ordine regitur, nihilque aliud in rebus casum vocamus, nisi cujus ratio & causa secreta est: nihilque seu commodi seu incommodi contingit in parte, quod non conveniat, & congruat universo.*

Quapropter si nonnulli è Christianis fati nomine aliquando usi legantur, non aliud eo nomine intellexerunt, quàm certum ac definitum ex Dei vo- To.7.p. 114.E. luntate ac sapientia rerum ordinem. Quo sensu dixit Augustinus Libr.5. de Civitate Dei cap.1. *Si propterea quisquam res humanas fato tribuit, quia ipsam Dei voluntatem vel potestatem fati nomine appellat, sententiam teneat, linguam corrigat.* Unde Minutius Felix in Octavio, *Quid*, inquit, *aliud est fatum, quam quod de unoquoque nostrum Deus fatus est; qui cùm possit præscire materiam, pro meritis & qualitatibus singulorum etiam fata determinat.* P. 29. A.

Secundò, res humanas fortuito casu non evenire, sed à Deo moderatore dirigi ac sapienter disponi,

Probatur 1. ex Scripturis quæ vias hominis à Deo ipso dirigi testantur. Proverb.16. v.1. *Hominis est animam præparare, & Domini gubernare linguam.* Et v.9.*Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus ejus.* Et cap.20. v.24. *A Domino diriguntur gressus viri; quis autem hominum intelligere potest viam suam?* Et cap.21. v.1. *Sicut divisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini: quocunque voluerit, inclinabit illud.* Et v.2. *Omnis via viri recta sibi videtur; appendit autem corda Dominus.*

Jeremiæ 10. v.23. *Scio, Domine, quia non est hominis via ejus; nec viri est ut ambulet & dirigat gressus suos. Corripe me, Domine, verumtamen in judicio & non in furore.*

Psal.33. v.16. *Oculi Domini super justos, & aures ejus in preces eorum.* v.17. *Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.*

2. Quæ fortuita nobis videntur, à Deo tamen sunt ordinata & definita. Nihil magis contingens ac fortuitum videtur, cæde hominis, qui à lignatore præter intentionem suam est occisus; hæc tamen Deo tribuitur Exodi 21. v.13. Deuter.19. v.4. Pariter nihil tam videtur fortuitum quàm sortes; attamen illarum eventus in Deum refertur. Proverb.16. v.33. *Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur.* Quando asinæ quas quærebat Saul, perditæ, ac subinde indicante Propheta Samuele inventæ sunt, non sine consilio divinæ providentiæ id contigit, nempe ut Saul locum & ansam haberet videndi & consulendi Samuelem, à quo in Regem, Deo jubente, inungendus erat. Denique ut alia hujusmodi innumera omittamus, nihil videtur magis contingens ac fortuitum fuisse quàm venditio Josephi, ejus incarceratio, & subinde exaltatio: atqui tamen hæc omnia dispensata & ordinata divina providentia fuisse testatur ipsemet Josephus Gen. 45. v.5. *Pro salute vestra misit me Deus ante vos in Ægyptum ... Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum.* Et c.50. v.20. *Vos cogitastis de me malum: sed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me sicut in præsentiarum cernitis, & salvos faceret multos populos.*

III. Prædictiones eventuum futurorum diu antequam evenirent, certò demonstrant, res illas non casu, non fortuna fieri, sed divina dirigente providentia, qua sublata nec illæ prædictiones fieri potuissent, nec concipi nisi

nisi enim ex immutabili Dei voluntate omnia disponerentur & evenirent, tales prædictiones meræ forent conjecturæ, & in incerto penderent.

IV. denique, nemo sanus sibi facilè persuaserit, tot Imperiorum subversiones, tam splendida vindictæ ac punitionis impiorum exempla, temerè, nec sine consilio supremi Numinis obtigisse. *Licèt enim*, ait eleganter Lessius Lib.1. de Providentia Numinis c.3. *plerumque conatus iniquorum videantur ipsis ad tempus ex voto succedere, cùm potentia prævalent; id tamen non est diuturnum, & illa prosperitas sæpè multis adversitatibus & affectionibus temperatur. Nam plerique vel in ipsis exordiis, vel in progressu, cùm se planè firmos & securos existimant, miserrimè evertuntur. Videre id est primò in celeberrimis Monarchiis, quæ suis temporibus maximè floruerunt. Nam Assyriorum Monarchia eversa est à Chaldæis; Chaldæorum, à Persis & Medis; Persarum, à Græcis; Græcorum, à Romanis; & Romanorum nunc mirè accisa, & ad magnas angustias redacta. Deinde in singulis Monarchiis quantæ extitere calamitates, & clades etiam eorum qui potentissimi videbantur? Nabuchodonosor in summa prosperitate post tot gentes subactas & eversas, repentè cœlesti sententia percussus ad loca deserta & ferarum vitam ablegatur. Balthasar ejus nepos epulis & lætitiæ deditus, eadem nocte capta civitate, occiditur. Cyrus post tot victorias, miserrimè à Scythis, amisso exercitu, trucidatur. Xerxes cum exercitu in quo tricies centena millia pugnatorum à Græcis turpiter vincitur & penè deletur. Alexander Magnus, deleto Persarum Imperio, & aliis plurimis Regnis brevi tempore subactis, absque hærede moritur, & suis ducibus Regna parata divisis; qui paulò post mutuis cladibus sese confecere, & Romanis in prædam cessere.* Infinitum esset omnia persequi. Hæc omnia porrò, Deo sapienter dirigente, contigerunt, ut sciant Reges se *per Deum regnare*. Proverb.8.v.15. Deum esse qui *dissipat consilia gentium, reprobat cogitationes populorum, & reprobat consilia Principum*. Psalm.32. v.10. *Consilium autem Domini in æternum manere: cogitationes cordis ejus in generatione & generationem*. Ibid. v.11. P. 173. col.2.

ARTICULUS SECUNDUS.

An omnia entia etiam abjectiora & viliora divinæ providentiæ subjaceant.

CONCLUSIO.

Omnia entia etiam abjectiora & viliora divinæ subjacent providentiæ.

PRobatur ex Scriptura 1. iis testimoniis quibus generatim asseritur res omnes à Deo regi, gubernari & observari: tùm iis quæ specialim res etiam viliores & abjectiores à Deo curari testantur.

Sapientiæ 6. v.8. *Æqualiter cura est illi de omnibus*. Et c.8. v.1. *Attingit à fine ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter*. Et c.12. v.13. *Non est alius Deus quam tu, cui cura est de omnibus*.

Psalm.32. v.13. *De Cœlo respexit Dominus, vidit omnes filios hominum*. Et v.15. *Qui finxit sigillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum*. Et Psalm.33. v.16. & 17. *Oculi Domini super justos, & aures ejus in preces eorum. Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum*.

Actor.

Actor. 17. v. 25. & 26. *Ipse* (Deus) *dat omnibus vitam & inspirationem, & omnia: fecitque ex uno omne genus hominum habitare super universam faciem terræ, definiens statuta tempora, & terminos habitationis eorum .... Non longe est ab unoquoque nostrum. In ipso enim vivimus, movemur & sumus.* 1. Petri 5. v. 7. *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.*

Minima quæque seu abjectiora & viliora curæ ac providentiæ Dei etiam subjacent. Quid enim vilius capillis capitis? & tamen omnes à Deo numerati sunt. Quid levius passeculis? nullus tamen eorum cadit in terram sine voluntate Patris cœlestis. Matth. 10. v. 29. Ex quo Christus ibidem, v. 31. sic infert: *Nolite timere, multis passeribus meliores estis vos.* Et c. 6. v. 26. dixerat: *Respice volatilia Cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea; & Pater vester cœlestis pascit illa.* Et Psalm. 147. vers. 9. Deus dicitur dare *jumentis escam, & pullis corvorum invocantibus eum.* Quid minoris momenti, quàm herbæ, flores? & tamen Deus eos vestit & crescere facit. *Considerate lilia agri quomodo crescunt: non laborant neque nent.* Matth. 6. v. 28. Et v. 30. *Si autem fenum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quantò magis vos modicæ fidei?* Denique quid pediculis, ranis, locustis, cæterisque insectis abjectius? hæc tamen Deus excitare dicitur ad executionem judiciorum suorum. Exodi 8. v. 16. 17. & 10. v. 12.

Quin etiam mala ipsa seu peccata ad ordinem divinæ providentiæ pertinent, non quidem per se ac primariò, sed veluti ex occasione ac suppositâ peccandi voluntate; quatenus scilicèt Deus inclinata ex sese hominum voluntate ad malum aptè utitur, ut bonum eruat. *Vos cogitastis de me malum,* ajebat Josephus ad fratres suos, Gen. 50. v. 20. *sed Deus vertit illud in bonum.* Ita pariter obstinatam Judæorum malitiam quam noverat, in bonum convertit, quando permisit ab illis Christum interfici, ut eum sublimiùs exaltaret, ac nostræ simul consuleret saluti. *Hunc definito consilio & præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affigentes interemistis, quem Deus suscitavit,* dicebat S. Petrus Act. 2. v. 23. Hoc sensu, Exodi 9. v. 16. de Pharaone dicitur: *Idcirco posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in universa terra.* Et Apostolus Rom. 9. v. 22. & 23. *Deus volens ostendere iram & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparavit in gloriam.*

To. 6. p. 199. A. Hinc S. Augustinus cap. 11. Enchiridii ait: *Deus omnipotens, cùm summè bonus sit, nullo modo sineret mali esse aliquid in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens & bonus, ut bene faceret & de malo.* Et Lib. imperfecto de Gen. ad Litt. c. 5. *Vitiorum nostrorum,* inquit, *non est auctor Deus; sed ordi-*
To. 3. p. 1. p. 101. F. *nator.* Igitur Deus utitur malis, sicut venenis, *Quæ,* inquit Lib. 11. de Civitate Dei c. 22. *per inconvenientiam perniciosa quidem sunt, convenienter autem adhibita in salubria medicamenta vertuntur.*

To. 7. p. 2. D. Diximus malum non primariò neque per se, sed veluti ex occasione ac suppositâ peccandi voluntate, ad divinam providentiam pertinere: quod indicat Scriptura Sap. 1. v. 13. his verbis: *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum.* Non quòd non faciat mortem, sed quòd eam non faciat pri-

prima ſua intentione & voluntate, ſed poſito peccato. Idem ſignificat iſtud Ezechielis 18.v.23. *Numquid voluntas mea eſt mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur à viis ſuis & vivat?* Et cap.33. v.11. *Nolo mortem impii, ſed ut convertatur à via ſua & vivat.*

Non eodem planè modo, nec eadem ratione Deo curæ ſunt bona & mala.

Malum autem duplex eſt: aliud naturale, quod dicitur malum pœnæ; aliud morale, quod vocatur malum culpæ: at utriuſque mali aliter Deus habet curam & providentiam, quàm boni. Quod bonum eſt in ſe, Deus fieri curat primariò ac per ſe; malum autem pœnæ, non vult per ſe ac primariò, ſed ex occaſione dumtaxat & ex hypotheſi, ſuppoſito ſcilicet peccato quod puniri debet.

Mali autem culpæ aliter Deus habet providentiam quàm boni. 1. Quia bona procurat ac præcipit ut fiant, mala verò ut non fiant. 2. Quia bona facit, mala autem permittit dumtaxat. 3. Quia bona jam facta approbat, mala autem improbat & tollit quantùm in ipſo eſt. *Ego ſum*, ait Deus apud Iſaiam cap.43.v.25. *ego ſum qui deleo iniquitates tuas propter me.* Ozee verò cap. 13.v.9. *Perditio tua exte, Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum.* 4. Quia bona, poſtquam facta ſunt, non avertit Deus per ſuam providentiam à proprio ſuo fine, quandoquidem ad bonum finem ſemper diriguntur; mala verò, poſtquam facta ſunt, convertit à malo fine in bonum, ut dictum eſt, ac probatum: atque hæc cauſa eſt ac vera ratio, cur Deus mala fieri permittat, quia nempè novit ea convertere in bonum. 5. Quia per providentiam Deus bona præmio afficit, mala verò punit; atque ita fit ut peccator, qui recedit ab uno ordine providentiæ, recidat in alium. *Quod recedere videtur à divina voluntate ſecundùm unum ordinem*, ait S. Thomas 1.p.q.19.art.6. in corp. *relabitur in ipſam ſecundùm alium. Sicut peccator, qui quantùm eſt in ſe recedit à divina voluntate peccando, incidit in ordinem divinæ voluntatis, dum per ejus juſtitiam punitur.*

Probatur 2. Concluſio ex SS. Patribus. In re autem tam clara & certa paucos dumtaxat laudaſſe ſufficiet.

Tertullianus Lib.2. contra Marc. cap.24. *Nemo te juſtinebit*, inquit, *improvidentiam adſcribentem Deo ei, quem Deum non negans, confiteris & providum. Hæc enim illi propria divinitas conſtat.* Eodem argumento Epicurum urgebat Lactantius Lib. de ira Dei cap.9. *Quid repugnantius dici poſſit, non video.* (nempè Deum eſſe & non providum) *Etenim ſi eſt Deus, utique providens eſt ut Deus: nec aliter ei poteſt divinitas attribui, niſi & præterita teneat, & præſentia ſciat, & futura proſpiciat. Cùm igitur providentiam ſuſtulit, etiam Deum negavit eſſe; cùm autem Deum eſſe profeſſus eſt, & providentiam ſimul eſſe conceſſit. Alterum enim ſine altero nec eſſe prorſus, nec intelligi poteſt.* Pagina 393.D. P.455.

S. Auguſtinus Lib. de utilitate credendi cap.16. *Si* (ait) *non præſidet divina providentia rebus humanis, nihil eſt de Religione ſatagendum.* To.8.p. 67.E.

Et Serm.125. aliàs 15. ex Sirmondianis n.5. docet malos divina providentia ordinari ac diſponi. *Noli putare*, inquit, *quia turbas conſilium Dei, ſi perverſus eſſe volueris. Qui creare te novérat, ordinare te non novit? .... Quid dictum de Juda ab Apoſtolo? Abiit in locum ſuum. Operante utique divina providentia, quia per malam voluntatem malus eſſe voluit, non autem Deus malum ordinando fecit; ſed quia ipſe malus peccator eſſe voluit, fecit quod voluit, ſed paſſus* To.5.p. 609.A.

est quod noluit. In eo quòd fecit quod voluit, peccatum eius deprehenditur : in eo quòd passus est quod noluit, ordo Dei laudatur.

Ex multiplici autem Dei perfectione divinam providentiam demonstrant iidem SS. Doctores: scilicet ex ratione entis perfectissimi, quod necessariò existit; iisdem enim argumentis probatur & existentia & providentia Dei: ex ipsius scientia qua omnia novit; bonitate, qua omnibus prout vult sese communicat; justitia, qua cuncta in ordine continet; omnipotentia, qua omnia creat ac conservat. *Quis operator*, ait S. Ambrosius Lib. 2. de Officiis cap. 13. *negligat operis sui curam? Quis deserat & destituat quod ipse condendum putavit? Si injuria est regere, nonne major injuria est fecisse; cùm aliquid non fecisse nulla injustitia sit, non curare quod feceris, summa inclementia?* Sparsas illas orationes collegit Theodoretus Lib. 2. de provid. Demonstrant denique, tum ex innato unicuique sensu divinitatis, ac timore quo Deum judicem severum reformidamus; tùm denique ex constanti ac perpetuo rerum ordine, elementorum fixa fede, definita syderum conversione, tempestatum æquabili successione: hæc quippè omnia sine suprema mente dirigente, regente ac providente explicari nunquam possunt. Quod enim in navi Gubernator, in curru Auriga, in Choro Præcentor, in Civitate Lex, in exercitu Imperator, hoc idem in mundo Deus est.

Ed. no. To. 2. p. 14. D.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Si providentia esset in Deo, haud dubiè sociam haberet justitiam: at quomodo conciliari potest justa Dei providentia cum felicitate impiorum hac in vita, & afflictione justorum? Unde Job cap. 21. v. 7. *Quare impii vivunt?* Et Jeremias cap. 12. v. 2. *Justus quidem tu es, Domine, si disputem tecum: verumtamen justa loquar ad te. Quare via impiorum prosperatur?* Habacuc 1. v. 13. *Quare respicis circa iniqua agentes, & taces devorante impio justiorem se?* Quæ quidem agendi ratio ipsum Psaltem Regium aliquando turbavit. *Mei autem penè moti sunt pedes*, ait Psal. 72. v. 2. *pacem peccatorum videns.* Et v. 12. *Ecce ipsi peccatores & abundantes obtinuerunt divitias.* Et v. 13. *Et dixi, Ergo sine causa justificavi cor meum, & sui flagellatus tota die.*

Resp. 1. nostrum non esse divinæ providentiæ arcana & occultas rationes velle scrutari. Quis enim nostrum Dei Consiliarius fuit? Equidem iniquorum prosperitas Sanctos interdum turbat, eisque tentatio est, sed quam & ratio & Religio statim reprimit: semper enim justum est, tametsi occultum, Dei judicium. Quapropter, nec Job, nec Jeremias, nec David ex dubitatione, sed magis ex zelo divinæ justitiæ quærunt quare via impiorum prosperatur. Agnoscit enim ipse Jeremias citato cap. v. 1. *Deum esse justum.* Et Job amicos refellit qui hanc Dei justitiam in dubium revocabant. Et v. 13. capitis 21. citati, de illis impiis quibus hac in vita omnia feliciter succedunt, ait, *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Et David Ps. 36. v. 17. *Brachia peccatorum conterentur.* Et v. 1. dixerat: *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem. Quoniam tanquam fœnum velociter arescent, & quemadmodum olera herbarum citò decident.*

II. Pertinet ad ordinem divinæ providentiæ ut hac in vita bonis adversa, malis verò prospera dispensentur. Rem totam egregiè explicat S. Augu-

guſtinus Lib.1. de Civitate Dei cap.8. *Patientia Dei*, ait, *ad pœnitentiam invitat malos, ſicut flagellum Dei ad patientiam erudit bonos. Itemque miſericordia Dei fovendos amplectitur bonos, ſicut ſeverita Dei puniendos corripit malos. Placuit quippè divinæ providentiæ præparare in poſterum bona juſtis, quibus non fruentur injuſti; & mala impiis, quibus non excruciabuntur boni. Iſta verò temporalia bona & mala utriſque voluit eſſe communia: ut nec bona cupidiùs appetantur, quæ mali quoque habere cernuntur; nec mala turpiter evitentur, quibus & boni plerumque afficiuntur ... Nam ſi nunc omne peccatum manifeſta plecteretur pœna, nihil ultimo judicio ſervari putaretur: rurſus ſi nullum peccatum nunc puniret apertè divinitas, nulla eſſe providentia divina videretur.* To.7.p. 7.G. Ibid. p. 8.B.

III. Non ſine cauſa & quidem æquiſſima hìc affliguntur juſti, & mali in bonorum abundantia lætantur: nemo enim tam juſtus, qui non aliquando delinquat; inde temporalis punitio: nemo tam malus, qui aliquod bonum morale interdum non operetur; inde fluxa & temporalis felicitas. Boni hìc pœnis exercentur, ut mundentur, & Cœlo matureſcant; mali hìc felices ſunt, quia poſt mortem acerbiùs torquendi.

IV. Si rem propiùs Chriſtianis oculis inſpiciamus, facilè intelligemus, nec adverſa, quibus hìc juſti exercentur, propriè mala eſſe, quia ipſis in bonum cedunt. Rom.8. v.28. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*. Nec bona, quibus abundant impii, eſſe ipſis reipſa bona, quia in eorum perniciem converturntur: unde meritò dixit S. Auguſtinus Epiſt.138. aliàs 5. ad Marcell. *Nihil infelicius eſſe felicitate peccantium, qua pœnalis nutritur impunitas, & mala voluntas velut hoſtis interior roboratur.* To.2.p. 416.A.

Inſtabis 1. Si Deus providus eſt, quare mala non propellit? quare permittit juſtos à peccatoribus opprimi?

Reſp.1. Quia ex malis novit Deus eruere bona. 2. Quia mali juſtis inſerviunt: ſi enim non fuiſſent tyranni, nec etiam extitiſſent Martyres, ſi Judæi in Chriſtum non peccaſſent, Chriſtus non eſſet mortuus: per malos boni exercentur, purgantur, erudiuntur. *Omnis malus*, ait S. Auguſtinus in Pſalm. 54. *aut ideò vivit ut corrigatur, aut ideò vivit ut per eum bonus exerceatur.* Aliquando, ait S. idem Doctor, Deus peccatoribus concedit iratus, quæ negat propitius. 3. Mali divinæ juſtitiæ manifeſtandæ inſerviunt, ſicut juſti miſericordiæ. *Deus*, ait Lactantius Lib. de ira Dei c.13. *poteſt quidquid vult, & imbecillitas vel invidia in Deo nulla eſt: poteſt igitur mala tollere, ſed non vult; nec ideò tamen invidus: Idcircò enim non tollit, quia & ſapientiam ſimul tribuit, & plùs boni ac jucunditatis in ſapientia, quàm in malis moleſtiæ: ſapientia enim facit, ut etiam Deum cognoſcamus, & per eam cognitionem immortalitatem aſſequamur, quod eſt ſummum bonum.* Denique ad ordinem, varietatem & pulchritudinem univerſi, cujus Deus rector ac proviſor eſt ſuaviſſimus, pertinet boni ac mali quaſi permixtio. *Quomodo*, ait S. Auguſtinus Lib. imperfecto de Gen. ad litt. cap.5. *umbræ in picturis eminentiora quæque diſtinguunt, ac non ſpecie, ſed ordine placent. Nam & vitiorum noſtrorum non eſt auctor Deus, ſed ordinator.* Quapropter, ait ibid. ſanctus Doctor, *Deus diviſit inter lucem & tenebras, ne vel ipſæ privationes non haberent ordinem ſuum Deo cuncta regente atque adminiſtrante.* To.5.p. 502.A. P.464. To.3.p. 1 p.101

Inſtabis 2. Si cuncta divinæ providentiæ ſubjiciantur, unde partus diſformes ſeu monſtra, quæ à conſuetis naturæ legibus aberrant? unde venena hominibus noxia? &c.

Resp. ad generalem provisorem pertinere, ut aliquos defectus permittat & patiatur, qui defectus ex certa quadam causarum secundarum dispositione sequuntur, & ad manifestandam rerum aliarum perfectionem & integritatem non parum conducunt: hujusmodi sunt fœtus difformes, monstra, venena & similia quæ omnia suam habent specialem causam, rationem & utilitatem: itaut noxia cum utilibus non sine causa nascantur. Ita S. Ambrosius Lib. 3. Hexameron cap. 9. n. 39. *Singula eorum quæ generantur è terris*, inquit, *specialem quamdam rationem habent, quæ pro virili portione complent universæ plenitudinem creaturæ. Alia ergo esui, aliæ alii nascuntur usui. Nihil vacat, nihil inane germinat terra. Quod tibi putas inutile, aliis utile est .... & sæpè eadem quæ tibi noxia sunt, avibus aut feris innoxium ministrant pabulum..... Non solùm igitur nulla in his reprehensio Creatoris, sed etiam incrementum est gratiarum. Siquidem quod ad periculum putabas esse generatum, ad remedia tibi salutis operatur.* Nihil ergo in natura inutile est, nihil redundans: vilia quidem videntur infecta, & parum ad universi pulchritudinem conferre, conferunt tamen suo modo; quod Isidorus Lib. 1. Sententiarum, seu de summo bono cap. 9. exemplo illustrat. *Si radas*, inquit, *supercilium hominis, parvam rem demes, sed totius corporis ingeris fœditatem. Ita & in universitate creaturæ est; si extremum vermiculum natura malum dixeris, universæ creaturæ injuriam facis.*

Objicies 2. Experientia docet, cuique sua ferè negotia succedere pro ratione industriæ quam adhibet, non pro ratione juris quod obtinet: unde plerumque qui iniquissimas causas fovent, superiores evadunt; quod est indicium unumquemque suæ relinqui providentiæ, nec aliam homini quærendam esse.

Resp. Nego consequentiam. Idcircò enim plerumque hominibus pro majori quam adhibent industria atque solertia, feliciter negotia succedunt, quia suprema Dei providentia statuit ut res hac in vita mortali suis agantur ac permittantur motibus; quapropter ubi major potentia vel industria, ibi plerumque successus felicior, non ubi major justitia vel æquitas: causæ autem & rationes ex suprà dictis intelligi facilè possunt.

Objicies 3. S. Hieronymus Commentario in caput 1. Abacuc. *Absurdum est*, inquit, *ad hoc Dei deducere Majestatem, ut sciat per momenta singula quot nascantur culices, quotve moriantur; quæ cimicum, & pulicum, & muscarum sit in terra multitudo: quanti pisces in aqua natent &c. Non simus tam fatui adulatores Dei, ut dum potentiam ejus etiam ad ima detrahimus, in nos ipsos injuriosi simus, eandem rationalium, quàm irrationalium providentiam esse dicentes.*

Resp. 1. S. Hieronymum excludere dumtaxat à Deo cognitionem earum minutissimarum rerum, quæ particulatim & alternatim per diversa temporum momenta cum successione habetur, quod quidem divina indignum esse Majestate meritò affirmat sanctus Doctor, quia Deus omnia simul unico actu cognoscit.

Resp. 2. manifestum esse ex postremis S. Hieronymi verbis, hoc unum illum velle, majorem scilicet Deo erga homines curam & providentiam inesse, quàm erga res viles & abjectas: quo sensu Apostolus 1. Cor. 9. v. 9. dixit: *Numquid de bobus cura est Deo?*

Addunt

Addunt aliqui poſt Sylvium, locum illum eſſe unum ex illis quos ipſemet Hieronymus in Libro contra Rufinum dicit, *ſe in Commentariis ſuper Prophetas, non ex ſua, ſed ex aliorum ſententia expoſuiſſe.*

Objicies 4. auctoritatem S. Th. 1. p. q. 23. art. 7. in corp. ubi ait: *Licèt Deus ſciat numerum omnium individuorum, non tamen numerus vel boum, vel culicum, vel aliquorum huiuſmodi eſt per ſe præordinatus à Deo.*

Reſp. Qui hunc S. Thomæ textum ad invidiam objiciunt, de induſtria omittere voces iſtas, *per ſe*, in quibus ſolutio continetur. Scilicet in mente ſancti Doctoris alia ſunt quæ propter ſe à Deo curantur, ea ſcilicet, quæ perpetuitatem habent ſpeciei; alia verò non propter ſe, ſed propter aliud, quæ ex ſe perpetuitatem non habent, *qualia ſunt individua corruptibilia*, inquit loco citato, *quæ non ordinantur ad bonum univerſi, quaſi principaliter, ſed quaſi ſecundariò, in quantùm in eis ſalvatur bonum ſpeciei.* Seipſum clarè exponit ſanctus Doctor de veritate q. 5. quæ eſt de providentia art. 3. *Sciendum*, inquit, *quòd aliquid provideri dicitur dupliciter; uno modo propter ſe, alio modo propter alia: ſicut in domo propter ſe providentur ea, in quibus eſſentialiter conſiſtit bonum domus, ſicut filii, poſſeſſiones, & huiuſmodi; alia verò providentur ad horum utilitatem, ut vaſa, animalia & huiuſmodi; & ſimiliter in univerſo illa propter ſe providentur, in quibus eſſentialiter conſiſtit perfectio univerſi, & hæc perpetuitatem habent, ſicut & univerſum perpetuum eſt. Quæ verò perpetua non ſunt, non providentur niſi propter alium; & ideò ſubſtantiæ ſpirituales & corpora cæleſtia, quæ ſunt perpetua, & ſecundùm ſpeciem & ſecundùm individuum, ſunt proviſa propter ſe & in ſpecie & in individuo: ſed corruptibilia perpetuitatem non poſſunt habere niſi in ſpecie, unde ſpecies ipſæ ſunt proviſæ propter ſe, ſed individua eorum non ſunt proviſa, niſi propter perpetuum eſſe ſpeciei conſervandum.* Hæc S. Thomas, quibus mentem ſuam clarè ac nitidè evolvit & explicat. T. 12. p. 618. col. 1. E.

Quæres 1. An providentia rebus neceſſitatem imponat.

Reſp. minimè: providentia enim Dei non diſtinguitur ab ejus ſcientia & voluntate, quæ nullam rebus liberis neceſſitatem imponit. Ita S. Auguſtinus Lib. 7. de Civitate Dei cap. 30. *Hæc*, inquit, *facit atque agit unus verus Deus; ſed ſicut Deus, id eſt, ubique totus, nullis incluſus locis, nullis vinculis alligatus, in nullas partes fectilis, ex nulla parte mutabilis, implens Cælum & terram preſente potentia, non indigente* (ſeu ut alii legunt) *non abſente natura. Sic itaque adminiſtrat omnia quæ creavit, ut etiam ipſa proprios exercere & agere motus ſinat.* To. 7. p. 185. G.

Ita pariter S. Thomas 1. p. q. 22. art. 4. ad 1. *Dicendum*, inquit, *quòd effectus divinæ providentiæ non ſolùm eſt aliquid evenire quocunque modo, ſed aliquid evenire vel contingenter, vel neceſſariò. Et ideò evenit infallibiliter & neceſſariò, quod divina providentia diſponit evenire infallibiliter & neceſſariò; & venit contingenter & liberè, quod divinæ providentiæ ratio habet, ut contingenter & liberè eveniat.* Cùm itaque divina providentia *diſponat omnia ſuaviter*, res neceſſarias, neceſſariò; res verò liberas, libero modo regit ac moderatur: ſervat enim proprium rei cujuslibet agendi modum. Quæ propter quæ à Deo præviſa & ordinata ſunt, neceſſariò fient, non quidem neceſſitate abſoluta, ſed hypothetica & ſimplicis, ut vocant, illationis: quia cùm divina præſcientia falli non poſſit, neceſſe eſt conſequenter & hypotheticè ea evenire, Sapient. 8. v. 1.

nire, quæ præscivit: cùm autem præsciverit ea liberè futura, liberè quoque futura sunt.

Quæres 2. An providentia Dei suum semper finem assequatur?

Resp. ad istam quæstionem idem nos reponere, quod superiùs, cùm quæsitum est utrum voluntas Dei semper impleatur.

I. Providentiam non semper obtinere finem specialem earum rerum quæ ipsi subjiciuntur. Probatur. Quia ex providentia Dei omnes homines ad æternam beatitudinem tanquam ad finem ordinantur: atqui omnes homines ad hunc finem non perveniunt; ergo providentia Dei non semper obtinet finem specialem earum rerum quæ ipsi subjiciuntur. Atque in hoc maximè prædestinationem à generali providentia distinguit S. Thomas de veritate q. 6. art. 1. *In qualibet*, inquit, *ordinatione ad finem est duo considerare, scilicet ipsum ordinem, & exitum vel eventum ordinis; non enim omnia, quæ ad finem ordinantur, finem consequuntur. Providentia ergo ordinem in finem respicit tantùm, unde per Dei providentiam omnes homines ad beatitudinem ordinantur; sed prædestinatio respicit etiam exitum vel eventum ordinis: unde non est nisi eorum qui gloriam consequuntur.*

To. 12. pa. 631. col. 1. A.

II. Providentiam semper assequi finem suum generalem, nempè, manifestationem gloriæ Dei, patet ex dictis suprà de voluntate Dei, quatenus est rerum causa universalis quæ suum semper effectum obtinet. *Quod enim*, ait S. Thomas à nobis relatus 1. p. q. 19. art. 6. in corp. *recedere videtur à divina voluntate secundùm unum ordinem, relabitur in ipsam secundùm alium*. Unde S. Gregorius Magnus Lib. 6. Moral. capite 18. in illud Job, *Comprehendit sapientes in astutia eorum. Sapè*, inquit, *nonnulli humana sapientia inflati, dum desideriis suis divina judicia contraire conspiciunt, astutis eis reluctari machinationibus conantur: & quò ad votum suum vim supernæ dispensationis intorqueant, callidis cogitationibus insistunt, subtiliora consilia exquirunt: sed inde voluntatem Dei peragunt, unde hanc immutare contendunt; atque omnipotentis Dei consilio dum resistere nituntur, obsequuntur: quia sapè & hoc ejus dispositioni aptè militat, quod ei per humanum studium frivolè resultat. Sapientes ergo Dominus in ipsa eorum astutia comprehendit, quando ejus consiliis humana facta etiam tunc congruè serviunt, cùm resistunt.* Et adducto Josephi exemplo; *Ideò à fratribus*, pergit, *venditus fuerat Joseph, ne adoraretur: sed ideò est adoratus, quia venditus.... Sic divinum consilium dum devitatur, impletur: sic humana sapientia dum reluctatur, comprehenditur.*

Ed. no. To. 1. p. 194. B.

Ibid. E.

Quæres 3. an providentia Dei consistat in actu intellectus ordinantis, & voluntatis decernentis?

Resp. affirmativè. Probatur. Quia providentia, ex dictis, duo includit: ordinem rerum, & ordinis voluntatem seu executionem. Ordo ac dispositio rerum ad intellectum pertinet; ordinis autem voluntas & executio, ad voluntatem; & ita facilè conciliantur in speciem contrariæ nonnullorum ex SS. Patribus sententiæ, quorum aliqui providentiam appellant scientiam, aliqui autem voluntatem.

Quòd si rursus quæsieris, an providentia ex æquo pertineat tùm ad intellectum, tùm ad voluntatem: an verò formaliter ac directè sit actus intellectus connotans dumtaxat actum voluntatis. Respondebo: non tanti momenti nobis videri quæstionem istam, ut in ea tractanda immoremur. Perinde nobis

bis est, si dicatur providentia ex æquo directè ac formaliter pertinere ad intellectum & voluntatem, vel ad intellectum dumtaxat, præsupponendo voluntatem: perinde, inquam, nobis est, modò hoc unum habeamus, in providentia includi rerum ordinem & executionem. Non recusamus tamen agnoscere dici posse eam formaliter ac directè esse actum intellectus, præsupponendo voluntatis decretum: tùm quia providentia formaliter est ratio ordinandorum in finem, quod proprium est intellectus: tùm quia est pars prudentiæ, quæ propriè sedem habet in intellectu. Quia verò prudentia non est simplex ac nuda rerum scientia, ideò addimus & voluntatis decretum, quod præsupponit; quemadmodum scientia visionis quæ practica est & causa rerum, decretum illud voluntatis connotat ac præsupponit.

Providentia divina universim dividitur in generalem & specialem: generalis ea est per quam Deus rebus omnibus providet; singularis seu specialis, per quam res singulares, creaturam præsertim rationalem, ad finem suum movet ac dirigit. Nobilior species providentiæ specialis est prædestinatio & reprobatio, de quibus imposterum dicturi sumus.

QUÆSTIO XXII.

De prædestinatione.

OMnem de prædestinatione controversiam his Articulis concludemus.

I. De nomine, definitione, natura & existentia prædestinationis.
II. De causis.
III. De effectibus.
IV. De proprietatibus.

ARTICULUS PRIMUS.

De nomine, definitione, natura & existentia prædestinationis.

Nomen Prædestinationis.

PRædestinatio generatim & latiori quodam sensu usurpatur pro quavis prædefinitione & præordinatione divina; & extenditur ad ea omnia quę Deus ab æterno statuit vel per se facere, vel permittere, & procurare ut per creaturas fiant. Quo sensu Act. 2. v. 23. de Christo à Judæis occiso dicitur: *Hunc definito consilio & præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affigentes interemistis.* Prædestinare igitur, vi verbi, est de rebus, antequam fiant, aliquid statuere, definire, decernere. Hìc propriè ac strictè prædestinatio, est antecedens & æterna creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ directio, præordinatio, destinatio. Componitur ex particula *præ*, quæ anteceſſionem significat seu durationis & temporis, seu causalitatis; & ex verbo *destino*, quod propriè hic significat, 1. mitto, 2. constituo, definio, ordino; quæ posterior acceptio frequentior est, & ab ea prior illa videtur derivata, quia qui mittuntur, prius destinantur ut eant. Hoc sensu Ephes. 1. v. 4. & 5. dicitur: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem ut essemus sancti...*

prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum secundùm propositum voluntatis suæ.

Quod apud Latinos significat prædestino, hoc idem apud Græcos προορίζω dictum ἀπὸ τέλους id est à fine seu termino, ad quem res dirigitur seu destinatur. Atque hinc Maldonatus colligit, prædestinationem propriè esse ad finem seu gloriam, non verò ad gratiam. Verùm usus valuit apud rerum divinarum tractatores, ut prædestinatio ad utramque referatur, nempè ad gratiam tanquam medium, & ad gloriam tanquam terminum & finem. *Deus*, ait S. Fulgentius Lib. 3. de veritate prædestinationis cap.
P. 484. 5. *Sanctos suos prædestinavit & ad gratiam vitæ bonæ, & ad gratiam vitæ æternæ.* Et S. Augustinus de prædestinatione SS. cap. 10. ait, *hoc tantùm interesse*
T. 10. p. *inter gratiam & prædestinationem, quòd prædestinatio sit gratiæ præparatio,*
803. D. *gratia verò sit ipsa donatio.*

Prædestinatio interdum præscientia nuncupatur; ita ut iidem sint præsciti, qui & prædestinati. Rom. 11. v. 2. *Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit*, id est prædestinavit, interprete S. Augustino Lib. de dono perseverantiæ cap. 18. Phrasi scilicet Scripturæ, qua Deus eos scire seu præscire dicitur quos approbat & diligit: nescire verò quos rejicit ac reprobat. Matth. 7. v. 23. Christus ad reprobos: *Nunquam*, ait, *novi vos: discedite à me omnes qui operamini iniquitatem.* Et cap. 25. v. 12. ad fatuas virgines ait pariter: *Nescio vos.*

Præscientiam autem Dei latiùs patere quàm prædestinationem diserte declarat S. Augustinus Lib. de prædestinatione SS. cap. 10. *Prædestinatio*, inquit,
Ibid. p. *sine præscientia esse non potest: potest autem esse sine prædestinatione præscientia.*
803. E. *Prædestinatione quippè Deus ea præscivit quæ fuerat ipse facturus. . . præscire autem potens est etiam quæ ipse non facit, sicut quæcunque peccata.*

Prædestinatio non tantùm in bonam partem, hoc est ad gratiam & gloriam, sed interdum etiam in malam, hoc est in pœnam & damnationem, usurpatur. Ita Matth. 25. v. 41. ad reprobos dicitur: *Discedite à me maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis ejus.* Quo
To. 6. p. 234. B. su S. Augustinus Enchiridii cap. 100. dixit: *Benè utens & malis, tanquam summè bonus, ad eorum damnationem quos justè prædestinavit ad pœnam, & ad eorum salutem quos benignè prædestinavit ad gratiam.* Et Tract. 48. in Joan. *Quo-*
To. 2. p. 2. pag. 515. E. *modo ergo, inquit, istis dixit, Non estis ex ovibus meis? Quia videbat eos ad sempiternum interitum prædestinatos, non ad vitam æternam sui sanguinis pretio comparatos.* Et Concilium Valentinum III. in Galliis celebratum anno 855.
Tom. 8. Conc. p. 136. A. Can. 3. *Fideliter fatemur prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem.*

Fatendum nihilominus, usu magis trito ac communi prædestinationem in bonam partem usurpari, pro electione scilicet & destinatione aliquorum ad gratiam & gloriam; quæ prædestinatio in Scripturis appellatur vocatio secundùm propositum seu consilium Dei, dilectio, discretio, electio, præparatio, prærdinatio &c.

Definitio prædestinationis.

Prædestinatio definitur à S. Thoma 1. p. q. 23. art. 1. in corp. *Ratio transmissio-*

missionis creaturæ rationalis in vitam æternam. Et art.2. in corp. *Prædestinatio est ratio ordinis aliquorum in salutem æternam*. Qua in definitione videtur Doctor Angelicus unam directè ac primariò spectasse gloriam seu vitam æternam; ibidem nihilominus sic ait: *Prædestinatio est præparatio gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro*. Quæ duo Scotus etiam expressit in sua prædestinationis definitione, in 1. dist.40. q.unica. *Prædestinatio*, inquit, *est electio creaturæ intellectualis vel rationalis ad gratiam & gloriam*. Et in 3. dist.7.q. 5. enucleatiùs adhuc sic rem explicat: *Prædestinatio est præordinatio alicuius ad gloriam principaliter, & ad alia in ordine ad gloriam*. Audis prædestinationem *principaliter* esse ad gloriam. E contrà videtur S.Augustinus prædestinationem potissimùm spectasse & definiisse per ordinem ad gratiam; quòd nempè id postularet ratio controversiæ quam habebat contra Pelagianos & Semipelagianos. *Tom.5. p.1330.* *Tom.7. pa.199.*

Prædestinatio igitur definitur & quidem breviter à S.Augustino Lib. de prædest. SS. cap.10. *gratiæ præparatio*: quam definitionem sequitur & exponit Magister Lib.1. Sent. dist.40. Paulò explicatiùs Lib. de dono persev. cap.14. ait: *Prædestinatio nihil est aliud, quàm præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicunque liberantur*. Non una autem est Theologorum sententia in explicandis singulis hujusce definitionis partibus. *T.10.p. 803.D.* *Ib.p.839 G.*

Dicitur 1. Præscientia, per quam, ait Bellarminus Lib.2. de Gratia & libero arbitrio cap.9. *Deus præscit quibus mediis infallibiliter certi homines salvari possint, & vult efficaciter ea media præparare*. Verùm disputant Theologi quænam in mente S.Augustini sit illa præscientia: an ea quæ simplicis intelligentiæ, an quæ conditionata, an denique quæ visionis dicitur. Non esse scientiam simplicis intelligentiæ, inde manifestè probatur, quòd hæc versetur circa res merè possibiles, illa verò circa ea quæ vel absolutè, vel conditionatè futura sunt. Restat igitur ut sit vel scientia conditionata, vel absoluta & visionis, vel utraque simul; quod postremum longè probabilius videtur. Præscientiam illam esse absolutam & decreto Dei, nostro concipiendi modo, posteriorem, probat evidenter quod sæpissimè inculcat sanctus Doctor, Deum suæ præscientia præscire quæ ipse facturus est, præscientia verò quæ versatur circa ea quæ absolutè futura sunt, est absoluta & visionis. Ipsam verò non excludi, imò potiùs supponi præscientiam conditionatam, probant ejus patroni, quia decreto præparationis auxiliorum gratiæ, loco citato ab Augustino, præponitur. Quod evidentiùs adhuc declarat cap. 17. de dono persev. his verbis: *Ista igitur sua dona quibuscumque Deus donat, procul dubio se donaturum esse præscivit, & in sua præscientia præparavit . . . . Namque in sua quę falli mutarique non potest præscientia, opera sua futura disponere, id omninò, nec aliud quidquam est prædestinare*. Antecedit ergo in mente S. Augustini præscientia decretum Dei absolutum, cujus directiva est: at hujusmodi scientia, ex dictis superiùs, est conditionata, independens à decreto, eoque anterior cui præluceat. *To.4. 194.G* *T.10.p 844.C. D.*

Dicitur 2. præparatio, id est æterna in mente Dei dispositio mediorum, quibus in tempore creaturam rationalem ad finem suum ultimum certissimè dirigit ac conducit.

Dicitur 3. præparatio beneficiorum Dei: quibus certè verbis innuere videtur

detur ſanctus Doctor ſe de una dumtaxat loqui prædeſtinatione ad gratiam, de qua una res ipſi erat cum Pelagianis & Semipelagianis, quorum hic erat capitalis error, prædeſtinari homines ad gratiam ex præviis naturæ meritis, ſive futuris ſive etiam non futuris, & ex pio quodam affectu naturali ad credendum. Adversùs hunc errorem totus ſtrenuè dimicat S. Auguſtinus; ac directè probat vel ex ipſa prædeſtinationis ideæ & definitione, gratis præparari à Deo auxilia gratiæ quæ in tempore diſpenſat ac liberali manu diſtribuit. Et verò tùm cap.10. Lib. de prædeſt.SS. tùm cap.14. Lib. de dono perſeverantiæ, unde prædeſtinationis definitio deſumitur, ſolius gratiæ, fidei, ac finalis perſeverantiæ mentionem facit: imò affirmat eam, quam defendit prædeſtinationis cauſam, ad fidem pertinere, contra quam nemo niſi errando diſputare poteſt. *Hoc ſcio*, inquit cap.19. Lib. de dono perſev. *contra iſtam prædeſtinationem, quam ſecundùm Scripturas ſanctas defendimus, neminem, niſi errando diſputare potuiſſe.* Iſtud porrò cadere dumtaxat poteſt in prædeſtinationem ad gratiam, nullatenus verò in eam quæ eſt ad gloriam, de qua in utramque partem, liberè ac ſalva fide, in Scholis Catholicis diſputatur; & de qua nonniſi data occaſione & obiter, ut ajunt, loquitur S. Auguſtinus, cùm adversùs Pelagianos & Semipelagianos congreditur. Quamquam & ipſa etiam ad gloriam prædeſtinatio aliquo ſenſu gratuita dici poteſt, quatenus ſcilicet fundatur in meritis gratiæ quæ gratis datur: quo ſenſu dicit Apoſtolus Rom.6. v.23. *Gratia Dei vita æterna.* At non iſto ſenſu qui ad fidem pertinet, diſputatur inter Catholicos an prædeſtinatio ad gloriam ſit gratuita; ſed alio, nempè utrum fiat ante vel poſt præviſa merita gratiæ.

Ibid. p. 848.C.

Dicitur denique præparatio beneficiorum Dei, *quibus certiſſimè liberantur, quicunque liberantur*, quibus verbis & certitudo prædeſtinationis, & efficax gratiæ virtus deſignatur & commendatur. Quo ſenſu dixit Chriſtus Joan.6.v. 39. *Hæc eſt voluntas ejus qui miſit me Patris, ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo.* Et cap.18.v.9. *Quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quemquam.*

At, inquies, nonne in ipſa gloria perfecta & conſummata ſit hominis liberatio? Ergo gloria eſt de numero illorum beneficiorum Dei, de quibus loquitur S. Auguſtinus in ſua prædeſtinationis definitione.

Reſp. revera in ipſa gloria, tanquam in fine ac termino, perfectam ac conſummatam fore & ab omni periculo mutationis prorſus tutam ac ſecuram hominis liberationem: ſed de illa liberatione in fine ac termino futura, directè & ex profeſſo non tractat ſanctus Doctor diſputans contra hæreticos Pelagianos & Semipelagianos; ſed de mediis dumtaxat, ſeu auxiliis gratiæ quibus ad illam perfectam liberationem certiſſimè pervenitur.

Ex varia porrò definitione prædeſtinationis quam Catholici proferunt, conſtat aliam eſſe ad gratiam, & aliam ad gloriam: unde nata in Scholis diſtinctio prædeſtinationis in adæquatam & inadæquatam, completam & incompletam. Adæquata ſeu totalis & completa omnes complectitur prædeſtinationis partes ſeu effectus, gloriam ſcilicet & gratiam: incompleta verò, aliquam dumtaxat partem, nempè vel gratiam vel gloriam. Obſervari apprimè debet iſta diſtinctio, ad omnem ex præſenti controverſia æquivocationem & ambiguitatem amovendam. Iſta diſtinctione eum in finem opportunè utitur S. Thomas Commentario in cap.8. Epiſt. ad Rom. Lectione 6. verba ſancti Doctoris inferiùs referemus.

Natu-

Natura prædeſtinationis.

Quod de providentia paulò antè, hoc idem de prædeſtinatione jam quæritur: an nempè includat actum intellectus & voluntatis, & quem immediatiùs includat.

Solutio facilis eſt & aperta ex dictis antea de providentia: eſt quippè prædeſtinatio, & pars providentiæ, & ſimul opus miſericordiæ; unde ad utramque perfectionem pertinet. Ad providentiam, quatenus continet rationem mediorum quibus natura rationalis perducenda eſt ad ſalutem: ad miſericordiam, quatenus voluntas hæc media conferendi oritur ex affectu miſericordiæ. Inde eſt quòd prædeſtinatio partim ad intellectum pertineat, partim ad voluntatem: namque præſcire, diſponere, dirigere, proprium eſt intellectus; ſeligere autem, velle, miſereri, voluntatis. Porrò Scriptura ubi de prædeſtinatione, eos actus exprimit qui partim ad intellectum pertinent, ita Rom. 8. v. 29. *Quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui.* Et cap. 11. v. 2. *Non repulit Deus plebem ſuam quam præſcivit.* Partim ad voluntatem: Epheſ. 1. v. 4. & 5. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem... prædeſtinavit nos... ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ.* Ratio aperta eſt: quia prædeſtinatio includit & ordinationem mediorum, & eorumdem voluntatem & executionem. An verò magis directè & immediatè pertineat ad actum intellectus quàm voluntatis, aut vice verſa, ad actum voluntatis magis quàm intellectus, vide quæ paulò ſuperiùs de providentia dicta ſunt, & prædeſtinationi, quæ pars eſt providentiæ, hìc accommoda.

Exiſtentia prædeſtinationis.

Prædeſtinationem negarunt, ſaltem eam quæ à Deo eſt rerum omnium conditore ac proviſore ſuaviſſimo, quotquot ex veteribus vel fatalem ex ſyderum influxu neceſſitatem invexerunt, ut Aſtrologi, Manichæi, Priſcillianiſtæ; vel unumquemque hominum natura ſua bonum aut malum, ſalvandum vel reprobandum naſci, cum Valentino, Baſilidè, Marcione, & aliis arbitrati ſunt.

Pelagiani & Semipelagiani eam quoque impugnavere prædeſtinationem quam S. Auguſtinus ex Eccleſiæ fide defendebat: rati per eam homines judicatos naſci, non judicandos; libertatem noſtram perimi, tolli virtutes, homineſque inſocordiam vel deſperationem induci. *Sub pietatis fronte*, inquiebat Fauſtus Regienſis Lib. 1. de Gratia & lib. arb. cap. 4. ſententiam Divi Auguſtini perſtringens, *ſub pietatis fronte, Gentilitatis malum; & intra gratiæ vocabulum, abſconditum erit fatale decretum.* Bibl. PP. T. 8 p. 528 col. 1. D

Ambroſius Catharinus inſignis ex Ordine Prædicatorum Theologus, Tractatu de prædeſtinatione quem ſtante adhuc Concilio Tridentino edidit, duos diſtinguit hominum ſalvandorum ordines: primum, eorum qui eximiè ac inſigniter à Deo electi ac prædeſtinati ſunt ante omnem meritorum præviſionem, quibus tanta & tam efficacia ac infallibilia ſalutis aſſequendæ media gratiæ Deus ex ſuo beneplacito largitur, ut fieri non poſſit quin ad vitam perducantur æternam. Certitudo hujuſmodi prædeſtinationis non à ſcien-

ſcientia Dei tantùm, ſed maximè à providentia, ſeu decreto ipſius efficaci abſoluto & antecedente profluit. Alter verò ſalvandorum ordo eorum eſt qui communi providentiæ relicti ac communibus dumtaxat auxiliis adjuti, præſciuntur quidem à Deo ex meritis ſalvandi, at non ex ſpeciali decreto efficaci & abſoluto antecedente omnem meritorum prævisionem: horum numerus certus quidem eſt ex præſcientia, non verò ex ſpeciali Dei providentia. Cùm verò docet Catharinus aliquos eſſe quidem ſalvandos, ſed à Deo non electos nec prædeſtinatos, non ſic intelligendum eſt, quaſi omnem omninò Dei prædeſtinationem ab iis qui ſalvi fiunt, removendam arbitretur: neque enim adeò ſtolidus fuit præſtantiſſimus Theologus, ut gloriam quibuſdam fortuitò contingere putaret, quibus non fuiſſet æterno Dei & meritorum intuitu poſteriore decreto deſtinata. Contendit igitur quoſdam ad ſalutem pervenire non prædeſtinatos, prædeſtinatione videlicet gratuita quæ omnem meritorum prævisionem antevertat, vi cujus ſingularia & infallibilia ſalutis aſſequendæ media ſeligantur.

Catharini mentem aſſecuti non videntur, quotquot è Theologis eam refellunt, congeſtis benè multis Scripturæ teſtimoniis, quibus probant neminem ſalvari, niſi qui prædeſtinatus eſt ad ſalutem; quaſi id negaverit unquam, aut negare potuerit ſanæ mentis Theologus. In eo igitur ſingularis eſt Catharini opinio, quòd gratis & ſine ullo fundamento duplicem in Deo prædeſtinandi modum pro duplici hominum ordine excogitaverit: unum ante prævisa merita, per infallibilia & efficaciſſima gratiæ auxilia; tales ſunt ii quos inſigniter electos ac prædeſtinatos appellat: alterum verò poſt prævisa merita ex auxilio quidem gratiæ elicita, ſed generali & omnibus communi; tale eſt promiſcuum vulgus ſalvandorum, quorum numerus à ſpeciali Dei providentia non eſt determinatus, ſed tamen ex divina præſcientia eſt certiſſimus.

Duo hìc igitur demonſtranda: primum, admittendam eſſe aliquam ex parte Dei prædeſtinationem: alterum, gratis omninò ac ſine ullo fundamento excogitatam à Catharino fuiſſe diſtinctionem ſalvandorum, in eos qui ſunt inſigniter & ante prævisa merita prædeſtinati; & alios qui communi dumtaxat providentiæ relicti, ex prævisis meritis ſalutem aſſequuntur.

PRIMA CONCLUSIO.

Admittenda eſt vera ex parte Dei prædeſtinatio.

Tot evidentibus Scripturæ teſtimoniis hæc fides Eccleſiæ demonſtratur, ut mirum ſit à Chriſtianis in dubium revocari poſſe.

Matth. 25. v. 34. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.*

Lucæ 12. v. 32. *Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum.*

Rom. 8. v. 30. *Quos prædeſtinavit, hos & vocavit; & quos vocavit, hos & juſtificavit; quos autem juſtificavit, illos & glorificavit.*

Epheſ. 1. v. 4. & 5. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti ... prædeſtinavit nos .... ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ.*

Hanc

Hanc esse fidem Ecclesiæ, quæ sine errore negari non potest, nonsemel affirmat sanctus Augustinus, quiex professo contra Semipelagianos duos conscripsit Libros, unum de prædestinatione Sanctorum, & alterum de dono perseverantiæ. Cap. 19. nu.48. hujus postremi ait, *Neminem contra istam prædestinationem quam secundùm Scripturas sanctas defendimus, nisi errando disputare potuisse.* T.10.p. 848.C.

Et cap.21. n.56. *Nimiæ contentionis est*, inquit, *prædestinationi contradicere, vel de prædestinatione dubitare.* Denique cap.23.n.65. *Prædestinationis hujus fidem, quæ contra novos hæreticos nova sollicitudine nunc defenditur, nunquam Ecclesia Christi non habuit.* ibid. p. 853.C. ibid. p. 857. B.

Magistro consentiunt discipuli Prosper & Fulgentius. S. Prosper in Responsione prima ad objectiones Gallorum, *Prædestinationem*, inquit, *Dei nullus Catholicus negat.* Et in Epist. ad Ruffin. *Prædestinationem tam impium est negare, quàm ipsi gratiæ contraire.* P. 205. A. B. Paginæ 94. B.

S. Fulgentius Lib. de Incarnat. & Gratia Christi cap. ultimo. *Deus*, inquit, *qui hominem condidit, ipse prædestinatione sua & donum illuminationis ad credendum, & donum perseverantiæ ad proficiendum, atque permanendum, & donum glorificationis ad regnandum, quibus dare voluit, præparavit: quippè non aliter perficit in opere, quàm in sua sempiterna atque incommutabili habet dispositum voluntate. Cujus prædestinationis veritatem..si quis detrectat cordis credulitate recipere, vel oris confessione proferre; si ante ultimum diem vitæ præsentis, impietatis suæ contumaciam, qua Deo vivo & vero rebellis obstitit, non abiecerit, manifestum est eum non pertinere ad eorum numerum, quos Deus in Christo ante mundi constitutionem gratis elegit & prædestinavit ad regnum.* P. 323.

Et Lib. de fide ad Petrum cap. 35. *Firmissimè tene*, inquit, *& nullatenus dubites, omnes, quos vasa misericordiæ gratuita bonitate Deus facit, ante constitutionem mundi in adoptionem filiorum Dei prædestinatos à Deo.* P. 529.

Affinitatem & connexionem habet præsens istud Ecclesiæ dogma, cum alio quod spectat originale peccatum, quo nascendo homo quilibet infectus, eam gratiam, in qua conditus primùm fuerat & quam peccando perdidit, recuperare per sese nunquam potest: necesse igitur fuit gratuita Dei misericordia eum à massa perditionis liberari, & ad gratiam gratuitò destinari. Ita declarat Apostolus Ephes. 2. v.3. *Eramus*, inquit, *natura Filii iræ sicut & ceteri: Deus autem qui dives est misericordia, propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos, & cùm essemus mortui peccatis convivificavit nos in Christo, cujus gratia estis salvati.* Et v.13. *Vos qui aliquando eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ solvens inimicitias in carne sua.*

Ratio Conclusionis aperta est: quia nihil Deus operatur in tempore, quod ab æterno non præordinaverit faciendum. *Non enim aliter fasit in opere*, ait S. Fulgent. mox laudatus, *quàm in sua sempiterna atque incommutabili habet voluntate dispositum. Ista dona sua*, inquit sanctus Augustinus Lib. de dono perseverantiæ cap. 17. nu. 41. *quibuscumque Deus donat, procul dubio se donaturum esse præscivit, & in sua prescientia preparavit.* Unde Apostolus ait, *nos prædestinari à Deo secundùm propositum voluntatis suæ.* Ephes. 1. v.5. Est igitur de fide, admittendam esse in Deo prætestinationem: de fide quoque est, prædestinationem illam quæ est ad gratiam, esse purè gratuitam, T.10.p. 844. E.

de

de qua loquitur S. Auguſtinus locis mox citatis. Non ita de illa quæ eſt ad gloriam, niſi ſaltem, ut dicitur, in ſemine ac radice; ideſt, quatenus fundatur in operibus factis ex gratia quæ gratuita eſt.

Quàm certa prædeſtinationis exiſtentia, tam occulta eſt ac humanæ menti prorſus impervia hujuſce myſterii ratio. Abyſſum hanc tentare nefas: ad æmulationem ac virtutis exercitium arcanum illud latere nos Deus ſapientiſſimè voluit; ſuſpenſa quippè ſors, cautiores reddit & vigilantiores. Unum hic ſufficiat S. Petri monitum 2. Epiſt. c. 1. v. 10. *Satagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis.* Procul ergo curioſæ ac temerariæ quæſtiones iſtæ: Quare ex duobus hic prædeſtinetur, & alter non prædeſtinatur? Quare hic ita vocetur, ut Vocantem audiat & ſequatur, alter verò non? Cur ex duobus juſtis unus ex hac vita educitur cùm juſtus eſt, alter verò non educitur? Cum Apoſtolo exclamandum Rom. 11. v. 33. *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei: quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus!* Et c. 9. v. 20. *O homo tu quis es qui reſpondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui ſe finxit, Quare me feciſti ſic?*

Myſterii hujus altitudinem inacceſſam ſæpius declarat S. Auguſtinus. *Cur*, inquit in Epiſtola ad Sixtum 194. al. 105. *illum potiùs quàm illum liberet aut non liberet, ſcrutetur qui poteſt judiciorum ejus tam magnum profundum, verumtamen caveat præcipitium.*

Et paulò antè dixerat: *Cur ille credat, ille non credat, cùm ambo idem audiunt; & ſi miraculum in eorum conſpectu fiat, ambo idem vident: altitudo eſt divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, cujus inſcrutabilia ſunt judicia, & apud quem non eſt iniquitas, dum cujus vult miſereturi, & quem vult obdurat.*

Et Lib. de ſpiritu & litt. c. 34. *Jam*, inquit, *ſi ad illam profunditatem ſcrutandam quiſquam nos coarctet, cur illi ita ſuadetur ut perſuadeatur, illi autem non ita; duo ſolùm occurrunt interim quæ reſpondere mihi placeat: O altitudo divitiarum! Et, Numquid iniquitas apud Deum? Cui reſponſio iſta diſplicet, quærat doctiores, ſed caveat ne inveniat præſumptores.*

Dices: Doctrina prædeſtinationis periculoſa videtur, noxia libertati: homines vel in ſocordiam aut deſperationem injicit, vel in temerariam præſumptionem ac ſecuritatem. Quippè ſi ab æterno antè prævisa uniuſcujuſque bona opera, ſors noſtra prædefinita eſt, valebit iſtud dilemma quo multi defatigantur ac turbantur: Vel ſum prædeſtinatus, vel non. Si ſum prædeſtinatus, ſalutem certiſſimè conſequar; irrita enim eſſe non poteſt abſoluta Dei voluntas; atque ita tametſi genio & cupiditatibus licentiùs indulgeam, certò certiùs aderit mihi etiam non ſollicito finalis perſeverantiæ gratia; ſi verò non ſum prædeſtinatus, quidquid boni egero, tandem deſerente gratia, æternùm peribo; ſoli enim prædeſtinati ſalvi eſſe poſſunt.

Narrat S. Auguſtinus L. de dono perſev. c. 15. num. 38. ſimili dilemmate quemdam in ſuo Monaſterio turbatum fuiſſe, ac deſerto Monaſterio ad ſæculi pompam rediiſſe.

Reſp. Nego ant. Ad propoſitum dilemma,

Dico 1. dilemma iſtud nullam prorſus vim habere in eorum ſententia qui admittunt uſum ſcientiæ conditionatæ, ac prædeſtinationem fundatam

in

in præscientia meritorum gratiæ: non alia etenim ex prædestinatione, quàm ex præscientia oriri potest difficultas, aut necessitas agendi. Sicut ergo præscientia Dei humanam non tollit libertatem, nec extinguit in nobis studium ac sollicitudinem sectandæ virtutis, quia res futuras supponit, non facit; ita nec prædestinatio, quæ sequitur ac supponit præscientiam futurorum sub conditione meritorum gratiæ. Ita nodum solvit ipsemet Bellarminus, cujus auctoritatem, ubi de gratuita prædestinatione agitur, adeo extollunt ac ventitant, qui scientiæ mediæ seu conditionatæ adversantur. *Deus*, inquit c.15. L.2. de gratia & libero arbitrio, *antequam aliquid absoluta voluntate decernat, præscivit quidquid unquam accidere posset, sihæc aut illa ponerentur. Ex hac enim conditionali prænotione potuit Deus in prædestinatione definire unicuique electorum omnem illam gloriam ad quam eum pervenire decerneret.* To.4.f. 203.H.

Hoc argumento ex divina præscientia ducto opportunè utitur S. Augustinus L. de dono persev. cap.15. & 17. ut dilnat propositum dilemma. *Sicut*, ait n.41. *ille quem casturum futurum esse* Deus *præscivit, quamvis id incertum habeat, agit ut castus sit; ita ille quem casturum futurum prædestinavit, quamvis id incertum habeat, non ideò non agit ut castus sit.* Manifestè hic supponere videtur sanctus Doctor, prædestinationem in præscientia subnixam esse. Sicut ergo ista præscientia non obstat, quin homo ea teneatur exequi, quæ Deus ab ipso exequenda esse prænovit; ita nec obstare debet divina prædestinatio, quin homo sollicitè ea impleat pietatis officia, ad quæ tenetur, & quorum intuitu ad æternam gloriam prædestinatus à Deo supponitur. T.10.f. 844.D.

Dilemma ergo quod objicitur, putidum sophisma esse, quod Dialectici appellant *à falso supponente* aut *ab ignoratione elenchi*, patet manifestè.

I. Quia falsò prorsus supponit hominem sollicitum esse non debere de sua salute, ad quam quidquid tandem egerit, vi prædestinationis, perventurus præsumitur. Nihil certè absurdius fingi ac dici potest. Idcircò enim prædestinatus quispiam supponitur, quia prævidetur ea facturus, quæ necessaria sunt ad gloriam certò assequendam; quæ si sollicitè & accuratè non perfecerit, haud dubiè è numero prædestinatorum non erit.

II. Absurditas ac falsitas dilemmatis clarior adhuc videbitur, si ad res humanas, ordinarias, temporales ac civiles transferatur. An verò quisquam erit tam stolidus ac fatuus, qui sic ratiocinari velit: Vel Deus præscivit ac decrevit me intra mensem in vivis fore, vel non præscivit, manducem, vel non manducem, in vivis ero; sinon præscivit, quidquid egero, moriar. Pariter vel Deus præscivit me à tali morbo liberandum, vel non: si præscivit, remediis utar vel non utar, à morbo certissimè convalescam; secus, non convalescam. Non puto quemquam fore mente ac ratione præditum hominem, qui tam insulsi dilemmatis obtentu, velit aut vitam suam, aut sanitatem in apertum discrimen adducere, ab alimentis abstinere, aut negligere remedia. Quid ita? Quia intimo conscientiæ sensu cuilibet notum est, ea omnia à Deo non decerni, nisi quia novit futurum ut assumantur media ad rem obtinendam omninò necessaria; alimenta nempè, ad conservationem vitæ: remedia verò, ad restitutionem sanitatis.

Dico 2. in sententia eorum, qui rejecta scientia conditionata, prædestinationem ad gloriam omninò gratuitam, absolutam, & independentem esse

volunt

volunt à prævisis gratiæ meritis, propositum dilemma non ita facilè, & ad plenam animorum pacem ac quietem dissolvi posse: id verò patet ex eorum responsis, quibus certè non omnis ex animo scrupulus & anxietas tollitur.

Respondent 1. Deum prædestinando ad finem, prædestinare quoque ad media, quæ sunt ad finem obtinendum necessaria; & consequenter falsò ac sophisticè in proposito dilemmate supponi, eum, qui prædestinatus est sollicitum esse non debere, ac certò salvandum, quidquid tandem egerit. Si enim salvandus est, ajunt, non tantùm finem, sed & media ad illum assequendum opportuna à Deo recipiet.

Verùm quis non videt idem prorsus dilemma recurrere, ac contorqueri adversùs illa media salutis sic absolutè destinata sine ullo scientiæ conditionatæ usu? Dicet enim auctor dilemmatis: Vel Deus absolutè decrevit ea gratiæ media seu auxilia mihi conferre, vel non. Si decrevit, ea certissimè recipiam; si non decrevit, non recipiam: quietus ergo remanebo, ac planè inutilis foret omnis cura & sollicitudo mea.

Respondent 2. vel ipso judice sancto Augustino, non magis ex prædestinatione, quàm ex præscientia industriam & sollicitudinem virtutum everti. Rectè quidem in sententia eorum qui existimant scientiam non esse rerum causam, hoc est, non ideò res esse futuras, quia cognoscuntur à Deo, sed potius à Deo cognosci, quia futuræ sunt. At in mente adversariorum, non ita est. Namque scientia Dei vera statuitur esse rerum causa; ergo totum reviviscit vimque omnem suam retinet dictum dilemma.

Respondent 3. libertatem non destrui per decretum quod attingit non tantùm substantiam, sed & modum actionis. At hoc ipsum est, quod aliis ad intelligendum perdifficile videtur: qua scilicet ratione stare ac servari possit in voluntate modus liberè agendi, cum motione prævia & antecedente voluntatem ad unum invincibiliter ac insuperabiliter applicante.

Verùm, inquies, propositum dilemma non minùs urgeri potest contra prædestinationem ad gratiam, quàm contra prædestinationem ad gloriam, ut per se manifestum est, ac mox dictum fuit. Et revera Semipelagiani ea ipsa incommoda objiciebant adversùs doctrinam S. Aug. circa gratuitam prædestinationem ad gratiam, quæ urgeri vulgò à Scholasticis solent adversùs doctrinam prædestinationis gratuitæ ad gloriam: maximè cùm sanctus ille Doctor L. de dono perseverantiæ cap. 14. asserat, eandem esse Ecclesiæ doctrinam de gratia, & de prædestinatione: neque magis ex una, quàm ex altera præjudicium inferri prædicationi, exhortationibus, studio virtutum &c. Ergo propositum dilemma, in quacumque tandem Catholicorum sententia solvendum est.

Fatemur: Verùm si dilemma istud contra prædestinationem ad gratiam contorqueatur, facilè diluetur ex certa & constanti doctrina sancti Augustini. Ei quippè qui diceret: Vel sum prædestinatus ad gratiam, qua auxiliante bonum operabor, vel non sum prædestinatus: si sum prædestinatus, certissimè, quidquid fecero, gratiam illam obtinebo, ac bonum operabor; secus verò, si non sum prædestinatus: illi, inquam, qui sic argueret, responderet Augustinus, Deum semper paratum esse ad dandam gratiam; & eum, qui talem non accepit, cum qua immediatè bonum operetur, non idcircò à culpa excusari posse, quia potuit orando uberiorem impetrare. Ita sæpius inculcat

S. Do-

S. Doctor. L. de corrept. & gratia cap. 2. n. 4. *Quando*, inquit, *non agunt sive omninò non faciendo, sive non ex charitate faciendo; orent, ut quod nondum habent, accipiant.* Et n. 5. *O homo, in præceptione cognosce quid debeas habere; in correptione cognosce tuo te vitio non habere; in oratione cognosce unde accipias quod vis habere.* Et L. de dono perseverantiæ cap. 22. n. 62. *Vos etiam*, inquit, *ipsam obediendi perseverantiam à Patre luminum... sperare debetis, & quotidianis orationibus poscere; atque hoc faciendo considere, non vos esse à prædestinatione populi ejus alienos, quia etiam hoc ut faciatis ipse largitur.* T. 10. p. 752. B. ibid. D. ibid. p. 855. B.

Supponit igitur sanctus Doctor tanquam rem certam, unicuique dari vel saltem offerri gratiam orationis, qua, urgente præcepto, uberiorem ad agendum necessariam impetrare à Deo possit.

SECUNDA CONCLUSIO.

Gratis ficta & commentitia videtur distinctio à Catharino excogitata, salvandorum, in eos qui ante prævisa merita insigniter prædestinati sunt; & alios, qui communi dumtaxat providentiæ relicti ex prævisis meritis salvantur.

Probatur 1. Quia ea distinctio gratis & absque ullo fundamento ficta videtur, cujus nullum extat in Scripturis aut Traditione vestigium, nulla mentio: atqui talis est mox dicta distinctio quam Catharinus excogitavit. Unus quippe non duplex in Scripturis refertur ordo prædestinatorum: de omnibus indiscriminatim Christus ait Matth. 25. v. 34. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* De omnibus salvandis, & consequenter una eademque ratione ab æterno prædestinatis Apostolus Rom. 8. v. 28. ait: *Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti.* V. 29. *Nam quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui.... Quos autem prædestinavit, hos & vocavit; & quos vocavit, hos & justificavit; quos autem justificavit, illos & glorificavit.*

Frustra contra opinionem Catharini ea opponerentur Scripturæ testimonia, quibus certò constat neminem ad salutem æternam pervenire, nisi qui fuerit à Deo prædestinatus: non negabit Catharinus. Qui enim in ejus mente non sunt ante prævisa merita insigniter prædestinati, & tamen salutem assequuntur, ii saltem post prævisa merita prædestinati sunt. In eo igitur dumtaxat hic peccat Catharinus, ut suprà jam monuimus, quòd varium fingat ex parte Dei prædestinandi modum, pro diverso salvandorum hominum ordine, cùm tamen unus sit.

II. Hoc absurdi habet Catharini opinio, quòd nulla videatur esse specialis Dei prædilectio erga illos qui salvantur & prædestinantur ex meritorum prævisione. Ex qua enim parte se teneret illa prædilectio? An ex parte finis? At Deus æqualiter finem illum, nempè vitam æternam, omnibus vult & intendit. An ex parte mediorum? At nonnisi communia & generalia salutis assequendæ media hujusmodi salvandis concedit. Nulla igitur deprehenditur specialis erga illos prædilectio. Non ita porrò est etiam in sententia eorum qui scientiam mediam & prædestinationem post prævisa merita tuentur: ma-

gna enim Dei erga prædeſtinatos prædilectio eſt, quòd inter multa gratiæ adjumenta, ea ex pura benignitate ſeligit Deus & confert, quibus prævidet hominem conſenſurum, ac certò ſalvandum fore.

Dices: Sunt quidam eximiè ſancti & vocati à Deo, v.g. beata Virgo, T.10.p. 724.E. S.Paulus de quo S.Auguſtinus Lib. de gr. & lib. arb. c.5. n.12. ait: *Ut de cœlo vocaretur, & tam magna & efficaciſſima vocatione converteretur, gratia Dei erat ſola; quia merita eius erant magna, ſed mala.* Ergo quidni dantur aliqui inſigniter electi & prædeſtinati.

Reſp. Non in eo reprehendi Catharinum, quòd putet aliquos inſigniter à Deo vocari & prædeſtinari; ſed quòd velit aliquos ſalvari ſine aliqua ſpeciali erga illos Dei prædilectione, quorum numerus ſit quidem divinæ præſcientiæ cognitus, ſed à ſpeciali providentia non præordinatus.

ARTICULUS SECUNDUS.

De cauſis prædeſtinationis.

CAuſa hìc alia eſt phyſica, alia verò moralis ſive meritoria. Non hìc quæritur an ſit aliqua ex parte creaturæ cauſa phyſica prædeſtinationis. *Nullus enim*, ait S.Th.1.p.q.23. art.5. in corp. *fuit inſanæ mentis, qui diceret merita eſſe cauſam divinæ prædeſtinationis ex parte actus prædeſtinantis. Sed hoc ſub quæſtione verſatur, utrum ex parte effectus prædeſtinatio habeat aliquam cauſam: & hoc eſt quærere, utrum Deus præordinaverit ſe daturum effectum prædeſtinationis alicui propter merita aliqua.* Hæc S.Thomas. De cauſa igitur morali & meritoria prædeſtinationis ex parte creaturæ intelligentis hic dumtaxat controverſia excitatur.

Prædeſtinatio autem ſpectari poteſt, vel ut eſt adæquata ſeu totalis, quatenus ſcilicèt includit & gratiam & gloriam: quo ſenſu nullam habet ex parte creaturæ cauſam meritoriam; gratiam enim nullis operibus naturæ unquam promereri homo poteſt.

Notanda hìc obiter Janſenii contradictio, qui Lib.9. de Gratia c.2. aſſerit, unam ab Auguſtino completam ſeu adæquatam prædeſtinationem cognitam fuiſſe; cap. verò 24. declarat S. Doctor de prædeſt. ad gloriam præcisè controverſiam non habuiſſe cum Pelagianis. De utraque igitur prædeſtinationis parte, gratia ſcilicèt & gloria, hìc inſtituenda diſputatio.

Utrum dentur aliquæ cauſæ prædeſtinationis ad gratiam.

Nulla hìc inter Orthodoxos diſſenſio: omnes uno ſuffragio profitentur, prædeſtinationem ad gratiam omnino gratuitam eſſe. Atque hoc ipſum eſt capitale dogma fidei, in cujus defenſione per annos viginti tam ſtrenuè ac feliciter incubuit S.Auguſtinus contra Pelagianos & Semipelagianos.

T.10.p. 805.D. ibid.F. Porrò *hoc tantùm intereſt inter gratiam & prædeſtinationem*, ait S.Auguſtinus Lib. de prædeſt.SS. c.10. n.19. *quòd prædeſtinatio eſt gratiæ præparatio: gratia verò eſt ipſa donatio.* Seu, ut ait paulò poſt, *Prædeſtinatio Dei, gratiæ eſt præparatio, gratia verò eſt ipſius prædeſtinationis effectus.*

Hanc Eccleſiæ fidem oppugnavere Origenes, Pelagiani ac Semipelagiani. Ori-

Origenes putavit animas ante mundum conditas fuisse, atque pro bonis vel malis earum operibus ad corpora detrusas, prædestinari vel reprobari.

Pelagiani initio, rejecta omni penitùs gratia distincta à libero arbitrio, prædestinationem ad gloriam ex prævisis bonis naturæ operibus fieri affirmarunt. Deinde cùm inter disputandum eò adducti fuissent à S. Augustino, ut aliquam admitterent gratiam, eam ad faciliùs, non verò ad simpliciter benè agendum necessariam dixerunt: ita tamen ut ejus preparatio seu destinatio à Deo fieret ex prævisis liberi arbitrii meritis. Denique cùm & bona ipsa opera ex gratia esse fateri compulsi fuissent, Julianus Pelagianus ad meritum bonæ cujusdam voluntatis confugit, voluitque gratiam à Deo præparari, & dari, non quidem propter meritum bonorum operum liberi arbitrii, sed propter meritum bonæ voluntatis.

Semipelagiani tandem Pelagianorum doctrinam utcunque mitigantes docuerunt, prædestinationem ad primam gratiam fieri, non quidem ob prævisa merita liberi arbitrii, ut volebat Pelagius; neque ob bonam voluntatem prævisam, ut placebat Juliano, sed propter pium quemdam ac naturalem ad credendum affectum, seu quoddam initium fidei, quod quidem illi inter opera bona non computabant; illo tamen tanquam causa & motivo Deum excitari affirmabant, ut gratiam fidei illis conferret, quos noverat ad illam recipiendam benè affectos fore. Cùm verò premerentur illi exemplo infantium, qui absque ullis meritis ex hac vita vel cum Baptismo vel sine Baptismo rapiuntur, damnandi vel salvandi: recurrebant illi ad merita, non quæ futura erant, sed quæ futura ui esset, si diutiùs illi vixissent.

Observate hic I. gratiam vel esse actualem, primam aut secundam, seu augmentum gratiæ, vel habitualem seu sanctificantem.

Observate II. meritum duplex distingui: unum de congruo seu ex decentia, congruitate & indulgentia; alterum de condigno, seu ex justitia & perfecta proportione operis meritorii ad mercedem.

Observate III. non uno modo fingi posse aliquid esse causam gratiæ. 1. Si prævisio futuri consensus sub conditione gratiæ conferendæ, sit Deo certa ratio & motivum illius conferendæ. 2. Si aliqua sit ex parte voluntatis dispositio naturalis saltem remota, imperfecta & inchoata, cujus intuitu Deus facienti quod in se est viribus naturæ, gratiam non deneget. 3. Si ipsa non resistentia gratiæ, quæ prævidetur futura, possit etiam Deum certò movere & determinare ad gratiam illam conferendam.

Observate IV. finalem in gratia perseverantiam activam esse vel passivam: activa dicitur continuatio in gratia & bonis operibus usque ad mortem; passiva, unio gratiæ sanctificantis in homine justo cum morte. Cùm verò totum istud argumentum ex professo à Theologis tractari soleat ubi disputant de gratia, plenam & accuratam illius disquisitionem in hunc locum remittimus: nobis hic sufficiet summatim ac strictim dogma Catholicum nonnullis Conclusionibus exposuisse.

disputans Lib.1. contra ipsum c.4. dicebat: *Non est cur provoces ad Orientis Antistites; quia & ipsi utique Christiani sunt, & utriusque partis fides ista una est; quia & fides ista Christiana est.* Et lib.2.c. ult. loquens de communi fide Christianorum: *Quod invenerunt*, inquit, *tenuerunt, quod didicerunt, docuerunt, quod à Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt. Nondum vobiscum apud istos Judices aliquid agebamus, & apud eos acta est causa nostra. Nec nos nec vos eis noti fueramus, & eorum latas pro nobis contra vos sententias recitamus; Nondum vobiscum certabamus, & eis pronuntiantibus vincimus.* Ibid. p. 504. G. Ibid. p. 549. E.

Concors igitur hìc est utriusque Ecclesiæ Græcæ & Latinæ doctrina: Quòd si nonnulli ex Græcis ante exortam Pelagianam & Semipelagianam hæresim non ita castigatè & accuratè locuti videantur, benignè interpretandi sunt: simile quid in aliis fidei nostræ mysteriis Trinitatis & Incarnationis contigisse nemo nescit. Securiùs loquebantur, quando nullus aderat hostis; at subinde cognitis ac repressis Novatorum cavillationibus, argutiis, sophismatibus, longè cautiores in verbis fuere & castigatiores. Ita Doctores illos excusat S. Augustinus Lib. de prædest. SS. c.14. n.27. *Quid opus est*, inquiebat, *ut eorum scrutemur opuscula, qui priusquam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quæstione versari? quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogerentur. Unde factum est, ut de gratia Dei quid sentirent, breviter quibusdam scriptorum suorum locis & transeunter attingerent: immorarentur verò in eis, quæ adversùs inimicos Ecclesiæ disputabant.* Ibid. p. 808. D.

Plura hanc in rem hìc non referemus, quibus suus erit in Tractatu de Gratia amplior dicendi locus.

Hinc inferes

I. prævisum voluntatis consensum futurum etiam sub conditione gratiæ, Deo causam & motivum non esse gratiæ illius conferendæ. Patet manifestè exemplo Tyriorum & Synodiorum, quorum futura conversio à Christo prænuntiata fuit, si ejus miracula vidissent, quæ tamen non viderunt: quo exemplo Semipelagianos premebat S. Augustinus.

II. gratiam non concedi ex aliqua saltem inchoata & remota bona voluntatis dispositione: omnis enim ad supernaturalem gratiam dispositio debet esse à gratia; aliàs homo seipsum discernere posset: tùm quia etiam iis conceditur à Deo gratia, in quibus nulla est prorsùs dispositio, imò qui longissimè à Deo distant & alieni sunt. Isaias 65. v.1. & Rom.10. v.20. *Inventus sum à non quærentibus me: palam apparui iis, qui me non interrogabant.* Et Act.9. v.4. & 5. *Saule, Saule, quid me persequeris? durum est tibi contra stimulum calcitrare.*

III. ipsam etiam non resistentiam gratiæ prævisam, causam non esse gratiæ. Patet eodem mox adducto exemplo Tyriorum ac Sydoniorum, qui nullum obstaculum aut impedimentum gratiæ opposituri prævidebantur; quibus tamen gratia conversionis denegata fuit.

TERTIA CONCLUSIO.

Primam efficacem gratiam quâ in Christum creditur, nonnullis etiam non orantibus, (& consequenter sine ullo merito de congruo) Deus præparavit: aliis verò orantibus, nec sine aliquo merito de congruo; nemini autem ex merito de condigno eam destinavit. Augmentum verò gratiæ, ut & ipsam gloriam, homo justus de condigno mereri potest

Prima pars ostenditur ex Scripturis. Rom.10. v.20. ex Isaia dicitur: *Inventus sum à non quærentibus me: palam apparui iis qui me non interrogabant.* Matthæus sedens ad telonium, lucro & avaritiæ totus inhians ac deditus, ad fidem Christi & Apostolatum subitò adducitur. Matth.9. Lucæ 19. Simile quid narratur de Zachæo Publicanorum principe. Et Act. 9. Saulus adhuc spirans minarum & cædis in Discipulos Christi, repentè ad fidem Christi conversus est. Quem S.Augustt. Lib.de grat. & libero arbitrio c.6. ait, *non solùm sine ullis meritis bonis, sed etiam cum multis meritis malis gratiam Dei consecutum fuisse.* To. 10. 724. E.

Secunda pars, primam scilicèt gratiam efficacem aliquibus orantibus, adeoque ex aliquo merito de congruo, à Deo præparari & concedi, patet exemplis quæ Scriptura suppeditat: Cornelii Centurionis Act.10. Et Lydiæ purpurariæ mulieris religiosæ, ibid.c.16. cujus Deus cor aperuit ut intenderet iis quæ dicebantur à Paulo. Porrò & Cornelius & Lydia non sine aliqua fide, ac consequenter non sine gratia orabant bonisque operibus sese exercebant.

Tertia pars, illam scilicèt gratiam primam efficacem ad credendum non dari ex merito de condigno, manifesta est: quia fides in Christum præire debet merito de condigno; igitur non potest esse illius effectus. Ratio est, quia meritum de condigno supponit gratiam justificantem: sed ante fidem in Christum non potest esse gratia justificans; ergo ante illam fidem non potest dari meritum de condigno.

Quarta pars Conclusionis, nempe hominem justum posse mereri & augmentum gratiæ & ipsam gloriam, certa est: *Charitas enim meretur augeri*, ait S.Augustinus, *ut aucta mereatur perfici*. Hinc est quòd gloria corona justitiæ appellatur ab Apóstolo 1. ad Timoth.4. v.8. Ratio est, quia inter gratiam sanctificantem & augmentum gratiæ ac ipsammet gloriam, est æqualitatis ac justitiæ proportio.

QUARTA CONCLUSIO.

Perseverantia finalis passivè sumpta, pro unione scilicèt mortis cum gratia sanctificante in homine justo, magnum est ac singulare Dei donum, quod etiam non orantibus Deus pro suo beneplacito interdum concedit. Illud nihilominus homo justus mereri potest, si non de condigno, saltem de congruo. Perseverantia verò activè sumpta pro continuatione in bonis operibus usque in finem, pariter Dei donum est, sed quod Deus orantibus, & facientibus quod in se est per auxilium gratiæ, largitur.

De

De illa duplici perseverantia, seu duplici perseverandi modo apertè loqui videtur S.Augustinus L. de correptione & gratia cap. 8. num. 19. *De his disserimus*, ait sanctus Doctor, *qui perseverantiam bonitatis non habent, sed ex bono in malum deficiente bona voluntate moriuntur. Respondeant, si* T.10. p. 760. C. *possunt, cur illos Deus, cùm fideliter & piè viverent, non tunc de vitæ hujus periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum .... Utrum hoc in potestate non habuit, an eorum mala futura nescivit? Nempe nihil horum nisi perversissimè atque insanissimè dicitur .... Sicut ergo coguntur fateri, donum Dei esse ut finiat homo* Ibid. E. *vitam istam, antequam ex bono mutetur in malum; cur autem aliis donetur, aliis non donetur, ignorant.* En certè perseverantia, ut vocant, passiva. *Ita*, pergit S.Aug. *donum Dei esse in bono perseverantiam, secundùm Scripturas .... fateantur nobiscum; & cur aliis detur, aliis non detur, sine murmure adversùs Deum dignentur ignorare nobiscum.* En altera perseverantia quæ activa dicitur, quam à priori distinguit Augustinus. Nisi dixeris, quod esset absurdum, idem omnino intra paucas lineas & quidem superfluè S.Doctor repetiisse. Ibid.

Semipelagiani æquivocatione nominis perseverantiæ decepti, nec satis inter utrumque perseverantiæ modum distinguentes, lapsi sunt in errorem tùm juris tùm facti.

Error juris in eo erat, quòd existimarent perseverantiam in acceptâ justitia à solo esse libero arbitrio, non à speciali Dei gratia. Ita refert S.Hilarius in Epistola ad S.August. n.4. *Quod dicit Sanctitas tua*, inquit, *nemi-* Inter Aug. *nem perseverare, nisi perseverandi virtute percepta, hactenus accipiunt, ut quibus datur, inerti licèt, præcedenti tamen proprio arbitrio tribuatur: quod ad hoc* T.10.p. 817.A. *liberum afferunt, ut velit, vel nolit admittere medicinam.*

Errorem hunc totis viribus impugnat S.Aug. L.de correpț. & gratia, & ostendit perseverantiam esse à gratia Dei, non à solo libero nostro arbitrio. *Negare non possumus*, ait cap.6. n.10. *etiam perseverantiam in bono proficientem usque in finem, magnum esse Dei munus: nec esse nisi ab illo, de quo* T.10.p. 755.A. *scriptum est, Omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum.*

Error facti in eo versabatur, quòd S.August. mentem ac doctrinam non satis intelligerent. Turbati scilicèt illi fuerant eo quòd docuisset Augustinus, eos qui perseverantiam non acceperant, perseverare non posse; qui verò acceperant, ab illa contumaciter excidere non posse: quod quidem putabant dictum de activa in bono perseverantia, quam fingebant ab Aug. admitti velut habitum quemdam fixum & inhærentem, seu, ut loquuntur apud S.Hilarium, tanquam virtutem quamdam quæ ad perseverandum necessariò applicat ac determinat. At in eo laborabant illi errore facti: de illa quippe activa perseverantia c.7.n.11. citati lib.de correpț.& gratia ait: *Ibid. p.* *Homo, in eo quod audieras & tenueras, in eo perseverares si velles.* Cùm igitur 756.E. idem S.Doctor loquens de perseverantia, L.de dono persev. c.6.n.10. ait: *Hoc donum suppliciter emereri potest: sed cùm datum fuerit, amitti contumaciter non potest*, & similia, quæ Semipelagiani objiciebant, evidens est S. *Ibid. p.* 816.G. Augustinum non loqui de perseverantia activa sed passiva; seu de unione mortis cum gratia sanctificante in homine justo, quæ non aliam necessitatem importat, quàm extrinsecam & consequentem, per quam necesse est id esse, quod revera est. Ex ignorantia igitur hujusce distinctionis, paulò obscu-

rior evasit disputatio Semipelagianorum cum Augustino. Audiatur sanctus
ibi. E. D. ille Doctor L.de dono persev. c.6. *Nolunt*, inquit, *ut scribitis, isti fratres, ita hanc perseverantiam prædicari, ut non vel suppliciter emereris, vel amitti contumaciter possit. Ubi quid dicant, parum diligenter attendunt. De illa enim perseverantia loquimur, qua perseveratur usque in finem: quę si data est, perseveratum est usque in finem, si autem non est perseveratum usque in finem, non est data.... Dicimus quippe castum quem novimus castum, sive sit sive non sit in eadem castitate mansurus; & si quid aliud divini muneris habeat, quod teneri & amitti potest, dicimus eum habere quamdiucumque habet; & si amiserit, dicimus habuisse: perseverantiam verò usque in finem, quoniam non habet quisquam, nisi qui perseverat usque in finem, multi eam possunt habere, nullus amittere. Neque enim metuendum est, ne forte cùm perseveraverit homo usque in finem, aliqua in eo mala voluntas oriatur, ne perseveret usque in finem. Hoc ergo donum Dei suppliciter emereri potest: sed cùm datum fuerit, amitti contumaciter non potest.* His verbis manifestè describit Augustinus perseverantiam finalem passivam, de qua potissimum concertatio ipsi erat cum Semipelagianis.

Hæc observasse priùs necesse fuit ad statum quæstionis dilucidè intelligendum: nunc ad probationem Conclusionis.

Primam partem, nempe finalem perseverantiam passivè sumptam magnum esse ac singulare Dei donum, declarat ac demonstrat S.Doctor L. de corrept. & gratia c.6. hic citato, & toto Lib. de dono perseverantiæ;
To. 14. Conc. p. 762. B. de quo dono Conc.Trid.Sess.6.Can.16.& c.13. ait. *Quod donum aliunde haberi non potest, nisi ab eo qui potens est eum qui stat statuere, ut perseveranter stet; & eum qui cadit restituere.* Et certè insigne est beneficium divinę providentiæ ac misericordię, justum ex hac vita tunc evocare, cùm justus est: de quo dicitur Sapient.4. v.11. *Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.*

Hoc verò singulare donum etiam non orantibus interdum à Deo concedi, probat exemplum illorum infantium, qui statim a susceptа baptismatis gratia moriuntur: idem dicendum de adulto, qui in ipso justificationis momento subita morte corriperetur, antequam donum illud orationibus impetrare à Deo potuerit.

Donum illud de condigno mereri non possumus, quod ab una Dei voluntate pendet; atque in eo stat discrimen perseverantię finalis, à vita æterna seu gloria quam possumus ac debemus promereri: quia Deus fidem suam obligavit, ut omnibus justis perseverantibus gloriam titulo justitię retribueret; at non ita promisit daturum se omnibus justis finalem perseverantiam.

Illud tamen donum orationibus ac piis operibus justi de congruo mereri possunt: *suppliciter emereri potest*, ait S.Augustinus. Et certè cùm Deus neminem priùs deserat, quàm ab ipso desertus fuerit; fides docet, homini justo non deesse gratiam, per quam Dei mandata observare possit, quæ si usque ad finem constanter ac perseveranter observaverit, salvus erit.

Secunda pars etiam manifesta est. Activa quippe in bono perseverantia seu continuatio, sine gratia Dei haberi non potest: gratia enim Dei, ut ex professo probat S. Augustinus contra Semipelagianos, necessaria est, non tantùm ad omne opus bonum incipiendum & perficiendum, quod fatebantur illi, sed etiam ad initium fidei ac perseverantiam.

Hanc

Hanc nihilominus perſeverantiam poſſe homines ſuis orationibus ac piis operibus à Deo impetrare inculcat S. Aug. Lib. de dono perſ. c. 16. *Cùm conſtet, inquit, alia Deum danda etiam non orantibus, ſicut initium fidei; alia nonniſi orantibus præparaſſe, ſicut uſque in finem perſeverantiam.* Et c. 22. *Vos etiam ipſam obediendi perſeverantiam à Patre luminum, à quo deſcendit omne datum optimum & omne donum perfectum, ſperare debetis, & quotidianis orationibus poſcere; atque hoc faciendo conſidere, non vos eſſe à prædeſtinatione populi ejus alienos; quia etiam hoc ut faciatis, ipſe largitur.* Eò etiam tendit quod ait c. 7. Lib. de corrept. & gratia: *Homo, in eo quod audieras & tenueras, perſeverares ſi velles.* At non poteſt velle ſine gratia. T. 10. p. 842. G. Ibid. p. 855. B. Ibid. p. 756. E.

Nihilominus ſimpliciter & abſolutè perſeverantiam finalem magnum Dei donum eſſe declarat Conc. Trid. & quidem meritò: tùm quia, ut jam diximus, ſingularis eſt Dei benignitas ac miſericordia, quòd hominem ex hac vita tunc rapiat cùm juſtus eſt: tùm quia in multis quotidie offendimus omnes, ac tam frequentes ſunt prolapſiones ac negligentiæ noſtræ, ut pro ſpeciali Dei beneficio haberi debeat, quòd his non obſtantibus, gratiam conſerre dignetur, per quam perſeverare in bono uſque in finem valeamus. Quapropter Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 13. juſtos admonet, *ut cum timore ac tremore ſalutem ſuam operentur in laboribus, in vigiliis, in eleemoſynis, in orationibus & oblationibus, in jejuniis & caſtitate. Formidare enim debent, ſcientes quòd in ſpem gloriæ, & nondum in gloria renati ſunt, de pugna quæ ſupereſt cum carne, cum mundo, cum diabolo, in qua victores eſſe non poſſunt, niſi cum Dei gratia, Apoſtolo obtemperent dicenti: Debitores ſumus non carni, ut ſecundùm carnem vivamus. Si enim ſecundùm carnem vixeritis, moriemini: ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* T. 14. Conc. p. 762. B. C.

Utrum dentur aliquæ cauſæ prædeſtinationis ad gloriam, ſeu utrum prædeſtinatio ad gloriam fiat ex præviſione meritorum gratiæ.

Status quæſtionis ac variæ ſententiæ exponuntur.

Prædeſtinatio ad gloriam conſiderari poteſt vel in ordine intentionis, vel in ordine executionis; hoc eſt vel ex parte Dei æterno ſuo conſilio ac decreto nonnullos ad gratiam & gloriam deſtinantis, vel in tempore decretum illud ſuum exequentis. Non hic queſtio movetur de ordine executionis. Omnes enim Theologi fatentur, in tempore ſeu in executione, merita gloriæ præire debere; quia hæc merces eſt ac corona, quæ nonniſi legitimè certantibus titulo juſtitiæ debita rependitur. De ſolo igitur ordine intentionis hic controvertitur: utrum ſcilicet Deus efficaciter & abſolutè, priùs, non quidem tempore, ſed ordine cauſalitatis, prædeſtinatis decernat gloriam, quàm gratiam; aut vice verſa priùs gratiam, quàm gloriam; aut ſaltem utramque ſimul & eodem rationis inſtanti, ita ut unicum ſit decretum quo Deus gratuitò gloriam & gratiam nonnullis ſimul deſtinet, ac præparet.

Duplex generatim circa celebrem iſtam controverſiam ſyſtema proponitur: quodlibet verò ſuos habet in Schola non infimæ notæ patronos ac defenſores Theologos.

Primum ſyſtema eorum eſt qui exiſtimant Deum, poſt Adami lapſum, (*in quo omnes*

omnes peccaverunt) certum quemdam electorum numerum ex communi ac perdita corruptionis massa gratuitò discreviſſe, eoſque efficaciter & abſolutè ad gloriam, & ad efficacia illius aſſequendæ media prædeſtinaſſe. Cæteros verò in communi maſſa perditionis derelictos, negativè ſaltem reprobaſſe ſeu excluſiſſe à gloria, quibus proinde nonniſi communia gratiæ ſubſidia ex voluntate ſua generali & antecedente diſpenſat, cum quibus certò prænovit eos ad ſalutem nunquam eſſe perventuros: unde & propter originale (ſi remiſſum non fuerit) & propter actualia peccata illos poſitivè reprobat, æterniſque ſuppliciis puniendos decernit.

Qui ſyſtema iſtud ſequuntur, in nonnullis capitibus inter ſe diſcordant ac diſſentiunt.

Janſeniani, facta diſtinctione utriuſque naturæ ſtatus, innocentis ſcilicet & lapſæ, naturæ innocenti conceſſam fatentur gratiam, non modo verè ſufficientem, ſed etiam verſatilem ac libero voluntatis arbitrio permiſſam, atque Angelos ex præviſis eorum meritis prædeſtinatos fuiſſe. Uno verbo, Molinæ ſyſtema circa gratiam & prædeſtinationem à quo tantopere illi abhorrent, tenentur admittere in ſtatu naturæ integræ ac innocentis. Quantùm verò ad præſentem collapſæ naturæ ſtatum, hæc in præſenti cauſa docent. 1. voluntatem illam Dei generalem & antecedentem ſalvandi omnes eſſe dumtaxat ſigni, non beneplaciti: metaphoricam, non veram ac propriam; originali peccato anteriorem, non poſteriorem; denique eam propriè pertinere ad ſtatum naturæ innocentis, non lapſæ, *atque in ſola mentis præciſione iam conſiſtere*. 2. gratias quæ virtute illius voluntatis conceduntur, nomine tantùm, non re ſufficientes eſſe, quæ ſatis virium non habent, ut oppoſitam concupiſcentiam ardentiorem ac ſuperiorem relativè debellare poſſint ac ſuperare. 3. peccatum originale etiam per baptiſma remiſſum primam eſſe cauſam reprobationis, quia Deus ductus fuit ut gratias abundatiores & efficaciores denegaret. 4. prædeſtinationem gratuitam etiam ad gloriam, ad fidei dogma pertinere, quia pars eſt adæquatæ prædeſtinationis, quæ fidei noſtræ caput eſt. Addit Eſtius in 1. diſt. 41. parag. 4. in fine, ante annos 250. tres articulos à Schola Pariſienſi ea de cauſa proſcriptos fuiſſe, quòd prædeſtinationem ex præviſis meritis fieri affirmarent.

Janſ. Lib. 3. de Gratia c. 20. T. 3. p. 161. ad col. B.

T. 1. p. 156. col. 1. A.

Thomiſtæ, qui contendunt prædeſtinationem ad gloriam etiam in mente Dei, ſeu in ordine intentionis omnino gratuitam eſſe, & ante præviſa merita gratiæ, à Janſenianis in iſtis capitibus vulgò diſſentiunt. 1. gratiam per ſe efficacem ac phyſicè præmoventem in omni naturæ conditione ſeu ſtatu etiam integræ & innocentis, planè neceſſariam agnoſcunt. 2. voluntatem Dei antecedentem pro ſalute omnium ajunt veram eſſe, ſinceram & beneplaciti, non meri ſigni. 3. gratiam ſufficientem verè ac propriè loquendo ſufficientem eſſe, atque veram & expeditam conferre etiam relativè ad opus bonum facultatem. 4. virtutem & efficaciam gratiæ abſolutam eſſe, non relativam & per gradus. 5. denique, peccatum originale dimiſſum, propriè cauſam non eſſe cur adulti reprobentur.

Alterum ſyſtema illorum eſt, qui æſtimant abſolutam prædeſtinationem ad gloriam, fieri ex præſuppoſita meritorum gratiæ præviſione. Deus ſcilicet, inquiunt, ſuppoſito peccato originali, voluntate antecedente vera atque ſincera, ſed conditionata, vult omnes homines ſalvos fieri, omnibuſque

que conſequenter præparat, dat vel offert gratiæ ſubſidia, quibus ad ſalutem, ſi voluerint, pervenire poſſint. Nonnullis equidem ex prædilectione ac gratuita benignitate efficaciora concedit; (ſive illa efficaciora ſint ratione donidumtaxat, quia congrua, & opportunè circumſtantiis attemperata, ſive ratione auxilii, eò quòd majori virtute interna polleant) attamen quia hujuſcemodi auxilia, quæcunque tandem ſupponatur eorum vis & efficacia, ejus naturæ ſunt, ut voluntas ipſis ſemper diſſentire poſſit, ſi voluerit; idcirco contendunt hujus ſyſtematis patroni, Deum non priùs efficaciter & abſolutè ad gloriam quemquam deſtinare, quàm præviderit eum gratiæ certò conſenſurum: neque poſitivè quemquam à gloria excludendum ſeu reprobandum, æterniſque ſuppliciis addicendum decreviſſe, quàm poſt præviſam illius finalem in peccato impœnitentiam.

Inter illos autem qui ſtant pro gratuita ad gloriam prædeſtinatione, etiam ante præviſa merita gratiæ, nonnulli, ut Bellarminus, Suares &c. uſum ſcientiæ mediæ ſeu conditionatorum admittunt. Obſervatum jam ſuperiùs fuit, in ſyſtemate ſcientiæ mediæ ex æquo defendi poſſe prædeſtinationem ad gloriam ſive ante, ſive poſt præviſa merita gratiæ. Poſtquam enim, noſtro concipiendi modo, Deus per ſcientiam illam novit quid facturus homo ſit, ſi hac vel illa gratia, in his vel illis circumſtantiis præveniatur, an ſalvandus ille ſit, vel non ſalvandus; perinde omnino eſſe videtur, quòd Deus homini illi priùs efficaciter & abſolutè gloriam decernat, quàm gratiam; vel gratiam, priùs quàm gloriam. Primam partem ſequuntur Suares & Bellarminus, alteram verò Leſſius & alii, qui ex illo decreto Dei abſoluto & antecedente dandi priùs gloriam, quàm gratiam, etiam ſuppoſito uſu ſcientiæ mediæ, contendunt nihil homines juvari ad animarum ſolatium, pacem ac tranquillitatem: imò eos neceſſitate adigi, ut non poſſint excidere ab eo quod Deus abſolutè decrevit; aut conſequi, quod ipſe decernere noluit. *Alii*, ait Leſſius præfatione in diſputationem de prædeſtinatione, *conſugiunt ad præſidium* P. 542. *ſcientiæ conditionatæ, ſed etiam ex hac parum vel nihil ſolatii; hæc enim ad nihil aliud ſervit, quàm ut Deus ſumma facilitate ſua decreta poſſit exequi; non ut nos debeamus eſſe ſolliciti, aut poſſimus excidere ab eo quod ille nobis decreverit, aut conſequi, quod ipſe nobis decevnere noluit. Hæc igitur & ſimilia remedia cùm non ſufficiant, ea ratio prædeſtinationis ſtatuenda, quæ ſolidum menti ſolatium adferat, quæ ſtudium bonorum operum, ſæculi contemptum, & Chriſtianæ perfectionis amorem excitet.*

Verùm Leſſii de prædeſtinatione ſententia paulò laxior aliis videtur: ea verò quam Suares & Bellarminus tuentur, non iis incommodis eſſe obnoxia, quæ objicit Leſſius. Nihil etenim, inquiunt, pro libertate hominis ex illo decreto tametſi abſoluto timeri debet, quòd præſupponit præviſum à Deo futurum ſub conditione libertum divinæ gratiæ movenți & excitanti voluntatis conſenſum: unde neceſſitas quæ ex tali decreto ſequitur, hypothetica dumtaxat eſt ac conſequens, non abſoluta & antecedens.

Præſentis controverſiæ quæ tota Scholaſtica eſt, nodum ac difficultatem effugere videntur, qui cum Gregorio de Valentia volunt prædeſtinationem eodem inſtanti rationis fieri & ad gloriam & ad gratiam: namque noſtro concipiendi modo, inter finem & media, inter præmium ac merita, quidam eſt ordo prioritatis. *Diſp. 1. qu. 23. de prædeſtin. pun. 4.*

Diſpu-

Disputant etiam hìc Scholæ Magistri de mente ac sententia S. Augustini: Sunt qui cum Petavio & Maldonato candidè fatentur S. Doctorem admisisse prædestinationem ad gloriam omnino gratuitam esse, & ante merita gratiæ præviſa: verùm hac in parte eum deferendum esse sentiunt. Alii verò contendunt S. Augustinum de una disputasse prædestinatione ad gratiam adversùs Pelagianos & Semipelagianos, non autem de prædestinatione ad gloriam, nisi saltem obiter, & quasi aliud agendo; ac religioni ducerent ab ejus sententia vel tantillum discedere. His præmissis sit

CONCLUSIO.

Efficax & absoluta prædestinatio ad gloriam à Deo est post præviſa merita gratiæ.

PRIMA PROBATIO.

Ex Scripturis.

I. Matth. 25. v. 34. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: esurivi enim, & dediſtis mihi manducare: sitivi, & dediſtis mihi bibere.* Ad reprobos verò v. 41. dicitur; *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus.* Hoc in loco non tantùm agitur de actuali retributione gloriæ pro electis, & supplicii pro reprobis, propter bona vel mala eorum opera, sed etiam de præparatione seu destinatione æterna in mente Dei. *Possidete paratum vobis regnum.* Quid est autem *paratum*? nisi ab æterno destinatum. Quare verò destinatùm? propter præviſa quæ futura erant eorum opera misericordiæ. Istud importare videtur particula causalis, *enim*: *Esurivi enim & dediſtis mihi manducare.* Et verò eodem modo paratum dicitur regnum electis propter bona, quo paratum est reprobis supplicium propter mala illorum opera. At quis dixerit præparatum in mente Dei seu destinatione reprobis supplicium ante præviſa mala eorum opera seu demerita? Ergo similiter electis præparatum non est regnum ante, sed post præviſa bona illorum opera ex beneficio gratiæ elicita.

Confirmatur 1. aliis Scripturæ testimoniis, in quibus verbum, *præparo*, idem significat, ac in mente seu intentione ac decreto Dei prædestino. Rom. 9. v. 22. & 23. *Sustinuit in multa patientia vaſa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vaſa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* Et 1. Corint. 2. v. 9. *Oculus non vidit, nec auris audivit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum.* In his certè locis verbum, *præparo*, idem prorsus significat, ac destino. Quibus autem Deus immensa illa & ineffabilia bona præparat seu destinat? *Iis qui diligunt illum.*

Confirmatur 2. ex ipsa natura mercedis ac coronæ, quæ necessariò merita supponit, sicut supplicium demerita, non tantùm in ordine executionis, sed etiam intentionis seu destinationis æternæ.

Confirmatur 3. Quia non aliter Deus ab æterno gloriam electis suis destinavit, quàm reipsa eam confert in tempore. *Hoc enim tantùm interest inter prædestinationem & gratiam*, ait S. Augustinus Lib. de prædest. SS. cap. 10. *quòd*

præde-

prædestinatio sit gratiæ præparatio, gratia verò sit ipsa donatio. Ut ergo nulli adulto confert Deus gloriam, nisi propter merita; sic nec ab æterno statuit se ei illam daturum, nisi propter eadem ipsa merita. Omnia namque eo prorsus modo sunt ab æterno à Deo constituta, quo postea eveniunt. An non quædam veluti pugna & contradictio in Deo videretur esse, si vellet gloriam gratis simul destinare, & eam tanquam mercedem ac præmium bonorum operum rependere? Nonne pugnat rem eamdem simul & eodem instanti rationis & ex pura gratia, & ex justitia destinari. Cùm igitur certum sit Deum velle adultis dare gloriam tanquam mercedem ac præmium meritorum, non potest simul velle illam dare gratis. Decretum quippe quo Deus intenderet ab æterno conferre gloriam gratis, haud dubiè absolutum foret & efficax; ergo vi hujusce decreti gloria gratis concedenda esset, alioquin Deus decerneret, quod non exequeretur; aut exequeretur, quod ab æterno non decrevisset; atque aliud in executione seu opere præstaret, aliud verò in intentione seu prædestinatione decerneret; quæ certè invicem pugnare videntur. Ergo cùm in tempore seu executione Deus gloriam adultis concedat propter merita, eamdem ab æterno sic concedendam esse destinavit ac decrevit.

II. Matth. 22. proponitur parabola de invitatis ad nuptias filii Regis; ad quas cùm multi venire recusassent, concludit Dominus v. 14. *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Quare pauci electi? nisi quia pauci voluerunt venire. Si plures venissent, ut poterant, plures fuissent electi; ergo electio illa seu prædestinatio supponit bonam eorum voluntatem, qui per gratiam vocati venire voluerunt.

III. Rom. 8. v. 29. *Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.* Præscientia hic prævia est prædestinationi, *Quos præscivit . . . prædestinavit.* Id est, quos præscivit beneficio gratiæ Filio suo conformes futuros, hos & prædestinavit.

IV. 2. ad Timoth. 2. v. 20. *In magna domo non solùm sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea, & fictilia; & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. Si quis ergo emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum.* Eò loci vasa in honorem sunt electi seu prædestinati. Porrò electio illa seu prædestinatio supponit in mente ac consilio Dei futuram sanctificationem per gratiam. *Si quis emundaverit se.*

V. Jacobi 2. v. 5. *Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se.* Duo hic observate: primum, regni promissionem fieri, *diligentibus* Deum, id est bona operantibus: alterum, electionem primò ad fidem fieri, tùm ad hæreditatem regni, ut designetur prioritas ordinis meritorum respectu gloriæ.

VI. Denique, 2. Petri 1. v. 10. *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Quibus verbis innuere videtur Apostolorum princeps, ante opera bona incertam & quasi suspensam esse nostram electionem, utpote quæ in sola generali & antecedente Dei voluntate pro salute omnium contineatur: quæ quidem voluntas etsi absoluta sit ex parte Dei, quia tamen conditionata est ex parte creaturæ, in absolutam prorsus ac simpliciter efficacem transire non potest, nisi post prævisam conditionem impletam, hoc est post prævisa merita bonorum operum gratiæ. Ad hanc dubiam & incertam conditionem oculos convertens Apostolus dicebat 1. Cor. 9. v. 27.

Casligo

Castigo corpus meum & in servitutem redigo, ne fortè cùm aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar. Meritò igitur idem Apostolus Rom. 8. v. 17. *Si filii, & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, si tamen compatimur ut & conglorificemur.*

SECUNDA PROBATIO.

Ex sanctis Patribus, præsertim Augustino.

Sanctus Prosper in Epistola ad S. Aug. versùs finem n. 8. cupit ab eo edoceri curâ sententia suorum prædecessorum circa prædestinationem ad gloriam ex præviſis meritis gratiæ receſſiſſe videatur. *Illud*, inquit, *qualiter diluatur, quæſumus, patienter inſipientiam noſtram ferendo, demonſtres, quòd retractatis priorum de hac re opinionibus, penè omnium par invenitur & una ſententia, qua propoſitum & prædeſtinationem Dei ſecundùm præſcientiam receperunt; ut ob hoc Deus alios vaſa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem uniuſcujuſque præviderit, & ſub ipſo gratiæ adjutorio in qua futurus eſset voluntate & actione præſcierit.* Inter Aug. t. 2. p. 824. E. F. Et t. 10. p. 783.

Supponit hìc S. Proſper tanquam rem certam & exploratam; ante S. Auguſt. unam ferè omnium Veterum fuiſſe mentem atque ſententiam, prædeſtinationem hominum fieri ex præviſis meritis gratiæ; quæ quidem prædeſtinatio de ſola gloria intelligi poteſt. Certum quippe erat S. Proſperò, Veteres nuſquam agnoviſſe prædeſtinationem ad gratiam fieri ex præviſis meritis gratiæ; ſiquidem notum eſt, ante gratiam nullum, ne quidem de congruo, in homine meritum poſſe reperiri: ergo, judice S. Proſpero, omnes ferè Aug. anteceſſores agnoverunt prædeſtinari homines ad gloriam ex præviſis eorum futuris per gratiam meritis; à qua ſententia videbatur (quamquam falsò) receſſiſſe S. Aug.

Reponunt ad vim argumenti eludendam, S. Proſperum citatis verbis, non ſuam, ſed Semipelagianorum ſententiam ſeu potius querelam ac calumniam referre. Verùm hallucinantur illi: namque ante verba citata, S. Proſper multas retulerat Semipelagianorum querimonias, iſtam imprimis n. 2. dictæ Epiſtolæ. *Contrarium putant Patrum opinioni & Eccleſiaſtico ſenſui, quid quid* Auguſtinus in ſuis adversùs Pelagianos Scriptis, *de vocatione electorum ſecundùm Dei propoſitum diſputavit.* Ad quid igitur eamdem queri- moniam rurſus, in fine ſuæ Epiſtolæ S. Proſper repeteret? To. 2. p. 821. A. To. 10. p. 779.

Præterea Catholica omnino videtur ſententia Veterum, qualis à S. Proſpero verbis citatis refertur: ergo planè diſtincta erat à Semipelagianorum doctrina; ergo ſuam ipſi doctrinam non exprimunt apud S. Proſperum verbis citatis. Errabant enim illi in eo quòd prædeſtinationem innixam dicerent tanquam in prima radice, in merito cujuſdam affectus naturalis ad credendum; ſeu in fidei initio, quod dicebant eſſe à nobis ſine gratia.

Denique S. Proſperum nomine ſuo loqui aperte innuunt hæc verba: *Quæſumus, inſipientiam noſtram ferendo, demonſtres.*

Huic verò poſtulationi, quod diligenter hìc obſervandum, nihil reſpondit S. Aug. quo ſilentio declaravit extraneam hanc eſſe propoſito ſuo quæſtionem; nec ſibi cum Pelagianis & Semipelagianis controverſiam eſſe de illa prædeſtinatione ad gloriam ex præviſis meritis gratiæ, ſed tantùm de prædeſtinatione

ad gra-

ad gratiam, quam non ſemel ait ad fidem Eccleſiæ pertinere, à qua proinde nemini fas eſt recedere: non ita porrò eſt de aliis quæſtionibus incidentibus quæ ad gratiam pertinent. Hanc quæſtionum diſtinctionem apprimè notavit Cœleſtinus S. Pontifex in Epiſtola ad Galliarum Epiſcopos. *Profundiores verò*, inquit, *ac difficiliores partes incurrentium quæſtionum, quas latiùs pertractarunt qui hæreticis reſtiterunt, ſicut non audemus contemnere, ita non neceſſe habemus adſtruere: quia ad confitendum gratiam Dei, cujus operi ac dignationi nihil penitus ſubtrahendum eſt, ſatis ſufficere credimus, quidquid ſecundùm prædictas regulas Apoſtolicæ Sedis nos ſcripta docuerunt, ut prorſus non opinemur Catholicum, quod apparuit præfixis ſententiis eſſe contrarium.* Tom. 2. Conc. p. 1617. E.

Supereſt igitur hìc demonſtrandum, ſanctis Patribus, ne ipſo quidem excepto S. Auguſt. viſum fuiſſe, prædeſtinationem efficacem hominum ad gloriam à Deo fieri propter prævisa eorum ex gratia Chriſti merita futura. Ita S. Ambroſius Lib. 5. de fide c. 6. ad iſta Apoſtoli verba, *Quos præſcivit & prædeſtinavit: Non enim*, inquit, *antè prædeſtinavit, quam præſciret: ſed quorum merita præſcivit, eorum præmia prædeſtinavit.* To. 2 p. 565. F.

S. Hieronymus Epiſtola 150. ad Hebidiam c. 10. *Non ſalvat*, inquit, *irrationabiliter & abſque judicii veritate, ſed cauſis præcedentibus: quia alii non ſuſcepernnt Filium Dei, alii autem recipere ſua ſponte voluerunt . . . . Ex quo oſtenditur, non Gentes eligi, ſed hominum voluntates.* To. 4. p. 1. pag. 182.

S. Joannes Chryſoſtomus Hom. 8. in c. 25. S. Matth. *O quantæ gloriæ*, inquit, *quantæ beatitudinis hæc verba ſunt! Nec dicit, Accipite: ſed, Hereditate, quaſi propria, quaſi paterna, quaſi veſtra, quæ vobis à principio debebantur. Nam antequam nati ſitis, quia ſciebam vos huiuſmodi futuros, hæc vobis à me præparata fuerunt.* P. 678. B.

Ad hæc & alia hujuſcemodi benè multa, promptam & paratam ſemper habent adverſarii communem reſponſionem, agere ſcilicet SS. Patres de executione prædeſtinationis in tempore, non autem de prædeſtinatione ab æterno in mente Dei. At præterquam quòd hujus ſolutionis abſurditas & implicantia ad primam ex Scripturis probationem hìc demonſtrata fuit, non poteſt, ſine manifeſta violentia, verbis SS. Ambroſii & Chryſoſtomi adaptari. Hic enim de præparatione, ille verò de præſcientia futuræ mercedis conſequendæ propter merita prævisa apertiſſimè loquitur: at præparatio deſignat prædeſtinationem in mente Dei, non verò executionem in tempore. Verùm ad ipſum deveniamus S. Auguſtinum.

Probatur ex S. Auguſtino.

Multiplex nobis in rem præſentem argumentum ſuppeditat eximius iſte Doctor.

Primum ex eo petitur, quòd præſcientiam ſemper præponat prædeſtinationi; aut eam cum illa ſic conjungat, ut etiam ipſius definitionem ingrediatur; imò & ipſa prædeſtinatio ſimpliciter præſcientia ab ipſo denominetur.

Libro de natura & gratia c. 5. loquens de peccatoribus quos Chriſtus venit ſalvos facere, ait: *Quos præſcivit & prædeſtinavit & vocavit & juſtificavit &c.* Et Lib. de corrept. & grat. cap. 9. *Qui verè ſunt*, inquit, *filii, præſciti & prædeſtinati ſunt.* T. 10. p. 130. A. Ibid. p. 761. D.

Libro

Ibid. p. 839. G. Libro de dono perſev. cap. 14. *Hæc*, inquit, *prædeſtinatio Sanctorum, nihil aliud eſt quàm præſcientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur quicumque liberantur.* Et cap. 17. *Hæc Dei dona, ſi nulla* Ibid. p. 847. D. *eſt prædeſtinatio quam defendimus, non præſciuntur à Deo: præſciuntur autem; hæc eſt igitur prædeſtinatio quam defendimus.*

Semipelagiani quos his in locis inſequitur ac premit S. Aug. admittebant pariter in prædeſtinatione præſcientiam, ſed erroneo ſenſu; eam nempe per quam meritum quoddam naturale gratiæ prævium Deus cognoſcebat, ex quo certa lege ac regula movebatur, ut gratiam concederet; imò & meritum quod nunquam erat futurum, ſed quod futurum fuiſſet ſi certa quædam appoſita fuiſſet conditio, quæ tamen nunquam erat ponenda: è contrà verò S. Aug. præſcientiam admittebat, per quam Deus cognoſcit quod ipſe facturus erat.

Porrò in locis adductis S. Aug. loquitur vel de prædeſtinatione ad gloriam, vel de prædeſtinatione ad gratiam: ſi prius, habemus intentum, & ad gloriam Deus homines prædeſtinat ex præſcientia futurorum meritorum gratiæ quam ipſe largiturus eſt: ſi poſterius, dicatur nobis cur præſcientia potius prærequiratur ante prædeſtinationem ad gratiam, quàm ad gloriam?

Reſpondet Janſenius Lib. 9. de Gratia Salvatoris c. 7. & ante eum Eſtius in 1. diſt. 41. paragr. 11. S. Aug. loqui de illa præſcientia qua novit id quod ipſe facturus eſt; ſed hujuſmodi præſcientia, quæ viſionis dicitur, ſupponit decretum, non illud antecedit, cùm ſit efficax & abſoluta.

Verùm obſervate cum iis Theologis qui uſum ſcientiæ conditionatæ admittunt, præſcientiam ſumi poſſe, vel pro ſimplici rei futuræ notitia, vel pro ſcientia conditionata rei ſub conditione futuræ aut non futuræ, vel denique pro ſcientia rei quæ abſolutè futura eſt. Citatis porrò locis S. Auguſtinus loquitur de utraque præſcientia tùm conditionata quæ decretum antecedit, tùm abſoluta quæ illud ſequitur: ſcientia quippe conditionata verſatur circa objectum quod futurum eſſet, ſi aliqua poneretur conditio. V. gr. prævidit Deus ab æterno Paulum convertendum eſſe, ſi tali modo vocatus fuerit, quo reipſa vocatus eſt: prævidit pariter Tyrios eſſe convertendos, ſi Chriſti miracula viderint, quæ tamen non viderunt, nec idcirco converſi fuere. Ad iſtam porrò poſtremam præſcientiam conditionatam rei nunquam futuræ recurrebant Semipelagiani, ut exponerent cauſam prædeſtinationis vel reprobationis parvulorum; nempe bona vel mala illorum opera, non quæ futura erant, ſed quæ futura fuiſſent, ſi vixiſſent diutiùs. Ut autem S. Auguſtinus putidum illud figmentum evertat, loquitur de præſcientia conditionata rei futuræ; quæ res cùm ſine decreto Dei non ſit abſolutè futura, ſæpiùs inculcat ac repetit, & quidem appoſitè contra errorem Semipelagianorum, Deum ea præſcire quæ ipſe facturus eſt: verùm ſcientia illa viſionis & abſoluta ſupponit prævium ſcientiam conditionatam, quam Auguſtinus indigitare videtur, cùm ſcribit Lib. 1. ad Simpl. q. 2. Deum, eum, T. 8. p. 95. F. quem vult ſalvum facere, *ſic vocare, quomodo ſcit ei congruere ut vocantem non reſpuat, ſed ſequatur.*

Secundum argumentum colligitur ex illis locis ubi oſtenditur non aliam ex prædeſtinatione, quàm ex præſcientia difficultatem naſci; nec per unam magis quàm per aliam, humanam perimi libertatem: quo certè argumento

significat prædestinationi præviam esse præscientiam, quia Deus novit quid futurum sit. Ita Lib. de dono perſev. cap. 17. 19. & 21. in fine. *Hæc autem omnia*, inquit, *initium ſcilicet fidei, & cætera uſque in finem dona ſua, Deus largiturum ſe vocatis ſuis præſcivit. Nimiæ igitur contentionis eſt, prædeſtinationi contradicere, vel de prædeſtinatione dubitare.* Quaſi diceret: Cùm dixi iſta omnia dona prædeſtinari à Deo, idem eſt ac ſi dixiſſem, ea præſciri à Deo: at nimiæ contentionis eſt præſcientiæ Dei contradicere, quam omnes fatentur; ergo & prædeſtinationi. Et cap. 22. cùm Semipelagiani objicerent, ex prædeſtinatione ad perſeverantiam ſine humanis meritis ſequi iſtud populis prædicari poſſe: *Si qui eſtis qui obeditis, ſi prædeſtinati eſtis rejiciendi, ſubtrahentur obediendi vires, ut obedire ceſſetis.* Reſpondet ſanctus Doctor, hoc idem & contra præſcientiam objici poſſe. *Illo modo*, inquit, *quo id dicendum putant, eadem ſententia eiſdemque penè verbis etiam de præſcientia Dei quam certè negare non poſſunt, pronuntiari poteſt, ut dicatur: Si qui obeditis, ſi præſciti eſtis rejiciendi, obedire ceſſabitis.* T. 10. p. 853. C. Ibid. p. 854. F. Ibid. p. 855. A.

Tertium argumentum ſuppeditat ſanctus Doctor iis in locis, ubi docet eodè prorſus modo rem prædeſtinari, quo datur: gloria autem datur propter merita bonorum operum ex gratia; ergo & prædeſtinatur. Quo argumento ſuprà nos uſi ſumus. Ita S. Auguſt. Lib. de dono perſeverantiæ cap. 12. ubi probat initium fidei & perſeverantiam gratis à Deo prædeſtinari, quia gratis à Deo datur. *Conficitur itaque*, ait, *gratiam Dei, non ſecundùm merita accipientium dari, ſed ſecundùm placitum voluntatis eius.... Dando enim quibuſdam quod non merentur, profectò gratuitam, & per hoc veram ſuam gratiam eſſe voluit.* Ibid. p. 836. A. B.

Quartum argumentum ex iſtis ſancti Doctoris verbis conficitur. Lib. 2. de pecc. mer. & remiſſ. cap. 29. *Idem ipſe Dominus noſter*, ait, *hanc ſuam medelam* (ſcilicet remiſſionem peccatorum quam acquiſivit ſanguine ſuo) *nullis generis humani temporibus, ante ultimum futurum Judicium denegavit, quos per certiſſimam præſcientiam, & juſtiſſimam beneficentiam ſecum regnaturos in vitam prædeſtinavit æternam.* Duo hic conjungit Auguſtinus ad rem noſtram decretoria: præſcientiam, & juſtiſſimam beneficentiam ſecundùm quam Deus nonnullos ad vitam æternam prædeſtinavit. Poſtremi Editores Operum S. Auguſt. loco, *juſtiſſimam*, legunt in textu, *futuram*; quamquam fateantur ipſimet in omnibus editis legi, *juſtiſſimam*. Ibid. p. 65. C.

Quintum argumentum petitur ex Sermone 100. de verbis Evangelii S. Lucæ cap. 10. aliàs Serm. 7. de verbis Domini, ubi ait: *Quos voluit Deus hos elegit. Elegit autem, ſicut dicit Apoſtolus, & ſecundùm ſuam gratiam, & ſecundùm illorum juſtitiam.* Et poſteà Deum ſic loquentem inducit: *Ego illos elegi, quia vidi mentes illorum de me præſumentes, non de ſe.* Hoc eſt, in me ſperantes. Porrò electio illa non eſt ad gratiam, quæ nullam in nobis juſtitiam ſuponit; ergo eſt ad gloriam, quæ præſupponit opera juſtitiæ facta per gratiam. Eodem recidit quod aſſerit in Pſ. 126. ad hæc verba Chriſti, *Non eſt meum dare vobis: aliis paratum eſt à Patre meo. Quid eſt*, ait ſanctus Doctor, *Non eſt meum dare vobis? Non eſt meum dare ſuperbis: hoc enim adhuc erant. Sed ſi vultis illud accipere, nolite eſſe quod eſtis. Aliis paratum eſt: & vos alii eſtote, & vobis paratum eſt.* Et Lib. 1. de Civit. Dei cap. 8. *Placuit divinæ providentiæ præparare in poſterum bona juſtis, quibus non fruentur injuſti.* T. 5. p. 528. B. Ibid. p. 529. A. T. 4. p. 1431. E. T. 7. p. 8. A.

Sextum argumentum inde petitur, quòd S. Auguſtinus Pelagianis conten-

dentibus prædestinationem ad gloriam fieri ex meritis, assentiri non re-
T.10.p. 725.G. cusat, modò agnoscant merita illa per gratiam comparari. *Si merita nostra*, inquit Lib. de Gratia & lib.arb.cap. 6. *sic intelligerent, ut etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia.*

Postremum denique argumentum colligimus ex Lib.1. ad Simplicianum q.2. versùs medium n.6. ubi expendit illud Apostoli Rom. 9. *Cùm nondum nati fuissent &c.* ac quærit quomodo eligi potuit Jacob præ Esau, antequam quidquam boni vel mali egissent, quandoquidem omnis electio supponat rationem aliquam præexistentem in electo, per quam differat ab eo qui
To.6.p. 92. A. rejicitur? Sic autem quæstionem solvit S. Augustinus: *Non ergo secundùm electionem propositum Dei manet, sed ex proposito electio: id est, non quia invenit Deus opera bona in hominibus quæ eligat, ideò manet propositum justificationis ipsius: sed quia illud manet ut justificet credentes, ideò invenit opera quæ jam eligat ad regnum Cœlorum. Nam nisi esset electio, non essent electi; nec rectè diceretur, Quis accusabit adversùs electos Dei? Non tamen electio præcedit justificationem, sed electionem justificatio. Nemo enim eligitur, nisi jam distans ab illo qui reticitur. Unde quod dictum est, Quia elegit nos Deus ante mundi constitutionem: non videò quomodo sit dictum, nisi præscientia. Hic autem quod ait, Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, Quia major serviet minori: non electione meritorum, quæ post justificationem gratiæ proveniunt, sed liberalitate donorum Dei voluit intelligi, ne quis de operibus extollatur.* Manifestè hìc sanctus Doctor distinguit prædestinationem ad gratiam à prædestinatione ad gloriam, in eo quòd prima sit ex liberalitate donorum gratiæ, altera verò ex electione meritorum quæ post justificationem gratiæ adveniunt.

Istud porrò S. Augustini testimonium eò pluris fieri debet, quòd Lib. 3. Retractationum hunc Librum recensens, nihil planè ex illa secunda quæstione retractaverit: imò potiùs tùm Lib. de prædest. SS. cap. 4. tùm Lib. de dono perseverantiæ cap.21. commendat tanquam sanam doctrinam, eam quæ in illa secunda quæstione continetur; ac fatetur doctrinam hanc
Cap.4. Lib.de prædest. SS.n.8. sibi Deum revelasse, cùm scriberet ad Episcopum Simplicianum. Frustra igitur nonnulli cum Bellarmino ad vim hujus testimonii elevandam reponunt, hæc Augustinum scripsisse cùm adhuc junior esset, & ante exortam hæresim Pelagianam. Namque jam Episcopus erat cùm Libros scripsit ad Simplicianum anno scilicet 397. & quadragenario major: deinde verò senior factus, in postremo suo Retractationum Opere, re adhuc maturiùs expensa, confirmavit, quæ in dicta secunda quæstione docuerat.

Augustino jungendi sunt fideliſſimi Discipuli Prosper, Fulgentius & S. Thomas.

S. Prosper responsione tertia ad Object. Gall. docet non ideò reprobos
Pagina 207.C. mala agere, quia non sunt prædestinati, sed ideò *non esse prædestinatos, quia tales futuri ex voluntaria prævaricatione præscîti sunt.* Et infrà: *Non relicti sunt à Deo, ut relinquerent Deum: sed reliquerunt, & relicti sunt; & ex bono in ma-*
Ibid.E. *lum propria voluntate mutati sunt: atque ab hoc licet fuerint renati, fuerint justificati; ab eo tamen qui tales præscivit, non sunt prædestinati.* Et in responsione
Pagina 211.D. ad Objectionem 12. *Non ideò*, inquit, *vires obedientiæ cuiquam subtrahit, quia eum non prædestinavit; sed ideò eum non prædestinavit, quia recessurum ab ipsa obedientia esse prævidit.*

S. Ful-

S. Fulgentius Lib. 1. ad Monim. cap. 24. *Ostensurus*, inquit, *Deus, quid reddendum præsciverit, & quid donandum; prædestinavit illos ad supplicium, quos à se præscivit voluntatis malæ vitio discessuros: Et prædestinavit ad regnum, quos ad se præscivit misericordiæ prævenientis auxilio redituros, & in se, misericordiæ subsequentis auxilio, esse mansuros.* Pa. 19.

S. Thomas Comment. in Epist. ad Rom. cap. 8. Lectione 6. *Circa ordinem præscientiæ & prædestinationis*, inquit, *dicunt quidam quòd præscientia meritorum bonorum & malorum est ratio prædestinationis & reprobationis, ut scilicet intelligatur quòd Deus prædestinet aliquos, quia præscivit eos benè operaturos & in Christum creditutos . . . . Et hoc quidem rationabiliter diceretur, si prædestinatio respiceret tantùm gloriam quæ datur meritis: sed sub prædestinatione cadit omne beneficium salutare quod est homini ab æterno divinitùs præparatum . . . . Unde ponere quòd aliquod meritum ex parte nostra præsupponatur, cujus præscientia sit ratio prædestinationis, nihil est aliud quàm ponere gratiam dari ex meritis nostris.* To. 18. pag. 79. col. 1. A. B.

Manifestè hìc distinguit S. Doctor prædestinationem adæquatam ab inadæquata, quæ tantùm est ad gloriam; & istam ex prævisis bonis operibus fieri, ait rationabiliter dici posse.

Et Comment. in cap. 1. Epist. ad Ephes. Lectione 1. *Potest*, inquit, *esse aliquid creatum ratio voluntatis divinæ ex parte voliti; sicut dum vult coronare Petrum quia legitimè certavit.* Ibid. p. 396. col. 2. D.

Et in Lib. 1. Sent. dist. 41. art. 3. ad 5. *Dicendum*, inquit, *quòd in intellectu prædestinationis includitur voluntas consequens, quæ respicit opera; non quasi causam voluntatis, sed sicut causam meritoriam gloriæ.* Tom. 7. pa. 371. col. 1. E.

Denique 1. part. quæst. 23. art. 5. in corp. obiter de prædestinatione ad gloriam sic loquitur. *Dicendum est quòd effectum prædestinationis considerare possumus dupliciter. Uno modo in particulari, & sic nihil prohibet aliquem effectum prædestinationis esse causam & rationem alterius . . . Sicut si dicamus, quòd Deus prægordinavit se daturum alicui gloriam ex meritis.*

TERTIA PROBATIO.

Ex rationibus Theologicis.

Prima ratio ducitur ex conditione præmii, coronæ atque mercedis, sub qua gloria cœlestis non tantùm retribuitur in tempore, sed etiam ab æterno præparatur seu prædestinatur: quod enim titulo justitiæ debetur, non potest nisi motivo justitiæ, quod in bonis operibus fundatur, destinari. Porrò gloriam nobis proponi tanquam præmium ac mercedem, omnes profitentur. 2. ad Timoth. 4. v. 7. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ.* Et Matth. 5. v. 12. *Gaudete & exultate, quia merces vestra copiosa est in Cœlis.*

Secunda ratio ducitur ex eo quòd inutile planè, imò & contradictionem quamdam involvere videatur decretum Dei efficax & absolutum gratis prædestinandi ad gloriam, quæ nonnisi per merita bonorum operum comparanda est. Huic duplici momento diutiùs hìc non immoramur, quòd antea propositum à nobis fuerit & fusiùs expositum.

Tertia ratio est. *Deus*, ex Apostolo 1. ad Timoth. 2. v. 4. *vult omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire.* Verùm generalis illa & antecedens voluntas stare ac conciliari vix potest cum efficaci & absoluta voluntate salvandi aliquos ante omnem meritorum gratiæ prævisionem: 1. Quia voluntas illa Dei generalis pro salute omnium, est conditionata; si nempè homines gratiæ Dei obtemperare voluerint & mandata servare: atque in eo omnes homines sunt pares. Discretio igitur & separatio non fit, nisi post prævisum bonum vel malum gratiarum usum. 2. Suppositâ nonnullorum efficaci & absoluta prædestinatione ad gloriam ante merita, qui non sunt ita prædestinati, negativè saltem sunt rejecti & reprobati: at quomodo cohærere potest ac conciliari reprobatio illa negativa nonnullorum, cum voluntate vera & sincera illos salvandi? Namque ejusmodi derelictis & negativè reprobatis, vel Deus auxilia gratiæ sufficientia ad salutem largitur, vel non: si prius, ad quid quæso illa auxilia gratiæ pro assequenda salute à qua jam excluſi sunt, & ad quam pervenire nunquam possunt? si posterius, cujus commodi & utilitatis ipsis erit hæc Dei sterilis & otiosa voluntas?

Quarta ratio. Promissiones Dei vitæ æternæ, sicut & comminationes damnationis, conditionatæ sunt: hanc quippè conditionem tacitam vel expressam semper includunt, si mandata observentur, vel non observentur. *Quasi verò*, ait Conc. Trid. Sess. 6. can. 20. *Evangelium sit nuda & absoluta promissio vitæ æternæ sine conditione observationis mandatorum.* Ergo etiam ipsa voluntas qua Deus nobis vult vitam æternam, est conditionata. Sicut enim promissio est signum voluntatis; ita promissio conditionata est signum voluntatis conditionatæ; & promissio absoluta, signum voluntatis absolutæ, præsertim ubi conditio pendet ex arbitrio promittentis: absurdum autem videtur, id sub conditione promittere, quod voluntate ac decreto absoluto fieri jam debet.

Tr. 14. Conc. p. 766. D.

Quinta denique ratio colligitur ex meritis Christi, quæ debent priùs prævideri ut applicata, quàm fiat electorum prædestinatio. Scilicet merita Christi sunt fundamentum & causa meritoria nostræ salutis. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem ut essemus sancti. Non est aliud sub cœlo nomen in quo oporteat nos salvos fieri.* Ut verò merita Christi sint fundamentum nostræ prædestinationis, necesse est ea nobis applicari: quatenus autem nobis applicantur, & fructum salutarem ex iis percipimus, bona in nobis producunt opera meritoria vitæ æternæ. Ergo intuitu illorum Christi meritorum, quæ nobis applicantur, non tantùm datur nobis gloria, sed etiam decernitur ac destinatur ab æterno.

Ephes. 1. vi 4. Act. 4. v. 12.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Ex Scripturis.

Objicies 1. Illa prædestinatio purè gratuita est ac prior meritorum prævisione, ex cujus efficaci intentione Deus 1. ab electis mala propellit. 2. beneficia gratiæ ipsis largitur; atqui ex intentione efficaci & absoluta dandæ gloriæ, Deus ab electis suis mala propellit, eisque gratiæ suæ beneficia largitur; ergo &c.

Minor probatur.

I. Ex intentione prævia, absoluta & efficaci dandi gloriam, ab electis suis Deus mala propulsat & avertit. Ex intentione dandi gloriam Deus ab electis sui mala propulsat.

Sapientiæ 4. v. 11. de justo prædestinato dicitur: *Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.* Et v. 13. *Consummatus in brevi explevit tempora multa: placita enim erat Deo anima illius, propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum.*

Matth. 24. v. 22. *Nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro; sed propter electos breviabuntur dies illi.* Unde Lucæ 12. v. 32. Christus discipulis confidenter dicebat: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.*

His in locis prædestinatus vitæ hujus periculis brevi subtrahitur, & calamitatum dies contrahuntur, ne forte his malis oppressus pereat: unde? quia Deo complacuit dare illi regnum, hoc est, quia est prædestinatus.

II. Ex eadem efficaci voluntate conferendi electis gloriam, Deus gratiæ beneficia liberali manu ipsis largitur.

Joan. 10. v. 26. *Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis. Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me: & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.* Oves hic designant prædestinatos; quæ ideo vocem pastoris audiunt, quia sunt ex ovibus, hoc est ex prædestinatis.

Act. 13. v. 48. post prædicationem Pauli, dicitur: *Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Præordinatio ad vitam æternam hic assignatur tanquam causa fidei.

Joan. 15. v. 16. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, ut eatis & fructum afferatis.* Ibi quoque electio æterna causa est fructus, seu gratiæ quæ in tempore conceditur.

Ephes. 1. v. 4. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem ut essemus sancti.* Non ait, quia futuri eramus sancti; sed, ut essemus sancti.

Denique Rom. 8. v. 28. & 29. *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui .... Quos autem prædestinavit, hos & vocavit; & quos vocavit, hos & justificavit: quos autem justificavit, illos & glorificavit.* Hic quoque (ajunt adversarii) prædestinatio causa est vocationis, justificationis & glorificationis: quos enim Deus efficaciter elegit ad gloriam ante prævisa merita, eos & prædestinavit ad gratiam, ut per illam Christo conformes fierent.

Resp. Nego utramque minoris propositionis partem.

Primam non evincunt quæ laudata sunt Scripturæ testimonia. Non primum ex capite 4. Sapient. Namque certò inde non constat justum ex hac vita raptum fuisse, quòd prædestinatus esset ante prævisa merita: imò potius, contrarium ex hoc ipso loco erui posse videtur. Versu enim 13. dicitur: *Consummatus in brevi, explevit tempora multa, placita enim erat Deo anima illius;* specialis ergo Dei erga illum electum dilectio, supponit, non antecedit illius merita prævisa. Quòd si sub figura Henoc justus hic repræsentetur, sicut multi, post S. Ambrosium, volunt Interpretes; justus ille, perinde ac Henoc, raptus fuit ad feliciorem statum propter merita. Gen. enim 5. v. 24. de Henoc dicitur: *Ambulavit Henoc cum Domino, & non apparuit, quia tulit eum Dominus.*

Non 2. ex cap. 24. S. Matth. Namque textus ille intelligitur vel de ſalute temporali ſeu vitæ conſervatione, vel de ſalute ſpirituli ſeu perſeverantia in bono: at neutro ſenſu arguit prædeſtinationem ad gloriam ante merita prævisa. Non quidem primo, ut per ſe manifeſtum eſt; ſiquidem ad litteram ſermo eſt dumtaxat de obſidione Jeroſolymitana ſub Veſpaſiano & Tito Imperatoribus, quæ ſi diutius perſeveraſſet, Judæi omnes in Urbe concluſi fame vel gladio periiſſent: at Deus propter electos, qui ex illis Judæis naſcituri erant, illos tribulationis ac calamitatis dies contraxit. Quid verò iſtud commune habet cum gratuita prædeſtinatione ad gloriam? Nihil certè. Quòd ſi de ſalute ſpiritali citata verba intelligere placuerit, minimè profectò intelligi poſſunt de electis efficaciter ad gloriam ſine prævisis meritis; alioquin falſa eſſet iſta propoſitio, *Niſi breviati fuiſſent dies illi, non fieret ſalva omnis caro.* Namque etiam ſi breviati non fuiſſent dies illi, attamen omnes electi, vi decreti efficacis & antecedentis omnem futuri prævisionem, abſolutè ſalvi fierent; decretum enim Dei abſolutum & efficax irritum fieri non poteſt. Ergo intelligi dumtaxat debet locus citatus de perſeverantia ſeu conſtantia in fide, & ſenſus eſt: Deus in gratiam fidelium, (qui more Scripturæ, electi dicuntur) ne fortè eorum fides in tanta calamitate deficeret, dies illos contraxit & abbreviavit: ex quo certè malè infertur, eos ad gloriam prædeſtinatos fuiſſe vel ante, vel poſt prævisa eorum merita; nulla enim videtur eſſe inter iſta neceſſaria connexio.

Cùm autem Chriſtus Lucæ 12. ait: *Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum*, non loquitur de beneplacito abſoluto & efficaci: alioquin enim ſuos omnes Apoſtolos, inter quos erat Judas traditor, pro quo haud dubiè efficax illud & abſolutum beneplacitum non habuit. Ergo ſub conditione dumtaxat Chriſtus regnum proponit; ſi nempè bonis operibus, divina adjuvante gratia, illud promereri voluerint: quod ipſæ loci citati circumſtantiæ abundè demonſtrant. Hortatur enim ſuos Chriſtus ad vitæ contemptum, & ad martyrium conſtanter ferendum: *Ne terreamini ab his quioccidunt corpus*, inquit, *& poſt hæc nihil habent amplius quid faciant.* Tum illos excitat ut rerum temporalium curam & ſollicitudinem deponant; *Nolite ſolliciti eſſe animæ veſtræ quid manducetis &c.* & ad altiora mentes eorum erigit: *Quærite primùm regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis.* A majori ad minus hic Chriſtus arguit, quaſi diceret: Si complacuit Patri veſtro dare vobis regnum, an non de rebus ad communem iſtam vitam neceſſariis vobis providebit? Deinde hortatur ut ad perfectiora & excellentiora contendant: *Vendite quæ poſſidetis & date eleemoſynam. Facite vobis ſacculos qui non veteraſcunt.* Addit tanquam ſtimulum, conſiderationem brevitatis & incertitudinis vitæ hujus; *Eſtote parati, quia qua hora non putatis filius hominis veniet.* Quæ omnes circumſtantiæ denotant, Chriſtum loco citato non loqui de beneplacito ſeu de propoſito dandi gloriam efficaci & abſoluto: ſed conditionato, quod nempè pendeat ac ſuſpenſum ſit ex meritis bonorum operum.

Quantùm verò ad 2. partem minoris propoſitionis negatæ, reſpondemus pariter nullo ex citatis Scripturæ teſtimoniis id certò effici quod adverſarii contendunt; nempè ex intentione efficaci gloriæ, auxilia gratiæ diſpenſari.

Non cap. 10. S. Joan. Namque per oves, vel ſoli intelliguntur electi ſeu prædeſtinati, vel tantùm omnes fideles ſeu credentes: ſi ſoli prædeſtinati, nulla

certa

certa ratione oſtendi poſſet vi hujus loci, eos abſolutè ante omnia merita prævisa eſſe prædeſtinatos. Licèt enim gratia fidei iis in tempore conceda-tur, qui ſunt æterno Dei conſilio prædeſtinati, non conſequens eſt, eos ante meritorum prævisionem fuiſſe prædeſtinatos; imò potiùs ex illo contrarium erui poteſt. Si enim qui credunt, ideò credunt quia ſunt gratis prædeſtinati; à contrario qui non credunt, ideò non credunt quia ſunt negativè ſaltem re-probati; & ita hujuſmodi rejecti & reprobati, vi hujus reprobationis non credunt & in infidelitate ſua permanent, quia rejecti ſunt ante prævisam eo-rum malam voluntatem: iſtam porrò ſententiam infrà refellemus. Ad ſummum igitur ex illo teſtimonio inferri poteſt ac probari infallibilis certi-tudo prædeſtinationis, quæ non ex decreto abſoluto & antecedente omnem meritorum prævisionem ſequitur, ſed ex præſcientia qua Deus certò & infallibiliter prævidet qui ſint in gratia perſeveraturi, & conſequenter perventuri ad gloriam.

Si verò per oves intelligantur credentes ſeu fideles, ſanè non ideò cre-dunt, quia ſunt prædeſtinati ad gloriam: quàm multi enim ſunt fideles, qui culpa ſua excidunt à gloria? Idcircò igitur credunt, quia ad creden-dum ſunt deſtinati, ac gratiæ ad credendum excitanti liberè conſentiunt. Nec obſtat quòd dicat Chriſtus: *Ego vitam æternam do eis*. Namque per vitam æternam hìc intelligitur fides in Deum verum & in J.C. *Hæc eſt vita æterna*, inquit S. Joan. cap. 17. v. 3. *ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum*.

Prædordinati ad vitam æternam de quibus Act. 13. vel ſunt prædeſtinati ad gloriam, vel tantùm ad fidem: ſi ad gloriam, non conſequens eſt, nec ex citato loco benè probatur, eos gratis & ante prævisa merita eſſe prædeſtinatos; ſed ad ſummum ex ſuppoſitâ eorum perſeverantia. Cùm enim Deus illos ad juſtitiam elegiſſet, ac ſciret perſeveraturos, etiam elegit abſoluto decreto ad gloriam: unde cùm ſuo tempore ſunt converſi, rectè dici po-teſt, condidiſſe quotquot erant prædeſtinati ad vitam æternam, ſive quotquot erant ſalvandi. Quòd ſi prædordinati illi, ad fidem dumtaxat, ut probabilius eſt, deſtinati dicuntur; locus ille non eſt ad rem præ-ſentem: ſenſus enim eſt, eos omnes in tempore credidiſſe, qui ad cre-dendum ab æterno erant prædordinati; hoc eſt, diſpoſiti, benè affecti, benè comparati: non quidem ex naturæ viribus, ſed gratiæ beneficio. Hunc ſenſum ſuggerit textus græcus τεταγμένοι, *ordinati, diſpoſiti*.

Cap. 15. S. Joannis non loquitur Chriſtus de electione ad gloriam: tùm quia unus ex diſcipulis quos alloquebatur, Judas ſcilicet, reprobatus erat: tum quia poſteà de hac ipſa electione ſeu prædeſtinatione loquens, ait eam cauſam eſſe cur mundus eos odio habeat: *Elegi*, inquit, *vos de mundo, propterea odit vos mundus*. At mundus non poterat eos odiſſe propter prædeſtinationem ad gloriam; ergo neceſſe eſt loquatur de alia electio-ne: nempè vel ad Apoſtolatum, quod longè veriſimilius; cùm addat, *Ut eatis & fructum afferatis, & fructus veſter maneat*: vel ad fidem, ut interpretatur S. Aug. qui textum hunc ſæpius urget contra Semipelagia-nos, ut oſtendat etiam initium fidei à Deo eſſe, non à nobis.

Eodem planè modo ſolvitur ac exponitur iſtud Apoſtoli Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti*. De electione ſcili-

cet ad gratiam ibi sermo est, non verò ad gloriam: tùm quia ignoravit Apostolus, quinam electi essent ad gloriam; quin & ipsemet ignorabat an prædestinatus esset: hinc dicebat 1. Cor. 9. v. 27. *Castigo corpus meum & in servitutem redigo, ne fortè cùm aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar*. Tùm quia non omnes ad quos scribebat, prædestinatos existimavit: tùm denique quia quæ citato loco addit Apostolus, ad omnes fideles pertinent, non ad solos prædestinatos; ergo & ista electio. *Omnibus sanctis*, inquit, *qui sunt Ephesi, & fidelibus in Christo Jesu, gratia vobis & pax*. Deinde gratias Deo agit de vocatione illorum, justificatione aliisque donis, quæ omnia dicit ipsis collata secundùm æternam electionem & prædestinationem: *Benedictus*, inquit, *Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus in charitate*: quæ omnia profectò de omnibus electis, & ad gratiam fidei vocatis dicta esse manifestum est.

Denique ad testimonium ex cap. 8. Epist. ad Roman. duplex est responsio, quæ Conclusioni nostræ minimè adversatur.

Prima est, eò loci Apostolum loqui de prædestinatione ad gratiam fidei, quæ omnibus fidelibus communis est.

Patet ex serie contextus.

I. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*. Illa autem dilectio est charitas seu gratia sanctificans, qua fit ut quæcunque hujus vitæ adversa, calamitates, pressuræ, persecutiones, cedant in bonum electorum.

II. *Qui vocati sunt secundùm propositum*, id est, efficaciter ad gratiam fidei & sanctificationis electi & vocati: vocatio enim secundùm propositum opponitur operibus nostris. Ita expressè docet Apostolus 2. ad Timoth. 1. v. 9. *Nos liberavit & vocavit vocatione sua sancta, non secundùm opera nostra, sed secundùm propositum suum, & gratiam quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora sæcularia*. Quam sententiam, *secundùm propositum*, Pelagianis ac Semipelagianis opponit continuò sanctus Augustinus, ut evincat prædestinationem ad gratiam fidei gratuitam esse, ex purâ Dei misericordia, naturæ operibus nullatenus subnixam.

III. Quæcunque hoc cap. 8. Apostolus scribit, ea ad omnes fideles pertinent, quos ad patientiam in angustiis ac tribulationibus hortatur: *Quicunque*, inquit v. 14. *Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus; Abba (Pater.) Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filii Dei: si autem filii, & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*. Hæc porrò omnia omnes spectare fideles justificatos, manifestum videtur. Ne quis autem putet se jam esse securum, ex eo quòd sit filius Dei & hæres, ostendit hanc hæreditatem Dei & cohæreditatem cum Christo non esse præparatam, nisi sub certa quadam conditione, ista nempè, *si tamen compatimur ut & conglorificemur*.

IV. *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui*. Hæc verò conformitas maximè posita est in adoptione in Filium Dei, seu in gratia sanctificante.

V. Denique, quæ addit ibidem Apostolus v. 31. pertinent ad omnes qui justitiam in Christo sunt adepti: *Quid ergo*, ait, *dicemus ad hæc, si Deus pro nobis*,

nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio Filio non pepercit; sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? Nec obstat quòd dicat Apostolus, *Quos vocavit, hos & justificavit; & quos justificavit, illos & glorificavit*: 1. Glorificatio illa in mente nonnullorum Interpretum, non de gloria æterna in cœlis, sed de quadam illustratione externa, in donis linguarum & miraculorum posita, intelligi non immeritò posset; ut sensus sit, Deum sanctos & electos suos etiam externis aliquibus donis conspicuos & illustres reddere hac in vita: sensum illum admittit verbum Græcum δόξασε, *glorificavit*. Vide Estium in hunc locum. 2. Licet eò loci effectus prædestinationis enumeret Apostolus, non tamen inter illos ordinem causalitatis assignat; ita ut propositum dandæ gloriæ v.g. causa sit vocationis, justificationis &c. sed hoc unum inde inferri meritò potest, æternum Dei propositum de concedenda fidei gratia, & sanctificante gratia, causam esse, cur Deus eam in tempore conferat; sicut propositum dandi gloriam, causa est cur eam in tempore largiatur. *Pa. 59.*

Secunda responsio contendit, vi citati textus potius inferri prædestinationem ad gloriam fieri ex præviis meritis gratiæ; sensus enim planus & apertus istorum verborum, *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui*, hic esse videtur: Quos præscivit benè usuros gratia, eos prædestinavit ad gloriam; vel, quòd idem est, Quos præscivit Christo conformes fore in vita per gratiam, eos prædestinavit conformes fieri in gloria. Favent hæc verba v.17. *Si filii & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, si tamen compatimur ut & conglorificemur*. Id est, si conformes sumus Christo in tolerandis hujus vitæ ærumnis ac calamitatibus; erimus etiam conformes in gloria alterius vitæ. Videtur hæc esse mens S. Augustini Lib. de spiritu & litt. cap. 5. *Deus*, inquit, *per Spiritum sanctum diffundit charitatem in cordibus eorum: quos præscivit ut prædestinaret, prædestinavit ut vocaret, vocavit ut justificaret, justificavit ut glorificaret*. Præscientia igitur justificationis, in mente S. Doctoris, antecedit prædestinationem ad gloriam, tanquam illius causa meritoria. *T. 10. p. 89. E.*

Instabis 1. Prædestinatio ad gloriam fit ex solo Dei proposito absque operibus; ergo purè gratuita est.

Antecedens probatur ex Apostolo Rom. 9. v. 11. *Cùm nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali, (ut secundùm electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: Quia major serviet minori, sicut scriptum est; Jacob dilexi, Esau autem odio habui. Quid ergo dicemus? Numquid iniquitas apud Deum? absit. Moysi enim dicit, Miserebor cujus misereor; & misericordiam præstabo cujus miserebor.* *Gen. 26*

Confirmatur, quia ibidem v. 16. Apostolus concludit: *Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.* Et v. 20. vanam & superbam nonnullorum querimoniam reprimit his verbis: *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit: Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Et v. 17. exemplo Pharaonis qui induratus à Deo fuerat, ad idem probandum utitur: *Dicit Scriptura Pharaoni, Quia in hoc ipsum excitavi te ut ostendam in te virtutem meam.... Ergo cujus vult miseretur, & quem vult indurat.* Hic profectò, ajunt adversarii, per vasa in honorem, electi; *Exodi 9. v. 33.*

cti; per vasa autem in contumeliam, reprobi designantur. Electi verò sunt ex pura Dei misericordia ; neque est quòd obloquantur Deo sic volenti ac decernenti: *O homo, tu quis es qui respondeas Deo?*.

Resp. Nego ant. Neque enim de prædestinatione ad gloriam ante prævisa merita loqui videtur Apostolus: si enim istud semel concesseris, necesse quoque est ut concedas, reprobationem ad mortem seu pœnam æternam, fieri quoque ante prævisa demerita & ex solo Dei beneplacito, quod vir Catholicus nunquam admiserit. Loquitur ergo dumtaxat Apostolus de inæquali distributione seu mensura donorum gratiæ hac in vita.

Laudata igitur Apostoli verba, vel secundùm litteralem & historicum sensum intelligenda sunt, vel secundùm sensum spiritualem ac mysticum.

Si priori modo intelligantur, nihil juvant causam præsentem: de singularibus etenim personis Jacob & Esau sermo non est, sed de duobus populis, Israelitico nimirum & Idumæo; & quod dicitur de odio & amore, non intelligitur de æterna electione, & reprobatione, sed de bonis malisque temporalibus hujus vitæ. Nam Gen. 25. cùm Rebecca Deum consuleret, cur parvuli, quos in utero gestabat, inter se colliderentur, ei responsum est: *Duæ Gentes sunt in utero tuo, & duo populi ex ventre tuo dividentur; populusque populum superabit, & major serviet minori.* Quod quidem in personis Esau & Jacob impletum non fuit, sed in populis ab utroque ortis; tempore quippè Davidis, Idumæi ex Esau progeniti Israelitarum ditioni subjecti sunt, Lib. 2. Reg. c. 8. v. 14. Unde Malachiæ 1. cùm dixisset Deus, *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*, explicat quomodo dilexerit & oderit, his verbis: *Posui montes ejus*, nimirum Esau, *in solitudinem, & hereditatem ejus in dracones deserti*. Itaque dilexit Deus Jacob, quoniam dedit ei terram fluentem lacte & melle: odio habuit Esau, quoniam dedit ei terram sterilem ac desertam: iste porrò sensus ad rem nostram præsentem non pertinet.

Quòd si ad spiritualem prædestinationis sensum hæc ab Apostolo transferri contendas, non repugnamus, at quid inde? Hæc duo dumtaxat.

Primò, Apostolum non loqui de prædestinatione singularum personarum, sed de electione Gentilium, & reprobatione Judæorum; quo etiam sensu intelligenda videntur, quæ dicit idem Apostolus Rom. 11. & Ephes. 1. Alioqui sequeretur omnes illos & singulos ad quos scribebat, fuisse prædestinatos: generatim igitur agit Apostolus de prædestinatione & electione eorum omnium, qui ad Ecclesiam vocati fuerant.

II. Esto loquatur de prædestinatione singularum personarum: an de prædestinatione gratuita ad gloriam? Minimè; sed tantùm de prædestinatione ad gratiam fidei, seu de vocatione ad veritatem Evangelii, quæ omninò gratuita est, ab humanis meritis independens; de qua una ex professo tractat Apostolus in Epistola ad Rom. nempe ut superbam Judæorum jactantiam reprimat, qui gloriabantur, quasi suis operibus ac Legis merito vocati fuissent ad fidem Christi; atque iniquo planè animo ferebant, Gentiles eos in beneficio sibi æquatos fuisse. Hunc esse Apostoli scopum in Epistola ad Rom. disertè declarat S. Augustinus Lib. 1. ad Simpl. q. 2. n. 2. *Intentionem*, inquit, *Apostoli quæ per totam Epistolam viget, tenebo, quam consulam. Hæc est autem, ut de operum meritis nemo glorietur, de quibus audebant Israelitæ gloriari, quòd dale fibi Legi servissent, & ex hoc Evangelicam gratiam tanquam debitam meritis*

T. 6. p. 88. F.

suis

ſuis percepiſſent, quia Legi ſerviebant. Unde nolebant eandem gratiam dari Gentibus, tanquam indignis, niſi Judaica Sacramenta ſuſciperent.

Aliis in locis idem S. Doctor verba quę hic objiciuntur ex c. 9. Epiſt. ad Rom. exponit de prædeſtinatione ad gratiam fidei. Ita Enchiridii c. 32. Lib. de prædeſt. SS. c. 3. 8. 14. 16. & 19. & Lib. 2. ad Bonifacium cap. 7.

Iſtam verò falſam Judæorum opinionem multis argumentis confutat S. Paulus 1. Quia omnes tùm Judæi tùm Gentiles peccato & morti æternæ obnoxii naſcuntur, filii iræ & indignationis; qui conſequenter nullam ex ſeſe gratiam à Deo promereri poſſunt. 2. Quia nemo juſtificatur ex operibus Legis, quæ ex ſe iram operatur, non juſtitiam quæ eſt ex fide, 3. Quia fides eſt ex gratia; ergo non ex operibus: aliàs gratia non eſſet. 4. Quia omnes pares ſunt in Chriſto, neque ulla diſtinctio eſt Judęum inter & Græcum in donis gratiæ. 5. Quia non omnes qui ſunt filii Abrahæ ſecundùm carnem, ideo filii ſunt ſecundùm promiſſionem & fidem, ſed ii tantùm qui fidem Abrahæ imitantur, Deo per gratiam ſuam eos adjuvante. Quę omnia ut pleniùs confirmet S. Paulus, duplici exemplo utitur: primum eſt Jacob & Eſau, qui unò eodemque partu geniti, adeo diſparem ſortem experti ſunt; quorum unum Deus dilexit, alterum verò odio habuit, antequam nati eſſent & quidquam boni vel mali egiſſent; unus uberem Paleſtinæ terram, alter verò ſterilem & incultam ſolitudinem obtinuit. Alterum exemplum ducit ex c. 18. Jeremiæ, ubi Propheta juſſu Dei in domum figuli ingreſſus, vidit figulum ex argilla vaſa fingentem, qui cùm vas quoddam contrectando fregiſſet, in vas alterum prout voluit, conformavit: quod exemplum eò pertinet, ut probet Apoſtolus 1. Deum ſupremum Dominum poſſe pro arbitrio de opere ſuo quidquid voluerit facere; voluntates hominum quò voluerit inclinare, & unde voluerit abducere. 2. non eſſe ſtatum aliquem tam perditum ac deſperatum, quem Deus in melius commutare non poſſit: ſicut figulus vas confractum in aliud efformat. 3. Dei conſiliis ac decretis obloquendum non eſſe, ſed quidquid ſtatuerit, id æquo & patienti animo tolerandum; nec curiosè & arroganter inquirendum, cur aliis repudiatis, alii aſciſcantur. In hoc autem utroque exemplo, ſola vocatio ad gratiam Evangelii, de qua una erat quæſtio, non autem prędeſtinatio ad gloriam, debet attendi. *Gen. 25.*

Atque appoſitè ad hunc Apoſtoliſcopum intelligi debet, quomodo Deus Jacob dilexerit, & Eſau odio habuerit, antequam nati eſſent & quidquam boni vel mali egiſſent: quomodo cujus vult miſeretur, & quem vult indurat: quomodo hunc faciat vas in honorem, alium verò faciat vas in contumeliam: quomodo non eſt volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei. Scilicèt odium illud vel propriè ac ſtrictè ſumitur, vel impropriè ac comparatè ad Jacob: ſi propriè ac ſtrictè, nihil aliud in Eſau Deus odio habeat quàm peccatum originale, ſicut obſervat S. Aug. Epiſt. ad Sixtum. Si verò impropriè ac comparatè ad Jacob, odium illud eſt tantùm minor dilectio; quia nempe Deus magis Jacob dilexit, & majora ipſi gratię dona conceſſit, quàm Eſau quo ſenſu odium uſurpatur aliquando in Scripturis pro minori dilectione, Lucæ 14. v. 26. *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum & matrem ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Hoc eſt, interprete S. Matth. c. 10. v. 37. *Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non eſt me dignus.* 2.

Deus

Deus cujus vult miseretur, quia nemini suam gratiam debet; hanc ex gratuita benignitate concedit, quam ex justitia negat. Neminem verò indurat positivè impertiendo malitiam, sed tantùm non largiendo gratiam, ait S. Aug. in eadem Epistola ad Sixtum 194. aliàs 105. Pariter alium facit vas in honorem, per gratuitam vocationem ad fidem, alium verò in contumeliam, suæ malitiæ ac indurationi eum relinquendo; sive nullam, sive parvam ipsi gratiam conferat, de quo disputant Theologi. Item non est currentis, sed miserentis Dei: tùm quia nemo propriis viribus sine gratia currere potest in via justitiæ: tùm quia etsi adjuvante gratia aliquis currat, gratiæ potius, quàm libero ejus arbitrio etiam adjuto tribui debet quòd currendo ad coronam perveniat; omnis enim gratiæ virtus à Deo est. Denique Pharao excitatus dicitur ut suam Deus in eo virtutem ac potentiam ostenderet, non quidem hoc sensu, quòd Deus illum ad malum excitaverit, absit, impietas foret id suspicari: sed quòd prævisa ejus perversa & in malo contumaci voluntate, ea usus est in bonum, id est in manifestationem virtutis ac potentiæ suæ; non tantùm permittendo peccata, sed etiam ea operando stupenda prodigia, ex quibus perditus ille Princeps majoris obcæcationis ac indurationis occasionem assumpsit.

Instabis 2. Citato cap. 9. Epist. ad Rom. v. 23. vasa in honorem dicuntur *præparata in gloriam*. Ergo falsum est eò loci Apostolum agere dumtaxat de electione ad gratiam fidei, non verò ad gloriam.

Confirmatur. Quia Rom. 6. v. 23. vita æterna seu gloria appellatur gratia: igitur cùm prædestinatio ad gratiam sit gratuita, ita & prædestinatio ad gloriam.

Resp. nego consequens. Nomine quippè gloriæ citato loco non intelligitur felicitas æterna in cœlo electis præparata, quam vulgò gloriam cœlestem appellamus, sed vel splendor ac dignitas eorum qui ad gratiam Evangelii vocantur; vel (quod verisimilius est) manifestatio exterior gloriæ Dei in vasis electionis. Favet nomen Græcum δόξα, quod propriè significat opinionem cum laude, seu claritatem, splendorem, & manifestationem externam gloriæ Dei. Favet & ipse textus citatus, in quo gloria manifestè sumitur pro gloria seu splendore Dei, v. 22. *Quòd si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia, vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparavit in gloriam*. Ubi profectò nomen istud, *gloria*, bis usurpatur, & quidem uno eodemque sensu. Ergo cùm in istis verbis, *ut ostenderet divitias gloriæ suæ*, gloria significet Dei splendorem, laudem seu manifestationem gloriæ; idem pariter significatur his verbis, *vasa misericordiæ quæ præparavit in gloriam*, nempè suam; hoc est, in ostensionem seu manifestationem gloriæ suæ.

Ad confirmationem. Vita æterna dicitur gratia, in semine, radice & origine, quia retribuitur meritis gratiæ. *Rectè quippè*, ait S. Augustinus Lib. de corrept. & grat. cap. 13. *ipsa intelligitur quæ in Evangelio legitur. Gratia pro gratia, id est, pro his meritis quæ contulit gratia*. Et Epist. 186. aliàs ad Paulinum n. 10. *Ipsum hominis meritum*, ait idem sanctus Doctor, *donum est gratuitum*. Attamen non mera est gratia, sed etiam corona justitiæ quæ in præmium ac mercedem bonorum operum retribuitur. Unde meritò Deus dicitur in Sanctis suis dona sua coronare.

T. 10 p. 773. E.

T. 2. p. 667. C.

Insta-

Instabis 3. ex eodem Apostolo 1. Cor. 4. v. 7. *Quis te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Quæ verba omninò gratuitam denotare videntur prædestinationem.

Resp. distinguo conseq. prædestinationem ad gratiam de qua loquitur S. Augustinus, concedo: ad gloriam, nego. S. Augustinus Lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 4. sed præcipuè 5. hunc Apostoli locum exponit de initio fidei, quod est à gratia, non à libero arbitrio, sicut Semipelagiani putabant. Et Lib. 2. ad Bonifacium cap. 7. exponit quomodo Deus nos discernat his verbis: *Ille*, inquit, *discernit, qui unde discernaris impertit, pœnam debitam removendo, indebitam gratiam largiendo. Ille discernit, qui cùm tenebræ essent super abyssum, dixit: Fiat lux, & facta est lux: & divisit, hoc est, discrevit inter lucem & tenebras. Non enim cùm essent solæ tenebræ, quid discerneret invenit: sed lucem faciendo discrevit; ut justificatis impiis dicatur, Fuistis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino: ac sic qui gloriatur, non in seipso, sed in Domino glorietur.* T. 10. f. 441. D.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Ex S. Augustino.

Objicies 1. Ex ipso statu controversiæ quæ erat inter S. Augustinum & Pelegianos ac Semipelagianos manifestè ostenditur, sanctum Doctorem agere ex professo de absoluta & efficaci prædestinatione ad gloriam, non de ea tantùm quæ est ad gratiam. Namque cùm Pelagius, referente S. Augustino Lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 18. & 19. n. 36. docuisset, *homines eligi à Deo, quia præsciebat qui futuri essent sancti & immaculati per liberæ voluntatis arbitrium*; id totis viribus impugnat S. Augustinus, ex quo sic arguunt: De illa electione controversia erat, quam admittebat Pelagius. Porrò electio quam Pelagius admittebat, erat ad gloriam. Vel enim ad gloriam erat, vel ad gratiam: at nullam electionem ad gratiam agnoscebat Pelagius, cujus necessitatem è medio tollebat; ergo loquebatur de electione ad gloriam: quod & ipsius verba demonstrant, dicebat enim, *Deum eligere quos præsciverat futuros esse sanctos*. Quid autem datur iis qui sancti futuri prævidentur, nisi gloria? Quam verò gloriam existimabat ille propter naturæ merita rependi, S. Augustinus è contrà demonstrat planè gratuitam esse; nec tantùm merita naturalia volebat excludi, sed omnem, quæ Dei decretum antecederet prænotionem. *Elegit nos*, inquit sanctus Doctor, *ut essemus sancti . . . Non ergo quia futuri eramus, sed ut essemus. Nempè certum est, nempè manifestum est: ideò quippè tales eramus futuri, quia elegit ipse, prædestinans ut tales per gratiam ejus esemus . . . . Cùm ergo nos prædestinavit, opus suum præscivit, quo nos sanctos & immaculatos facit.* ibid. p. 814. C. ibid. F. ibid. p. 815. G.

Quantùm verò ad Semipelagianos spectat, certum est offensos illos ac turbatos fuisse absoluto illo & efficaci Dei proposito, quo nonnullos, cæteris rejectis, ad fidei & justificationis gratiam vocari Augustinus docuerat, ex quo fatalem necessitatem induci causabantur: atque in oppositam partem deflectentes, contendebant electionem fieri secundùm Dei præscientiam, hoc est, eos ad gloriam destinari, quos prævidebat Deus gratia sua benè usu-

usuros. Eorum sententiam refert S. Prosper in Epistola ad S. Augustinum his
T.10.p. 821.D. verbis n.3. *Hæc ipsorum definitio ac professio est*, inquit, *ut quicumque ad fidem & ad Baptismum accedere voluerint, salvi esse possint. Qui autem crediturí sunt,*
T.10.p. 779. *quive in ea fide, quæ deinceps per gratiam sit juvanda, mansuri sunt, præscisse ante mundi constitutionem Deum, & eos prædestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono fine excessuros esse præviderit.* Constat ex his verbis, Semipelagianos admisisse prædestinationem ad gloriam seu regnum & vitam æternam ex prævisis meritis, non naturæ, sed gratiæ: *gratis vocatos*. Ergo Augustinus eos impugnans, oppositam tuetur sententiam, nempè prædestinationem ad gloriam fieri ante prævisa merita gratiæ; alioqui dicendum esset, Augustinum extra propositum suum excurrisse.

Resp. ad primum, nego ant. Ad probationem: Nihil absurdius nobis videtur hac arguendi ratione: nempè, de illa electione controversia erat, & loquebatur S. Augustinus, quam admittebat Pelagius; imò potius, de illa loquebatur & controversia erat, quam Pelagius negabat, & quam ut admitteret, graviſſimis ab Augustino momentis premebatur. Ad quid enim tanto studio ac labore in eo probando incubuisset sanctus Doctor, quod à suo admissum fuisset adversario? Porrò nemo nescit Pelagium de una electione gratuita ad gratiam potissimum disputasse, quam rejiciebat, ratus naturalia merita sufficere ad vitam æternam obtinendam. Hic unus est Augustini scopus ad quem omnia sua argumenta dirigit, ut videbitur vel locum illum unde objectio petitur, legenti. *Nimis longum est de singlis disputare*, dicebat sanctus Doctor Lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 18. nu. 37. *Cer-*
T.10.p. 815. B. C. *nitis autem procul dubio, cernitis quanta manifestatione Apostolici eloquii defendatur hæc gratia, contra quam merita extolluntur humana, tamquam homo aliquid prior det, ut retribuatur ei. Elegit ergo nos Deus in Christo ante mundi constitutionem, prædestinans nos in adoptionem filiorum: non quia per nos sancti & immaculati futuri eramus, sed elegit prædestinavitque ut essemus.* En electio in adoptionem filiorum Dei per gratiam, quam Pelagius negabat, & quam S. Augustinus ex Ecclesiæ fide gratuitam esse contendebat.

Revera de ipsa quoque prædestinatione ad gloriam interdum nonnihil injiciebat Pelagius, quam meritis nostris reddi asserebat, quod unum redarguit ac reprehendit S. Augustinus; aliunde non recusans huic sententiæ subscribere, si Pelagius agnoscere vellet, illa nostra merita esse quoque Dei dona. *Pelagiani*, (ait sanctus Doctor Lib. de gratia & libero arbitrio cap. 6. n. 15.)
Ibid. p. 725. F. G. *dicunt illam gratiam quæ datur in fine, id est, æternam vitam, meritis nostris præcedentibus reddi: respondendum est eis. Si merita nostra sic intelligerent, ut etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia.*

Semipelagiani verò in eo non erraruntnec ab Augustino reprehensi sunt, quòd dicerent prædestinari homines ad gloriam seu vitam æternam ex prævisis eorum bonis, ex gratia, meritis seu operibus: non ille profectò fuit cum ipsis status controversiæ: illa enim quæstio utrimque salva fide in Scholis agitatur: declarat autem S. Augustinus prædestinationem, de qua loquitur, ad fidem pertinere, nec sine errore impugnari posse: In eo igitur erat cardo disputationis Augustinum inter ac Semipelagianos, quòd vellent isti 1. ad initium fidei liberum sufficere arbitrium, nec ipsi opus esse divina

gratia

gratia prævenient. 2. prævisum à Deo futurum bonæ voluntatis ad credendum affectum, Deo causam esse, regulam ac motivum dandi gratiam fidei. 3. infantes prædestinari, vel reprobari non propter bona, vel mala opera quæ reipsa facturi erant, sed quæ fecissent, si diutiùs in vita permansissent. En capita erroris Semipelagiani quæ S. Augustinus totis viribus insequitur; & quæ nihil habent commune cum sententia quæ statuit prædestinationem ad gloriam fieri ex prævisis meritis gratiæ.

Objicies 2. Efficax & absoluta prædestinatio ad gloriam in mente Dei & ordine intentionis principium est & causa omnium auxiliorum gratiæ, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur: ergo antecedit omnem meritorum gratiæ prævisionem.

Antecedens probatur ex S. Augustino Lib. de corrept. & grat. cap. 7. nu. 13. *Quicumque*, inquit, *ab illa originali damnatione ista divinæ gratiæ largitate discreti sunt, non est dubium quòd & procurator eis audiendum Evangelium; & cùm audiunt, credunt; & in fide quæ per dilectionem operatur, usque in finem perseverant; & si aliquando exorbitant, correpti emendantur, & quidam eorum etsi ab hominibus non corripiantur, in vitam quam reliquerant redeunt; & nonnulli accepta gratia, in qualibet ætate, periculis hujus vitæ mortis celeritate subtrahuntur. Hæc enim omnia operatur in eis, qui vasa misericordiæ operatus est eos, qui & elegit eos in Filio suo, ante constitutionem mundi per electionem gratiæ . . .* Et paulò post n. 14. *Quicumque electi, sine dubio etiam vocati: non autem quicumque vocati, consequenter electi. Illi ergo electi, ut sæpè dictum est, qui secundùm propositum vocati, quia etiam prædestinati atque præsciti. Horum si quisquam perit, fallitur Deus: sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus. Horum si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus: sed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus. Electi autem sunt ad regnandum cum Christo: non quomodo electus est Judas ad opus cui congruebat. Ab illo quippè electus est, qui novit benè uti etiam malis, ut & per ejus opus damnabile, illud propter quod ipse venerat, opus venerabile compleretur . . . . Illos debemus intelligere electos per misericordiam, illum per judicium; illos ad obtinendum regnum suum, illum ad effundendum sanguinem suum.*

Ibid. p. 757. A. B.

Ib. F. G

Textum hunc integrum tametsi prolixiorem referre necesse fuit, quòd ex illo multiplex argumentum contra sententiam nostram inferant adversarii. Idem momentum rursus versat sanctus Doctor Lib 5. contra Julianum cap. 4. nu. 14.

Ex illo igitur sancti Doctoris contextu sic arguunt.

Ibid. p. 635. & 636.

I. In phrasi Augustiniana, *Vocatio secundùm propositum, Discretio à massa perditionis, Electio ex beneplacito, Prædestinatio*, idem omninò significant. Cùm verò hæc certa & constans sit Augustini doctrina, 1. vocationem secundùm propositum, gratuitam esse & ab omni meritorum prævisione independentem. 2. vocationem illam esse principium & causam omnium effectuum prædestinationis, adeoque & ipsius gloriæ; cohærenter dicendum, gloriam gratis & antecedenter ad merita prævisa nobis à Deo destinari ac præparari.

II. Sanctum Doctorem loco citato agere de prædestinatione ad gloriam, demonstrant hæc ipsius verba: *Electi sunt ad regnandum cum Christo.* Et cap. 6. n. 10. jam dixerat: *Quis in æternam vitam potuit ordinari, nisi per-*

Ibid. p. 755. F.

seve-

ſeverantiæ dono? Et Lib. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 20. n. 42. conce-
Ibid. p. 818. D. ptis verbis Semipelagianos redarguens, ait: *Audiant, Crediderunt quotquot erant ordinati in vitam æternam.* Act. 13. 48. *Audiant hæc.... quibus oſtenditur Deum ad regnum etiam Cœlorum & ad vitam æternam parare & convertere hominum voluntates.*

III. Hanc electionem ad gloriam cenſuiſſe S. Auguſtinum fieri ante præviſa merita, patet ex diſcrimine quod ſanctus Doctor ſtatuit inter electionem Judæ ad effundendum Chriſti ſanguinem, & electionem prædeſtinatorum ad gloriam. Diſcrimen autem illud in eo ſtat, quòd Judas electus fuerit ad effundendum Chriſti ſanguinem, poſt præviſam à Deo perverſam ipſius voluntatem; prædeſtinati verò eliguntur ad gloriam ante præviſa eorum merita.

IV. Ex illa vocatione ſecundùm Dei propoſitum, ajunt iſtud in mente S. Auguſtini conſequens eſſe, neminem ſcilicet à maſſa perditionis propriè liberari, niſi qui in bono finaliter perſeveraverit: *Qui Evangelium non au-*
Ibid. p. 756. E. *diunt*, ait S. Auguſtinus citato cap. nu. 12. *& qui eo audito in melius commutati perſeverantiam non acceperunt .... non ſunt ab illa conſperſione diſcreti, quam*
Ibid. p. 758. F. *conſtat eſſe damnatam.* Et quo tempore *illi benè pièque vivunt, dicuntur quidem electi à neſcientibus quid futuri ſint, ſed non à Deo, qui novit eos non habere perſeverantiam*, pergit ibidem ſanctus Doctor n. 16. Et c. 9. *Nec nos moveat,*
Ibid. p. 760. F. inquit, *quòd filiis ſuis quibuſdam Deus non dat iſtam perſeverantiam. Abſit enim ut ita eſſet, ſi de illis prædeſtinatis eſſent & ſecundùm propoſitum vocatis, qui verè ſunt filii promiſſionis.* Quicumque igitur ſecundùm Dei propoſitum vocati ſunt, datur illis perſeverantia; aliis verò non datur: cujus quidem diſcriminis cauſam declarat ſanctus Doctor cap. 8. ejuſdem Libri, ſe prorsùs ignorare. Ergo tùm perſeverantia finalis, tùm gloria, quæ ipſam immediatè ſequitur, gratis à Deo deſtinatur.

Et verò non alia de cauſa Deus quibuſdam perſeverantiam concedit, quàm quòd eos gratis prædeſtinavit ad gloriam; aliis verò denegat, quòd negativè ſaltem reprobati ſunt. Quippè cùm donum perſeverantiæ gratuitum ſit, & immediatè cum gloria conjungatur, non poteſt alia ratio aſſignari, cur aliquibus concedatur, & aliis non concedatur, quàm quòd alii ſunt ad gloriam gratis electi, alii verò ab ea excluſi. Neque magis offendi debet animus Chriſtianus ex prædeſtinatione abſoluta ad gloriam ante præviſa merita, quàm ex prædeſtinatione planè gratuita ad finalem perſeverantiam; quidquid enim durum & ad intelligendum difficile videtur in una, occurrit & in altera.

Reſp. nego ant. Ad probationem ex S. Auguſtino

Dico 1. ſanctum Doctorem loqui dumtaxat de prædeſtinatione totali & adæquata ſecundùm omnes ipſius effectus, inter quos eſt & ipſamet gloria ſeu vita æterna; ac contendere contra Pelagianos, quos ex profeſſo impugnat, omnes illos effectus divinæ gratiæ tribuendos eſſe, non meritis naturæ, ſicut illi hæretici contendebant. Utrum verò inter effectus illos aliquis ſit ordo prioritatis & cauſalitatis; & utrum intentio abſoluta & efficax gloriæ, ſit cauſa beneficiorum gratiæ, quibus electi donantur in tempore, non quærit nec ſtatuit ſanctus Doctor, cùm hæc quæſtio prorſus extranea foret ſuſceptæ adverſùs Pelagianos diſputationi. In hoc igitur unicè intentus erat, ut oſten-

deret

deret vocationem secundùm Dei propositum (quibus verbis universos complectebatur prædestinationis effectus) planè gratuitam esse; eamque in tempore executioni certissimè mandari, collatis sigillatim iis effectibus, seu donis gratiæ, quæ ab æterno electis sunt præordinata & destinata. Quòd si pugnaciter contenderent adversarii, gloriam in mente Sancti Doctoris gratis à Deo destinari, efficerent etiam eam gratis in executione conferri; quia citato loco nullatenus distinguit sanctus Doctor inter intentionem seu præparationem gloriæ, & ejus actualem collationem: simpliciter enim de illa, ut & de cæteris prædestinationis effectibus, pronuntiat, gratuitam illam esse, nec in meritis naturalibus subnixam. Non alium esse Augustini scopum facilè deprehendet, qui ad ipsum cap. 7. Lib. de corrept. & grat. unde objectio petitur, vel leviter attenderit. Nu. 13. sic loquitur Sanctus Doctor. *Quoniam secundùm propositum vocati sunt, profectò & electi sunt per electionem, ut dictum est, gratiæ, non præcedentium meritorum suorum; quia gratis illis est omne meritum.* Et paulò antè: *Hæc omnia operatur in eis, qui vasa misericordiæ operatus est eos, qui & elegit eos in Filio suo ante constitutionem mundi per electionem gratiæ.* *Ibid. p. 757. C.* *Ibid. B. C.*

Dico 2. Inter plures effectus vocationis Dei secundùm propositum, S. Aug. Lib. de corr. & gratia potissimùm agere de dono finalis perseverantiæ, quod præcipuum est, cæterosque vocationis effectus includit. Scilicet data opera demonstrat cap. 6. 7. & 8. finalem perseverantiam magnum illud esse Dei donum quod gratis à Deo conceditur; nihilominus tamen tolerandos non esse, qui causabantur se corripi non debere, eò quòd in accepto bono non perseverassent, quia perseverantiam illam non accepissent. *Negare non possumus*, ait S. Augustinus cap. 6. nu. 10. *etiam perseverantiam in bono proficientem usque in finem, magnum esse Dei munus: nec esse nisi ab illo, de quo scriptum est, Omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum: sed non ideo est ejus qui non perseveraverit, negligenda correptio.* Et paulò infrà nu. 11. *Justior videtur excusatio dicentium, Non accepimus audientiam, quàm dicentium, Non accepimus perseverantiam: quoniam potest dici; Homo in eo quod audieras & tenueras, in eo perseverares si velles.* *Ibid. p. 755. A.* *Ibid. p. 756. D.*

Cùm autem illa finalis perseverantia prorsus gratuita sit, atque cum gloria immediatè conjungatur, mirum non est, si S. Aug. de gloria loquatur tanquam de proximo & immediato fructu perseverantiæ; nec tamen inde inferri meritò potest, prædestinationem ad gloriam in mente ac consilio Dei gratuitam esse, quemadmodum gratuita est finalis perseverantia. Plùs certè, quàm vel ipsi adversarii velint, inde probaretur; nempe gloriam non tantùm in intentione, sed etiam in executione omnino gratuitam esse, sicut omnino gratuita est etiam in executione finalis perseverantia. Hic unus igitur scopus erat sancti Doctoris, prædestinationem ad gloriam non fieri ex prævisis naturæ meritis. Utrum verò fiat ex prævisis meritis gratiæ; & prior sit electio ad gloriam, quàm ad perseverantiam, aut vice versa, tametsi data opera non inquirat S. Doctor, obiter tamen insinuare videtur, priùs à Deo intendi ac destinari electis perseverantiam, quàm gloriam, quæ fructus est ac merces perseverantiæ. *Quis*, inquit cap. 6. Lib. de corrept. & grat. n. 10. *in æternam vitam potuit ordinari, nisi perseverantiæ dono?* Igitur propter prævi- *Ibid. p. 755. F.*

ſam finalem perſeverantiam, electi ordinantur in æternam vitam; ergo prædeſtinatio ad perſeverantiam prior eſt prædeſtinatione ad gloriam, non tantùm in executione, ſed etiam in intentione.

His ita expoſitis facilè diluuntur adducta momenta.

Ad primum diſtinguo conſeq. Gloria ſicut & alii effectus vocationis ſecundùm Dei propoſitum, ſunt gratuiti, per excluſionem meritorum naturalium, quod unum volebat S. Auguſtinus diſputans contra Pelagianos, concedo: per excluſionem meritorum gratiæ, nego. Aut ſaltem dico de hac quæſtione Auguſtinum expreſsè non egiſſe, nec quidquam data opera determinaſſe.

Ad ſecundum. Fatemur inter effectus completæ & adæquatæ prædeſtinationis, S. Auguſtinum & ipſam quoque gloriam, ſeu regnum & vitam æternam recenſuiſſe, quam meritò gratuitam eſſe docet, in radice ſcilicet & origine, quia fundatur in meritis, non quidem naturæ, ut docebant Semipelagiani, ſed gratiæ; quod unum poſtulabat ſuſceptæ controverſiæ ratio adverſùs Pelagianos & Semipelagianos, ut patet vel ex ipſis verbis citatis ex cap. 20. Lib. de prædeſt. Sanctorum. Utrum verò efficax electio ad gloriam præcedat vel ſequatur meritorum gratiæ prævisionem, de quo uno capite hic diſputamus, curæ non erat S. Auguſtino: quòd nempe, ut jam dictum eſt, quæſtio iſta ſuo propoſito extranea foret.

Ad tertium. Diſcrimen electionis Judæ ad effundendum ſanguinem Chriſti, & electionis Sanctorum ad gloriam, in eo maximè ſtat, quòd Deus Judæ malitiam non fecerit, ſed ſuppoſuerit, qua in bonum uſus eſt: electorum verò merita per ſuam gratiam ipſe faciat; unde iſti per miſericordiam, ille verò per judicium electus ab Auguſtino dicitur. An porrò ea merita gratiæ futura Deus priùs ſupponat, quàm efficaciter eligat ad gloriam, quæſtio eſt, ut ſæpè diximus, in Scholis agitata, de qua nihil ex profeſſo S. Auguſt. Quamquam & ex hoc ipſo S. Auguſtini teſtimonio, in gratiam Concluſionis noſtræ ſic arguere poſſumus: Sicut non elegit Deus Judam ad effundendum ſanguinem Chriſti, niſi poſt prævisam perverſæ voluntatis ipſius inclinationem ac determinationem; ita & juſtos ad gloriam efficaciter non deſtinavit, niſi poſt prævisa eorum merita beneficio gratiæ elicienda.

Ad quartum. Fatemur neminem propriè ſecundùm Dei propoſitum vocari & à maſſa perdita liberari, cui finalis non concedatur perſeverantia: fatemur & illam ſummum eſſe ac gratuitum Dei donum, quod nullis meritis de condigno debetur, adeoque gratis, quibus voluerit, illam à Deo concedi; nec aliam tanti collati muneris cauſam quærendam eſſe, quàm Dei voluntatem: ſed quid inde? gloriam, quæ cum finali perſeverantia immediatè conjuncta eſt, gratis etiam à Deo deſtinari? At malè omnino: aliàs, ut mox dictum fuit, etiam efficeres, eam & in ipſa executione gratis quoque concedi, quia ipſa finalis perſeverantia etiam in ordine executionis plane gratuita eſt. Non ergo valet abuna ad aliam illatio; atque falsò ſupponit objectio, perſeverantiam ideo electis concedi, quòd ſint ad gloriam prædeſtinati. Si ita eſſet, quærenti ab Auguſtino cur uni detur finalis perſeverantia, alteri verò non detur, facilè repoſuiſſet ſanctus Doctor, cauſam eſſe, quia unus eſt prædeſtinatus ad gloriam, non alter; at cauſam hanc ſe prorſus ignorare candidè fatetur, & ad unum divinæ voluntatis beneplacitum,

tum, cujus nulla ratio reddi poteſt, recurrit; *Noli quærere, ſi non vis errare.* Igitur accedere propiùs nobis videntur, & ad veritatem, & ad mentem S. Auguſtini, qui exiſtimant ex prævisa finali perſeverantia fieri prædeſtinationem ad gloriam. Licèt enim de condigno mereri perſeverantiam non poſſimus; at ſaltem de congruo per orationem impetrari à Deo poteſt. *Hoc donum*, ait S. Aug. *ſuppliciter emereri poteſt.* Prædeſtinatio igitur ad gloriam ſe habet ad merita gratiæ prævisa, ſicut perſeverantia ad orationem; ergo ſicut perſeverantia iis à Deo deſtinatur, qui eam ſuppliciter & aſſiduè poſtulant, ita & gloria iis, quorum futura per gratiam merita prævidentur.

At, inquies, in hac noſtra ſententia nihil occurrit ad intelligendum difficile, nihil durum & aſperum, omnia plana ſunt & facilia, contra expreſſam Apoſtoli ſententiam Rom. 11. v. 33. quam toties inculcat S. Aug. *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus!* Falleris: tametſi enim in hac noſtra ſententia non nullæ difficultates emolliantur, & ad quietem animarum magis accommodata illa videatur; quàm graves tamen ſuperſunt & inexhauſtæ queſtiones, quas inter mortales nemo unquam ſolvet! Quare enim ex multis efficacibus gratiæ auxiliis, quæ tali homini conferre Deus poſſet, cum quibus ſalvus fieret, ea tamen dumtaxat conferat, quibus non conſentiet; alteri verò ea, quibus prævidetur conſenſurus? Quare illum efficaciter trahat, non iſtum? *O altitudo!* Quare è duobus juſtis, unum ex hac vita rapiat dum juſtus eſt, alterum verò tentationum periculis obnoxium relinquat, quibus futurum eſt ut aliquando ſuccumbat, ac æternam incurrat damnationem? Quare uni etiam non oranti det perſeverantiam, alteri verò non det? *O altitudo!* Quare è duobus hominibus, unum, qui longè majoribus implicatus eſt ſceleribus, efficaciter convertat, alterum verò non ita malum ac ſceleſtum derelinquat? Denique, quare è duobus infantibus originali peccato æqualiter infectis, permittat unum baptiſari, antequam moriatur, alterum verò non baptiſari? *O altitudo! quàm incomprehenſibilia ſunt judicia Dei!*

Objicies 3. In mente ac doctrina S. Aug. prædeſtinatio ad gloriam eſt cauſa beneficiorum gratiæ quę electis ſecundùm propoſitum conferuntur; quemadmodum & reprobatio ſeu excluſio ab eadem gloria, cauſa eſt cur Deus ejuſmodi rejectis auxilia gratiæ denegat: atqui reipſa docet S. Aug. reprobationem à gloria eſſe cauſam cur Deus reprobis auxilia gratiæ deneget. Ita ſanctus Doctor Lib. de dono perſever. cap. 14. n. 35. ubi poſtquam dixit Tyrios & Sidonios *in maſſa perditionis juſto Dei judicio derelictos, Qui etiam*, inquit, *credere potuerunt. . . . ſed quoniam ut crederent, non erat eis datum, etiam unde crederent eſt negatum . . . . & altiore Dei judicio, à perditionis maſſa non ſunt gratiæ prædeſtinatione diſcreti, nec ipſa eis adhibita vel dicta divina vel facta, per quę poſſent credere . . . . Sed nec illis profuit quòd poterant credere, quia prædeſtinati non erant ab eo, cujus inſcrutabilia ſunt judicia.* *Ibid. p.* 840. A. *lb.* C.

Reſp. nego majorem, quæ falsò ſupponit reprobationem ſaltem negativam à gloria, cauſam eſſe, cur Deus reprobis auxilia gratiæ deneget. Patebit enim ex dicendis poſtea, nullam dari ejuſmodi negativam reprobationem; atque neminem excludi à gloria, niſi propter peccatum ſive originale, ſive actuale, ſive utrumque ſimul; neminem etiam omni penitus auxilio gratiæ

hac in vita destitui. Cur verò his potius quàm istis operantem & efficacem gratiam Deus conferat, *O altitudo!*

Ad probationem ex S. Augustino, dico revera S. Doctorem causam, cur Tyriis ac Sidoniis data non fuerit gratia fidei & conversionis, hanc referre, quæ certè proxima est ac immediata, quia nempe non erant illi ex prædestinatis sed ex reprobis. Sed quare non erant illi ex prædestinatis? an ex sola Dei voluntate? Absit; sed propter eorum peccata, in quorum justam punitionem gratias uberiores non concedit. Est igitur par conditio prædestinationis ac reprobationis; & sicut reprobatio fit ex prævisis peccatis, ita prædestinatio ex prævisis bonis gratiæ operibus. Utraque opus est justitiæ: cum isto tamen discrimine, quòd prædestinatio, qua parte fundatur in meritis gratiæ, gratuita dici possit, & opus misericordiæ; reprobatio verò fit omni ex parte opus justitiæ.

Instabis. S. Aug. cap. 7. jam citato Lib. de corrept. & grat. n. 16. asserit eos qui secundùm propositum vocati non sunt, à massa perditionis præscientia & prædestinatione Dei non liberari, etiam *eo ipso tempore quo bene* (*ibid. p. 758. E.*) *piè que vivunt*. Ergo in ea videtur esse sententia, vi reprobationis negativæ antecedentis reprobos, seu non vocatos secundùm propositum, omni penitus auxilio gratiæ destitutos esse.

Resp. distinguo ant. Asserit eos qui secundùm propositum vocati non sunt, à massa perditionis non liberari, liberatione totali, adæquata & perfecta quantùm ad omnes prædestinationis effectus, concedo: liberatione aliqua saltem inchoata, partiali & imperfecta, quantùm ad aliquem effectum prædestinationis, nego: & nego consequens. Agnoscit siquidem S. Doctor, ejusmodi reprobos interdum benè ac piè vivere; agnoscit per Baptismum aliquando eos regenerari; ergo aliquam in ipsis gratiam agnoscit.

Objicies 4. Eodem planè modo ex Augustino prædestinantur adulti, quo & ipsi parvuli: atqui parvuli antecedenter ad eorum merita prædestinantur ad gloriam; ergo & adulti.

Major propositio probatur ex S. Augustino, qui comparatione illa parvulorum & adultorum non semel utitur Lib. de dono persev. c. 9. n. 21. *Ex duobus*, (*ibid. p. 831. B.*) inquit, *parvulis originali peccato pariter obstrictis, cur iste assumatur, ille relinquatur; & ex duobus ætate jam grandibus impiis, cur iste ita vocetur, aut non ita vocetur, inscrutabilia sunt judicia Dei*. Et c. 11. n. 25. *Ex ore* (*ibid. p. 834. D.*) *infantium & lactentium suam perficit laudem: ut quod in his videmus quorum liberationem bona eorum merita nulla præcedunt, & in his quorum damnationem utrisque communia originalia sola præcedunt; hoc & in majoribus fieri nequaquam omnino cunctemur, id est, non putantes vel secundùm suæ merita gratiam cuiquam dari . . . . Cur autem causam parvulorum ad exemplum majorum* (*ibid. E.*) *sicut scribitis, non patiuntur afferri* (Massilienses . . .) *Nulla quippe merita*, ait c. 12. n. 29. *etiam secundùm ipsos Pelagianos, possunt in parvulis inveniri, cur alii eorum mittantur in regnum, alii verò absentur* (*ibid. p. 836. D. E.*) *à regno*. Quæ postrema verba denotant loqui Sanctum Doctorem de prædestinatione ad gloriam.

Resp. dist. maj. Eodem modo quantùm ad aliqua, prædestinantur adulti & parvuli, concedo; quantùm ad omnia, nego. In eo pares sunt adulti & parvuli quantùm ad prædestinationem etiam ad gloriam, quòd hæc in operibus

ribus seu meritis eorum naturalibus nullatenus innitatur, sed in una Christi gratia omnino gratuita, quod unum perpetuò intendit S. Aug. & manifestè declarant etiam citata verba sancti Doctoris ex cap. 9. Lib. de dono persev. & ista pariter cap. 12. n. 28. *Conficitur itaque gratiam Dei non secundùm merita accipientium dari, sed secundùm beneplacitum voluntatis ejus.* In eo quoque pares sunt adulti & parvuli, quòd utique prædestinentur ex meritis Christi ipsis applicatis: dispares verò in eo sunt, quòd parvulis sine propriis ac personalibus bonis operibus gloria conferatur, non autem adultis. Hoc exemplo parvulorum, qui per Baptismi gratiam ad regnum perducuntur, appositè utitur S. Augustinus contra Pelagianos & Semipelagianos, ut demonstret, nec gratiam, nec gloriam naturæ meritis retribui, quæ sanè nulla sunt tùm in adultis, tùm in parvulis. *Ib. A.*

Objicies 5. hæc sancti Doctoris verba excerpta ex Lib. de corrept. & grat. c. 14. n. 43. *Volenti salvum facere, nullum hominum resistit arbitrium. Sic enim velle seu nolle in volentis aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem. Etiam de his qui faciunt quæ non vult, facit ipse quæ vult.* Et paulò post n. 45. *Non est dubitandum, voluntati Dei . . . . . humanas voluntates non posse resistere, quò minùs faciat ipse quod vult.* Quibus verbis sanctus Doctor declarare videtur, Deum per solam gratiæ suæ vim & efficaciam electos suos salvare; ac consequenter gratis & ante prævisa eorum merita *Ibid. p. 774. G.* *Ib. E.*

Resp. istud S. Aug. testimonium non esse ad rem nostram præsentem. Non enim loquitur eò loci de prædestinatione ad gloriam, de qua una hìc est quæstio, sed de vi & efficacia gratiæ, quam ultro agnoscimus, cum qua rectè cohæret sententia prædestinationis ad gloriam ex prævisis meritis gratiæ: quia, ut sæpius à nobis observatum est, quæcunque supponatur esse virtus & efficacia gratiæ, certum est ex fide voluntatem posse semper ei dissentire si velit. Ergo, nostro intelligendi modo, priusquàm Deus decreto efficaci & absoluto statuat dare alicui gloriam per talem gratiam, necesse est præviderit reipsa voluntatem huic gratiæ consensuram esse.

Objicies 5. cum S. Aug. L. de prædest. SS. cap. 15. n. 30. exemplum prædestinationis Christi, quæ omnino gratuita fuit & ante omnia merita. *Est*, inquit sanctus Doctor, *præclarissimum lumen prædestinationis & gratiæ, ipse Salvator, ipse Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus: qui ut hoc esset, quibus tandem suis vel operum vel fidei præcedentibus meritis natura humana quæ in illo est comparavit?* *T. 10. p. 809. F.*

Resp. distinguo maj. Prædestinatio Christi est præclarissimum exemplar nostræ prædestinationis ad gratiam, quæ purè gratuita est, concedo: ad gloriam, subdistinguo: accidentalem, concedo: essentialem, nego. Itaque prædestinatio Christi est præclarissimum exemplar prædestinationis nostræ ad gratiam. Sicut enim nullis præcedentibus operibus gratiam conciliare nobis ac promereri possumus, ita nec gratiam unionis hypostaticæ cum Verbo mereri potuit humana Christi natura: *Quibus enim suis vel operum vel fidei præcedentibus meritis natura humana quæ in illo est comparavit?* Essentialem verò animæ felicitatem ac gloriam mereri non potuit humanitas Christi, quia vi unionis hypostaticæ debita ipsi erat, & à primo conceptionis instanti concessa. Ergo ex illa parte Christi prædestinatio esse non potest exemplar

prædestinationis nostræ, nisi saltem ratione termini; quia nempe ad eundem finem ac terminum tendere debemus: non verò ratione modi, quia per bona opera nostra gloriam comparare nobis ac mereri tenemur. Ergo quantùm ad accidentalem dumtaxat gloriam, nempe exaltationem nominis, manifestationem virtutis, Religionis splendorem ac propagationem &c. Christus præclarum nobis ad imitandum exemplar reliquit. *Christus passus est pro nobis*, ait S. Petrus Epist. 1. c. 2. v. 21. *vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Sicut ergo *oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam*, Luc. 24. v. 26. sicut *humiliavit semetipsum usque ad mortem, propter quod Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen.* Philip. 2. v. 8. & 9. ita & nos ad gloriam nonnisi per cruces, dolores & ærumnas pervenire possumus, ut Christo capiti nostro conformes simus. *Si tamen compatimur, ut & conglorificemur*, ait Apostolus Rom. 8. v. 17. *Si quis vult post me venire, tollat crucem suam & sequatur me.* Matth. 16. v. 24.

Objicies 6. Querimoniæ quas Semipelagiani excitarunt adversùs doctrinam S. Aug. in unam dumtaxat prædestinationem efficacem & absolutam ante omnem meritorum prævisionem cadere possunt: nemo quippe, si seriò agat, adversùs prædestinationem ex prævisis meritis objicere potest, quæ illi objiciebant referente S. Prospero in sua ad S. August. Epist. nu. 3. *Hoc*, inquiebat, *positum vocationis Dei, quo vel ante mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani, eligendorum & reficiendorum dicitur facta discretio, ut secundùm quod placuit Creatori, alii vasa honoris, alii vasa contumeliæ sint creati, & lapsis curam resurgendi adimere, & sanctis occasionem torporis adferre: eò quòd in utraque parte superfluus labor sit, si neque rejectus ulla industria possit intrare, neque electus ulla negligentia possit excidere . . . . Removeri itaque omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates: & sub hoc prædestinationis nomine fatalem quamdam induci necessitatem.* 7. 2. p. 821. E. F. 7. 10. p. 779. ib. G.

Accedit & ipsemet S. Prosper qui in eadem Epist. n. 8. sollicitè ab Augustino scisciatur cur *retractatis priorum opinionibus, qui propositum & prædestinationem Dei secundùm præscientiam receperunt, ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem uniuscujusque prævideret, & sub ipso gratiæ adjutorio in qua futurus esset voluntate & actione præscierit.* Cur, inquam, his retractatis opinionibus, aliam ipse viam inierit? Qua certè interrogatione manifestè supponit S. Prosper, Augustinum à placitis suorum prædecessorum utcumque recessisse. Certum porrò est eum in iis non recessisse quæ fidei doctrinam spectant, necessitatem scilicet gratiæ prævenientis ad initium fidei & ad perseverantiam, exclusis quibuscumque prævisis meritis naturalibus. Ergo in eo dumtaxat capite recessisse videtur, quòd admiserit prædestinationem secundùm Dei propositum, hoc est, absolutam & antecedenter ad quæcumque merita etiam gratiæ prævisa, contra sententiam suorum prædecessorum, ut exponit S. Prosper. 7. 2. p. 824. F.

Resp. nego ant. Querimoniæ illæ Semipelagianorum non spectabant prædestinationem ad gloriam, de qua nulla ipsis erat cum Augustino concertatio, sed tantùm prædestinationem ad gratiam, scilicet primæ fidei & perseverantiæ finalis; initium quippe & finem salutis libero nostro illi tribuebant arbitrio.

I. Cir-

I. Circa initium fidei in eo peccabant, quòd non à gratia præveniente, ſed à pio quodam & naturali ad credendum affectu illud eſſe contenderent; quòd aliter, nec libertati, nec induſtriæ, laboriac virtutibus, ut putabant, locus relinqueretur. Non poterant illi concipere, qua ratione libertas ſalva & integra remaneret, ſi voluntas aliquo præveniente ad credendum auxilio indigeret: quapropter libertatem ab Auguſtino deſtrui obtendebant, eumque Manichæiſmi inverecundè accuſabant; rati ex vocatione illa ſecundùm Dei propoſitum, de qua toties ſanctus Doctor, fatalem quamdam induci neceſſitatem. Nondum ſcilicet intellexerant in mente S. Auguſtini certitudinem & infallibilitatem vocationis ſecundùm Dei propoſitum, oriri ab ejus præſcientia quæ falli non poteſt. *Horum* (nempe prædeſtinatorum) *ſi quiſquam perit*, ait S. Aug. Lib. de corrept. & gratia c. 7. *fallitur Deus; ſed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus.* En certitudo prædeſtinationis ex præſcientia. Addit ſanctus Doctor ibidem, & certitudinem ex vi & efficacia meritorum. *Horum ſi quiſquam perit, vitio humano vincitur Deus; ſed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus.* T. 10. p. 741. G. ibid. p. 758. A.

Initium quidem fidei libero arbitrio tribuebant Semipelagiani; incrementum verò illius à gratia eſſe fatebantur. Ita S. Aug. Lib. de prædeſt. SS. cap. 2. n. 3. *Nunc*, inquit, *eis reſpondendum eſſe video, qui divina teſtimonia quæ de hac re adhibuimus, ad hoc dicunt valere, ut noverimus ex nobis quidem nos habere ipſam fidem, ſed incrementum ejus ex Deo: tanquam fides non ab ipſo donetur nobis, ſed ab ipſo tantùm augeatur in nobis, eo merito, quo cœpit à nobis.* ibid. p. 691. D.

Prædeſtinationem verò ex præviſis meritis gratiæ ſic illi admittebant, ut eam in merito quodam naturali primitùs ſubnixam putarent. Non negabant illi neceſſariam eſſe gratiam ad omne opus bonum vel incipiendum vel perficiendum; teſte S. Aug. Lib. de prædeſt. SS. cap. 1. n. 2. ſed ad initium fidei, quod idcirco inter opera bona non computabant.

II. Circa finalem perſeverantiam errabant Semipelagiani & in jure, & in facto, ut ſuprà diximus. In jure quidem, quòd eam à ſolo libero arbitrio eſſe ſine gratia exiſtimarent: in facto, quòd Auguſtini mentem aut non intelligerent, aut perversè interpretarentur; quam tamen dilucidè paucis his verbis concludit Lib. de dono perſever. c. 13. n. 33. *Satis*, inquit, *dilucidè oſtenditur, & inchoandi, & uſque in finem perſeverandi gratiam Dei non ſecundùm merita noſtra dari; ſed dari ſecundùm ipſius ſecretiſſimam, eandemque juſtiſſimam, ſapientiſſimam, beneficentiſſimam voluntatem.* His duobus capitibus, neceſſitate ſcilicet gratiæ ad initium & ad finem ſalutis, tota concludebatur S. Auguſtini cum Semipelagianis diſputatio. ibid. p. 8. 8. E.

Reſp. 2. Mirum videri non debere, ſi Maſſilienſes in re obſcura & implicata Auguſtini ſententiam minùs perſpectam habuerint, & ex illa malè intellecta tot deduxerint abſurda & incommoda; quandoquidem fatetur vel ipſemet S. Aug. Lib. de Gratia Chriſti c. 47. *Iſtam quæſtionem, ubi de arbitrio voluntatis & Dei gratia diſputatur, ita eſſe ad diſcernendum difficilem, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem aſſeritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.* Imò & ipſe Auguſtinus priuſquàm Epiſcopus fieret, & quæſtionem iſtam ex profeſſo ventilaſſet, verſabatur in illo ipſo Semipelagianorum errore circa initium fidei, exiſti- ibid. p. 150. G.

mans illud ab homine, non à Deo esse; ac meritis humanis retribui, non autem gratis concedi. Ita ingenuè de se ipso fatetur vir modestus Lib. de prædest. SS. cap. 3. initio.

Inde concludimus tùm Massilienses, tùm & ipsum S. Prosperum in re facti decipi potuisse, & deceptos esse, si revera putarunt S. Doctorem à placitis suorum prædecessorum circa prædestinationem ex meritis gratiæ recessisse, à qua reipsa non recessit; nec alio sensu illam gratuitam esse, tanquam fidei nostræ caput contra novos hæreticos propugnavit, quàm quòd excluderet merita naturalia. Quapropter Prospero scitanti an reipsa retracta tis priorum opinionibus, prædestinationem absolutam ante prævisa merita gratiæ admiserit, nihil repositi sanctus Doctor; quòd nempe, ut jam diximus, parvi momenti hæc sibi videretur quæstio, & extra propositum suum, quod unum versabatur circa prædestinationem ex meritis naturalibus confutandam & funditus evertendam. Adde quòd non pauca scripserit sanctus Augustinus, quæ prima fronte favere videntur sententiæ prædestinationis gratuitæ ante omnia merita etiam gratiæ prævisa; quare facile cuique fuit in ea facti quæstione decipi, verumque non assequi S. Doctoris sensum.

Objicies 7. auctoritatem SS. Prosperi & Fulgentii.

569. S. Prosper Lib. 1. de vocatione omnium gentium c. 17. (si tamen hujus Operis auctor est) *Sunt*, inquit, *qui longam agentes in flagitiis & sceleribus ætatem, sacramento baptismatis Christi in ipso vitæ fine renovantur, & sine ullo suffragio*
P. 912. D. *bonorum operum in regni cœlestis consortium transferuntur.* Et Lib. 2. c. 35. *Deus*, inquit, *his quos elegit sine meritis, dat unde ornentur & meritis.*

Et in Epistola ad Rufinum c. 11. *Ex omni numero hominum*, inquit, *per se-*
P. 94. B. *cula cuncta natorum, certus apud Deum, definitusque est numerus prædestinati in vitam æternam populi, & secundùm propositum vocantis Dei electi.* Et ad
P. 231. C. Objectionem secundam Vincentianam: *Quòd multi*, inquit, *pereunt, pereuntium est meritum, quòd multi salvantur, salvantis est donum.* Et ad Objec-
P. 2. 36 B. tionem 11. *Ad prædestinationem eius*, inquit, (quæsit aut ad vitam, aut ad interitum) *nihil aliud referri potest, nisi quod aut ad debitam justitiæ retributionem, aut ad indebitam pertinet gratiæ largitatem.* Ergo, concludunt, prædestinatio quæ est ad vitam æternam, ex gratiæ largitate est; quemadmodum ea quæ est ad interitum sempiternum, est ex retributione justitiæ.

S. Fulgentius L. de fide ad Petrum c. 35. *Firmissimè tene .... omnes quos vasa*
P. 529. n. 75. *misericordiæ gratuita bonitate Deus facit, ante constitutionem mundi in adoptionem filiorum Dei prædestinatos à Deo: neque perire posse aliquem eorum quos*
P. 519. n. 40. *Deus prædestinavit ad regnum cœlorum.* Et c. 3. dixerat: *Illi cum Christo regnabunt, quos Deus gratuita bonitate sua prædestinavit ad regnum.* Et L. 3. de veritate prædest. c. 2. *Omnes prædestinati*, ait, *sic vocantur, ut justificentur; sic justificantur, ut glorificentur. Ac per hoc prædestinavit quos voluit,*
P. 482. n. 3. *& ad opera bona, & ad præmia sempiterna: prædestinavit ad vitam bonam, prædestinavit ad vitam æternam.*

Resp. ex citatis testimoniis & aliis hujusmodi benè multis quæ congerunt adversarii, nihil inferri quod Conclusioni nostræ adversetur.

S. Prosper Lib. 1. de vocatione gent. c. 17. hoc unum habet, esse nonnullos qui post longam in flagitiis transactam vitam, in fine convertuntur; & ardore ac vehementia contritionis; licèt non diuturnitate temporis, tot flagitia,

Deo

Deo miſerante, expungunt: ſed quid hęc ad prędeſtinationem ad gloriam ante vel poſt prævisa merita gratiæ? nihil profectò.

Lib. autem 2. c. 35. loquitur de gratia, quæ gratis à Deo conceditur, non meritis noſtris; alioquin gratia non eſſet: unde meritò dicit, *Quos Deus elegit ſine meritis, dat unde ornentur & meritis*; per gratiam ſcilicet Chriſti, unde oritur operum noſtrorum valor & pretium.

In Epiſtola ad Rufinum, verè dicit certum ac definitum eſſe numerum prædeſtinatorum ad gloriam; at qua ratione ſint illi prædeſtinati, an poſt, vel ante merita gratiæ previsa, non explicat S. Proſper. Ergo teſtimonium illud non eſt ad rem præſentem, ut & alia duo quæ ſubjiciuntur; ex quibus hoc unum extundi poteſt, ſalutem eternam gratiæ tribuendam eſſe: quis verò iſtud in dubium revocat? Noſtra etenim opera nullius pretii ſunt ac valoris ſine gratia Chriſti: quapropter vita æterna, quæ retribuitur meritis gratiæ, dicitur etiam gratia, nempe in radice & origine; aliunde tamen certum eſt, vitam æternam titulo juſtitiæ noſtris bonis operibus tanquam præmium ac mercedem rependi, unde & gratiæ & juſtitiæ ſimul opus eſt.

S. Fulgentius L. de fide ad Petrum cap. 35. hoc unum docet quod certiſſimum eſt, neminem ex predeſtinatis perire: at unde repetenda ſit illa divinæ prędeſtinationis certitudo, an ex decreto Dei abſoluto & antecedente omnem futuri pręſcientiam, an ex pręſcientia quæ decretum Dei antecedat, non exponit ſanctus Doctor. Ab iſta tamen queſtione, tanquam à principio & fundamento, pręſens controverſia tota dependet.

Ex capite verò 3. ejuſdem Libri nihil aliud efficere poteris quàm quod omnes fatentur Catholici, Deum nos eligere ac prædeſtinare ſine ullis noſtris meritis & operibus, ſed ex gratuita ſua bonitate, qua gratiam nobis largitur unde benè operari & gloriam promereri poſſumus.

Lib. 3. de veritate prædeſt. cap. 2. agit de prędeſtinatione completa & adæquata quoad omnes effectus: quis porrò ſit inter illos cauſalitatis & prioritatis ordo, an prior ſit in Deo voluntas dandæ glorię quàm gratiæ, an è contra; non exponit Fulgentius.

Objectiones ex Sancto Thoma.

Objicies 1. 1. p. q. 23. art. 4. in corp. ait, *prædeſtinationem aliquorum in ſalutem æternam, præſupponere ſecundùm rationem, quòd Deus velit illorum ſalutem*. Ergo Deus priùs vult alicui ſalutem ęternam tanquam finem, quàm media quibus illam aſſequitur.

Reſp. S. Doctorem loqui de voluntate ſalutis aliquorum completa & adęquata, id eſt, quæ ad gloriam & gratiam ſimul feratur; quæ certè voluntas in Deo antecedit actualem gratiæ & gloriæ collationem: nos verò in preſenti controverſia loquimur de voluntate ſalvandi aliquos, ſeu de prędeſtinatione partiali & inadęquata quæ ſit dumtaxat ad gloriam. Hanc verò ex previsis meritis fieri, docuiſſe videtur S. Thomas iis in locis quæ ſuprà laudavimus.

Objicies 2. Eadem quæſtione art. 4. ad 2. S. Doctor ait, *Quòd quando voluntas eligentis provocatur ad eligendum à bono in re præexiſtente, tunc oportet quòd electio ſit eorum quæ ſunt*, (id eſt ob merita) *ſicut accidit in electione noſtra*:

noſtra: ſed in Deo eſt aliter, ut dictum eſt. Et ideo, ut dicit Auguſtinus, Eliguntur à Deo qui non ſunt, neque tamen errat qui eligit. Ergo in mente S. Thomæ, prædeſtinatio ad gloriam non ſupponit merita.

Reſp. S. Doctorem ibi loqui de prædeſtinatione adæquata ad gratiam ſimul & ad gloriam; non autem ad ſolam gloriam, de qua una hic quæſtio movetur. Patet ex reſponſione S. Thomæ ad 1. ejuſdem articuli: loquens enim de electione illa, ſeu communicatione divinæ bonitatis quæ eſt in prædeſtinatione, includit in illa collationem gratiæ & gloriæ. Et reipſa hoc in articulo, imò tota quæſtione 23. tractat de prædeſtinatione totali & adæquata ad gratiam ſimul & gloriam: quæ igitur inde nobis opponuntur, ad rem præſentem non faciunt.

Objicies 3. Eadem quæſt. art. 5. ad 4. *Quare*, ait ſanctus Doctor, *hos elegit ad gloriam, & illos reprobavit, non habet rationem niſi divinam voluntatem.*

Reſp. diſtinguo: cùm agitur de prædeſtinatione & reprobatione comparatè, unius nempe præ alio, concedo: abſolutè, nego: aliàs efficeres aliquem à Deo poſitivè reprobari ex ſola Dei voluntate abſque ullis ex parte reprobi demeritis, quod certè falſiſſimum eſt. Loqui verò S. Thomam de prædeſtinatione & reprobatione comparatè, oſtendunt non tantùm verba laudata, ſed & iſta quæ in confirmationem ex Auguſtino adducit. *Quare hunc trahit, & illum non trahat, noli velle diiudicare, ſi non vis errare,*

T. 12. p. 633. col. 2. B. Objicies 4. q. 9. de veritate art. 2. *Quòd Deus*, ait S. Thomas, *velit aliqui dare gratiam & gloriam, hoc ex mera liberalitate procedit.* Et in cap. 9. Epiſt. ad Rom. Lect. 3. *Non poteſt eſſe*, ait, *quòd merita conſequentia gratiam ſint ratio miſerendi aut prædeſtinandi, ſed ſola Dei voluntas, ſecundum quàm miſericorditer aliquos liberat.* Denique ſuper caput 1. Epiſt. ad Epheſ. expo-

T. 18. p. 87. col. 2. E.

Ibid. p. 40. col. 1. E. nens iſta, *In quo nos ſorte vocati ſumus. Ponit*, inquit, (Apoſtolus) *voluntariam Dei prædeſtinationem.... Cujus quidem prædeſtinationis ratio non ſunt merita noſtra, ſed mera Dei voluntas.*

Reſp. his in locis manifeſtè S. Thomam loqui de prædeſtinatione ad gratiam, quæ certè purè gratuita eſt, nec ullum ſupponit ex parte prædeſtinati meritum: hìc verò loquimur de prædeſtinatione dumtaxat ad gloriam. Utramque autem apprimè diſtinguit ſanctus Doctor loco inter probationes citato ex Commentario in Epiſtolam ad Romanos cap. 8. lectione 6. Verba conſule.

Objicies denique auctoritatem Facultatum Pariſienſis & Lovanienſis, ac multorum è Schola Theologorum. Facultas Theologica Pariſienſis an. 1347. tres iſtos articulos Joannis de Mercuria proſcripſit: 1. *Quòd propter opera alicujus futura Deus præordinavit aliquem ab æterno.* 2. *Quòd aliquis prædeſtinatus eſt ab æterno propter uſum liberi arbitrii, quem Deus præſcivit eum habiturum.* 3. *Quòd non ſic gratis & miſericorditer Deus prædeſtinavit illum quem prædeſtinavit, quin & pro omnibus bonis ipſius futuris vel alterius.* Ita Eſtius in 1. diſt. 41. part. 4. in fine. Facultas pariter Theologica Lovanienſis & Duacena in ſuis publicis cenſuris ſententiam gratuitæ prædeſtinationis ad gloriam approbant & amplectuntur, quibus adſtipulatur inſignium Scholaſticorum multitudo tanta, ut ferè hæc videatur eſſe communis Scholæ ſententia.

Pag. 379. *Nec enim*, ait Melchior Canus, de Locis L. 8. c. 1. *minima Scholæ auctoritas eſſe poteſt, quam parvi facere nemo ſine fidei deſcrimine poteſt.*

Reſp.

Reſp. cenſuram ſacræ Facultatis Pariſienſis ad quæſtionem noſtram nullatenus pertinere: nullus etenim eſt ex tribus citatis articulis, qui de prædeſtinatione gratuita ad gloriam mentionem habeat. Tres autem illi articuli meritò proſcripti ſunt, quòd ad erroneum ſenſum Semipelagianorum trahi & inflecti poſſint; nempe futurum, etiam per gratiam, voluntatis conſenſum cauſam eſſe, regulam & motivum, quo Deus certò excitatur ad gratiam illis conferendam, quos prævidet ea benè aliquando uſuros: qui error Semipelagianorum fuit, ut non ſemel obſervavimus. Addit tertius articulus, aliquem à Deo prædeſtinari, non tantùm pro bonis ipſius futuris operibus, ſed etiam *alterius*; quod certè æquivocum eſt, atque erroneum ſenſum pati poteſt, aliquem ſcilicet prædeſtinari propter aliena merita. Poſſunt equidem aliorum merita divinam flectere miſericordiam, & gratiam pro aliquo impetrare; ſed non poteſt quis ex meritis alienis æternam ſalutem mereri; niſi ſaltem ex Chriſti meritis ipſi applicatis: verùm ſic applicata, non ſunt aliena, ſed propria ob liberam divinæ gratiæ voluntatis creatæ cooperationem.

Lovanienſes ac Duacenſes Theologi amplectuntur quidem ſententim gratuitæ prædeſtinationis ad gloriam; at contrariam velut errorem non damnant, nec damnare jure meritò poſſunt, cùm ſalva fide in Scholis Catholicis propugnetur.

Unde cùm Theologi Lovanienſes data ad Innocentium XII. Epiſtola ab ipſo poſtulaſſent ut Majorum ſuorum cenſuram, in qua prædeſtinatio ad gloriam gratuita defenditur, Sedes Apoſtolica ſuo judicio comprobare vellet, S. Pontifex ſic reſpondit: *Veſtram erga S. Petri Cathedram obſervantiam ſummopere collaudamus: verùm quia S. Celeſtinus ad Gallos reſcripſit, profundiores difficilioreſque partes incurrentium quæſtionum, quas latiùs pertractaverunt, qui hæreticis reſtiterunt, ſicut non audemus contemnere, ita non neceſſe habemus adſtruere: non arbitramur opportunum ut in præſens habeatur exactior illa de divinis auxiliis tractatio, quæ à prædeceſſoribus noſtris Clemente VIII. & Paulo V. inſtituta fuit.*

Illis verò Scholæ Theologis qui magno, ut ajunt, numero nobis adverſantur, opponimus alios qui numero fortè majori (neque enim omnes expendimus) in contrariam ſententiam abjere. Accuratum ex utraque parte eorum Theologorum Catalogum texuit ordine temporis digeſtum, ac ſententiam uniuſcujuſque recenſuit, clariſſimus & eruditus Theologus Pariſienſis è Societate Sorbonica Carolus Duplefſis Dargentrè Epiſcopus Tullenſis, in Opere cui titulum fecit, Commentarium Hiſtoricum de prædeſtinatione ad gloriam & reprobationem; ex quo manifeſtum eſt, varias in partes Theologos Scholæ circa præſentem controverſiam diſtractos eſſe, & unicuique liberum ſalva fide, quam voluerit amplecti.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Ex rationibus Theologicis.

Objicies 1. Qui ordinatè ac ſapienter vult, prius intendit finem quàm media; ſiquidem movetur ad electionem mediorum ex voluntate finis: atqui Deus ordinatè ac ſapienter vult; ergo priùs intendit gloriam, quæ

quæ finis eſt hominis, quàm merita ſeu media gratiæ per quæ finis obtinetur.

Reſp. 1. nego maj. Namque Deus ordinatè ac ſapienter ſemper vult, nec aliter velle poteſt: atqui tamen non ſemper vult finem priùs quàm media. Patet exemplo prædeſtinationis Angelorum, quam multi ex iis qui à nobis hic diſſentiunt, cenſent factam ex prævisis meritis; ergo qui ordinatè ac ſapienter vult, non ſemper priùs vult finem quàm media.

Reſp. 2. diſtinguo eamdem majorem propoſitionem: Qui ordinatè ac ſapienter vult finem ſub unica ratione finis, eumque vult efficaciter & abſolutè; ille priùs vult finem quàm media, eſto: qui vult finem ſeu gloriam non ſub unica ratione finis, ſed ſub ratione etiam præmii, coronæ atque mercedis, eamque vult conditionatè ſaltem ex parte creaturæ, non efficaciter & abſolutè, nego. Porrò cùm Deus ad gloriam homines prædeſtinat, gloriam non intendit ſub unica finis ratione, neque abſolutè; ſed ſub ratione mercedis ac præmii, & conditionatè ex parte hominum, ſi nempe velint homines divino gratiæ auxilio adjuti ea exequi quæ neceſſaria ſunt ut ad beatum illum finem, & ad laborum debitam mercedem perveniant.

Inſtabis. Vita æterna non ſolùm habet rationem mercedis, ſed etiam hæreditatis; ergo licèt Deus non velit illam efficaciter dare per modum mercedis niſi poſt prævisa merita, vult tamen efficaciter dare per modum hæreditatis ante previsa merita.

Reſp. diſtinguo ant. Sed etiam hæreditatis, jure adoptionis, concedo: jure nativitatis, nego. Porro ad hæreditatem jure adoptionis capeſcendam, non tantùm requiritur adoptio in filios Dei, quæ fit per gratiam ſanctificantem: *Ut juſtificati gratia ipſius, hæredes ſimus ſecundùm ſpem vitæ æternæ*, ait Apoſtolus ad Titum 3. v. 7. ſed etiam ut per bona opera acquiramus aditum ad hereditatem. *Si filii & hæredes; hæredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur.* Rom. 8. v. 17. Quaſi dicat Apoſtolus: Sumus quidem hæredes in ſpe & jure adoptionis, ſed tamen hæreditatem adire non poſſumus niſi per bona opera. Quapropter S. Petrus 2. Epiſt. c. 1. v. 10. *Satagite ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis.*

Objicies 2. Electio mediorum ad finem certò & efficaciter conducentium ſupponit efficacem finis intentionem qua quis movetur ad illa media efficacia eligenda: atqui Deus electis ſuis deſtinat ac confert media gratiæ certò ac efficaciter ad finem, id eſt gloriam, conducentia; ergo Deus efficacem habet intentionem dandi gloriam hujuſmodi electis ſeu prædeſtinatis.

Reſp. 1. nego maj. Multis quippe reprobis nonnulla interdum efficaciora auxilia gratiæ conferuntur, quàm electis, ſi unam excipias filalem perſeverantiam; nec tamen Deus erga illos reprobos efficacem & abſolutam habet gloriæ conferendæ intentionem: ergo electio mediorum efficacium non ſemper ſupponit efficacem & abſolutam finis intentionem.

Reſp. 2. diſtinguo maj. Electio mediorum ad finem certò & efficaciter conducentium, vi & efficacia abſoluta antecedente omnino independente, etiam in actu ſecundo, à libera voluntatis cooperatione, concedo: ſecùs, nego. Ratio eſt, quia quoties medium ad finem hujuſmodi eſt ut voluntas creata poſſit illud reſpuere, non poteſt priùs efficaciter intendi ac deſtinari finis, quàm prævideatur non reſtitura, ſeu conſenſura voluntas: atqui quæcun-

cunque ſupponatur gratiæ vis & efficacia, de fide eſt voluntatem ſemper poſſe ipſi diſſentiri ſi velit; ergo priùs quàm abſolutè & efficaciter ipſi decernatur finis, prævideri debet an reipſa hujuſmodi auxiliis gratiæ ſit conſenſura vel non.

Inſtabis 1. Non ſemel diximus Deum ex ſingulari prædilectione, inter multa gratiæ auxilia ea ſeligere ac nonnullis conferre, quibus prævidet eos conſenſuros adeoque certò ſalvandos eſſe: atqui hæc mediorum efficacium in gratiam nonnullorum electio ac collatio, aliunde oriri non poteſt quàm ex efficaci intentione ſeu voluntate finis; ergo Deus priùs efficaciter vult ac decernit finem quàm media.

Reſp. diſtinguo min. Hæc mediorum efficacium electio aliunde oriri non poteſt, quàm ex efficaci finis intentione, quæ ſequatur prævisionem futuri ſub conditione voluntatis conſenſus, concedo: quæ antecedat, nego. Porrò ex dictis, illa efficax intentio ſeu voluntas finis ſupponit, non antevertit prævisum ſub conditione voluntatis conſenſum.

Inſtabis 2. Eſto ita ſit: at ſaltem iſtud ratum ſemper ac fixum eſt, non alia de cauſa Deum moveri ad illa efficacia gratiæ media uni potiùs quàm alteri; Petro v. g. potius quàm Paulo, conferenda, (licèt utriuſque futurum ſub conditione conſenſum prævideat) quàm quòd Petro efficaciter ſalutem velit, non Paulo: quæ enim alia poſſet afferri ratio & cauſa?

Reſp. Non aliam hìc præter Dei voluntatem quærendam eſſe cauſam: dividit enim Deus dona ſua prout vult; uni decem talenta, alteri quinque, aliis unum. Inæqualitas autem illa in donis non oritur præcisè ex efficaci voluntate dandi uni potius quàm alteri gloriam, ſed potius voluntas dandi gloriam vel ab illa excludendi oriri videtur ex prævisо bono vel malo gratiarum uſu.

Verùm jam monuimus, quòd ſi de uno dumtaxat ordine decretorum Dei hìc ageretur, an nempe, noſtro concipiendi modo, Deus priùs velit finem ſeu gloriam, quàm media ſeu merita gratiæ; aut è contra priùs illa media, quàm finem; vel, ut aliqui dicunt, ſimul eodemque rationis inſtanti & finem & media intendat & velit, leviſſimi momenti videretur nobis iſta quæſtio. At iſtud longè graviſſimum ac ferè unicum ſolidum eſt noſtræ diſputationis objectum, utrum ſcilicet Deus decreto efficaci, abſoluto & antecedente prævisum ſub conditione gratiæ futurum voluntatis conſenſum, nonnullis & gloriam, & infallibilia ex ſeſe gratiæ media deſtinet ac conferat; an verò ea deſtinet ac conferat poſt prævisum ſub conditione futurum voluntatis conſenſum: uno verbo, utrum decretum prædeſtinationis antevertat ſcientiam conditionatorum, an potius illam ſequatur, per quam dirigitur. En cardo controverſiæ quæ tota eò tendit, ut explicetur quomodo arbitrii libertas ſtet & concilietur cum decreto prædeſtinationis & gratia. In eorum autem opinione, qui exiſtimant ſcientiam conditionatorum decreto prædeſtinationis priorem eſſe, ex æquo ac ſine ullo ſanioris doctrinæ periculo, defenditur prædeſtinatio ſive ante, ſive poſt merita prævisa: parumque intereſſe videtur, quam volueris partem amplecti.

Inſtabis 3. Debet eſſe proportio inter finis intentionem, & electionem mediorum; ergo electio mediorum efficacium ſupponit & arguit efficacem finis intentionem.

Reſp.

Resp. distinguo ant. Debet esse proportio aliqua inter finis intentionem & electionem mediorum, hoc sensu quòd media eligantur ex intentione saltem generali finis, concedo: proportione omnimoda, quasi electio mediorum efficacium semper oriatur ex intentione absoluta & efficaci finis, nego.

Instabis 4. Ex intentione finis efficaci & absoluta oriri non potest electio mediorum inefficacium; ergo nec ex intentione finis inefficaci electio mediorum efficacium.

Resp. nego consequens & paritatem. Disparitas est, quia electio mediorum inefficacium arguit in agente vel imprudentiam, si priùs velit efficaciter finem, quàm ipsi presto sint media ad illum assequendum efficacia; vel impotentiam, si hæc media non habeat in sua potestate; & consequenter in agente perfectissimo stare simul non potest efficax intentio finis cum electione mediorum inefficacium. At ex intentione finis inefficaci nihil obstat oriri electionem mediorum efficacium, maximè cùm illa intentio finis ex parte volentis sincera est & efficax, conditionata dumtaxat ex parte creaturę, qualis in Deo est voluntas generalis & antecedens salvandi omnes.

Instabis 5. Ipsa saltem finalis in bono perseverantia, quę immediatè conjungitur cum gloria, nonnisi ex intentione absoluta & efficaci glorię aliquibus pręaliis conceditur. Est enim finalis perseverantia *magnum illud donum*, ut loquitur Conc. Trid. Sess. 6. Can. 16. *quod aliunde haberi non potest, nisi ab eo qui potens est eum qui stat statuere, ut perseveranter stet, & eum qui cadit restituere*, ut idem Concilium eadem Sess. cap. 13. declarat. Neque enim donum illud mereri possumus, sed gratis Deus quibus voluerit largitur. Ita sentire videtur S. Augustinus, cùm solis filiis Dei prædestinatis illam dari affirmat Lib. de correp. & gratia c. 9. *Nec nos moveat*, inquit, *quòd filiis suis quibusdam Deus non dat istam perseverantiam. Absit etiam ut ita esset, si de illis prædestinatis essent, & secundùm propositum vocatis, qui verè sunt filii promissionis.*

Conc. p. 766. A. — T. 14. — ib. p. 7. 2. B. — T. 10. p. 760. F.

Resp. nego ant. finalis enim perseverantiæ *donum suppliciter emereri potest, licèt cùm datum fuerit amitti contumaciter non possit*, ait S. Aug. Lib. de dono pers. c. 6. n. 10. Ergo cùm Deus non prædestinet ad gloriam, nisi postquam vidit futurum ut justus donum perseverantiæ suis orationibus aliisque piis operibus sit impetraturus, consequenter non priùs destinat ad gloriam, quàm ad perseverantiam: id tamen obstat, quin perseverantia finalis magnum sit & dicatur Dei donum, non tantùm passivè sumpta, pro unione mortis cum statu gratiæ justificantis; sed etiam activè, pro continuatione in bonis operibus, ut à nobis suprà probatum est.

Ibid. p. 816. G.

Sanctus Augustinus loco citato asserit quidem perseverantiam solis filiis Dei secundùm propositum vocatis dari; at non explicat eò loci, an illi priùs ad gloriam quàm ad perseverantiam, aut vice versa, priùs ad perseverantiam quàm ad gloriam prædestinati sint, quod unum hìc à nobis quæritur.

ARTI-


image
not
available

tio & fuga omnium occaſionum in quibus ſuccumberet humana fragilitas, quod certè beneficii loco haberi debet. *Adulter non fuiſti*, ait S. Aug. ſermone 99. aliàs 23. inter 50. *in illa vita preterita.... Hæc tibi dicit Deus tuus:* T. 5. p. 823. F. *Regebam te mihi, ſervabam te mihi. Ut adulterum non committeres, ſuaſor non fuit: ut ſuaſor deeſſet, ego feci: locus & tempus defuit; & ut hæc deeſſent, ego feci. Adfuit ſuaſor, non defuit locus, non defuit tempus: ut non conſentires ego terrui. Agnoſce ergo gratiam ejus, cui debes & quod non admiſiſti.*

Dices 1. Vocatio & juſtificatio nonnullis etiam reprobis communis eſt: *Multi ſunt vocati, pauci verò electi*, Matth. 20. v. 16.

Reſp. non quamlibet vocationem & juſtificationem inter veros prædeſtinationis effectus computari debere; ſed eam dumtaxat quæ, ut loquitur S. Auguſtinus, *eſt ſecundùm Dei propoſitum*: id eſt, quæ ad vitam æternam certiſſimè perducit. *Quos prædeſtinavit*, ait ſanctus Doctor Lib. de prædeſt. SS. c. 17. *ipſos & vocavit*; *illa ſcilicet vocatione ſecundùm propoſitum: non* T. 10. f. 813. D. *ergo alios*. Et c. 7. Lib. de corrept. & gratia n. 14. de electis ait: *Ex iſtis nullus perit, quia omnes electi ſunt. Electi ſunt autem, quia ſecundùm propoſitum vocati ſunt: propoſitum autem, non ſuum, ſed Dei.* Et n. 16. *Quis neget eos electos, cùm credunt, & baptiſantur, & ſecundùm Deum vivunt? Planè dicuntur electi à neſcientibus quid futuri ſint, non ab illo qui eos novit non habere perſeverantiam quæ ad beatam vitam perducit electos, ſcitque illos ita ſtare, ut præſcierit eſſe caſuros.* Ib. 757. D. Ib. 758. F.

Dices 2. Gloria finis eſt prædeſtinationis; ergo non eſt effectus.

Reſp. nego conſequens. Sub diverſo quippe reſpectu gloria eſt finis & effectus prædeſtinationis: finis, quia vocatio & juſtificatio cæteraque auxilia gratiæ ad illam ordinantur: effectus verò, quia per illa media in tempore obtinetur, & obtinendam eſſe æterno Dei conſilio ſtatutum eſt.

SECUNDA CONCLUSIO.

Inter bona naturalia ea dumtaxat ſunt ac dici poſſunt effectus prædeſtinationis, quæ ex ſpeciali Dei providentia & amore ad vitam æternam ordinantur.

Probatur: Quia conditiones requiſitæ ad effectum prædeſtinationis conveniunt bonis hujuſmodi: ſunt à Deo, ex meritis Chriſti, & pertinent ad ordinem ſupernaturalem, non quidem ratione ſui, ſed ordinationis divinæ. Quo ſenſu Matth. 24. v. 22. dicitur: *Propter electos breviabuntur dies illi.* Et Rom. 8. v. 28. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt.*

S. Auguſtinus Lib. de dono perſeverantiæ c. 14. n. 35. occaſione Tyriorum qui credidiſſent, ſi vidiſſent Chriſti miracula, hæc ait: *Ex quo ap-* T. 10. p. 840. A. *paret habere quoſdam in ipſo ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, ſi congrua ſuis mentibus, vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant: & tamen ſi Dei altiore judicio, à perditionis maſſa non ſunt gratiæ prædeſtinatione diſcreti, nec ipſa eis adhibentur vel dicta divina vel facta, per quæ poſſent credere, ſi audirent utique talia vel viderent.*

TER-

TERTIA CONCLUSIO.

Mala pœnæ, & ipsa etiam permissio peccati, computantur inter effectus prædestinationis, non quidem per se seu ratione sui; sed per accidens, seu ratione subsequentium bonorum quæ Deus sua misericordia ac virtute novit ex illis eruere.

Probatur prima pars: Quia pœnæ, afflictiones hujus vitæ, calamitates, à Deo sunt & ex meritis Christi. Philipp. 1. v. 29. *Vobis donatum est pro Christo, non solùm ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini.* Ad ordinem etiam supernaturalem ex speciali Dei ordinatione pertinent; ad gloriam denique perducunt. Rom. 8. v. 17. *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: si tamen compatimur; ut & conglorificemur.* Ratio est, quia mala illa pœnæ justis occasionem offerunt exercendæ ac perficiendæ virtuti; virtus quippe in infirmitate perficitur: media suppeditant satisfaciendi divinæ justitiæ, præcavendi peccata, cupiditates frænandi, & ad Deum tanquam ad tutissimum solatium in calamitatibus recurrendi, ergo sunt prædestinationis effectus.

Secunda pars, quæ est de permissione peccati, probatur. Licèt enim ex se se præcisè sumpta, potiùs à Deo avertat, quàm ad illum ducat, adeoque ex se se non sit effectus prædestinationis, attamen ratione bonorum quæ Deus ex tali permissione vult eruere, ad seriem totius prædestinationis pertinere meritò dicitur: quia, Deo sic ordinante ac providente, qui lapsi sunt, cautiores, ferventiores & humiliores resurgunt. Ita S. Basilius in Regulis brevioribus Interrogatione 81. *Atque etiam id scire operæ pretium est*, inquit, *contingere sæpè piorum delicta, divina providentia ita dispensante ad eorum utilitatem. Deus enim labi eos aliquando permittit, ad sanandam priorem quamdam animi elationem, quale est quod à Petro dictum fuit, & in eo ipso obtigit.* Ed. nov. T. 2. p. 444. D. E.

Eadem est S. Augustini doctrina Lib. de corrept. & grat. c. 9. n. 24. *Talibus Deus diligentibus eum omnia cooperantur in bonum: usque adeo prorsus omnia, ut etiam si qui eorum deviant & exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt atque doctiores. Discunt enim in ipsa via justa cum tremore se exultare debere, non sibi arrogando tamquam de sua virtute fiduciam permanendi.* Quod ibidem ostendit & verbis Davidis, & exemplo S. Petri. T. 10. p. 763. B.

Et Lib. 14. de Civitate Dei cap. 13. *Audeo dicere*, ait sanctus Doctor, *superbis esse utile cadere in aliquod apertum manifestumque peccatum, unde sibi displiceant, qui jam sibi placendo ceciderant. Salubrius enim Petrus sibi displicuit, quando flevit, quàm sibi placuit, quando præsumpsit. Hoc dicit & facer Psalmus: Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum, Domine: id est, ut tu eis placeas quærentibus nomen tuum, qui sibi placuerunt quærendo suum.* T. 7. p. 366. A.

ARTICULUS QUARTUS.

De proprietatibus prædestinationis.

PRoprietates prædestinationis sunt ejus certitudo, concordia cum libertate, & definitus prædestinatorum numerus.

Semipelagiani adversùs doctrinam S. Augustini circa prædestinationem, istud, inter alia multa, incommodum urgebant, quòd si definitus ac certus foret numerus prædestinatorum, ita ut nec augeri nec minui posset, *ex utraque parte superfluus labor sit, si nempe neque reiectus ulla industria possit intrare, neque electus ulla negligentia possit excidere.*

Ita referunt SS. Prosper & Hilarius scribentes ad S. Augustinum.

Ambrosius Catharinus certum quidem dixit numerum salvandorum, vi divinæ præscientiæ, non autem prædestinationis. Existimat enim ille, exceptis iis qui sunt insigniter prædestinati, alios salvandos communi providentiæ relictos esse, quorum numerum novit quidem Deus, sed non sua prædestinatione determinavit.

Calvinistæ non tantùm certam esse in se dicunt prædestinationem, sed etiam unumquemque fidelem de sua prædestinatione certum esse debere.

PRIMA CONCLUSIO.

Certa est ac immobilis prædestinatio.

Probatur. Joan. 6. v. 36. *Hæc est autem voluntas eius qui misit me Patris: ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo.*

Et cap. 10. v. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt: & ego cognosco eas, & sequuntur me; & ego vitam æternam do eis: & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.*

2. ad Timoth. 2. v. 19. *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: Cognovit Dominus qui sunt eius.* Inde est quòd qui à gratia ad peccatum, à veritate ad errorem deflectunt, si eo in statu perseverent, ii non censentur esse è numero prædestinatorum, de quibus dicitur 1. Joan. 2. v. 19. *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.*

Ita docet S. Augustinus Lib. de corrept. & grat. cap. 7. n. 14. *Horum* (nempe prædestinatorum) *si quisquam perit, fallitur Deus: sed nemo eorum perit,* T. 10. p. 757. G. *quia non fallitur Deus. Horum si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus: sed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus.* Hinc definitur ab eodem *Ibid.* p. 839. G. sancto Doctore Lib. de dono perseverantiæ cap. 14. *Præscientia & præparatio beneficiorum Dei quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur.*

Ratio est manifesta: Quia, ex dictis, prædestinatio est actus intellectus & voluntatis: at Deus certissimè omnia novit; & quæcumque voluit, fecit. Hinc inferes certitudinem & infallibilitatem prædestinationis oriri tùm ex præscientia, tùm ex decreto Dei: ex præscientia quæ decretum antecedit ac dirigit; & ex decreto quod præscientiam supponit ac sequitur.

Dices

Dices 1. Possunt aliqui de Libro vitæ, hoc est de numero prædestinatorum deleri. Ita Moyses Exodi 32. v. 32. dicebat: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de Libro tuo quem scripsisti.* Et David Psalm. 68. v. 29. *Deleantur de Libro viventium, & cum justis non scribantur.* Joan. 17. v. 12. *Quos dedisti mihi, custodivi; & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis.* Denique 2. Petri 1. v. 10. *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Ergo rata & fixa non videtur esse prædestinatio.

Resp. negoant. Ad cujus probationem ex cap. 32. Exodi, dico 1. Moysen postulasse deleri non quidem de numero prædestinatorum, sed de numero viventium: suam nempe propriam vitam in gratiam & salutem populi Israelitici devovere paratus erat. *Obsecro*, inquiebat Numer. 11. v. 15. *ut interficias me, & inveniam gratiam in oculis tuis.* 2. Si de prædestinatione verba Moysis interpretari volueris, per hyperbolem seu piam quamdam exageration em, ut propensam suam in populum Dei voluntatem significaret, dixit, *Dele me de Libro tuo*; sub ista tamen tacita conditione, si fieri possit: quomodo dicebat S. Paulus Rom. 9. v. 3. *Optabam ipse anathema esse pro fratribus meis.* Vide Estium in hunc locum.

David Ps. 68. non optat damnationis æternæ pœnam iis qui Prophetas persequebantur; sed prænuntiat imminentem ipsis pœnam nisi resipiscant.

Judas de quo Joan. 17. non erat ex iis discipulis, quos Pater secundùm propositum vocaverat & dederat Filio; sed erat propria sua malitia filius perditionis, qui reipsa periit.

S. Petrus citato loco hoc unum innuit, prædestinationem, quæ in se & ex parte Dei certissima est, nobis certam esse non posse nisi ex bonis operibus.

Dices 2. Apostolus 1. Cor. 9. v. 27. timebat ne cùm aliis prædicasset, ipse reprobus efficeretur; ergo non existimabat ratam & certam esse prædestinationem.

Resp. distinguo ant. Timebat, quòd ignoraret an esset prædestinatus, concedo: quòd non crederet certam & immotam esse apud Deum prædestinationis sententiam, nego.

Dices 3. Angelus Apocalyp. 3. v. 11. *Tene quod habes*, inquit, *ut nemo accipiat coronam tuam.* Ergo corona illa potest amitti & alteri dari.

Resp. coronam de qua hìc S. Joannes, non esse gloriam cœlestem, sed fidem, obedientiam, & constantiam in bono: *Quoniam servasti verbum patientiæ meæ*, ait ibidem v. 10. Angelus, *& ego servabo te ab hora tentationis quæ ventura est in orbem universum.*

Dices 4. Si certa est ac fixa prædestinatio, ita ut numerus prædestinatorum augeri vel minui non possit, ergo valet ista Semipelagianorum consecutio: *Ex utraque parte superfluus labor est, si neque reiectius ulla industria possit intrare; neque electius ulla negligentia possit excidere.* Ergo nec prædestinatus damnari, nec reprobus salvari potest; ergo dura & fatalis necessitas sequitur ex doctrina prædestinationis.

Resp. distinguo ant. Si certa est ac fixa prædestinatio, ex decreto Dei absoluto & antecedente meritorum prævisionem, esto: si ex decreto Dei supponente prævisionem meritorum, nego. Semipelagianorum objectio vim aliquam præ se ferre videtur, si supponatur prædestinatio absoluta & antecedens meritorum prævisionem, qualem illi ab Augustino admitti falsò &

errore facti existimabant: at nulla est & planè concidit objectio, si prædestinatio dicatur fieri, ut nos putamus, ex prævisis meritis gratiæ; non aliam enim difficultatem patitur, quàm quæ ex ipsamet Dei præscientia solet obici. Sicut ergo ex divina præscientia necessitas dumtaxat consequens rei liberè futuræ infertur, non antecedens & absoluta; cùm res illæ non ideo sint futuræ, quia cognoscuntur à Deo, sed ideo potiùs cognoscantur, quia futuræ sunt; ita pariter ex prædestinatione fundata in præscientia meritorum, non alia quàm consequens oritur necessitas: adeoque quòd prædestinatus in sensu, ut ajunt, composito, damnari non possit, nec reprobus salvari, ex libera prædestinati & reprobi determinatione nascitur, quam Deus ab æterno cognovit.

SECUNDA CONCLUSIO.

Nullus sine speciali revelatione certus esse potest de sua prædestinatione.

Probatur. Ecclesiastes 9. v. 1. *Nescit homo utrum amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta.*

Rom. 11. v. 20. *Tu autem fide stas: noli altum sapere, sed time.*

1. Cor. 10. v. 12. *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Et cap. 4. v. 4. de seipso dixerat Apostolus: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* Unde Philipp. 2. v. 12. concludit: *Cum metu & tremore vestram salutem operamini.* Hæc porrò anxietas, hæc timoris incussio excludit firmam de futura salute securitatem ac certitudinem.

T. 10. p. 772. D. Hinc meritò S. Augustinus Lib. de correp. & grat. cap. 13. *Quis enim*, inquit, *ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate vivitur, in numero prædestinatorum se esse præsumat?* Hortatur nihilominus fideles, ut suis orationibus donum perseverantiæ impetrent, ac confidant se à prædestinatione populi Dei non esse alienos. Ita Lib. de dono perseverantiæ.

To. 14. Concil. 766. A. B. Tandem Conc. Trid. sess. 6. Can. 16. Conclusionem nostram definivit his verbis: *Si quis magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certò habiturum, absoluta & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, anathema sit.* Et cap. 12. dixerat: *Nemo, quamdiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinæ prædestinationis mysterio usque adeo præsumere debet, ut certò statuat, se omnino esse in numero prædestinatorum: quasi verum esset, quòd justificatus aut amplius peccare non possit, aut si peccaverit, certam sibi resipiscentiam promittere debeat: nam nisi ex speciali revelatione, sciri non potest quos Deus sibi elegerit.*

ib. 762. A.

Dices. Pro certo habere debemus assiduis orationibus piisque operibus nos salutem esse à Deo impetraturos; habemus quippe obligatam Christi fidem Marci 11. v. 24. *Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accepietis.* At potest quis certò scire se orare.

Resp. distinguo maj. Si certò constet nos ut oportet, orare, concedo: secus, nego. At certi omnino non sumus, nos ut oportet orare: *Quid oremus, sicut oportet, nescimus*, ait Apostolus Rom. 8. v. 26. *sed Spiritus sanctus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.*

Instabis. Rom. 8. v. 16. *Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus fi-*

mus filii Dei. Si autem filii, & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Unde Thessalon. 1. v. 4. idem Apostolus ait: *Scientes, fratres dilecti à Deo electionem vestram.* Et 2. ad Timoth. 4. v. 7. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ.* Denique 1. Joan. 5. v. 13. *Hæc scribo vobis: ut sciatis quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filii Dei.* Ergo certi esse possumus de nostra prædestinatione.

Resp. nego consequentiam.

Ad primum testimonium ex cap. 8. Epistolæ ad Rom. Spiritus quidem sanctus testimonium reddit nos esse filios Dei, sub certa nempe conditione, *si tamen compatimur ut & conglorificemur.* At quia nemo absolutè certus esse potest, quo animo quave intentione hac in vita patiatur, *Non sunt enim condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* Rom. 8. v. 18. Ita quoque ex certa securitate ac scientia nemo certò scire potest, se filium Dei esse, eo modo qui sufficiat, ut de sua prædestinatione omnino certus sit ac securus.

Ad secundum ex c. 1. Epist. ad Thessal. Vel Apostolus loquitur dumtaxat de electione Thessalonicensium ad vocationem fidei Evangelicæ; vel, si de electione ad gloriam, spem dumtaxat suam ac fiduciam, non verò securitatem ac plenam de illorum salute certitudinem declarat.

Ad tertium: Cap. 4. 2. Epist. ad Timoth. de sua prædestinatione Apostolus loquitur, vel ex speciali, quam habuit, revelatione, vel tantùm ex spe ac confidentia.

Ad quartum ex cap. 5. 1. Epist. S. Joan. *Qui credunt in nomine Filii Dei, vitam habent æternam* in spe, non in re, seu non ex omnimoda certitudine. Quàm multi enim sunt qui fidem, imò & charitatem habent temporalem, à qua deficientes finaliter pereunt!

TERTIA CONCLUSIO.

Certus est ac determinatus numerus prædestinatorum.

Hæc Conclusio necessariò sequitur ex prima, nec nova indiget probatione. Unde Lucæ 10. v. 20. Christus ait: *Nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur: gaudete autem, quòd nomina vestra scripta sunt in Cælis.*

QUARTA CONCLUSIO.

Prædestinatio nullam imponit prædestinatis necessitatem, sed cum libertate stat ac conciliatur.

Probatur. Quia duo hæc ex fide certa sunt & inconcussa. Hominem scilicet liberum esse, quem *Deus reliquit in manu consilii sui.* Eccles. 15. v. 14. & Deum aliquos ad gloriam prædestinare, qui mediante gratia bonis operibus suis illam merentur. *Prædestinationem Dei*, ait S. Prosper in resp. ad 6. Obj. Gallorum, *sive ad bonum sive ad malum in homine operari, ineptissimè dicitur ut ad utrumque homines necessitas quædam videatur impellere.* Et Sanct.

Thomas 1. part. qu. 23. art. 6. *Prædestinatio non ita certa est quòd prædestinati necessitatem imponat. Prædestinatio certissimè & infallibiliter consequitur suum effectum, nec tamen necessitatem imponit.*

Concilium Trid. Sess. 6. cap. 5. & Can. 4. Catholicum illud dogma statuit ac confirmat. *Tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem*, inquit cap. 5. *neque homo ipse nihil omnino agat inspirationem illam recipiens, quippe qui & illam abjicere potest.* Et Can. 3. *Si quis dixerit liberum arbitrium motum & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti... neque posse dissentire, si velit, anathema sit.*

Qua verò ratione concilianda sit libertas cum prædestinatione, operosè quærunt Theologi. Inter illos qui prædestinationem ex præviſis meritis fieri existimant, usumque sententiæ conditionatæ admittunt, ii rem paulò faciliùs explicant. Non alia quippe necessitas ex prædestinatione sequitur, quàm quæ ex ipsa Dei præscientia, id est necessitas dumtaxat hypothetica & consequens liberâ voluntatis determinationem, non antecedens nec absoluta.

Dices: Prædestinatio includit efficacia salutis consequendæ media, seu gratiam efficacem: atqui gratia efficax cum libertate stare ac conciliari non potest; namque gratia cui voluntas resistere non potest, seu cui non potest non consentire, cum ejus libertate conciliari non potest. Atqui gratiæ efficaci voluntas non potest resistere, seu non potest ei non consentire; aliàs efficax non esset, nec haberet cum suo effectu essentialem ac infallibilem connexionem, quod certè adversatur notioni ac naturæ efficacis gratiæ. Ergo voluntas non liberè, sed necessariò huic gratiæ consentit. Quòd si ad libitum voluntas illi posset consentire vel dissentire, ergo suo consensu gratiam redderet efficacem; sicut dissensu inefficacem; id autem videtur absurdum: gratiæ quippe ex se ac interna virtute vim suam habet & efficaciam. Graves undique hic angustiæ. Quomodo enim efficax ex se dici potest gratia, cui voluntas potest resistere? Quomodo verò libera voluntas, si illi non potest resistere? Sua ergo aut gratiæ perit efficacia, aut voluntati libertas.

Resp. nego min. Ad probationem distinguo minorem propositionem: voluntas resistere non potest gratiæ efficaci consideratæ in actu secundo, concedo: consideratæ in actu primo, nego. Gratia efficax in actu secundo est ipsamet formalis actio voluntatis gratiæ cooperantis seu consentientis: fieri autem non potest, necessitate, ut vocant, hypothetica & consequente, ut voluntas non agat quamdiu agit, seu ut componat actum cum non actu. Gratia verò efficax in actu primo, est ipsamet virtus seu potentia gratiæ de se apta & nata ad exprimendum voluntatis ad opus bonum consensum: huic verò gratiæ voluntatem posse dissentire si velit, docet fides Catholica. Ad id verò quod infertur, nempe gratiam ex se ex se efficacem non esse, nec habere essentialem ac infallibilem cum suo effectu connexionem.

Consequentiam negant Thomistæ; ajuntque non posse quidem voluntatem resistere gratiæ efficaci in sensu composito, hoc est non posse simul conjungere consensum cum dissensu; posse tamen in sensu diviso, ipsius nempe actionis, dissentire, quia voluntas retinet liberam & expeditam ad dissensum potentiam.

Alii verò negant gratiam in actu primo, ante præviſum per scientiam conditionatam voluntatis futurum consensum, essentialem ac infallibilem habere cum suo effectu connexionem.

Neque

Neque tamen idcirco concedunt gratiam reddi efficacem etiam in actu ſecundo per voluntatis conſenſum. Tùm quia, inquiunt, gratia & voluntas una & indiviſa actione ad opus bonum concurrunt: tùm quia opus bonum cauſæ nobiliori ac digniori, qualis profectò eſt gratia, tribui debet, cujus impulſum ac prævium motionem voluntas prona ſequitur, non quidem determinans gratiam (quod nonnulli invidioſè objiciunt) ſed ejus potius determinationi obſequens. Verùm de hoc argumento plura, ubi de gratia diſputavimus.

QUÆSTIO VIGESIMATERTIA:

De reprobatione.

EX iis quæ ſuperiùs de prædeſtinatione diſputata ſunt, facilè noſtra circa reprobationem ſententia dignoſci poteſt. Eumdem verò hic ordinem ſequemur, quem tractando de prædeſtinatione; tribuſque articulis totam præſentem controverſiam arduam ſanè ac difficilem, ſi quæ ſit, abſolvemus.

I. De nomine, definitione, exiſtentia & diviſione reprobationis.

II. De cauſa motiva reprobationis, ſeu à gratia, ſeu à gloria.

III. De effectibus reprobationis. De certitudine verò illius nihil addemus his quæ ſuprà dicta ſunt circa certitudinem prædeſtinationis; eadem eſt utriuſque, quoad iſtud caput, ratio.

IV. Denique accedit Appendix de libertate arbitrii.

ARTICULUS PRIMUS.

De nomine, definitione, exiſtentia & diviſione reprobationis.

Nomen reprobationis.

REprobatio generatim ſignificat rei alicujus rejectionem. Hoc ſenſu, Iſaiæ 7. v. 15. dicitur: *Butyrum & mel comedet, ut ſciat reprobare malum & eligere bonum*. Et Hebr. 7. v. 18. *Reprobatio fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus.*

Propriè reprobatio hìc eſt rejectio ſeu excluſio à donis ſupernaturalibus gratiæ & gloriæ; de quibus ſub metaphora dicitur Jeremiæ 6. v. ultimo: *Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus projecit illos.* Et 1. Cor. 9. v. 27. *Caſtigo corpus meum & in ſervitutem redigo: ne fortè cùm aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.*

Reprobi variis nominibus in Scripturis deſignantur. Dicuntur *Repulſi.* Pſal. 87. v. 6. *Deſpecti.* Eccleſiaſtes 7. v. 14. *Facti in diem malum.* Prov. 16. v. 4. *Hædi & maledicti.* Matth. 25. v. 34. & 41. *Vaſa iræ.* Rom. 9. v. 22. *Vaſa in contumeliam.* 2. ad Timoth. 2. v. 20. *Filii perditionis.* Joan. 17. v. 12. *Præſcripti in judicium & damnationem.* Epiſt. Judæ v. 4.

Definitio reprobationis.

Reprobatio definitur à Magiſtro Sentent. L. 1. diſt. 40. *Præſcientia iniquita-*

quitatis quorumdam, & præparatio damnationis eorumdem. Qua in definitione, præscientia iniquitati seu malitiæ antecedit pœnæ præparationem.

Durandus in eamdem dist. q. 2. *Reprobatio*, inquit, *est prævisio ineptitudinis alicujus ad vitam æternam, & propositum excludendi ab ea.*

S. Thomas 1. p. q. 23. art. 3. in corp. *Reprobatio*, ait, *includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis pœnam pro culpa.* Utramque reprobationem & à gratia & à gloria complectitur hac sua definitione Angelicus Doctor.

Existentia reprobationis.

Tam clarè in Scripturis expressa est nonnullorum reprobatio, ut longa non opus sit probatione, ut id demonstremus. Scripturæ testimonia quæ mox designata fuere, imprimis ex c. 25. S. Matth. *Ite maledicti in ignem æternum qui paratus est diabolo & angelis ejus*, abundè sufficiunt.

Ratio est manifesta: tùm quia datur in Deo præscientia malitiæ nonnullorum non finiendæ, & præparatio pœnæ nusquam terminandæ; illa autem est reprobatio; tùm quia pertinet ad providentiam entis supremi, agentis universalis, ac rerum omnium provisoris, ut permittat ad gloriæ suæ manifestationem nonnullas creaturas intellectuales liberè à suo fine deficere, sicque eas conferre ad bonum & utilitatem electorum. *Sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ.* Rom. 9. v. 22.

Dices: Si detur reprobatio, duo sequuntur gravissima incommoda: primum, reprobum non posse salvari, & ad damnationem antecedente quadam necessitate compelli: alterum, causam perditionis reproborum in solum Deum referri, contra expressa verba Oseæ c. 13. v. 9. *Perditio tua ex te Israel, tantummodò in me auxilium tuum.*

Resp. ad 1. Esto locum habeat istud incommodum in eorum sententia qui reprobationem negativam vel positivam admittunt antecedenter ad prævisionem cujuscumque peccati; at non ita est in nostra sententia, qui nonnisi post prævisionem peccati sive originalis, sive actualis, aut utriusque, reprobari homines à gloria contendimus. Quòd enim reprobus si adultus sit, non possit salvari, oritur ex necessitate hypothetica & consequente liberam ipsius ad malum perseverantem voluntatem; non verò necessitate absoluta & antecedente.

Ad 2. eadem est responsio. Causa reprobationis in Deum refunditur, si, ut nonnulli docent, reprobatio ab una pendeat Dei voluntate, independenter à prævisione cujuscumque peccati: at, quàm alieni simus à tam dura & aspera sententia, ne quid amplius dicamus, patebit ex mox dicendis.

Divisio reprobationis.

Reprobatio perinde ac prædestinatio, vel totalis est & adæquata, quæ omnes suos effectus complectitur, vel partialis & inadæquata, secundùm aliquem dumtaxat effectum.

Duplex est generatim reprobatio: una ab omni & qualibet gratia tùm efficaci,

ficaci, tùm sufficiente: altera verò ab aliqua dumtaxat gratia, nempe uberiori & efficaci.

Rursus alia dicitur negativa, alia verò positiva. Reprobationem negativam non eodem modo explicant Theologi. Nonnullis est pura omissio prædestinationis gratuitæ, ac veluti quædam negatio seu suspensio actus in Deo non prædestinante. Aliis est actus positivus quo Deus nonnullos prædestinando, alios non vult prædestinare, seu vult à gloria excludere. *Qui sunt à numero liberandorum secluſi*, ait Jansenius Lib. 10. de Gratia Christi c. 2. *sunt & negativè reprobati, etiam positivè reprobati dici possunt. Non enim sic præteriti sunt à Deo, ut quodammodò manserit voluntas eius de ipsorum salute vel perditione suspensa; sed sicut fuerit voluntas fixa, eos relinquendi in isto statu* (massa perditionis) *ex quo cæteros liberare statuebat.* Et paulò post: *Hoc ipso igitur quo relinquuntur in statu damnationis, positivè quoque reprobati sunt, quia Deus non solùm eos non vult liberare, sed etiam positivè vult in damnatione relinquere.* To. 3. p. 420. c. 2. E. Ibid.

Illa autem negativa seu positiva exclusio à vita æterna, nondum pro eo signo rationis includit inflictionem supplicii seu pœnæ æternæ, sed hæc sequitur prævisionem peccatorum & finalis impœnitentiæ. *Porrò positiva ista reprobatio*, pergit eodem capite Jansenius, *non sic intelligenda est, quasi Deus hoc ipso quòd quosdam liberandos ad æternam vitam eligit, cæteros positivè ad pœnas omnes sensus quas in inferno reipsa pro peccatis omnibus passuri sunt, reprobando damnaverit. Hoc enim decretum, sine dubio, posterius est, & omnium futurorum peccatorum, ipsiusque mortis in peccatis præsupponit præscientiam.*

In mente igitur multorum Theologorum reprobatio negativa est exclusio à gloria, sive illa fiat per actum positivum, sive non. Reprobatio verò positiva est destinatio aut inflictio pœnæ æternæ propter peccata in quibus reprobus finaliter ad extremum usque spiritum perseverat.

Qui pugnant pro gratuita & omnem meritorum prævisionem antecedente prædestinatione, ii consequenter negativam à gloria reprobationem admittere tenentur, sive reprobatio illa simplex sit negatio & actus suspensio, sive sit actus positivus; quæ postrema opinio longè verisimilior videtur: tùm quia Scriptura de reprobatione loquitur tanquam de actu reali & positivo. *Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Rom. 9. v. 13. tùm quia reprobatio est actus divinæ providentiæ. Ita docet S. Thomas hic art. 3. Tùm denique, quia suspensio actus imperfectionem quamdam involvit, quæ in Deum simplicissimum & actum purissimum cadere non potest. Verùm quantùm ad id, quod hìc occurrit gravissimi momenti, causam scilicet reprobationis, perinde est, sive reprobatio, quæ negativa dicitur, sit pura negatio, aut actus positivus: eadem enim dura & acerba incommoda ex utroque modo explicandi reprobationem, consequuntur.

Qui ex Theologis admittunt prædestinationem ad gloriam fieri post prævisa gratiæ merita, ii nullam agnoscunt negativam reprobationem, seu exclusionem à vita æterna, nisi post prævisionem demeritorum seu peccatorum, vel actualium, vel saltem originalis, si per baptismum dimissum illud non fuerit.

A R-

ARTICULUS SECUNDUS.

De cauſis reprobationis.

DE una hìc agitur cauſa motiva ex parte hominis: an ſcilicet quædam in eo ſit ratio & cauſa quæ Deum moveat ut ipſum excludat à gloria; an verò ſit ab uno Dei beneplacito, qui aliquos prædeſtinando, alios rejicit ac reprobat.

Agitur autem de reprobatione ſeu negativa, ſeu poſitiva, quocunque ſenſu exponatur: non quidem comparatè ſpectata, cur ſcilicet unus aſſumatur, alter verò relinquatur in maſſa perditionis; cujus rei alia cauſa non eſt, quàm Dei voluntas: ſed abſolutè ac in ſe; ac de reprobatione tùm à gratia, tùm à gloria.

Homines verò qui excluduntur à gloria, vel ſunt infantes ſine baptiſmo morientes, vel adulti fideles, vel infideles.

Rurſus ſpectari hìc homo poteſt, vel ante lapſum primi parentis, vel poſt lapſum.

Status quæſtionis.

Præſentis controverſiæ quadruplex ſenſus eſſe poteſt.

I. Utrum Deus pro ſuo beneplacito, & antecedenter ad præviſum hominis lapſum, alios creaverit & prædeſtinaverit ad vitam, alios verò ad mortem æternam.

II. Utrum ſuppoſito quidem hominis lapſu, ſed illius præciſione ſeu abſtractione facta, Deus pro ſua voluntate aliquos à gloria negativè reprobet ſeu excludat, tanquam à bono indebito; ad univerſi varietatem & pulchritudinem, ad ſplendorem & manifeſtationem tùm juſtitiæ ſuæ, tùm ſupremi, quod in res omnes habet, dominii.

III. Utrum neminem à gloria Deus excludat, niſi propter peccatum ſaltem originale, quod ſit prima & radicalis cauſa reprobationis adultorum etiam fidelium, in quibus per baptiſmum peccatum illud dimiſſum fuit. Quod enim ſpectat infantes ante perceptum baptiſmum morientes, & adultos infideles, certum eſt iſtos propter originale & actualia peccata; illos verò propter ſolum originale reprobari.

IV. Denique, utrum unica cauſa reprobationis adultorum fidelium ſint actualia eorum peccata à Deo præviſa.

Errores & opiniones.

Circa præſentem controverſiam errarunt

I. Origenes, qui cauſam reprobationis refert ad peccata commiſſa priùs quàm animæ ad informanda corpora detruderentur.

II. Sæculo quinto Prædeſtinatiani Lucidus Presbyter & alii; nono verò ſæculo Gotteſchalcus Monachus; & decimo ſexto Joannes Hus, Calvinus, Beza, eorumque ſequaces, qui omnes ad duas claſſes revocantur; ad eos ſcilicet qui Antelapſarii, & eos qui Poſtlapſarii dicuntur. Anteplaſarii dicti, qui

qui cum Calvino existimant Deum, etiam ante hominis lapsum & quodcunque ejus prævisum peccatum, ex mero suo arbitrio aliquos ad sempiternum interitum destinasse: quæ opinio, cùm multis Calvini discipulis aspera & dura jure meritò visa fuisset, ab iis derelicta est qui dicti sunt Post-lapsarii, eò quòd nonnisi post lapsum, & propter lapsum hominis, à Deo homines reprobari, seu à gloria excludi æternisque suppliciis addici censuerunt.

Hæc itaque est Calvini circa reprobos rigida & horrenda sententia:

I. Reprobatio à gloria, & æterni supplicii destinatio, fit ex mero Dei arbitrio, absque ulla ex parte hominis culpa. *Homines*, ait Calvinus L. 3. Instit. cap. 23. n. 2. *nudo Dei arbitrio, citra proprium meritum, in æternam mortem prædestinantur.* Et cap. 22. n. 3. *Ubicunque regnat hoc Dei placitum, nulla in consideratione veniunt opera.* Et n. 11. *Si non possumus rationem assignare, cur suos misericordia dignetur, nisi quoniam illi ita placet: neque etiam in aliis reprobandis aliud habebimus, quàm ejus voluntatem.* P. 346. P. 440. P. 345.

II. Circa illos reprobos hæc præstat Deus: 1. negat illis fidem & omnem gratiam. 2. impellit & necessitat ad peccandum. 3. miserè decipit ac illudit.

Negat ipsis fidem & omnem gratiam. Cap. 24. Lib. 3. Instit. n. 12. *Quos*, inquit, *in vitæ contumeliam & mortis exitium creavit, ut iræ suæ organa forent & severitatis exempla; eos, ut in finem suum perveniant, nunc audiendi verbi sui facultate privat: nunc ejus prædicatione magis excæcat & obstupefacit.* P. 357.

Impellit ac necessitat reprobos ad peccandum. *Homo*, inquit Lib. 1. Instit. cap. 18. n. 4. *justo Dei impulsu agit quod sibi non licet.* Et L. 3. c. 23. n. 9. *Excusabiles peccando haberi volunt reprobi, quia evadere nequeunt peccandi necessitatem: præsertim cùm ex Dei ordinatione sibi injiciatur hujusmodi necessitas.* Inde manifestè sequitur, (quod refugiunt autores Christianæ) Deum esse auctorem peccati; consectarium tamen istud non negat, imò admittit Calvinus, L. 1. Inst. cap. 18. n. 3. *Jam satis apertè ostendi*, inquit, *Deum vocari eorum omnium auctorem, quæ isti censores volunt otioso tantùm eius permissu contingere.* Sermo est de peccatis quæ Catholici docent fieri Deo permittente; Calvinus, Deo volente & auctore. P. 345. P. 349. P. 74.

Denique, Deus reprobos miserè decipit ac illudit, simulando velle se illos juvare, cùm tamen velit illos perdere: *Ecce*, ait Calvinus Lib. 3. Instit. cap. 24. n. 13. *vocem ad eos dirigit, sed ut magis obsurdescant; lumen accendit, sed ut reddantur cæciores; doctrinam profert, sed qua magis obstupescant; remedium adhibet, sed ne sanentur.* P. 358.

Accedit ad cumulum illusionis ac deceptionis, quòd in mente Prædestinatianorum, sacramenta nihil operentur in reprobis, sed nuda sint ac sterilia signa, ex quibus nullum spiritualem fructum illi nequidem ad tempus percipiunt. Errorem hunc indicare ac perstringere videntur in Novatoribus Patres Tridentini Sess. 6. Can. 17. his verbis. *Si quis justificationis gratiam nonnisi prædestinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos verò omnes qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, utpote divina potestate prædestinatos ad malum, anathema sit.* Cohærentiùs hic sentiunt Prædestinatiani, quàm Janseniani, qui existimant sacramenta in reprobis suum spiritualem effectum sortiri. Ad quid enim, quæso proficere illis potest illa sacramentorum virtus; nisi ad majorem eorum pœnam & damnationem, propter illum, quem superaddent sacrilegum sacramentorum abusum?

Dissi-

Dissimulandum non est, Calvinum, qui mox citatis locis se tam apertè Antelapsarium prodit, subinde duriorem illam & acerbiorem sententiam paulò temperasse, & ad partes Postlapsariorum transiisse. In antidoto Conc. Trid. ad Sess. 6. cap. 6. contra Pighium passim, maximè verò l. 3. & 5. Lib. de æterna prædestinatione, imò & in ipsa Inst. Lib. 2. cap. 3. n. 10. & 13. In iis enim omnibus locis, gratiæ sanitatis & medicinalis discrimen, à Jansenio tantopere decantatum, disertè tradit; ac porrò fatetur, *non ex creatione esse, sed naturæ corruptela, quòd homines peccato mancipati, nihil velle possunt nisi malum. Unde enim*, inquit Instit. L. 2. cap. 5. nu. 1. *ista, quam improbi libenter prætexerent, impotentia, nisi quòd Adam ultro se diaboli tyrannidi addixit? Hinc ergo vitiositas, cujus vinculis tenemur constricti, quòd primus homo defecit à suo opifice.* Hæc posterior sententia priore mitior quidem est: hæretica tamen, in quam Calviniani omnes abiere; eamque postea Jansenius nihil immutatam mordicus tuetur.

P. 104. To. 3. f. 421. D.

Jansenius L. 10. de Gratia Ch. cap. 2. ait: *Veram reprobationis causam, esse peccatum originale, quo* reprobi *periisse & damnationem meruisse prævidentur.* Et c. 3. *Tota illa suppliciorum concatenatio usque ad ultimam damnationem in ignem æternum, radicaliter & mediatè in peccati originalis meritum referenda videtur: immediatè tamen prima pœnarum istarum promeretur secundam, & ita deinceps, donec ultima tandem, velut præcedentium complementum inferatur.* Igitur in mente Jansenii peccatum originale etiam per gratiam baptismatis remissum, est causa saltem radicalis prima, tametsi non immediata, damnationis æternæ reproborum. Neque Jansenium movet quòd ex Concil. Trid. & Catholica fide per baptismum homines totius originalis culpæ deletione purgati sint, nihilque damnationis sit in iis qui sunt in Christo Jesu: istud inquam Jansenium non movet. Tùm quia *propter illam culpam, cui obnoxius homo fuit, noluit Deus ipsum à perditionis massa liberare.* Tum quia *ex reliquiis istius peccati, quas gratia Christi non abstersit, fit, ut in statum perditionis iterum cadat, in eoque maneat, & moriatur. Quod eò magis*, inquit, *originali peccato imputari debet, quia concupiscentia, ex qua pereuntium ille relapsus nascitur, sic est originale peccatum, ut quamvis reatu transierit, actu tamen maneat.* Tùm denique quia *ira contra peccatum istud concepta, jam ab æterno factum est, ut multos eorum noluerit Deus ex integro liberandos à perditione discernere; & ex eadem etiamnum sit, ut si quos temporaliter inde per fidem, aut peccati illius remissionem aliqua ex parte discreverit, in eundem statum damnationis relabantur.* Hæc Jansenius citato c. 3.

Ibid. p. 422. co. 1. A.

Scholastici nostri varias in partes hic scinduntur.

I. Sunt qui docent Deum nonnullos à gloria negativè, imò & positivè reprobare seu excludere, tanquam à beneficio indebito, ex sola sua voluntate, ante prævisum quodcunque eorum peccatum sive originale, sive actuale; non tamen pœnis æternis eos de facto destinare vel addicere, nisi propter eorum peccata: quæ opinio dura certè & aspera, tametsi errori Calvini affinis utcunque statim videatur, non tamen erroris insimulanda, quia non eadem admittunt hujus sententiæ patroni, quæ ex Calvino mox relata fuere; imò totis viribus reclamant ac contestantur se ab illis alienos esse.

II. Docent alii, causam reprobationis à gloria esse peccatum saltem originale; quod etsi fidelibus dimissum fuerit per baptismum, prima tamen est, radica-

radicalis & remota causa cur eos Deus ab uberioribus auxiliis gratiæ, & ab ipsa gloria excluſos voluerit.

III. Alii cum Suarez L. 5. de reprobatione cap. 5. & Bellarmino L. 2. de Gratia & libero arbitrio cap. 16. exiſtimant, Deum ante prævisa demerita nullum excluſiſſe poſitivè à gloria; excluſiſſe tamen negativè: quæ opinio neceſſariò ſequitur ex alia quam iſti Theologi tuentur circa prædeſtinationem gratuitam ante prævisa merita gratiæ. Eo enim ipſo quo quis non eſt prædeſtinatus, cenſetur rejectus & reprobatus; ſive id fiat per meram actus negationem, &, ut vocant, per ſimplicem non prædeſtinationem; ſive per actum poſitivum: iſtud enim perinde eſt quantùm ad rem ipſam, hoc eſt excluſionem à gloria.

IV. Cenſent alii, nullam dari reprobationem negativam adultorum fidelium propter ſolum peccatum originale; eorumque neminem ſeu negativè ſeu poſitivè à gloria excludi, niſi propter prævisa eorum actualia peccata: quę ſententia evidenter ac neceſſariò connexa eſt cum alia circa prædeſtinationem factam ex prævisis meritis gratiæ. Quippe ſi nemo prædeſtinatur niſi poſt prævisa ejus merita ex gratia, quantò magis nemo reprobatur niſi poſt prævisa ejus demerita?

His præmiſſis, quæ noſtra ſit circa præſentem quæſtionem ſententia, patebit ex ſequentibus Concluſionibus.

PRIMA CONCLUSIO.

Neminem hac in vita Deus ab omni penitus auxilio gratiæ excludit; ſed omnibus paratam offert vel confert.

Concluſio hæc fuſiùs & ex profeſſo à nobis probata eſt, ubi de gratia: ſufficiat hìc eam generatim inferre, ex vera & ſincera quæ in Deo eſt voluntate ſalvandi omnes, pronuntiante Apoſtolo 1. ad Timoth. 2. v. 4. *Omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. Otioſa porrò non eſt nec ſterilis hæc Dei pro ſalute omnium voluntas, ſed activa. *Hujus voluntatis effectus*, ait S. Thomas in 1. Sent. diſt. 46. q. 1. art. 1. *eſt ipſe ordo naturæ in finem ſalutis, & promoventia in finem omnibus communiter propoſita, tam naturalia quàm gratuita*. Sed de hoc argumento alibi pleniùs. To. 7. p. 401. co. 1. B.

SECUNDA CONCLUSIO.

Cauſa reprobationis ab uberiori & efficaci gratia in adultis baptiſatis, non eſt peccatum originale, ſed aliquod actuale præcedens.

Probatur prima pars concluſionis. Quia peccatum perfectè dimiſſum cauſa eſſe non poteſt qua Deus moveatur ad negandam gratiam uberiorem. *Nihil quippe damnationis eſt in iis qui ſunt in Chriſto Jeſu*. Rom. 8. v. 1. *Et Deus*, ait Conc. Trid. Seſſ. 6. cap. 11. *ſui gratia ſemel juſtificatos non deſerit, niſi ab eis priùs deſeratur*. Idem docuerat S. Aug. Lib. de nat. & grat. c. 26. *Deus non deſerit*, ajebat, *niſi deſeratur, ut piè ſemperque juſtè vivatur*. Quod quidem de ſola ſubtractione gratiæ ſanctificantis intelligi non debet, To. 10. p. 140. A.

ut

ut nonnullis placet, sed etiam de subſtractione auxilii actualis. Agit enim eo loci Concilium, de obſervatione mandatorum Dei, quæ ſine actuali auxilio gratiæ obſervari non poſſunt; gratia etenim habitualis ſanctificans inclinat quidem ad actum bonum, ſed eum ſola non producit ſine interventu & influxu actualis gratiæ excitantis & operantis. Quod rurſus confirmant ejuſdem Concilii verba ibidem cap. 13. *Deus*, inquit, *niſi ipſi* (Juſti) *illius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere.* Manifeſtum eſt ibi Patres Tridentini loqui de actuali gratia neceſſaria ad perſeverandum, quam Deus juſtis non denegat, niſi quia ipſi primi gratiæ deſunt, id eſt reſiſtunt. Auguſtinus etiam laudatus loquitur de gratia actuali neceſſaria *ad piè juſtèque vivendum.*

Confirmatur ex eo quòd clarè Scriptura innuat nos à Deo multa impetrare poſſe, ſiea, ut par eſt, poſtulaverimus; quæ idcirco non impetramus, quia non eo, quo par eſt, animo ea petamus. *Petite, & dabitur vobis; quærite, & invenietis*, ait Chriſtus Matth. 7. v. 7. Cur autem nobis petentibus non datur, cauſam aperit S. Jacobus Epiſtolæ cap. 4. v. 3. *Petitis*, inquit, *& non accipitis, eò quòd malè petatis.* Ergo cauſa cur homini juſto denegetur gratia uberior & efficax, eſt actuale peccatum ſaltem veniale præcedens.

Videtur eſſe ad mentem S. Auguſtini, qui Epiſt. 194. aliàs 105. ad Sixtum, aliiſque pluribus in locis contra Pelagianos frequenter inculcat, gratiam quibus datur, ex miſericordia dari; quibus verò denegatur, juſto judicio denegari: at denegari non poteſt ex juſtitia, propter peccatum originale quod dimiſſum eſt; ergo denegatur propter peccatum aliquod ſaltem veniale præcedens. Idem planè demonſtrant ea Sancti Doctoris teſtimonia, quibus ſignificat poſſe homines bonum operari ſi velint, mediante ſcilicet gratia, qua nonniſi propria ſua culpa privantur. Lib. 1. ad Simplic. qu. 2.

To. 6. p. 94. B. *Noluit ergo*, inquit, *Eſau, & non cucurrit: ſed ſi voluiſſet & cucurriſſet, Dei adjutorio perveniſſet.* Et Lib. 2. de peccat. mer. & remiſſ. cap. 17. *Ut au-*

To. 10. p. 14. E. F. *tem*, inquit, *innoteſcat quod latebat & ſuave fiat quod non delectabat, gratiæ Dei eſt, quæ hominum adjuvat voluntates: qua ut non adjuveutus, in ipſis itidem cauſa eſt, non in Deo.*

Dices 1. Gratia efficax nemini debetur, aliàs gratia non eſſet; ergo Deus poteſt cui voluerit eam denegare, etiam poſt dimiſſum originale peccatum.

Reſp. diſtinguo ant. Gratia efficax nemini debetur titulo juſtitiæ, concedo: fidelitatis Dei, qui promiſit futurum ut non deſerat juſtum priuſquam ab ipſo deſertus fuerit, neque nos ſupra id quod poſſumus tentandos eſſe, nego. Gratia quæ homini juſto ad bonum opus confertur, non ſemper eſt efficax: imò communis & ordinaria videtur hæc eſſe divinæ providentiæ lex ac regula, ut efficacem non conferat, niſi pro bono uſu ſufficientis; ſinempe homo ſe ipſum facilem præbeat, ſi non reſiſtat, nec ſe ipſum impediat, ut loquitur S. Thomas. Quòd igitur Deus uberiorem & efficacem gratiam aliquibus etiam non ita bonis conferat, miſericordiæ eſt planè ſingularis; quòd aliis deneget, juſtitiæ. Quòd etiam è duobus hominibus qui ſufficienti gratiæ æqualiter reſiſtunt, uni efficacem conferat, non alteri: *Cur illum*, inquit S. Auguſtinus Lib. 2. de pecc. mer. & rem. cap. 5. *Deus adjuvet, illum non adjuvet; illum tantum, illum autem non tantum; iſtum illo, illum illo modo; penes ipſum eſt, & æquitatis tam ſecretæ ratio, & excellentia poteſtatis.*

Dices

Dices 2. Cùm juſtus primum peccatum ſeu mortale ſeu veniale committit, haud dubiè caruit gratia efficaci; ſi enim illam habuiſſet, non peccaſſet: atqui hujuſce denegatæ gratiæ cauſa non poteſt eſſe aliquod præcedens actuale peccatum; ſiquidem de primo loquimur, ante quod nullum eſt; ergo cauſa denegationis hujus gratiæ, eſt peccatum originale tametſi jam dimiſſum.

Reſp. nego min. Vera enim cauſa motiva cur ad vitandum primum peccatum actuale Deus uberiorem gratiam homini non conceſſerit, eſt reſiſtentia hominis gratiæ ſufficienti, cui, ſi contumaciùs non obſtitiſſet, uberiorem procul dubio contuliſſet. Namque ut homo reſiſtat gratiæ, penes ipſum eſt, neque ad hoc divina indiget gratia. Homo enim ſibi ſolus ad peccandum ſufficit, non ad operandum bonum.

TERTIA CONCLUSIO.

Impium eſt aſſerere cum Calvino, Deum ex ſolo ſuo beneplacito & ſine ullo prævio peccato prævíſo, nonnullos homines poſitivè reprobaſſe ac æternis ſuppliciis deſtinaſſe.

Probatur teſtimonio Scripturæ. Ezechielis 18. v. 23. *Numquid voluntatis meæ eſt mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur à viis ſuis & vivat?* Sapient. 1. v. 13. *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum.* Et c. 11. v. 25. *Diligis omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti.* Idem & cap. 12. v. 15. 2. Petri 3. v. 9. *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.*

Matth. 25. v. 41. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum qui paratus eſt diabolo & angelis ejus. Eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare.* Porrò ſicut Deus neminem in tempore à gloria excludit, & damnat ad mortem æternam, niſi propter peccata; ita & neminem ab æterno à gloria excludendum, ac ſuppliciis æternis puniendum deſtinavit, niſi propter prævíſa ejus peccata.

Rom. 2. v. 9. *Ira & indignatio in omnem animam hominis operantis malum.* Quapropter meritò S. Auguſtinus Lib. 3. contra Julianum c. 18. dicit: *Bonus eſt Deus, juſtus eſt Deus: poteſt aliquos ſine bonis meritis liberare, quia bonus eſt: non poteſt quemquam ſine malis meritis damnare, quia juſtus eſt.* Denique ut alia multa in re obvia & facili omittamus, Conc. Araſicanum II. Can. 25. ſic ſtatuit: *Aliquos ad malum divina poteſtate prædeſtinatos non ſolùm non credimus, ſed etiam, ſi ſunt qui tantum malum credere velint, cum omni deteſtatione illis anathema dicimus.* Idem repetitur in Concilio Valentinò III. & in Trid. Seſſ. 6. Can. 17. T. 10. p. 570. D. To. 4. Conc. p. 1672. A. B.

Tria autem quæ addit Calvinus à nobis ſuperiùs memorata, totidem ſunt horrendæ blaſphemiæ, quas ſuo loco Theologi noſtri refellunt; quin ipſimet benemulti Calvini ſectatores damnant ac rejiciunt. Quæ verò in confirmationem tantæ impietatis opponuntur, mox referemus ac ſolvemus.

QUAR-

QUARTA CONCLUSIO.

Non datur negativa reprobatio, (sive sit mera negatio actus, sive actus positivus) à gloria tanquam à beneficio indebito, ex solo Dei beneplacito, ante prævisum quodcunque peccatum.

Probatur iis ipsis Scripturæ testimoniis quæ mox adversùs errorem Calvini laudata sunt: ea enim omnia supponunt aliquod peccatum, propter quod Deus negativè saltem aliquos reprobat, quos odio habet, quos à se jubet discedere; qui vocantur vasa iræ & contumeliæ, apta in interitum. Et verò si Dei clementiam ac bonitatem consulamus, quàm à Dei sensu aliena videtur dura hæc, rigida & immisericors nonnullorum sententia! quàm parùm consona cum sincera Dei voluntate pro salute omnium! quàm paci & tranquillitati animarum contraria! quàm repugnans divinæ justitiæ, quæ neminem damnat ad pœnam, nisi propter culpam! *Non enim delectaris in perditionibus nostris*, ait Tobias Deum alloquens c. 3. v. 22. Et Sapientiæ 12. v. 15. *Cùm sis justus, justè omnia disponis: ipsum quoque qui non debet puniri, condemnare externum estimas à tua virtute. Virtus enim tuæ justitiæ initium est.*

Neque verò quidquam momenti habet quod ajunt, gloriam homini esse indebitam: ita quidem indebita est absolutè; quia potuisset Deus hominem non ordinare ad finem supernaturalem: indebita est etiam nunc propter peccatum, cujus demerito excidimus à jure hæreditatis filiorum Dei; at debita est supposita gratuita ordinatione Dei, qui fecit hominem rectum, & ad vitam æternam destinavit: debita est titulo redemptionis per Christum factæ, cujus passionis ac mortis pretium elevare plurimùm ac extenuare videtur sententia quam hìc impugnamus: debita est titulo misericordiæ ac benignitatis Christi, qui passus est pro nobis, ut donaret nobis vitam; qui nos adjuvat, ut faciamus quæ jubet; qui non patitur tentari nos supra id quod possumus. Debita etiam est titulo justitiæ, *Si tamen compatimur, ut & conglorificemur*. Augmentum enim gratiæ debetur merito prioris: *Justum adjutorium meum à Domino*.

Conclusionem nostram confirmant SS. Patres mox laudandi, qui omnes reprobationis causam rejiciunt, non in voluntatem Dei, sed in hominum peccata.

Dices 1. Esau reprobus factus est ex sola Dei voluntate, antequam quidquam mali egisset; sicut Jacob prædestinatus, priùs quàm quidquam egisset boni. Rom. 9. v. 11. & sequentibus. *Cùm nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali, (ut secundùm electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: Quia major serviet minori, sicut scriptum est, Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Et v. 16. *Non est volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.* Et v. 18. *Cujus vult miseretur, & quem vult indurat.* v. 17. *In hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam.* Denique v. 21. *An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Ex his inferunt, Deum ex solo suo beneplacito ante prævisa bona vel mala opera, alios ad vitam, alios autem ad mortem prædestinare.

Resp.

Resp. distant. Esau reprobatus est à gratia saltem uberiori, concedo : à gloria, nego. Distinguo pariter propositionem istam, Esau reprobatus est antequam quidquam mali egisset, propria voluntate, concedo : aliena voluntate, nempè primi parentis, in quo omnes peccaverunt, nego. Vide quæ ad istud Apostoli testimonium superiùs dicta sunt, ubi de prædestinatione.

Igitur Apostolus citato loco de una loquitur prædestinatione ad gratiam & reprobatione ab illa, sicut jam observavimus, ac evidenter docet S. Augustinus Epistola 186. aliàs 106. ad Paulinum, ubi Jacob & Esau in communi quidem massa perditionis inclusos fuisse affirmat, ex qua Jacob per misericordiam liberatus fuit, Esau verò per justum judicium non fuit liberatus. *Nulla*, inquit n. 21. *in utroque opera vel bona vel mala, sed propria : utrumque autem illi uni obnoxius erat, in quo omnes peccaverunt, ut omnes illo moreren-* To. 2. p. 670. F. *tur.... Si ambo, qui nondum propria vel bona vel mala operabantur, rei tamen* Ibid. G. *ex origine nascebantur ; laudet misericordiam qui liberatur, non culpet judicium qui punitur*. Supponit igitur in Esau peccatum originale quod erat objectum odii Dei. Et Libro 1. ad Simplicianum quæst. 2. *Si nullo*, inquit, *merito* To. 6. p. *reprobatus est Esau.... quomodo ejus reprobatio justa dici potest* ? Et deinde : *Non* 90. F. *igitur odit Deus Esau hominem, sed odit Deus Esau peccatorem*. Addit : *Quòd* Ibid. p. *ergo Jacob dilexit, numquid peccator non erat ? sed dilexit in eo, non culpam* 99. A. *quam delebat, sed gratiam quam donabat*. Alibi dicit, *Nihil in Esau Deum* Ibid. B. *odisse quàm peccatum originale*. Falsum igitur est, quod contendunt nonnulli, Deum ex solo suo beneplacito homines à gloria tanquam à beneficio indebito excludere ante prævisum quodcunque eorum peccatum.

Non tamen ab omni penitus gratia exclusus censeri debet Esau ; siquidem etiam supposita labe originali, Deus verè ac sincerè vult omnes homines salvos fieri. Istud ergo, *odio habui*, idem significat ac minùs dilexi, phrasi Scripturæ satis familiari : sicut Deuter. 21. v. 15. *Si habuerit homo duas uxores, unam dilectam, & alteram odiosam*. Et Matth. 6. v. 24. *Nemo potest duobus dominis servire : aut enim unum odio habebit, & alterum diliget*. Unum odio habebit, id est minùs diliget. Nempè Deus gratiam aliquam reprobis indulget, sed minorem quàm electis.

Atque supposita illa perditionis massa per peccatum originis vitiata, facilè intelligitur quo sensu Apostolus dixerit : *Non est currentis neque volentis, sed miserentis Dei*.... Alios fieri *vasa in honorem, alios in contumeliam*, sine ulla ex parte Dei injustitia. *Hæc massa*, inquit S. Augustinus, laudata Epist. 186. n. 18. *si esset ita media ; ut quemadmodum nihil boni, ita nec mali aliquid me-* To. 2. p. *reretur, non frustra videretur iniquitas, ut ex ea fierent vasa in contumeliam*. 667. G *Cùm verò per liberum arbitrium primi hominis in condemnationem universa defluxerit, procul dubio quòd ex ea fiunt vasa in honorem, non ipsius justitiæ, quæ gratiam nulla præcessit, sed Dei misericordiæ ; quòd verò in contumeliam, non iniquitati Dei, quæ absit ut sit apud Deum, sed judicio deputandum est*.

Instabis 1. Proverb. 16. v. 4. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad malum*. Ergo Deus solo suo nutu ac arbitrio homines sine ulla eorum culpa destinat ad interitum.

Resp. nego conseq. Reproborum quippè justissimam pœnam Deus in gloriam & manifestationem justitiæ convertit : ex malis enim novit etiam bo-

To.6.p. 206.E. na eruere Deus, ait S. Augustinus Enchiridii cap. 27. *melius judicavit de malis benefacere, quàm nulla mala permittere.*

Instabis 2. Jacob & Esau æqualiter inclusi erant in massa perditionis, ex qua unus eductus, alter verò non eductus fuit: unde? Non aliunde quàm sola Dei voluntate, qua *cujus vult misereatur, & quem vult indurat*; ergo sola Dei voluntas est causa reprobationis.

Resp. dist. conseq. Sola Dei voluntas est causa reprobationis comparatè: id est, cur è duobus eodem peccato Adami infectis, unus liberetur à massa perditionis, alter verò non liberetur, Jacob v.g. præ Esau, sola Dei voluntas in causa est, concedo: reprobationis absolutè consideratæ, nego. Illius enim legis causa redditur, peccatum scilicet seu originale, seu actuale. *Quare hunc trahat, illum non trahat*, ait S. Aug. Tract. 26. in Joan. *noli velle judicare, si non vis errare*. Et Epist. 194. aliàs 105. ad Sixtum n. 10. *Cur ille credat, ille non credat, cùm ambo idem audiunt, & si miraculum in eorum conspectu fiat, ambo idem vident; altitudo est divitiarum, sapientiæ & scientiæ Dei, cujus inscrutabilia sunt judicia*. Itaque ubi de prædestinatione seu reprobatione comparatè unius præ alio agitur, nulla ratio reddi potest, & cum Apostolo exclamandum, *O altitudo!* At si de utraque absolutè in se spectata sermo fuerit, causa & ratio reddi potest.

To.3.p. 2. pag. 494. E.

To.2.p. 718. E.

QUINTA CONCLUSIO.

Peccatum originale non est causa reprobationis negativè adultorum qui baptizati sunt; sed unica reprobationis illorum causa, sunt actualia peccata.

Duplex est Conclusionis pars.

De adultis baptizatis hic agitur, non de infantibus, quos certum est à gloria reprobari, si ante perceptam Baptismi gratiam ex hac vita discedant.

Probatur prima pars Conclusionis duobus maximè gravissimis momentis.

Primum est: peccatum dimissum per gratiam baptismalem non potest esse causa reprobationis etiam negativæ; quia ex Apostolo Rom. 8. v. 1. *Nihil damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu*. Et ex Conc. Trid. Sess. 5. Decreto de peccato originali n. 5. *In renatis nihil odit Deus: quia nihil est damnationis iis qui verè consepulti sunt cum Christo per Baptisma in mortem.*

To.14. Conc.p. 753. A.

Tanta visa est Bellarmino vis hujus argumenti, ut existimet solvi illud non posse. *Porrò*, inquit Lib. 2. de Gratia & libero arbitrio cap. 16. *qui ob solum originale peccatum à Deo prævisum, omnes reprobos damnationi perpetuæ addictos fuisse contendunt, quæstionem planè insolubilem sibi ipsi faciunt: neque enim intelligi potest quomodo Deus propter originale peccatum damnare velit eos, quibus in Baptismo peccatum ipsum verè, proprièque dimisit: nam etiam si dimissa culpa originali, non continuò tollantur concupiscentia, ignorantia, mortalitas, aliæque id genus miseriæ, tamen propter ista non potest Deus hominem velle damnare, cùm Apostolus de justificatis dicat: Nihil ergo damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu*. Hæc Bellarminus.

To.4.p. 205. G.

Repones 1. peccatum originale dimissum non esse quidem causam proximam & immediatam reprobationis, sed remotam, primam & radicalem. 2. ex peccato originali tametsi dimisso, supereesse indignitatem quamdam, qua fit ut Deus gratias uberiores absque ulla injustitia denegare possit; ergo & negativè reprobare. Sicut enim supersunt ignorantia, concupiscentia, mortalitas &c. quidni & indignitas quædam?

Verùm

Verùm gratis omninò ficta videtur, imò & periculosa hæc responsio.

Namque causa reprobationis negativæ etiam radicalis ac remota, debet aliquod demeritum supponere quod sit objectum odii Dei: atqui post peccatum originale quod Deus ab æterno dimittendum fore prævidit ac statuit, nullum occurrit demeritum in homine baptizando, sicut & in baptizato, quod possit esse objectum odii Dei. Quod enim esset? Peccatum originale? At perfectè dimissum est. Pœnalitates quæ post peccatum supersunt? At illæ ad agonem & exercitium virtutis in nobis superstites remanent, nec ex se se mali moralis rationem habent. Indignitas quædam? Sed quid illa sit, non intelligimus: quasi quædam indignitas in eo sit in quo nihil est damnationis; aut saltem talis illa sit, ut propter illam homo possit à Deo reprobari qui per Baptismum factus est filius Dei, hæres quidem Dei, cohæres Christi.

Deinde verò reprobatio illa negativa, necessariò involvit positivam damnationem: quia cùm nullum sit medium inter exclusionem à gloria & destinationem ad pœnam, qui à gloria excluditur, censetur destinatus ad pœnam. At quis dixerit Deum hominem baptizatum destinare ad pœnam æternam, propter peccatum originale quod gratis dimissum ipsi est?

Secundum momentum ducitur ex voluntate Dei vera & sincera salvandi omnes, etiam supposito peccato originali; quæ certè non videtur conciliari posse cum reprobatione negativa propter illud ipsum peccatum. Quomodo enim sincero affectu potest Deus velle salutem eorum quos ex se noluit numero electorum comprehendere? Quomodo eis gratiam verè sufficientem potest destinare, qua possint ad salutem pervenire, qui à salute jam exclusi sunt, & ad quam, supposito reprobationis decreto absoluto & antecedente, perduci nunquam possunt?

Reponunt voluntatem Dei salvandi omnes, esse in Deo antecedenter ad prævisionem peccati originalis; adeoque illam non destrui per reprobationem negativam propter illud originale peccatum. Verùm antecedat vel sequatur illa voluntas salvandi omnes peccatum originale prævisum, perinde est ad propositam difficultatem: si enim antecedit, destruit subsequentem reprobationem negativam: si sequitur, ab illa vicissim destruitur. Non potest enim concipi voluntas salvandi, supposito peccato originali, stare cum voluntate reprobandi à gloria propter hoc ipsum originale peccatum: videntur hæc duo secum invicem pugnare?

Neque dolo caret quod dicitur, voluntatem Dei salvandi omnes esse in Deo antecedenter ad peccatum originale; quo dicto apertè insinuatur, supposito peccato eoque à Deo præviso, voluntatem illam non esse in Deo veram ac sinceram, sed tantùm impropriè ac metaphoricè, ac meram, ut ajunt, signi voluntatem: quod volebat Jansenius, cùm scripsit voluntatem illam in mera præcisione mentis positam esse, hoc est, facta peccati abstractione; quo supposito, non amplius illa subsistit.

His adde consentaneum non videri, ut Deus, qui longè propensior est ad misericordiam quàm ad justitiam & veritatem, quemquam ab hæreditate, ad quam nos gratuitò destinavit, sine ullis demeritis excludat; nisi fortè recidere volueris in duram illam & asperam opinionem quam refutavimus, Deum ex solo suo arbitrio non excludere à gloria tanquam à beneficio indebito.

Tertium momentum: Suppoſita reprobatione negativa, abſoluta & antecedente peccatorum actualium prævisionem, neceſſe videtur ut Deus in executionem (quæ certa & infallibilis eſſe debet) hujuſce reprobationis, auxilia gratiæ eo conſilio reprobis ſubtrahat, ut non ſalventur. Sicut enim ex prædeſtinatione abſoluta quæ omnia merita præcedit, ſequuntur in tempore auxilia gratiæ efficacis, quibus prædeſtinatus certiſſimè ſalvatur; ita è contrario ex reprobatione negativa antecedente prævisionem demeritorum perſonalium, ſequitur in tempore ſubtractio gratiarum, quarum defectu reprobi certiſſimè peribunt: ex quo rurſus ſequitur, veram eſſe propoſitionem iſtam, quam S. Auguſtinus refert & damnat Lib. de dono perſev. cap. 22. ſi-
T.10.p. 854. E. licet, *Si qui obeditis, ſi prædeſtinati eſtis rejiciendi, ſubtrahentur obediendi vires, ut obedire ceſſetis*. Quæ certè propoſitio nihil aliud continet, quàm executionem reprobationis negativæ; huncque ſenſum præ ſe ferre videtur: nempè, poſtquam Deus eos elegit, quos vult gratis ſalvos eſſe; cæteris, qui vi hujus diſcretionis à gloria excluſi ſunt, denegantur gratiæ neceſſariæ ad ſalutem, ſeu, ut habet ipſa propoſitio, *Subtrahuntur obediendi vires, ut obedire ceſſent*: quam propoſitionem velut falſam, odioſam & abomina-
Ibid. D. bilem rejicit ſanctus Doctor. *Miror*, inquit, *ſi ullo modo poteſt in populo Chriſtiano quiſquam infirmus patienter audire .... Hoc enim dicere, quid videtur eſſe*
Ibid. F. *aliud, quam maledicere, aut mala quodammodo prophetare? ... Res enim non optabilis, ſed abominabilis dicitur, & duriſſimè atque odioſiſſimè, quaſi in audientium frontem compellando colliditur, quando qui eis loquitur, dicit, Si qui eſtis qui obeditis &c.*

At, inquies, S. Auguſtinus non reprobat dictam propoſitionem quoad ſenſum, ſed tantùm quoad modum enuntiationis in ſecunda perſona; *ſi qui obeditis &c.* qui durus & odioſus videtur: unde eamdem propoſitionem probat ſanctus Doctor, ſi in tertia perſona enuntietur. *Si qui obediunt &c. Quid*
Ibid. *enim*, inquit, *ſententiæ deperit, ſi ita dicatur: Si qui autem obediunt, ſed in regnum ejus & gloriam prædeſtinati non ſunt, temporales ſunt, nec uſque in finem in eadem obedientia permanebunt? Nonne & verius eadem res, & congruentius dicitur?* Ergo eadem eſt quoad ſubſtantiam utraque propoſitio, utraque vera, licèt una ſit altera magis conveniens ac congrua.

Reſp. nego ant. Quis enim facilè crediderit S. Auguſtinum propoſitionem iſtam, *ſi qui obeditis &c.* velut *abominabilem, duriſſimam atque odioſiſſimam* rejeciſſe, ſi de uno dumtaxat modo eam enuntiandi in ſecunda perſona actum fuiſſet? Itaque ſi attentè utraque propoſitio inſpiciatur, amplum videbitur eſſe inter utramque diſcrimen. Iſta prima, *Si qui obeditis, ſi prædeſtinati eſtis rejiciendi, ſubtrahentur obediendi vires, ut obedire ceſſetis*, veluti practica eſt; ac ſignificat Deum idcircò vires obediendi ac perſeverandi nonnullis ſubtrahere, quia eos ex ſolo ſuo beneplacito non prædeſtinavit, ſeu reprobavit; ita ut ipſa non prædeſtinatio ſeu reprobatio negativa cauſa ſit ſubtractionis auxiliorum gratiæ, in eum finem, ut homo non ſalvetur; qui ſenſus eſt reprobationis negativæ, quem ſanctus Auguſtinus meritò damnat ac rejicit velut abominabilem, durum & maximè odioſum: altera verò iſta propoſitio, quam loco prioris Auguſtinus ſubſtituit, nempè; *Si qui autem obediunt, ſed in regnum ejus & gloriam prædeſtinati non ſunt, temporales ſunt, nec uſque in finem in eadem obedientia permanebunt*: iſta, inquam, propoſitio
me-

merè, ut ita dicam, ſpeculativa eſt, ac enuntiat dumtaxat quid futurum ſit; eos nempè qui non ſunt prædeſtinati, temporales eſſe, nec uſque in finem perſeverare: verùm illius non perſeverantiæ cauſam & rationem non rejicit, ſicut prima propoſitio, in Deum non prædeſtinantem ſeu reprobantem; quod unum Auguſtino videbatur *abominabile, durum & odioſiſſimum.* Quapropter ſanctus Proſper ad excerpta Genuenſium dubio 9. loquens de illa propoſitione ab Auguſtino correpta & emendata, ſic ait: *Quam corrigens & mundans atque emendans* (Auguſtinus) *tolerabiliorem audientibus facit; quæ vera ſunt temperans, quæ falſa ſunt reſecans.* Ergo, judice ipſo S. Proſpero, erat aliquid in priori propoſitione falſum & erroneum, quod in ſecunda emendavit & correxit S. Auguſtinus. Pagina 254. B.

Secunda pars Concluſionis probatur 1. iiſdem planè Scripturæ teſtimoniis quæ in confirmationem tertiæ noſtræ Concluſionis laudata ſunt. Matth. 25. v. 41. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus: eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare &c.*

Probatur 2. ex conſtanti SS. Patrum doctrina, maximè Auguſtini ac diſcipulorum ejus.

Tertullianus L. de præſcriptionibus cap. 8. *Judæi*, inquit, *retro penes Deum fuerant, debinc rejecti ob delicta, extra Deum eſſe ceperunt.* Pagina 205. B.

S. Baſilius in Conſtit. Monaſticis: *Qui à Deo ſe optat juvari, ſuo non deeſt officio: Qui autem officio non deeſt, numquam divino auxilio deſtituitur.* To. 2. p. 538. B.

S. Joannes Chryſoſtomus Lib. 1. ad Stagirium n. 6. aliàs Lib. 1. de Providentia cap. 6. *Si ex dilectione*, inquit, *correptio, ex odio verò dereliction eſt: neque eiuſdem eſt quempiam ſimul & amare & odiſſe, neque corripere ſimul & derelinquere. Quomodo ergo, inquies, multi corruerunt? Seipſos illi Deo privaverunt, non autem à Deo derelicti ſunt.* Ed. no. To. 1. p. 170. D.

S. Auguſtinus multis in locis Concluſionis noſtræ fundamenta jecit. Lib. 3. contra Julian. c. 18. jam citato, *Bonus eſt Deus*, inquit, *juſtus eſt Deus: poteſt aliquos ſine bonis meritis liberare, quia bonus eſt; non poteſt quemquam ſine malis meritis damnare, quia juſtus eſt.* To. 10. p. 570. D.

Lib. 13. de Civitate Dei c. 15. *Ad malum quippè ejus* (creaturæ) ait, *prior eſt voluntas ejus: ad bonum verò ejus, prior eſt voluntas creatoris ejus.* To. 2. p. 334. F.

Lib. de natura & gratia cap. 26. *Deus non deſerit ſi non deſeratur, ut piè ſemperque juſtè vivatur.* Et cap. 28. *Deſerit aliquantùm Deus, unde ſuperbis? ut ſcias non tuum, ſed ejus eſſe; ut diſcas ſuperbus non eſſe.* To. 10 p. 140. A. *Ibid.* F.

Magiſtrum ſequuntur fideliſſimi diſcipuli Proſper & Fulgentius.

S. Proſper in tertia reſponſione ad Capitula Gallorum. *Quòd hujuſmodi*, inquit, *in hæc prolapſi mala, ſine correctione pœnitentiæ defecerunt, non ex eo neceſſitatem habuerunt, quia prædeſtinati non ſunt: ſed ideò prædeſtinati non ſunt, quia tales futuri ex voluntaria prævaricatione præſciti ſunt.* Et infrà: *Non enim relicti ſunt à Deo, ut relinquerent Deum: ſed reliquerunt, & relicti ſunt; & ex bono in malum propria voluntate mutati ſunt: atque ab hac licèt fuerint ſanati, fuerint juſtificati; ab eo tamen qui illos tales præſcivit, non ſunt prædeſtinati.* P. 107. B. C. *Ibid.* E.

Et ſententia tertia ſuper idem Capitulum: *Qui dicit*, inquit, *quòd non prædeſtinati ad vitam, etiamſi fuerint in Chriſto per Baptiſmum regenerati, & piè juſtèque vixerint, nihil eis proſit, ſed tamdiu reſerventur, donec vuant; nec ante eos ex hac vita, quàm hoc eis contingat, auferri, tanquam ad conſtitutionem Dei* Pagina 219. E.

talium hominum ruina referenda sit: non est Catholicus. Et Sentent. super Capitulum septimum: *Qui dicit quòd Deus quibusdam filiis suis quos regeneravit in Christo, quibus fidem, spem & dilectionem dedit, ob hoc perseverantiam non dederit, quia à massa perditionis præscientia Dei & prædestinatione non sunt discreti: si hoc vult firmare, quòd Deus huiusmodi homines in bonis quæ donaverat noluerit permanere, & ipse eis causa averſionis extiterit, contra justitiam Dei sentit.* Pagina 220. D.

Et Respons. super duodecimum. *Qui dicit, quòd quibusdam vocatis, & piè justèque viventibus, obedientia subtrahatur, ut obedire desistant: malè opinatur de bonitate Dei atque justitia, ut videatur ad impietatem pios cogere, & innocentiam bonis adimere: cùm ipse sit pietatis atque innocentiæ largitor & custos.* Pagina 222. B.

Evidens est S. Prosperum eò loci alludere ad propositionem de qua mox egimus, quam damnaverat S. Augustinus; & quam ipsemet etiam nostram responsionem mirè confirmans damnat & improbat S. Prosper.

S. Fulgentius L. 1. ad Monimum c. 24. *Prædestinavit*, inquit, (Deus) *illos ad supplicium, quos à se præscivit voluntatis malæ vitio discessuros.* Pa. 19.

Idem definitum habemus à Conciliis.

Arausicano II. cujus verba Conclusione tertia hìc laudavimus.

Valentino III. Can. 3. *Fatemur*, inquiunt Episcopi, *prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem; in electione tamen salvandorum misericordiam præcedere meritum bonum, in damnatione autem perditorum meritum malum præcedere ejustum Dei judicium.* Tom 8. Conc. p. 136. A.

Tridentino Sess. 6. Can. 17. his verbis: *Si quis justificationis gratiam nonnisi prædestinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos verò omnes qui vocantur vocari quidem, sed gratiam non accipere, utpotè divina potestate prædestinatos ad malum; anathema sit.* To. 14. Conc. p. 766. B.

Denique præsens Conclusio necessariò sequitur ex nostra circa prædestinationem ad gloriam sententia, nec divellì ab ea ullatenus potest. Quippè si prædestinatio ad gloriam fiat ex prævisis meritis gratiæ, quantò magis reprobatio ab eadem gloria & præparatio æterni supplicii pendet ac sequitur ex prævisione demeritorum personalium?

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. celebre Apostoli dictum de Jacob & Esau Rom. 9. v. 11. *Cùm nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali, non ex operibus, sed ex vocante dictum est...Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Atqui Deus Esau odio non habuit propter peccata illius personalia, ut patet ex ipso textu citato; ergo propter solum originale peccatum, & quidem, ut verisimile est, dimissum; ergo solum peccatum originale est prima & radicalis causa reprobationis.

Resp. nos istud Apostoli testimonium semel & iterum jam exposuisse, tùm hìc ad quartam Conclusionem, tùm inter Objectiones contra prædestinationem factam ex prævisis meritis. Consule quæ his locis dicta sunt.

Deinde verò ex hypothesi quòd hìc agatur de spirituali prædestinatione Jacob, & reprobatione Esau, sicut supponit S. Augustinus, qui exemplum illud sæpissimè adducit.

Resp. 1. distinguo min. Deus Esau odio non habuit propter peccata illius perso-

personalia actu exercita, ut putavit Origenes, concedo: propter opera futura & à Deo prævisa, nego. Si reipsa Esau imago & typus reproborum, reprobatus à Deo fuit, quidni affirmare possumus, illum ex prævisis peccatis futuris rejectum fuisse? Maximè cùm Apostolus Hebr. 12. v. 16. prava illius opera perstringat: *Ne quis*, inquit, *fornicator, aut profanus, ut Esau, qui propter unam escam vendidit primitiva sua.* Hoc supposito funditus ruit objectio proposita.

II. Quidni etiam supponi potest deletum in Esau non fuisse peccatum originale? Neque enim ullo certo argumento constare nobis potest remissum revera illud fuisse; imò non remissum videtur supponere sanctus Augustinus, cùm ait, nihil in Esau Deum odisse quàm peccatum originale: at si condonatum ac dimissum illud supposuisset, quomodo Deus odio illud habuisset? Et revera melior non videtur fuisse conditio Judæorum, quàm nostra: quàm multi autem apud nos pereunt infantes, quibus applicari non potest remedium originalis culpæ, nempè Baptismus? Ergo & idem Esau multisque aliis in veteri Lege contigisse supponere sine ulla absurditate possumus: qua suppositione facta, Esau reprobus factus est, non tantùm propter noxam originalem non condonatam, sed etiam propter actualia seu personalia ipsius peccata futura à Deo prævisa. Conclusio verò nostra loquitur de causa reprobationis negativæ propter originale peccatum dimissum; ergo exemplum Esau aptum & accommodatum non videtur ad rem præsentem.

III. Reprobatio Esau, de qua Apostolus, à gloria non est, sed à gratia, non quidem totali, sed à gratia duntaxat uberiori & abundantiori, qua in pœnam peccati alicujus præcedentis privatus à Deo fuit, ut hic exposuimus Conclusione secunda. Uberiorem quippè seu efficacem gratiam Deus nemini debet: sed quibus concedit, misericordiæ beneficium est; quibus negat, justum judicium. *Laudet misericordiam qui liberatur*, ait S. Augustinus, *non culpet judicium qui punitur.* Paratus tamen est Deus pro bona sua & benefica voluntate iis concedere efficacem gratiam, qui sufficienti contumaciter non resistunt. Porrò Esau non omni auxilio gratiæ destitutum fuisse agnoscit idem Sanctus Doctor Lib. 1. ad Simplic. q. 2. *Noluit ergo*, inquit, *Esau, & non cucurrit: sed si voluisset & cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset.* Illo exemplo Jacob & Esau utitur Apostolus, & post ipsum sanctus Augustinus, ut ostendat vocationem ad gratiam fidei plane gratuitam esse, nec ullis naturæ vel Legis Mosaicæ meritis debitam esse, contra superbam Judæorum jactantiam. *To. 6. p. 94. B.*

Objicies 2. Sanctus Augustinus causam reprobationis passim rejicit in peccatum originale, seu in massam quamdam communem damnatam & perditam, ex qua nonnulli per misericordiam eruuntur, alii justo judicio non eruuntur. Inter illos autem reprobos qui in massa perdita relinquuntur, certissimum est multis condonatum fuisse ac dimissum peccatum originale, ac concessa in tempore gratiæ cujusdam temporalis auxilia.

Enchiridii cap. 99. *Sola gratia*, inquit sanctus Doctor, *redemptos discernit à perditis, quos in unam perditionis concreverat massam ab origine ducta causa communis.* *Ibid. p. 235. E.*

Lib. 2. ad Bonifac. cap. 7. *Bonum quidem*, inquit, *immeritò & gratis datur, quia ex eadem massa est cui non datur: malum verò meritò & debitum redditur, quia in massa perditionis malum malo non malè redditur.* *T. 10. p. 440. A.*

To.2.p. 669.G. Denique Epistola 186. aliàs 106. ad Paulinum n.18. *Hæc massa*, inquit, *si ita esset media, ut quemadmodum nihil boni, ita nec mali aliquid mereretur, non frustra videretur iniquitas, ut ex ea fierent vasa in contumeliam; cùm verò per liberum arbitrium primi hominis in condemnationem universa defluxerit, procul dubio quòd ex ea fiunt vasa in honorem, non ipsius justitiæ, quæ gratiam nullam præcessit, sed Dei misericordiæ; quòd verò in contumeliam, non iniquitati Dei, quæ absit ut sit apud Deum, sed judicio deputandum est.*

Resp. hæc sancti Augustini testimonia frustra nobis opponi, quæ Conclusioni nostræ non adversantur. Agnoscimus quidem cum S. illo Doctore, massam illam communem damnatam in Adamo, in quo omnes peccaverunt; sed agnoscimus etiam Deum, voluntate saltem antecedente ac conditionata, velle massam illam in Christo & per Christum à perditione liberare, per auxilia gratiæ quæ distribuit prout vult, aliis majora, aliis verò minora, tametsi sufficientia ut salutem assequi possint, mediatè saltem. Quæ verò causa sit cur alii ex massa illa perditionis efficaciter liberandi destinentur à Deo, alii verò non; si de liberatione comparatè, unius scilicet præ alio, sermo sit, non alia causa & ratio reddi potest quàm Dei voluntas: si verò de liberatione absolutè in se sumpta, causa hæc est, prævisio scilicet usus, vel abusus, qui futurus erat, gratiarum Dei.

Ad argumentum itaque respondeo; distinguo ant. S. Augustinus causam reprobationis negativæ passim rejicit in peccatum originale, & massam damnatam, vel propter prævisum originale peccatum non dimittendum: vel si dimitti aliquando debet, propter prævisam hominis in malo contumaciam, atque finalem impœnitentiam, concedo: propter decretum absolutum & antecedens negativè aliquos reprobandi, quod ab una Dei pendeat voluntate citra ullum ex parte reprobi demeritum, nego. Solutio cohæret cum iis quæ tùm hìc, tùm paulò antè circa prædestinationem ex meritis prævisis, dicta & probata fuere.

Instabis 1. Illa reprobatio fit ante prævisa demerita saltem personalia, & ex solo peccato originali, quæ Deo causa est ac motivum cur reprobos à massa perditionis non liberet, nec illis in tempore efficaces gratias, ac finalem perseverantiam concedat: atqui talis est in mente ac doctrina S. Augustini reprobatio negativa, ab uno dependens peccato originali. Probatur minor propositio verbis S. Augustini L. de dono persev. cap. 14. n. 35. ubi postquam dixit Tyrios & Sidonios in massa perditionis justo Dei judicio de-

T.10.p. 830.A. relictos, sic pergit: *Qui etiam*, inquit, *credere potuerunt.... sed quoniam ut crederent, non erat eis datum, etiam unde crederent est negatum..... & altiore Dei judicio, à perditionis massa non sunt gratiæ prædestinatione discreti, nec ipsa*

ibid.C. *eis adhibita vel dicta divina vel facta, per quæ possent credere.... Sed nec illis profuit quòd poterant credere, quia prædestinati non erant ab eo, cujus inscrutabilia sunt judicia.*

Audis Tyrios & Sidonios justè à massa perditionis non esse liberatos; & quamquam credere potuissent in Christum, ipsis idcircò datum non fuisse, ut crederent, & unde crederent, quia prædestinati non erant; ergo non prædestinatio, seu negativa reprobatio causa est, cur reprobis denegetur & gratia fidei, & finalis perseverantia.

Addit sanctus Doctor, quòd etsi nonnullis ex reprobis gratia fidei per Baptis-

ptiſſimum concedatur, negatur tamen ipſis gratia finalis perſeverantię. Quare? non alia de cauſa, quàm quòd non ſint prædeſtinati: unde eos temporales appellat, qui à maſſa perdita verè ac propriè non ſunt diſcreti. *Si qui obediunt*, ait ſanctus Doctor L. de dono perſev. cap.22.n.61. *ſed in regnum eius ac gloriam prædeſtinati non ſunt, temporales ſunt, nec uſque in finem in eadem obedientia permanebunt.* *Ibid. p. 854. F.*

Et L. de corrept. & gratia c.7.n.12. *Qui Evangelium*, inquit, *non audierunt, & qui eo audito in melius commutati perſeverantiam non acceperunt, & qui Evangelio audito venire ad Chriſtum, hoc eſt, in eum credere noluerunt...ſed ab originali noxa ſolo poſſent lavacro regenerationis abſolvi, quo tamen non accepto mortui perierunt, non ſunt ab illa conſperſione diſcreti, quam conſtat eſſe damnatam.* *Ibid. p. 756. E.*

Et n.16. *Qui perſeveraturi non ſunt, ac ſic à fide Chriſtiana & converſione lapſuri ſunt, ut tales eos vitæ huius finis inveniat; procul dubio nec illo tempore quo benè pièque vivunt, in iſtorum numero computandi ſunt. Non enim ſunt à maſſa perditionis præſcientia Dei & prædeſtinatione diſcreti; & ideò nec ſecundùm propoſitum vocati; ac per hoc nec electi.... Et tamen quis neget eos electos, cùm credunt, & baptizantur, & ſecundùm Deum vivunt? Planè electi à neſcientibus quid futuri ſint, non ab illo qui eos novit non habere perſeverantiam, quæ ab beatam vitam perducit electos, ſcitque illos ità ſtare, ut præſcierit eſſe caſuros.* Fatetur ipſemet Petàvius hanc eſſe S. Auguſtini mentem atque ſententiam. *Ibid. p. 758. E. F.*

Reſp. nego min. Ad probationem ex S. Aug. Fatemur S. Doctorem ad reprobationem negativam tanquam ad cauſam proximam & immediatam referre, cur nonnullis efficax & uberior gratia ac finalis perſeverantia non concedatur: at ſi quæ ſieris primam & radicalem cauſam cur illi, juxta mentem S. Auguſtini, non ſint prædeſtinati ſed reprobi, reſpondebimus, vel eſſe peccatum originale, ſi non prævideatur à Deo dimittendum; vel peccata aliquando futura. Inde fit quòd etſi temporales aliquas gratias illi recipiant, (unde *temporales* ab Auguſtino dicuntur) non ſint tamen perfectè ac integrè liberati, nec vocati & electi ſecundùm Dei propoſitum, quia non ſunt perſeveraturi, ex qua ſola perſeverantia perfecta oritur liberatio. Quòd autem non ſint perſeveraturi, non fit ex ſola Dei voluntate, pro nutu ſuo & arbitrio reprobantis, ac conſequenter gratiam finalis perſeverantiæ eo fine denegantis, ut reprobi pereant, abſit: audivimus enim paulò antè S. Auguſtinum ſententiam hanc velut abominabilem, duram & odioſiſſimam rejicientem; ſed vera & immediata cauſa hæc eſt, quia cùm poſſent, nolunt tamen perſeverare: *Perſeverare ſi velles*, ait S. Auguſtinus Lib. de corrept. & gratia cap.7. n.11. *Donum quippè illud*, ait idem ſanctus Doctor Lib. de dono perſev. cap.6.n. 10. *ſupplicèr emereri poteſt.* Conſule quæ ſuperiùs dicta ſunt Articulo 2. de cauſis prædeſtinationis Concluſione quarta. Id verò non obſtat quin perſeverantia finalis ſit donum Dei ſingulare, ut conſtat ex dictis ibidem. *Ibid. p. 756. E.* *Ibid. p. 826. G.*

Quòd verò reprobatio illa negativa non ſit cauſa denegatæ reprobis cujuſcunque gratiæ, colligitur ex S. Auguſtino L. de dono perſev. cap.22. n.59. ubi rejicit & improbat iſtam propoſitionem. *Nec illud*, inquit, *dicendum, Cæteri verò qui in peccatorum delectatione remoramini, ideò non dum ſurrexiſtis, quia necdum vos adjutorium gratiæ miſericordis erexit. Cùm benè & convenienter dici poſſit* *Ibid. p. 854. A.*

poſſit & debeat, Si qui autem adhuc in peccatorum damnabilium delectatione remoramini, apprehendite ſaluberrimam diſciplinam. At diſciplinam hanc ſaluberrimam apprehendere non poſſunt ſine adjuvante gratia ; ſupponit igitur ſanctus Doctor hanc illis gratiam dari, vel ſaltem offerri.

Doctiſſimus Petavius candidè agnoſcit hic nobis S. Auguſtinum adverſari, quem ipſe hac in parte deſerit: ſed qua libertate ipſe Auguſtinum, eadem & nos Petavium hìc deſerimus.

Inſtabis 2. Sanctus Auguſtinus non ſemel aſſerit diſputans contra Julianum, unùm peccatum eſſe pœnam alterius, Deo non ſolùm patiente ac permittente, ſed etiam inclinante ac impellente miris & inexplicabilibus modis. Lib. de Gratia & libero arbitrio cap. 21. *Operatur Deus in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit, ſive ad bona pro ſua miſericordia, ſive ad mala pro meritis eorum, judicio utique ſuo aliquando aperto, aliquando occulto, ſemper tamen juſto.* Et L. de corrept. & gratia cap. 7. loquens de electione Apoſtolorum & Judæ proditoris, ait: *Illos debemus intelligere electos per miſericordiam, illum per judicium; illos ad obtinendum regnum ſuum, illum ad effundendum ſanguinem ſuum.* Hæc porrò doctrina non alio ſubnixa videtur fundamento, quàm quòd eos Deus ad malum etiam poſitivè inclinet, quos negativè reprobavit.

Reſp. nego conſequentiam quæ tota impietatem Calvini redolet, anathemate damnatam à Conc. Trid. Seſſ. 6. Can. 6. his verbis: *Si quis dixerit, non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, ſed mala opera, ita ut bona Deum operari, non permiſſivè ſolùm, ſed etiam propriè & per ſe, adeò ut ſit ejus proprium opus, non minùs proditio Judæ, quàm vocatio Pauli, anathema ſit.*

Ad primam probationem, dico mentem S Auguſtini eſſe, unum ſcilicet peccatum, ratione culpæ, eſſe à Deo permiſſivè tantùm in pœnam alterius: ratione verò pœnæ, ſeu prout eſt alterius pœna, eſſe à Deo quodammodo poſitivè; ſeu, ut loquitur S. Aug. *non tantùm per patientiam, ſed etiam per potentiam.* Totus nempè erat ſanctus Doctor, ut adversùs Julianum demonſtraret, exiſtere peccatum originale : inter multa verò quibus utebatur argumenta, hoc unum erat, Deum in pœnam illius primævæ ac originalis noxæ, cætera permittere peccata. Cùm verò Julianus ad hoc declinandum telum reponeret, Deum non poſitivè velle illa peccata in pœnam præcedentis originalis, ſed tantùm negativo & planè otioſo modo ſe habere ; ſanctus Auguſtinus è contra demonſtrat, Deum non modò per patientiam peccata tolerare, ſed etiam per potentiam ac virtutem operari prodigia, quibus reprobi vitio propriæ ſuæ voluntatis in propriam ruinam abutuntur; quod quidem in Pharaone potiſſimùm eluxit, qui ex ſtupendis prodigiis, quæ Deus coram ipſo operabatur, majoris obdurationis ex prava cordis ſui diſpoſitione occaſionem arripuit, nedum converſus ad Deum fuit.

Ad ſecundam. Longè diverſa ratione Deus Apoſtolos elegit ad regnum ſuum, & Judam ad effundendum ſanguinem Chriſti. Apoſtolos eligendo, idoneos fecit per gratuitam ſuam gratiam, ut eligerentur : in Juda verò pravam ejus ac corruptam voluntatem non fecit, ſed ſuppoſuit, qua ſapienter & opportunè uſus eſt ad conſummandum redemptionis noſtræ myſterium. Electum autem Judam ad effundendum ſanguinem Chriſti dicit Auguſtinus, non quòd poſitivè ad tam horrendum ſcelus illum impulerit, ſed quòd illud ad bo-

Ibid. p. 742. C.

Ibid. p. 758. B.

To. 14. Conc. p. 765. A.

bonum permiſerit: illud etenim quodammodò Deus velle cenſetur, quod permittit; quippè ſi non permitteret, non fieret. Sed de hoc argumento pleniùs in Tractatu de peccatis.

Inſtabis 3. Deus juſtis baptizatis denegat aliquando gratiam efficacem ad primum declinandum peccatum, ac permittit ut in illud prolabantur: hæc autem permiſſio peccati, & ſubtractio efficacis gratiæ, non aliunde oritur, quàm ex ipſomet peccato originali, quanquam dimiſſo; ſeu ex infirmitate quadam & indignitate quæ poſt peccatum in nobis remanet, unde fit ut juſti vel in ipſa juſtitia diu firmi ac ſtabiles perſiſtere non poſſint: quapropter cùm Deus reprobos baptizatos cadere in actuale peccatum permittit, & ipſis auxilia denegat efficacia ad perſeverandum in accepta juſtitia, juſtè denegat quod exigit infirmitas ex prima & originali labe ſuperſtes; ergo propter illam infirmitatem ſeu indignitatem, Deus nonnullos homines negativè reprobare poteſt, ac reipſa reprobat tùm à gratia tùm à gloria.

Videtur argumentum iſtud eſſe ad mentem S. Gregorii magni & S. Auguſtini.

S. Gregorius in Pſal. 101. ad iſta verba: *Quia cinerem tanquam panem manducabam. Cùm*, inquit, *juxta Apoſtoli ſententiam, neque volentis, neque currentis, ſed miſerentis ſit Dei: alios qui corruerant, miſericorditer erigit; alios qui ſtare videbantur, cadere juſtè permittit. Ex peccato namque primi parentis accepimus, ut nec in ipſa juſtitia ſtabiles eſſe poſſimus.* Ed. no. To. 3. p. 2. pag. 510. D. E.

Sanctus Auguſtinus Lib. de corrept. & gratia cap. 12. de hac ipſa collapſæ naturæ infirmitate ſic loquitur: *Si in tanta infirmitate vitæ hujus ipſis relinqueretur voluntas ſua, ut in adjutorio Dei ſine quo perſeverare non poſſent, manerent ſi vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent; inter tot & tantas tentationes infirmitate ſua voluntas ipſa ſuccumberet, & ideò perſeverare non poſſent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis ut poſſent.* T. 10. p. 771. E.

Reſp. nego min. Infirmitas quippè illa vitio ac culpæ non imputatur, quemadmodum nec ignorantia & concupiſcentia; proindeque cauſa eſſe non poteſt, cur Deus permittat juſtum in aliquod peccatum labi, & ipſi efficacem deneget gratiam. Revera gratiam efficacem ad primum actuale peccatum declinandum Deus aliquando homini juſto denegat, tùm quia eam nemini debet, tùm quia propter aliquam præcedentem culpam, teporem, negligentiam, vel reſiſtentiam gratiæ ſufficienti, eam non immeritò retrahit. Permiſſio verò peccati non ſemper eſt in pœnam præcedentis culpæ, ut patet exemplo Angelorum & Adami, qui in ſtatu ipſo innocentiæ ac ſummæ perfectionis, Deo permittente, lapſi ſunt: pertinet etenim ad generalem Dei providentiam, permittere ut creatura, quam liberam creavit, libertate ſua interdum abutatur; maximè cùm peccata ipſa Deus in manifeſtationem gloriæ ſuæ, ac in bonum electorum convertat.

Ex laudatis autem SS. Gregorii & Auguſtini verbis nihil profectò extundi poteſt quod nobis adverſetur: imò cùm S. Gregorius ait, Deum juſtè permittere, ut qui ſtare videbantur, cadant: manifeſtè ſupponit Deum propter aliquam præcedentem culpam & in pœnam illius, novum permittere peccatum.

S. verò Aug. citato loco nihil aliud intendit, niſi quòd in tanta vitæ hujus infirmitate voluntas prepotenti Dei auxilio indigeat, ut tentationibus quibus unde-

undequaque premitur, non ſuccumbat; quod unum demonſtrandum ipſi erat contra Pelagianos, qui hanc voluntatis interiorem gratiam non admittebant.

ARTICULUS TERTIUS.

De effectibus reprobationis.

PRopriè & accuratè loquendo, per reprobationem intelligitur vulgò rejectio à gloria, & inflictio pœnæ æternæ.

Effectus reprobationis debet eſſe à Deo ea intentione ut hominem æternùm perdat. Quæſtio eſt utrum peccatum, perſeverantia in peccato, obduratio, permiſſio peccati, denique pœna damni & ſenſus, computari poſſint ac debeant inter effectus reprobationis, de quibus ſic breviter ſtatuimus.

PRIMA CONCLUSIO.

Peccatum formaliter ſumptum, quatenus eſt malum culpæ, non poteſt eſſe effectus reprobationis.

Probatur: Quia effectus reprobationis debet eſſe à Deo, eo fine eaque intentione ut hominem damnet: atqui neque peccatum formaliter ſumptum à Deo eſt, *Deus enim nemini mandavit impiè agere*. Eccli. 15. v. 21. Neque etiam ea eſt Dei mens ac voluntas, ut quemquam impellat ad peccatum, ad ruinam, & æternum excidium.

SECUNDA CONCLUSIO.

Peccatum quatenus pœna eſt præcedentis peccati propter ſubtractionem uberioris gratiæ, poteſt utcunque dici effectus reprobationis.

Probatur: Quia ſubtractio uberioris gratiæ juſta eſt pœna præcedentis peccati à Deo juſto Judice inflicta; ergo dici poteſt effectus reprobationis. Videtur id innuere S. Joan. cap. 12. Evangelii v. 40. *Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum; ut non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur & ſanem eos.*

TERTIA CONCLUSIO.

Perſeverantia in peccato, & obduratio, quatenus ſunt mala culpæ & important obfirmatam in malo voluntatem, non ſunt effectus reprobationis; ſecus verò quatenus includunt gratiæ uberioris privationem & permiſſionem peccati in pœnam culpæ præcedentis.

Prima pars patet ex dictis Concluſione prima: obduratio quippè & perſeverantia in malo, important obſtinationem ſeu pervicaciam voluntatis malo adhærentis; quæ certè à Deo eſſe non poteſt, ſed tantùm ab ipſa voluntate creata.

Secun-

Secunda verò pars probatur testimoniis Scripturæ. Psal. 80. v. 13. *Dimisi eos secundùm desideria cordis eorum; ibunt in adinventionibus suis.* Act. 14. v. 15. *Dimisit omnes gentes ingredi vias suas.* Rom. 1. v. 21. *Cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum..... Propter quod tradidit illos Deus in passiones ignominiæ.... in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt.*

Hunc reprobationis effectum eleganter depingit S. Bernardus L. 1. de Consider. cap. 2. *Quæris à me*, inquit, *quid sit cor durum.... Ipsum est quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus: minis non cedit, flagellis duratur. Ingratum ad beneficia est, ad consilia infidum, ad judicia sævum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium in divina, præteritorum oblivisens, præsentia negligens, futura non providens. Ipsum est, cui præteritorum præter solas injurias, nihil omninò non præterit; præsentium nihil non perit: futurorum nulla, nisi fortè ad ulciscendum, prospectio seu præparatio est. Et, ut brevi cuncta horribilis malorum mala complectar, ipsum est, quod nec Deum timet, nec homines reveretur.* Antea dixerat alloquens Eugenium: *Ne pergas adhuc quærere quid illud sit: si non expavisti, tuum hoc est. Solum est cor durum, quod semetipsum non exhorret, quia nec sentit.* To. 1. f. 409. C. Ibid. B;

Dices, permissio peccati, subtractio gratiæ non sunt à Deo ea intentione ac voluntate ut hominem ad sempiternum interitum damnet: quis enim id ausit asserere? Ergo non sunt propriè effectus reprobationis.

Resp. distinguo ant. Non sunt à Deo ea intentione ut hominem damnet absolutè & antecedenter ad præviſam ejus malitiam & finalem impœnitentiam, concedo: post illam præviſam, nego. Distinguo consequens. Ergo non sunt effectus reprobationis à gloria, antecedenter ad præviſa demerita, concedo: reprobationis à gratia, nego. Reprobatio quippè à gloria posterior est ipsa permissione peccati, & præscientia impœnitentiæ finalis. Unde si propriè & accuratè loqui velimus, nullus est hac in mortali vita effectus reprobationis à gloria; sed illi statim ab ipsa morte incipiunt, cùm reprobus incipit debitas pœnas luere. Ratio est, quia voluntas puniendi supponit præscientiam peccati ac finalis impœnitentiæ; ac talis esse debet, ut ex ea sequatur pœna purè vindicativa: atqui solæ pœnæ alterius vitæ sunt vindicativæ; quamdiu enim hic vivimus, pœnæ à Deo inflictæ medicinales esse possunt. *Ex divina misericordia*, ait S. Th. 1. 2. q. 79. art. 4. in corp. *excæcatio ad tempus ordinatur medicinaliter ad salutem eorum qui excæcantur. Sicut peccatum*, ait ibidem, *quod ex se ordinatur ad damnationem, ex divina misericordia vel providentia ad sanationem ordinatur, in quantùm Deus permittit aliquos cadere in peccatum, ut peccatum suum agnoscentes humilientur & convertantur.*

Dices: permissio peccati ducit ad æternam damnationem; ergo est effectus reprobationis à gloria.

Resp. distinguo ant. Permissio peccati ducit ad damnationem æternam, ex vitio perversæ voluntatis hominis, concedo: ex prima & directa Dei intentione, nego.

UL.

ULTIMA CONCLUSIO.

Pœna tùm damni, quæ in privatione Dei consistit, tùm sensus, quæ in cruciatibus æternis, est effectus reprobationis à gloria.

Probatur: Quia utraque pœna est à Deo justo vindice. *Discedite à me, maledicti, in ignem æternum. Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare.* Matth. 25. v. 41. Fassit Deus ut per bona opera certam nostram vocationem ac electionem faciamus.

APPENDIX.

De Arbitrii libertate.

NOn semel in hisce nostris Prælectionibus, tùm de Gratia, tùm de divinis Attributis, audivistis, dilectissimi Candidati, stare integram & incolumem arbitrii nostri libertatem cum divina scientia, voluntate, prædestinatione & gratia. Pro data enim occasione varios retulimus modos, quibus Scholæ Theologi concordiam illam exponere conantur. Unum verò ad pleniorem hujusce argumenti tractationem, vestramque informationem desiderari à nobis videtur, ut aperiamus vobis, quæ sit natura libertatis, quæ ipsius jura, quæ ipsi contraria & adversa necessitas.

Esse in nobis arbitrii libertatem, qua possumus agere vel non agere, bonum vel malum operari, vel uno intimo conscientiæ sensu unicuique notum est. *Nonne*, ait S. Augustinus Lib. de duabus animabus cap. 11. *ista cantant, & in montibus pastores, & in theatris Poetæ, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & Magistri in Scholis, & Antistites in sacratis locis, & in orbe terrarum genus humanum?* To. 8. p. 86. A.

Verùm in quo reponenda sit natura libertatis, & quæ necessitatis species eam funditùs evertat, gravis est inter Theologos controversia, de qua hic dicturi sumus.

QUÆSTIO UNICA.

De natura libertatis.

PRiusquam ad rem ipsam propiùs accedamus, nonnulla more nostro prænotanda sunt, ut termini exponantur, figatur quæstionis status, ac contrarii errores referendi, ut faciliùs detegantur & revincantur.

PRÆNOTANDA.

Varia libertatis & necessitatis significatio.

Liberum ex ipsa significatione nominis, idem est ac solutum, expeditum, seu immune à quocunque vinculo. Variis autem modis aliquis liber dici potest.

I. A.

I. A culpa seu peccato; & dicitur libertas gratiæ, de qua Rom.6. v.18. *Liberati à peccato, servi facti estis justitiæ.* Et v.20. *Cùm servi essetis peccati, liberi facti estis justitiæ.* Quo etiam sensu S.Augustinus Epistola 157. aliàs 89. ad Hilarium n.8. dixit: *Hæc voluntas libera tantò erit liberior, quantò fuerit sanior: tantò autem sanior, quantò divinæ misericordiæ gratiæque subjectior.* To.2.p. 544.G.

II. A miseriis hujus vitæ; & dicitur libertas gloriæ, de qua Rom.8.v. 21. *Et ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.*

III. A legis obligatione; & dicitur libertas exemptionis & privilegii.

IV. A coactione seu violentia; & dicitur libertas spontaneitatis & voluntatis: est autem coactio seu violentia, visab extrinseco illata passo non conferente vim, imò reluctante quantùm potest. Hoc sensu brutæ animantes, quæ sponte ac cogente nullo agunt, liberæ dicuntur; & humana voluntas in omnibus suis actionibus internis & elicitis tametsi necessariis, hac innata libertate semper fruitur, quia impossibile est eam quoad actus suos internos cogi: quod enim cogit, est ab extrinseco contra inclinationem patientis: omne autem voluntarium ab intrinseco & vitali principio, atque ex inclinatione voluntatis profluit. Sicut ergo impossibile est, ut voluntas volendo non velit, ita impossibile prorsus est eam ad volendum cogi. Hæc autem immunitas à coactione dicitur libertas naturalis, quæ competit voluntati ut natura est ad unum aliquid determinata, v.g. ad amorem beatitudinis in communi; non autem voluntati ut formaliter est voluntas, hoc est, non determinata ad unum.

Hoc utroque modo considerandam esse voluntatem docet S.Th.q.2. de potentia art.3.& prima parte Summæ quæst.41. art. 2. ad 3. atque hoc sensu amor beatitudinis in communi, liber dici potest; sicut & in Deo processio Spiritus sancti liberè fieri, non à Scotistis tantùm, sed etiam à nonnullis Thomistis, ipso præeunte S.Thoma q.10.de potentia art.2. ad 5. ubi ait, quòd Deus liberè *amet seipsum, licèt de necessitate amet seipsum.* Et posteà. *Liberè Spiritus sanctus procedit à Patre, non tamen possibiliter* (id est contingenter) *sed ex necessitate.* Libera ergo dicitur processio Spiritus sancti, quia non coacta est, sed ex naturali inclinatione ac necessaria propensione divinæ voluntatis. Observat Estius in Librum 2. Sent. dist.24. ad 8. libertatem illam quæ in sola immunitate à coactione posita est, nusquam à S.Thoma appellari libertatem arbitrii, sed dumtaxat libertatem voluntatis: cujus hæc ratio reddi potest, quòd velle, secundùm D.Thomam, dicit simplicem appetitum rei alicujus; unde voluntas propriè respicit finem qui propter se appetitur: at verò eligere, qui est proprius actus liberi arbitrii, dicit acceptionem unius præ altero; unde electio propriè spectat ea quæ sunt ad finem. To.11. p. 119. col.1.E

Quamquam cogi propriè non possit voluntas, potest tamen aliquid velle quasi invita & reluctans, quando non simpliciter ac perfectè, sed tantùm secundùm quid aliquid vult ad majus aliquod malum fugiendum. Ita mercator furente tempestate, ad declinandum naufragium, merces in mare projicit: ita ægrotus patitur sibi amputari brachium, ne totum corpus pereat.

V. Liber dicitur à necessitate, seu invincibili ad unum determinatione, & est libertas indifferentiæ per quam unum præ alio eligi potest; ac vulgò defini-

finitur, spiritualis facultas quæ positis omnibus ad agendum prærequisitis agere potest vel non agere, vel contrarium agere. Unde alia dicitur, & est differentia contradictionis, seu exercitii ad agendum vel non agendum, alia contrarietatis seu specificationis ad eligendum unum de contrariis, bonum vel malum, virtutem aut vitium : ad quam speciem indifferentiæ revocari potest ea, per quam homo determinatus ad benè, seu malè agendum, potest tamen hoc vel illud bonum, hoc vel illud malum eligere.

Observa, integram servari libertatem arbitrii cum sola indifferentia exercitii, dempta indifferentia contrarietatis ad malum, quæ ad naturam & perfectionem libertatis non pertinet, imò potiùs ad ejus defectum & imperfectionem. Sic Deus erga creaturas liber est, quamquam malum non possit: sic etiam Christus est liber, tametsi vi unionis hypostaticæ impeccabilis omninò fuerit.

Hanc arbitrii seu indifferentiæ activæ libertatem S. Thomas 1. p. q. 19. art. 10. ait esse *facultatem rationis & voluntatis, qua bonum & malum eligimus.* Quibus certè verbis innuit libertatem pertinere ad intellectum seu rationem, & ad voluntatem; diverso tamen modo, ut ipse docet 1. 2. q. 17. art. 1. ad 2. nempè ad voluntatem, tanquam ad subjectum in quo formaliter residet; ad intellectum verò, tanquam ad radicem & causam. *Ex hoc enim,* inquit, *voluntas liberè potest ad diversa ferri; quia ratio potest habere diversas conceptiones boni.* Voluntas quippè non fertur in incognitum. *Habet,* inquit S. Bernardus in Libro de Gratia & libero arbitrio cap. 2. *voluntas quocunque se volverit, semper comitem rationem, & quodammodo pedissequam : non quòd semper ex ratione, sed quòd nunquam absque ratione moveatur.*

To. 1. p. 604. D.

Hoc volunt communiter Theologi, cùm ajunt ad actum liberum prærequiri indifferentiam judicii, hoc est, tale rationis judicium, quo voluntati objectum proponitur ut non necessariò, sed liberè & indifferenter amandum; nempè propter varias boni vel mali species, quæ nobis in propositis objectis permixtæ hac in vita repræsentantur. In sola enim patria, ubi clarissimè Deus videbitur, nulla supereſt judicii seu rationis indifferentia; adeoque nec ulla propria & arbitrii ad illum amandum libertas.

Disputant Philosophi ac Theologi utrum ita voluntas sit libera, ut tamen in sua electione pendeat necessariò ab ultimo judicio practico rationis. Affirmat Bellarminus Lib. 3. de libero arbitrio cap. 8. propositione 6. Atque hinc Janseniani inferunt libertatem actionis stare cum necessitate simplici. *Talis est necessitas,* ait Vincentius Lenis in Theriaca Lib. 2. cap. 2. sect. 1. *in amore beatifico, imò in omni electione, quando voluntas omnibus consideratis ex unico ultimo judicio practico se resolvit, si Aristoteli & S. Thomæ, Peripateticis & Thomistis, si Bellarmino credimus, qui Lib. 3. cap. 8. de Gratia & libero arbitrio docet voluntatem in eligendo sequi necessariò judicium ultimum practicum, nec fieri posse ut actum suum magis suspendat, quàm beati ab amore beatifico cessare valeant.*

Verùm repugnat huic doctrinæ S. Thomas in Quæstionibus disputatis qu. 22. de veritate art. 15. in corp. ubi probat electionem esse actum voluntatis, non rationis, hoc argumento: *Electio,* inquit, *est ultima acceptio quæ aliquid accipitur ad prosequendum; quod quidem non est rationis, sed voluntatis: nam quantumcumque ratio unum alteri præfert, non est unum alteri præacceptum.*

To. 11. p. 840. col. 2. B

ceptatum ad operandum, quousque voluntas inclinetur in unum magis quàm in aliud. Non enim voluntas de necessitate sequitur rationem.

Sed quidquid sit de illa quæstione, affirmari certò debet, nullum libertatis periculum imminere etiam in opinione Bellarmini. Ipse siquidem cap. 9. in responsione ad septimum argumentum ait, *voluntatem in eligendo liberam esse, non quòd non determinetur necessariò à judicio ultimo & practico rationis; sed quoniam istud ipsum judicium ultimum & practicum in potestate voluntatis est.* Quia in potestate ipsius est, ut sinat se moveri, vel resistat huic rationis judicio. To.4.p. 215.co. 1.B.

Ut multiplex est libertatis acceptio, ita & necessitatis.

I. Necessitas est coactionis, hoc est violentiæ cujusdam exterior inductio. Talis necessitatis species cadere in voluntatem non potest, ut mox dictum est.

II. Est necessitas inclinationis, seu impulsio interior cum inclinatione voluntatem ad unum ita determinans, ut necesse sit rem illam poni.

Quæ necessitas rursus duplex est, una naturalis inclinationis, proveniens ex principio intrinseco ad unum naturaliter determinante. Talis est necessitas in agente spirituali amandi beatitudinem in communi: talis est in Patre divino, ut Filium generet; in Patre & Filio, ut Spiritum sanctum producant. Altera adventitia, quæ nempe ab aliqua forma extrinseca naturæ intellectuali accedit: talis est necessitas in beatis amandi Deum intuitivè cognitum.

III. Est necessitas antecedens & consequens, seu absoluta & conditionata.

Antecedens & absoluta vulgò dicitur ea, vel quæ rationis & voluntatis usum antecedit, ut fit in motibus primò primis, & involuntaria seu indeliberata nuncupatur: quo sensu à Jansenianis sumitur, cùm negant voluntati ullam inferri per gratiam vel concupiscentiam necessitatem antecedentem; vel quæ licèt deliberata sit, hoc est, ex plena rationis advertentia, sic tamen voluntatis consensum indeclinabiliter antecedit, ut eum invincibiliter & insuperabiliter exprimat: quo sensu Orthodoxi contenduntadversus Jansenianos, antecedentem inferri voluntati necessitatem seu ad bonum seu ad malum, per delectationem relativè superiorem cœlestem, vel terrenam, quę in eorum sententia indeliberata est, at deliberatum voluntatis actum necessariò semper exprimit. Necessitas naturalis, qua res quælibet ex naturæ suæ principiis talis est, antecedens quoque & absoluta dicitur: tali necessitate Deus est æternus, infinitus, immortalis &c.

Necessitas consequens seu conditionata ea dicitur, quæ sequitur ex aliqua suppositione, & in agente libero usum & exercitium libertatis ipsius demonstrat. Tali necessitate necesse est me loqui, si ad loquendum me determinaverim.

Necessitas antecedens & absoluta, dicitur necessitas consequentis; necessitas verò conditionata necessitas consequentiæ. S.Tho. q.14.de veris. art.1.

IV. Est necessitas specificationis, & exercitii. Prior est determinatio facultatis ad objectum; posterior, determinatio ejusdem ad actum. Hæc utraque necessitate beati in Cœlis determinati sunt ad Deum amandum, & actu continuò amandum.

Observa, necessitatem specificationis ad unum, non impedire libertatem exercitii circa idem. Sic v. g. Christus qui ratione suæ impeccabilitatis de-

terminatus erat ad bonum, liber tamen fuit quoad exercitium in hoc vel illo bono prosequendo. Observa pariter, determinationem quantùm ad speciem & exercitium circa unum non excludere libertatem circa aliud: sic Deus, qui ad se amandum necessariò determinatus est, liberè movetur circa creaturas. Observa denique, cum determinatione specifica facultatis ad unum objectum, stare posse libertatem actus eliciti ejusdem facultatis circa idem objectum. Sic voluntas quæ necessariò fertur in amorem beatitudinis in communi, potest liberè actum elicere circa eundem.

V. Alia est necessitas immutabilis & perpetua, qualis est necessitas amandi Deum intuitivè cognitum; alia mutabilis actransiens, quæ mera est flexibilitas seu capacitas voluntatis ad bonum vel ad malum; qualis hac in vita reperitur, ubi voluntas non est immobiliter bono vel malo affixa & alligata.

VI. Est necessitas physica, & moralis. Prior est antecedens & naturalis ad unum determinatio: posterior, ex usu communi ac recepto, est summa difficultas vel operandi bonum, vel abstinendi à malo, qualis ex inveteratis habitibus contrahitur; cui nihilominus voluntas, quæ sui actus domina semper remanet, aliquando resistit. Ab hac communi & recepta necessitatis moralis significatione deflectunt nonnulli recentiores, apud quos vera & propriè dicta necessitas ex delectatione relativè superiori proveniens, cui voluntas nunquam resistit, imò nec relativè resistere potest, moralis appellatur, mitiori ac molliori, ne aures offendant, vocabulo: quia nempe vel ad mores pertinet, vel ex delectatione nascitur.

VII. Denique, est necessitas simplex & voluntaria, hoc est determinatio voluntatis ad unum invincibilis & insuperabilis, qualis in sententia Jansenii inducitur ex delectatione superiori ac relativa, sive ad bonum, sive ad malum, cui voluntas nec unquam vult resistere, nec velle potest relativè, id est, in his, in quibus versatur circumstantiis: unde invincibilis & insuperabilis dici potest ista necessitas, vel absolutè, vel relativè, qua nominis æquivocatione Jansenianos turpiter Catholicis illusisse, fusiùs ostendimus ubi de systemate Janseniano.

Dicitur invincibilis absolutè, quæ ex sese ac in quibuslibet circumstantiis superari non potest; talem necessitatem ultro rejiciunt Janseniani: invincibilis verò relativè, quæ in præsentibus circumstantiis, ac comparatè seu relativè ad oppositam delectationem minorem, superari non potest; qualem admittere tenentur quotquot vim gratiæ efficacem repetunt ex cœlesti delectatione per gradus seu relativè victrici, ut aliàs fusiùs demonstravimus.

Ut ergo voluntas verè libera censeatur in suis actibus eliciendis, debet retinere potestatem ad oppositum. Nomine autem potestatis requisitæ ad essentiam libertatis, intelligitur potestas expedita. *Facultas.* Quid sit potentia ad oppositū, seu expedita. ait Sanctus Thomas 1. p. q. 83. art. 2. ad 2. *nominat quandoque potestatem expeditam ad operandum. Et sic facultas ponitur in definitione liberi arbitrii.*

2. 22. q. 861. ca. 1. B.

Duobus verò modis facultas expedita censeri potest, vel propter remota impedimenta, vel propter adjectam facilitatem. Ad essentiam libertatis non requiritur facilitas in agendo, sed planè requiritur remotio impedimentorum. Ita S. Thomas q. 24. de veritate art. 4. ad 1. *Aliquid*, inquit, *dicitur esse facile*

cile dupliciter: uno modo propter remotionem impedimenti; alio modo propter appositionem adiutorii. Facilitas ergo pertinens ad habitum, est per adiutorii appositionem, nam habitus inclinat potentiam ad actum: hanc autem facilitatem non nominat liberum arbitrium, eò quòd quantum est de se non inclinatur in unum magis quam in aliud; sed nominat facilitatem, quæ est per remotionem impedimenti, eò quòd liberum arbitrium non impeditur aliquo cogente à propria operatione. Breviùs in secundo ad Annibaldum dist. 24. qu. unica art. 2. ad 1. *Homini*, inquit, *dicitur esse facile illud, respectu cuius non impeditur: Et sic dicitur liberum arbitrium facultas, in quantum homo non impeditur, quin possit hoc facere, vel non facere.* Sola ergo impedimentorum remotio sufficit ad physicam hominis libertatem; nec facilitas benè agendi requiritur, quæ propria dumtaxat fuit Adami innocentis. T. 11. p. 1. p. 201. co. 1. A.

Observa 1. facultatem illam expeditam seu liberam ab impedimento, debere esse proximam: dicitur autem potentia proxima illa, quæ absque ulla mutatione ex parte sui hoc, vel illud potest. Dico ex parte sui, hoc est potentiæ; quia ex parte actus secundi potest admitti aliquod auxilium novum planè ad agendum necessarium. Hoc modo, juxta Thomistas, gratia sufficiens confert proximè expeditam potentiam ad bonum, quia nihil aliud requiritur ex parte potentiæ, licèt auxilium physicè prædeterminans sit in eorum sententia necessarium ad agendum; quod auxilium non ad potentiam ipsam seu actum primum, sed ad actum secundum pertinet; quapropter eo non præsente, facultas seu potentia dicitur adhuc per gratiam sufficientem expedita proximè ad bonum; & illo accedente, nulla sit in facultate seu potentia mutatio. Debet esse proxima.

Unde diligenter hìc distingui debent quæ requiruntur ex parte actus primi, & quæ ex parte actus secundi, ad hoc ut voluntas dicatur proximè potens seu expedita & libera ad agendum. Scilicèt ad omnem actum voluntatis prævie requiritur judicium intellectus, tam ex parte actus primi, quàm ex parte actus secundi: hoc est, absque prævia cognitione objecti, non solùm voluntas non operabitur, sed nec operari potest. Aliter autem requiritur judicium ut voluntas de facto liberè operetur, & aliter requiritur ut potens sit liberè operari: ad istud postremum sufficit judicium indifferens repræsentans bonitatem objecti, ut non necessariò amandam; ac proinde talem, ut eligi vel respui possit. Ut autem de facto liberè operetur, præter istud judicium, aliud requiritur quo non solùm repræsentetur bonitas objecti, ut non necessariò amanda, sed quod dictet conveniens esse hìc & nunc objectum amare, vel suspendere actum amoris. Ratio est, quia vi prioris judicii seu repræsentationis, voluntas solùm habet posse indifferens respectu utriusque extremi, ut scilicèt possit amarè vel non amare, si libuerit; ergo ut de facto ex statu illo indifferentiæ exeat, ac se determinet & applicet uni extremo determinatè v. g. amori, necessariò requiritur aliud judicium, vel alia repræsentatio dictans simul cum illa indifferentia ex parte actus primi, determinatè ex parte actus secundi hìc & nunc amandum potiùs, quàm amorem suspendendum. Unde falluntur qui cum Vincentio Lenis in Theriaca Lib. 1. cap. 26. asserunt voluntatem non habere potestatem proximam ad suspendendum actum in instanti quo liberè operatur; quia nempe, inquiunt, ad ops multoties contingit in illo instanti non adesse cogitationem aut judicium de Quale judicii rationis sit necessarium. *Sic arguit Vincentius, ut inde probet liberam esse facultatē licèt non retineat potentiam ad ops sita.*

utilitate ſuſpendi actum. Fateor multoties non adeſſe tale judicium, imò adeſt contrarium, quo nempe judicatur conveniens eſſe ut objectum hìc & nunc ametur; neque porrò neceſſarium eſt, ut quo inſtanti judicatur conveniens hìc & nunc alicujus objecti amor, ſimul judicetur conveniens eſſe ſuſpendere amorem; utrumque enim iſtud judicium practicum de actu ſimul ponendo & non ponendo, prorſus repugnat nec ſimul ſtare poteſt. Igitur ut voluntas cenſeatur proximè potens ſuſpendere actum, non requiritur in illo inſtanti judicium dictans hìc & nunc ſuſpenſionem eſſe utilem; ſed ſufficit judicium dictans ſuſpenſionem eſſe poſſibilem; quod ſanè judicium in omni inſtanti quo voluntas liberè operatur, ſemper adeſt & adeſſe debet. Voluntas enim quotieſcumque liberè operatur, ſemper dirigi debet judicio illo indifferenti ex parte actus primi, quod ſcilicet repræſentet bonitatem objecti ut non neceſſariò amandam, ſed ut liberè proſequendam vel reſpuendam: in quo judicio ſemper repræſentatur exercitè ſaltem, ſuſpenſionem amoris abſolutè eſſe poſſibilem circa illud idem objectum; licèt non ſemper repræſentetur, illam hìc & nunc eſſe utilem, ſeu hìc & nunc expedire: talis enim repræſentatio utilitatis ſolùm requiritur ad actu ſuſpendendum, non autem ad proximam poteſtatem ſuſpendendi.

Obſerva 2. ad poteſtatem illam expeditam & proximam ad oppoſitum omnino pertinere ut ſemper poſſit non agere, ſeu abſtinere ab actione ponenda; non verò requiri ut ſemper poſſit contrarium agere, niſi fortè inſtaret præceptum de illa contraria actione ponenda. Explico: ſit homo v. gr. qui poſitivo actu odii Dei peccet: in quocunque inſtanti debet ille liber eſſe ut non peccet, ſeu ut abſtineat ab illo actu odii Dei. Revera etenim quicumque liberè peccat, proximè ſemper poteſt non peccare. *Dicendum*, ait S. Thomas q. 24. de veritate quę eſt de libero arbitrio art. 12. ad ſeptimum in
T. 12. p. 835. co. 1. D. contrarium, *quòd aliquis exiſtens in peccato mortali poteſt vitare omnia peccata mortalia auxilio gratiæ; poteſt etiam ex naturali virtute ſingula vitare, quamvis non omnia: & ideo non ſequitur, quòd peccatum committendo non peccet.* At neceſſe non eſt ut qui ſic liberè peccat per actum odii Dei, (à quo ſemper poteſt abſtinere) proximam & expeditam in eo inſtanti habeat poteſtatem eliciendi actum amoris Dei ſupernaturalis; quia fieri poteſt ut tunc non habeat gratiam ſine qua talem actum amoris Dei elicere non poteſt: neque enim ſingulis momentis præſto ſemper adeſt gratia. Dixi, niſi fortè inſtaret præceptum eliciendi actum ſupernaturalem amoris Dei, quo inſtanti homo ille actum odii exerit, tunc enim ſine gratia non cenſeretur habere expeditam facultatem ad illum actum amoris eliciendum: at Deus, qui in neceſſariis non deeſt, eo in caſu gratiam non denegat. *Juſtè enim inflat præcepto*, ait S. Leo, *qui præcurrit auxilio.*

Cùm Sanctus Thomas loco mox citato, ait *hominem ex naturali virtute ſingula peccata vitare poſſe*, intelligendus eſt de illa peccati fuga, quæ fit per ſimplicem actus negationem ſeu ſuſpenſionem, quæ certè fit naturali virtute ſine gratia, non autem de negatione actus quæ juncta ſit cum poſitivo quodam conatu, quo nititur homo peccatum vitare: ad conatum
Ibid. p. 874. co. 1. E. enim illum & ad ſuperandam tentationem, maximè ſi gravis illa fuerit, gratia neceſſaria eſt. Ita ſeipſum eodem in loco in corpore articuli exponit San ctus Thomas. *Quidam dicunt*, inquit, *hominem abque habituali gratia*

gratum

gratum faciente posse peccatum mortale vitare, quamvis non sine divino auxilio quod hominem sua providentia ad bona agenda & mala vitanda gubernat. Hoc enim verum est cùm contra peccatum conari voluerit; ex quo contingit ut possit singula vitare.

Observa 3. ut potentia sit ac dicatur proximè expedita ad agendum, non requiri ut cum actu sola conjungatur sine ullo novo accedente præsidio, sed satis esse, quòd nihil desit ex parte actus primi seu potentiæ; quamquam ut ipsa in actum secundum redigatur, novo ipsi opus sit auxilio. Ita in rebus naturalibus concursus Dei necessarius est, ut potentia naturalis, tametsi de se idonea & expedita in actu erumpat: & in supernaturalibus, juxta Thomistas, licèt voluntas per gratiam sufficientem sit expedita ex parte actus primi ad bonum supernaturale, nunquam tamen bonum illud actu operatur, nisi physicè præmovente Dei gratia efficaci ad agendum applicetur: & secundùm alios, nisi adsit gratia operans & cooperans.

Observa denique, distinctionem sensus compositi & divisi, cujus tam frequens occurrit apud Thomistas mentio, duobus præsertim modis intelligi posse, quorum unus falsus omnino & absonus est, alter autem verus & Catholicus. V. g. cùm homo sub motione gratiæ efficacis liber dicitur ad amandum Deum in sensu diviso, non autem in sensu composito; vel potest sic intelligi, ut liber dumtaxat censeatur secluſa motione gratiæ, non verò ea præsente: qui profectò sensus ridiculus & falsus est, definiente Concilio Trid. sess. 6. Can. 4. *liberum arbitrium à Deo motum & excitatum posse dissentire si velit.* Et certè hoc modo qui vinculis ferreis constrictos haberet pedes, dici posset liber ad ambulandum, si nempe vinculis solutus & expeditus foret. Vel sic intelligi potest ac debet, ut homo sub motione gratiæ ad amandum præmoventis, liber non sit adamandum in sensu composito, hoc est, non possit simul componere seu conjungere amorem cum non amore, actum cum non actu, quod certè implicat; sed liber sit in sensu diviso, hoc est, simul cum amore retineat potentiam expeditam ad non amorem aut ad odium. Sensus ergo compositus excludit ab actione negationem actionis, non verò negationem potentiæ ad non agendum. Sensus compositi & divisi expositio.

Priorem sensus compositi & divisi interpretationem sequitur Calvinus; sequitur ac Thomistis affingit Vincentius Lenis in Epistola ad Petavium (pag. 22.) *Hoc est opinor*, ait, *quod dicere volunt Thomistæ doctiores, quando ajunt voluntatem prædeterminatam posse vertere se in oppositum, in sensu diviso, non in sensu composito; id est, excussa præsenti determinatione, non ea retenta.*

Verùm Thomistarum mentem, quotquot post Congregationes de Auxiliis scripserunt, non est assecutus. Namque cum præmotione v. g. ad amorem, admittunt illi proximam ad non amorem seu ad odium potentiam; non quidem consequentem, hoc est, quæ cum non amore vel odio revera conjungatur, aut conjungi de facto possit, quandoquidem præmotio importat certò & infallibiliter actionem, qua suppositâ, non potest actio cum non actione conjungi; sed potentiam proximam antecedentem: quia quo instanti stat præmotio ad amorem, potentia libera est & expedita ad non amandum; quia nempe præmotio non afficit potentiam seu actum primum, sed actum secundum. Quod explicant exemplo illius qui liberè ad loquendum v. g. se determinavit. Dum ille loquitur, non potest certè in sensu compo-

sito locutionis non loqui, seu conjungere locutionem cum non locutione, quod implicat: habet tamen ille potentiam non loquendi in sensu diviso; quia liberè se ad loquendum determinavit. Quod exemplum ex S. Anselmo depromPa.94. col. 1. D.E. ptum est, Lib. 2. *Cur Deus homo* c. 18. *Est*, inquit, *necessitas præcedens, quæ causa est ut sit res: & est necessitas sequens, quam facit res .... Sequens & quæ nihil efficit, sed fit, est cùm dico te ex necessitate loqui, quia loqueris. Cùm enim hoc dico, significo nihil facere posse, ut dum loqueris, non loquaris: non quòd alius te cogat ad loquendum. . .te verò nulla necessitas facit loqui.*

Distinction em hanc sensus compositi & diviſi conceptis terminis tradit S. Thomas Lib. 1. ad Annibaldum dist. 43. art. 1. in corpore. *Dum dicitur*, ait, To. 11. p. 1. 123. col. 2. B. *Deum posse non facere id quod facit, quia in se repugnantiam non habet, simpliciter concedendum est, quòd Deus potest non facere quod facit, si nihil addatur, eò quòd non facere non habet repugnantiam ad aliquid in locutione positum. Addita autem scientia vel voluntate, erit locutio vera in sensu diviso, falsa in sensu composito: ut si dicatur, Deus potest non facere quod scit, vel quod vult se facere.*

Errores circa humanam libertatem.

Ex Veteribus in ruinam humanæ libertatis communi consilio, sed ex causa diversa, conspirarunt Stoici, Astrologi, Manichæi. Stoici ex fato, Astrologi ex Syderum influxu, Manichæi ex concreata animæ duplici bonitate vel malitia. Alii, cum Cicerone, ex præscientia Dei hominem sive ad bonum sive ad malum ineluctabiliter cogi ac rapi affirmabant. Coactionis porrò nomine, non illi propriam ab externo principio violentiam intelligebant; (neque enim tam stupidi ac habetes fuerunt, ut ignorarent animam seipsam vitaliter & ab intrinseco movere, adeoque cogi propriè non posse) sed nudam intelligebant necessitatem ex concreata & spontanea inclinatione promanantem. Ita observat Ruardus Tapperus art. 17. Calvinum impugnans, eumque violatæ libertatis pariter cum Manichæis reum convincens. Ante ipsum Sanctus Augustinus Lib. 2. de Actis cum Felice Manichæo, ex ipsius Manichæi verbis ostendit, voluntatem ad peccandum non cogi. Verba inferiùs referemus.

Pelagiani libertatem definierunt per indifferentiam ad bonum & malum. Placet Jansenio fingere explosam ab Augustino hanc definitionem, ut inde nimirum efficiat, stare in mente Sancti Doctoris libertatem cum necessitate, seu determinatione ad unum. Verùm aberrat ille profectò: nusquam enim To. 10. p. 305. A. hanc in agendo voluntatis indifferentiam Augustinus reprehendit. *Liberum esse in hominibus arbitrium*, inquiebat Pelagianis Lib. 2. de nuptiis & conc. c. 3. *utrique dicimus: Non hinc estis Celestiani & Pelagiani.* Et Epist. 215. To. 2. p. 794. F. alias 47. ad Valentinianum n. 4. *Fides Catholica*, inquit, *neque liberum arbitrium negat, sive in vitam malam, sive in bonam; neque tantum ei tribuit, ut sine gratia Dei valeat aliquid.*

Quid ergo, inquies, peccabant circa libertatem Pelagiani?

Respondeo in his maximè errasse.

I. Hominem ad bonum perinde ac ad malum solis naturæ viribus indifferenTo. 10. p. 305. A. tem & idoneum esse, exclusa necessitate gratiæ ad bonum. *Liberum autem quemquam esse ad agendum bonum sine adjutorio Dei*, pergit Augustinus loco

mox

mox citato, *& non erui parvulos à potestate tenebrarum & sic transferri in regnum Dei, hoc vos dicitis: Hinc estis Celestiani & Pelagiani.*

II. Arbitrii libertatem stare non posse cum necessitate gratiæ quæ voluntatem præveniat. *Si alterius ope indigeo*, ajebat Pelagius, *liber non ero.*

III. Liberum hominis arbitrium læsum non fuisse nec extenuatum per peccatum Adæ; sed quasi in æquilibrio positum pares & æquales vires habere sive ad bonum sive ad malum.

IV. Denique docebant, indifferentiam ad malum pertinere ad naturam libertatis in se generatim sumptæ, prout Deo, Angelis & hominibus convenit; ex quo sequitur aut non liberum esse Deum, aut mali capacem. Unde rectè S. Augustinus Lib. 1. Operis imperfecti contra Julianum cap. 100. *Si liberum non est*, inquiebat, *nisi quod duo potest velle id est, & bonum & malum, liber Deus non est, qui malum non potest velle, de quo ipse dixisti, verumque dixisti, Deus esse nisi justus non potest. Siccine Deum laudas, ut ei auferas libertatem? An potius intelligere debes esse quamdam beatam necessitatem qua Deus injustus non potest esse?* *Ibid. p. 932. G.*

Jansenius Lib. 8. de Gratia Christi capitibus 5. 6. 7. & 9. contendit Pelagianos hac potissimum de causa multùm abhorruisse à doctrina S. Augustini, eumque erroris Manichæorum circa destructam libertatem incusasse, quòd existimarent docere illum per gratiam non simplicem dumtaxat invehi necessitatem, sed rigidam & propriè dictam coactionem; & Augustinum ex altera parte calumniam illam repellentem, solam à libertate exclusisse immunitatem à coactione, non autem à simplici & voluntaria necessitate. *Hominem Dei opus defendimus*, inquiebant Pelagiani apud S. Augustinum Lib. 1. ad Bonifacium c. 18. *nec ex illius potentia vel in malum vel in bonum invitum aliquem cogi. Ex quibus*, ait Jansenius Lib. 8. de Gratia Christi cap. 9. *perspicuè colligitur .... Pelagianos non alia de causa adversùs Augustinum & Ecclesiæ doctrinam tantos clamores excitasse, quibus liberum arbitrium, sive per gratiam, sive per concupiscentiæ vim subverti & extingui querebantur, nisi quia ex utraque parte opus bonum & malum videbatur eis, non ab ipso homine propria voluntate, sed homine nihil agente, ab alio per ipsum operante sive cogente fieri.* Verùm cùm hæc scribebat Jansenius, non attendebat haud dubiè (quod & ipse fatetur) impossibile esse voluntatem cogi; nec verisimile videri Pelagianos tam absurdam & à recta philosophandi ratione adeo remotam opinionem Augustino affinxisse. Memor etiam non erat eorum quæ dixerat Lib. 2. de hæresi Pelagiana cap. 1. nempe Pelagianos promiscuè voces coactionis & necessitatis ad idem significandum usurpasse; adeoque coactionis nomine nihil aliud eos intellexisse, quàm nudam & simplicem voluntatem, cui voluntas reluctari non possit. *Necessitatem subinde coactionem vocat* (Pelagius) ait Jansenius. *Non enim tam intelligit coactionem propriè dictam quæ fit renitente voluntate, quàm illam ad unam partem additionem.* Sola igitur coactio, in sententia Jansenii, libertati adversatur; atque omnis actio eo ipso libera est, quo voluntaria. *Voluntas seu volitio*, inquit ille lib. 6. de Gratia Salvatoris, cap. 5. *& libera voluntas idem sunt, sicut velle & liberè velle, & impossibile est ut velle non sit liberum*; quia implicatur volendo non velimus, hoc est, ut voluntas non sit voluntas. Et cap. 6. *Ex quibus*, ait, *apertè consentaneum est, omnem omnino voluntatem* *Ibid. p. 427. D.* *T. 3. p. 355. co. 2. C. D.* *T. 1. p. 41. col. 2. E.* *T. 3. p. 263. co. 2. D.* *Ibid. p. 266. co. 2. E.*

quantuncunque ad unum determinatam, nulla tali neceſſitate, qua dicitur neceſſe eſſe ut velit, deſinere eſſe liberam.

Janſeniani duo in libertate diſtinguunt; ejus nempe ſubſtantiam ſeu eſſentiam, & ſtatum ſeu conditionem accidentalem. Ad eſſentiam libertatis ajunt unicè pertinere voluntarium perfectum quod ſit ex plena & perfecta cognitione, tametſi neceſſarium: quo ſenſu affirmant actus proceſſionis Spiritus ſancti & amoris beatifici eſſentialiter liberos eſſe, quia ſunt ex intima voluntatis propenſione. Statum libertatis appellant conditionem hominis viatoris, quæ poſtulat ut homo hac in vita flexibilis ſit ad bonum & malum, non autem bono vel malo immobiliter affixus, qua ratione Beati ad bonum, & damnati ad malum firma & perpetua voluntatis adhæſione determinati ſunt. In hac autem hominis viatoris mobilitate ac flexibilitate ad bonum & ad malum ſtatum & conditionem libertatis ipſius conſiſtere arbitrantur, cum quo ſtat (ut ipſis videtur) hominem ad bonum & ad malum ſucceſſivè neceſſariò determinari, prout in ipſo dominatur cœleſtis, vel terrena delectatio: ita certè ut homo lapſus ſub dominante cupiditate pari neceſſitate ſit ad malum adſtrictus, qua Beatus in Cœlo ad bonum. *Captivitas illa* (liberi arbitrii) *in eo ſita eſt*, ait Janſenius Lib. 1. de Grat. Salvat. cap. 4. *quòd voluntas concupiſcentiæ terrenæ viſco intimè penetrata ſemper & in omni actu motibus ejus feratur ac referatur, imperio ejus & ponderi indeſinenter ſerviens, eodem planè modo, quo voluntas Beatorum in omnibus omnino motibus ſervit divinæ charitati.*

Ibid. p. 326. col. 1. B.

Ibid. p. 326. col. 2. E. P. 117. col. 1. B.

Contendit ſcilicet Janſenius, indifferentiam arbitrii ad bonum & malum, quam homo innocens lacceperat, jam periiſſe. *Cum tali arbitrio in utramque partem libero & flexibili conditus eſt Angelus & primus homo*, ait Lib. 7. de Gratia Salv. cap. 10. . . . *Ex hac igitur ſpontaneæ creaturæ rationalis in utramque partem liberrimæ diſcretione, illa æquabilis libertatis indifferentia, velut bilancis æquilibrium periit.* Et Lib. 3. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 2. & ſex conſequentibus totus eſt ut probet libertatem indifferentiæ ad faciendum bonum periiſſe per peccatum Adæ: tùm cap. 9. & 11. addit non ſolùm libertatem ad agendum bonum, ſed etiam ad abſtinendum à peccato interiiſſe; & loco libertatis, peccandi neceſſitatem inductam eſſe.

Ex Novatoribus poſteriorum temporum humanæ libertati bellum præcipuè indixerunt.

Lutherus & Calvinus, Bajus, & Janſenius, quorum ſententiam ex profeſſo aliàs expoſuimus. Quapropter ne ſæpius eadem recurrant, hoc unum hic dixiſſe ſufficiat, conſentire illos omnes ſtare non poſſe libertatem cum vera & propria coactione, quam communi ſuffragio excludunt; è contra ſtare cum ſimplici neceſſitate, ſeu determinatione invincibili & inſuperabili ad unum, ex eo præcisè quòd voluntaria illa ſit, hoceſt, ſupponat perfectam rationis advertentiam, neque ſit contra inclinationem voluntatis.

Vincentius Lenis, ut neceſſitatem Janſenianam diſtinguat à Manichæa & Calviniana, docet in ſua Theriaca priorem molliorem eſſe, mitiorem, tractabiliorem, qua nempe voluntas humana, perfecta, ut ipſe loquitur Lib. 2. c. 5. ſpontaneitate ita ſe agit, ut in habenis & poteſtate ſua motum ſuum retineat: poſteriorem verò, rigidam eſſe, ferream, brutalem, *quæ fatali quodam impetu*,

impetu, ait ibidem, *& neceſſitate coactivæ ſic voluntatem abripit, ut actus ipſius in ejus poteſtate non ſit*. Verùm propiùs inſpicienti Vincentii ſententiam, videbitur uno dumtaxat molliori verborum ſono eam diſtare à ſententia Calvini: quocunque enim ſe ille vertat, neceſſe eſt fateatur voluntatem ſub motione gratiæ efficacis ita neceſſariò ad bonum ferri ac rapi, ut in ipſius poteſtatem non ſit flectere ſe ad malum. Dicatur hæc neceſſitas mollior ac mitior, vera tamen neceſſitas eſt cui reluctari non poteſt voluntas. Ergo licèt id quod fit ex neceſſitate brutali diverſum ſit quantùm ad ſubſtantiam operis, quia nempe fit in brutis animantibus ſine prævia cognitione ac deliberatione; nihilominus quantùm ad modum determinationis invincibilis & inſuperabilis ad unum, idem planè videtur.

Status quæſtionis.

Non igitur hìc quæſtio vertitur an libertas excludat veram coactionem ab extrinſeco principio; id enim in confeſſo eſt apud omnes.

Neque etiam an neceſſitas phyſica, antecedens, abſoluta, involuntaria, aut naturalis inclinationis, immutabilis, fixa & perpetua, cum arbitrii libertate cohæreat: ultro fatentur Janſeniani eam non cohærere.

Neque etiam vertitur quæſtio de neceſſitate fatali ac ferrea Stoicorum, Manichæorum, Aſtrologorum; illam procul removent iidem Janſeniani: quamquam in rei veritate illam admittere teneantur, ſi non ratione originis ſeu cauſæ ipſius, ſaltem ratione effectus, aut modi producendi neceſſariò effectum.

Neque pariter quæſtio eſt de neceſſitate conſequente, ſeu ex ſuppoſitione: iſtam enim argumentum eſſe ac ſignum libertatis ad uſum & exercitium redactæ, concors eſt omnium ſententia.

Neque ſimiliter quæritur an actio voluntaria ex naturali ac prorſus neceſſaria inclinatione profluens, qualis eſt proceſſio Spiritus ſancti, libera dici poſſit: mera enim eſt de nomine quæſtio, de qua ſolliciti non ſumus. Dicatur, per nos licet, libera, quia ſpontanea & non coacta: at libera certè dici non poteſt ea libertate arbitrii, quæ neceſſaria eſt ad meritum vel demeritum, de qua una hìc controvertitur.

Tota igitur præſens quæſtio movetur de libertate hominis viatoris, quæ in præſenti naturæ lapſæ ſtatu neceſſaria eſt ad merendum vel demerendum, atque ad duo capita revocatur.

I. Utrum omne voluntarium perfectum deliberatum, quod eſt ex perfecta rationis advertentia, tametſi neceſſarium, eo ipſo liberum ſit libertate ad meritum vel demeritum ſufficiente.

II. Utrum neceſſitas ſimplex, voluntaria, mutabilis ac tranſiens, quæ vel moralis ab aliquibus dicitur, vel mitior ac mollior, quia ex delectatione ſuperiori relativa oritur, cohæreat cum arbitrii libertate neceſſaria ad merendum vel demerendum in præſenti naturæ lapſæ ſtatu. Utrumque iſtud caput mordicus tuentur Janſeniani: utrumque à nobis jam impugnandum.

Utrum

Utrum arbitrii humani libertas ad merendum vel demerendum necessaria, in uno voluntario deliberato & sola immunitate à coactione sit collocanda; an verò in immunitate ab omni necessitate etiam simplici, seu invincibili ad unum determinatione, tametsi fluxa & transeunte.

PRIMA CONCLUSIO.

Arbitrii libertas ad merendum vel demerendum necessaria, non consistit in solo voluntario perfecto ac deliberato.

Probatur. Quia amor quo Deus seipsum amat, quo Spiritus sanctus à Patre & Filio procedit, quo Beati Deum intuitivè cognitum prosequuntur, est perfectè voluntarius, ex intima voluntatis propensione ac plena rationis advertentia: atqui tamen amor ille liber non est libertate essentialiter requisita ad merendum; ergo libertas arbitrii ad merendum vel demerendum necessaria non consistit in solo voluntario perfecto ac deliberato.

Major certa est, nec ab adversariis negatur.

Minorem verò negant, quia licèt, inquiunt, ratione status non omnis conditio ad merendum requisita eo in amore reperiatur; (Deus quippe, seu amando seipsum, seu producendo Spiritum sanctum, prorsus meriti est incapax, quia meritum relationem dicit ad mercedem ab alio recipiendam; & qui meretur, apud alium meretur, quod certè cadere in Deum non potest: Beatis verò qui Deo intuitivè cognito fruuntur, deest alia ad merendum conditio, nempe conditio viatorum.) Licèt, inquiunt, non omnis ad merendum conditio eo in amore reperiatur, adest nihilominus essentialis libertas de se apta ad merendum, summa nimirum ac perfectè voluntaria, tametsi necessaria, inclinatio voluntatis in objectum summè amabile.

Probatur itaque minor propositio ex ipsa doctrina S. Augustini, qualem Jansenius exponit Lib. 6. de Gratia Christi cap. 5. & 35. scilicet: Illud verè ac propriè liberum est, quod est in nostra potestate: illud verò in nostra est potestate, quod, ut ait sanctus Doctor Lib. de spiritu & littera c. 31. *Si volumus, facimus; si non volumus, non facimus.* Verbo dicam, illud liberum est, cujus domini sumus. Atqui amor quo Deus seipsum diligit, quo Spiritus sanctus à Patre & Filio procedit, non est in potestate Dei, quasi posset, si vellet Deus, seipsum non diligere; quasi possent Pater & Filius velle non spirare Spiritum sanctum: quasi hujusce spirationis domini essent, & ab ea cohibere se absolutè possent. Impium profectò est tale quid de Deo cogitare, unde pronum foret inferre cum Macedonio, Spiritum sanctum creaturam esse dominio Patris & Filii subditam. Quòd verò id non possit Deus, non est ex defectu potestatis, imò potius ex summa potestate, qua se ipsum negare non potest.

T. 10. p. 115. E.

Pariter non est in potestate beatarum mentium positum ut Deum, quem intuitivè contemplantur, toto voluntatis impetu non diligant, à quo diligendo temperare se, felici necessitate non possunt: ac illudit profectò Jansenius, cùm Lib. 6. de Gratia Christi cap. 35. dicit, *quòd possent illi volitionem suam mutare si vellent.* Ita quidem si vellent: at in mente Jansenii, & re ipsa veritate, non possunt velle, quia ligatam & impeditam habent ad oppositum volen-

T. 3. p. 302. col. 2. D.

volendum facultatem; igitur amor qui est ex perfecta rationis advertentia & inclinatione voluntatis, sed necessarius, non ea præditus est libertate essentiali quæ ad merendum exigitur.

Cùm ergo Jansenius toties istud ex Augustino Lib. 3. de libero arbitrio cap. 3. repetit, nempe *illud esse in potestate nostra quod cùm volumus facimus; & nihil tam esse in potestate nostra quàm ipsam voluntatem, quæ nullo intervallo, mox ut volumus præsto est*, ut inde scilicet inferat amorem beatificum esse in potestate Beatorum, quia fit cùm volunt, productionem Spiritus sancti esse in potestate Patris & Filii, quia est cùm volunt; cùm enim voluntate sua volentes producant, sanè producunt cùm volunt: cùm, inquam, toties istud recantat Jansenius, qua solent arte atque fallacia incautos fallit, ac dolosè aliud ab Augustino expressum sententiæ suæ membrum supprimit; nempe, non satis est ad liberam volitionem, quòd fiat cùm volumus, sed requiritur, ut possit non fieri, seu requiritur potestas ad oppositum. *Hoc enim*, ait S. Augustinus citato jam Libro de spiritu & littera cap. 31. *quisque in potestate habere dicitur, quod si vult facit, si non vult non facit.* Porrò non cohæret illa potestas ad oppositum cum necessaria determinatione voluntatis ad unum, atque sic determinata voluntas propriè in sua potestate non habet volitionem, nec consequenter propriè ac formaliter libera est ac dici potest. *T. 1. p. 613. A.* *T. 10. p. 115. E.*

Verè quidem pronuntiat Augustinus, nihil tam esse in nostra potestate quàm ipsam voluntatem, quo nomine liberam & expeditam intelligit ad volendum vel non volendum facultatem, prout contra naturam distinguitur; unde appositè contra Manichæos ostendit, id quod est à voluntate, non esse à natura, adeoque verè liberum esse: at Jansenius insidiosè prorsus ac fallaciter volitionem cum voluntate confundit, & quoties Augustinus dixit *voluntatem in nostra esse potestate*, ipse commentarii & explicationis loco semper adjicit, *hoc est volitionem*: sic callidè insinuans omnem volitionem eo ipso liberam esse, quo est à voluntate, tametsi necessariò; cùm tamen in Augustini doctrina, volitio ad quam voluntas necessariò determinata est, & quam non potest non velle, non sit propriè in potestate ipsius, nec consequenter libera. *L. 6. de Gratia Christi c. 5. & 35.*

Frustra diceres Beatos in Cœlis non retinere quidem circa Deum amandum potentiam ad oppositum, eò quòd careant indifferentia judicii, quæ cùm ab isto præsentis vitæ statu nusquam absit, quia nullum est objectum quod totam rationis capacitatem hic absorbeat, consequenter in sententia etiam Jansenii, quacunque suppositâ voluntatis ad unum determinatione, semper libera & expedita remanet ad oppositum potentia.

Frustra, inquam, id diceres: tùm quia Jansenius docet quòd etsi homo viator tanta gratiæ magnitudine cumularetur, quanta in Cœlis Beati perfunduntur, non tamen desineret esse liber. *Quæ manifestissimè clamant*, inquit Lib. 8. de Gratia cap. 15. *gratiam quantumcumque efficacem, etiam talem qualis in Cœlo cum summa delectatione dabitur, nullo modo tollere libertatem, quia non tollit voluntarium, hoc ipso videlicet quo eam non cogit, aut invitam rapit.* Et Lib. 1. cap. 4. de concupiscentia dixerat: *Captivitas illa* (arbitrii) *in eo sita est, quòd voluntas concupiscentiæ terrenæ visco intimè penetrata, semper & in omni actu motibus ejus feratur ac referatur imperio ejus & ponderi indefinen-* *T. 3. p. 362. col. 1. B.* *ib. p. 7. col. 1. B.*

desinenter serviens, eodem planè modo, quo voluntas Beatorum in omnibus omnino motibus servit divinæ charitati. Ergo data vel sublata indifferentia judicii, voluntas necessariò vel gratiæ vel concupiscentiæ obsequitur. Tùm quia potestas illa ad oppositum, quam verbotenus Jansenius admittit, nihil aliud est quàm flexibilitas successiva, seu capacitas voluntatis ad bonum & malum, ut potentia dumtaxat abstracta & absoluta, non relativa, ut sæpius observavimus.

Dices: pervulgata est, & quidem innoxia Scotistarum opinio, libertatis essentiam integram servari in voluntario perfecto, eamque cum summa necessitate stare: adeoque ipsam Spiritus sancti processionem, tametsi summè necessariam, liberam esse, utpote voluntariam. Quin & ipse S. Thom. initio hic laudatus q. 10. de potentia articulo 2. ad 5. eandem processionem hac ipsa de causa liberam quoque appellat. Non igitur meritò reprehendi in Jansenio potest hæc sententia, cujus ipse præsidium ex Scoto repetit, de quo Lib. 6. de Gratia Christi c. 25. initio ait: *Nemo est veterum Scholasticorum post divum Bernardum, qui quod sciam, evidentius, resolutius, constantiusque summam libertatem cum necessitate summa constare posse, & reipsa constare docuit &c. quàm ille totius Scholasticæ subtilitatis Coryphæus Joannes Scotus.*

T. 3. p. 105. col. 2. A. B.

Resp. Hanc Scotistarum opinionem nihil prorsus commune habere cum præsenti nostra controversia; atque judice ipso Gabriele in 1. dist. 10. q. 2. de nomine videri potiùs, quàm de reipsa. Loquuntur illi scilicet de natura libertatis generatim inse consideratæ, prout abstrahit à Deo, Angelis & hominibus, quæruntque utrum ejus natura in voluntario perfecto licèt necessario consistat: quæ profectò quæstio tota philosophica est nec præsentis nostri instituti, in quo dumtaxat agimus de libertate hujus status ad merendum vel demerendum necessaria. Dicant ergo, per nos licet, libertatem sic generatim & in ampliori quadam significatione spectatam, essentialiter stare in voluntario perfecto quamquam necessario: dicant processionem Spiritus sancti ea ratione liberam esse, quia non coacta, sed ex summa sit voluntatis inclinatione: dicant contra S. Thomam, eandem voluntatem non posse habere actum liberum, & actum naturalem, sed omnem ipsius actum eo ipso liberum esse, quo est voluntarius: mera profectò est Scholæ arguta quæstio, quæ fidei doctrinam ac præsentem nostram disputationem non tangit. Hic enim unicè controvertitur de libertate hominis viatoris quæ sit meriti vel demeriti capax, ad quam indifferentiam seu potentiam ad oppositum necessariam esse contendimus, imò quam agnoscit ac profitetur ipsemet Scotus in 2. dist. 6. q. 2. ubi sic loquitur. *Potentia aliqua* (intellectiva) *si fuisset appetitiva præcisè sequens in actu suo inclinationem ejus, sicut appetitus visivus sequitur visum & ejus inclinationem; tunc licèt illa non posset appetere nisi intelligibile, sicut appetitus visivus non potest appetere nisi visibile, tamen non posset peccare, quia non esset in potestate ejus aliud nec aliud appetere, quàm cognitiva ostenderet & inclinaret.* Audis ex Scoto eum non peccare, qui non potest aliud & aliud appetere; id est, qui non habet liberam & expeditam ad oppositum potentiam.

Scotus T. 6. p. 540. n. 8.

Quapropter cùm Scotistæ asserunt Spiritus sancti processionem esse liberam, non eam intelligunt strictè ac propriè libertatem formalem quæ ad meritum

ritum vel demeritum requiritur, quæque dicitur actus dominativa; sed libertatem universim sumunt pro voluntario. Ita rem exponit Aureolus Aquensis Cardinalis ac subtilis Doctoris non degener Discipulus in 1. dist. 1. cap. 3. art. 3. *Non est autem*, ait, *idem liberum & dominativum actus, aliquin Pater & Filius non spirarent liberè, cùm non possint dominativè suspendere actum spirationis; nec etiam Deus liberè se amaret. Unde ex hac deceptione oritur difficultas, quæ hodie habetur circa formalem rationem libertatis; quia putant homines quòd idem sit esse liberum, & habere dominium sui actus.* Aureolus. T. 1. p. 110. col. 1. B.

Fatetur hìc Aureolus, ex Scotistarum opinione nec Deum liberè amare seipsum, nec Patrem & Filium liberè Spiritum sanctum producere, si idem sit esse liberum, & habere dominium sui actus: porrò ubi de libertate agitur necessaria ad merendum vel demerendum, liberum idem est, ac habere dominium sui actus. Inde sic arguimus: Scotus ejusque discipuli, quando libertatem cum necessitate conciliant, docentque liberam esse Spiritus sancti à Patre & Filio processionem, non agunt de ea libertate quæ liberi arbitrii propria est ad merendum vel demerendum requisita, quæque definitur, dominium & potestas in actum; ergo nihil commune habet ista Scotistarum opinio cum præsenti controversia; ergo nihil præsidii ex illa opinione capere Jansenius potest, qui nobiscum de hac postrema libertate potissimùm confligit.

Hoc ipsum docet Gabriel Biel, quem Jansenius Lib. 6. de Gratia Christi cap. 33. ad se trahere conatur. Postquam enim scribens in Librum 2. Sent. dist. 25. dixit Theologos quandoque libertatem in ampliori quadam significatione usurpare, nempe prout opponitur coactioni, quo sensu liberum idem est ac voluntarium quamquam necessarium; postea fatetur eam concorditer tùm à Philosophis, tùm à Theologis sumi prout opponitur necessitati, non tantùm coactionis, sed etiam immutabilitatis, quam quidem paulò antè sic definierat, *Potentia libera, ut distinguitur contra naturalem, est potentia indifferens ad oppositа, quæ scilicet habet in suæ potestate utrumque oppositorum, scilicet facere & non facere.* Pergit autem: *Hæc dicitur libertas contingentiæ. Sic accipitur, quando est principium meriti vel demeriti: nam per hæc quæ vitare non possumus, nec meremur nec demeremur.* Gabriel Biel.

Hæc audiant Jansenіani, & sibi de patrocinio Gabrielis adhuc blandiantur.

S. Thomas liberam equidem dixit esse Spiritus sancti processionem, non quòd existimet libertatis essentiam in uno voluntario reponi; sed liberam dixit latiori sensu, ut probaret non esse coactam. Agit hic siquidem contra hæreticos, inter quos errore planè contrario multi peccarunt contra divinas processiones. Ariani Filium à Patre; Macedoniani Spiritum sanctum à Patre & Filio procedere dicebant, non natura, seu naturæ necessitate, sed libera voluntate, ad modum aliarum creaturarum: alii ex opposito, de quibus S. Thomas 1. p. q. 41. art. 2. ad 1. ab actibus notionalibus etiam divinæ voluntatis concomitantiam removebant, ac Filium & Spiritum sanctum sic natura produci asserebant, ut voluntas producendi in producente non adesset: *Sicut & mos*, ait ibid. S. Thomas, *multa naturali necessitate contra voluntatem patimur, ut mortem, senectutem & hujusmodi defectus.* Unde in opinione illorum, personæ procedebant nolente Patre, seu quasi coacto & invito Patre: contra quos appositè dixit Angelicus Doctor, Spiritum sanctum liberè

à Patre & Filio procedere, quia non coactè, sed ex summa voluntatis propensione & inclinatione tametsi summè necessaria; quòd nempe non sit in potestate Patris & Filii, processionem hanc Spiritus sancti suspendere. Hoc eodem sensu hæreticis contrario dixit S. Hilarius, *quòd Pater non naturali necessitate ductus genuit Filium*; id est, non coactus nec invitus, sed ex perfectè voluntaria naturæ divinæ inclinatione.

Instabis: In opinione Scoti in 3. dist. 18. q. 1. actus beatificus tametsi necessarius, meritorius est. Docet enim Christum meruisse *omni actu secundùm naturam humanam, etiam actu beatifico, quo secundùm portionem superiorem Deo fruebatur*. Ergo existimat libertatem ad merendum necessariam stare cum necessitate. To. 7. p. 387. n. 6.

Videtur eadem esse opinio Gabrielis in 3. dist. 18. art. 3. ubi sic loquitur: *Alio modo potest dici secundùm illam opinionem, quòd in anima Christi fuit tantùm unus actus fruitionis Dei: & hic à Deo creatus & beatificus, qui nihilominus in Christo fuit meritorius.*

Resp. hæc nullatenus Jansenium juvare.

Ad Scotum, distinguo propositionem: Actus beatificus tametsi necessarius, meritorius est, quatenus contingens, concedo: quatenus necessarius, nego. Itaque in mente Scoti actus beatificus est simpliciter contingens, quia est creatus, & quidquid creatum est, simpliciter est contingens; adeoque actus ille beatificus de se meritorius est. De hac Scoti opinione nihil hic judico, satis nobis est, quòd novæ Jansenii opinioni non faveat; siquidem Jansenius loquitur de actu voluntario simpliciter necessario, quem eo ipso contendit esse liberum libertate de se apta ad merendum: Scotus è contra contendit actum beatificum idcirco esse meritorium, quia contingens est, non verò simpliciter & absolutè necessarius. Quid rogo commune id habet cum sententia Jansenii?

Ad Gabrielem distinguo: Actus fruitionis Dei fuit in Christo meritorius, quantùm ad tendentiam in objectum, & quidem secundarium, concedo: quantùm ad actum elicitum, nego.

Solutio est ipsius Gabrielis in 3. dist. 18. art. 3. *Alio modo*, inquit, *potest dici quòd in anima Christi fuit tantùm unus actus fruitionis Dei, & hic à Deo creatus & beatificus, qui nihilominus in Christo fuit meritorius. Consequenter dicitur, quòd fuit in potestate voluntatis quantùm ad tendentiam in objectum, non quantùm ad esse elicitum: nam voluntas per hunc actum creatum liberè & complacenter tendit in objectum beatificum, licèt non liberè contradictoriè; & hæc libertas sufficit ad rationem meriti.* Hanc Gabrielis responsionem ut intelligas,

Observa illum citato in loco quærere utrum *actus beatificus possit esse meritorius*. Ratio dubitandi est, *tùm quia*, inquit, *de ratione actus beatifici est, quòd sit necessarius; de ratione verò meriti, quòd sit contingens: tùm quia actus beatificus est à solo Deo, meritum verò à voluntate eliciente vel imperante.*

Ad primum autem respondet, negandum *quòd actus beatitudinis sit simpliciter necessarius: quia sive fit à Deo immediatè, sive elicitus à voluntate, est liberè elicitus, & ita contingens. Est tamen immutabilis & perpetuus, contingenter & non necessariò, quia à voluntate divina perpetuè conservatur: Est ergo beatitudo immutabilis, quia non mutabitur; non autem immutabilis, id est impossibilis mutari, posset enim Deus eam mutare de potentia absoluta.*

Quæ

Quæ profectò Gabrielis responsio nullatenus Jansenio favet, imò potius adversatur. Jansenius enim loquitur de actu necessario, & tamen sufficienter ad merendum libero; Gabriel è contra vult actum beatificum idcirco meritorium esse posse, quia non est simpliciter necessarius, sed contingens.

Ad secundum, duo in actu beatifico distinguit, unum ex parte Dei, ipsam scilicet claram Dei visionem & perfectam dilectionem quæ est in Beato tanquam præmium: alterum ex parte creaturæ, actum nempe elicitum quo tendit in objectum beatitudinis. Circa secundum, non circa primum, liberum putat esse Beatum: primum ait esse à Deo solo ut à causa effectiva, non quasi voluntas activè ac vitaliter non concurrat, sed quia talis actus non est in potestate voluntatis: alterum verò ait esse à voluntate. *Actus beatificus*, inquit, *qui est præmium, est immediatè à Deo, & ille non est meritorius: sed cum illo est alius actus fruitionis à voluntate elicitus ejusdem objecti beatifici; qui etiam dicitur beneficus, licèt priore, qui à solo Deo est, sit imperfectior, quia est objecti beatifici in se clarè visis; & ille est meritorius, & de illo intelligendæ sunt conclusiones.* Deinde addit quæ de actu Christi beatifico & meritorio relata sunt.

Quæ pariter solutio Jansenio repugnat. Vult enim Gabriel, secundum illum actum, quamquam priore imperfectiorem, ideo esse meritorium, quia liberè elicitur à voluntate; seu quia, ut dixerat antea, contingens est absolutè, licèt non sit liber *contradictoriè*, quia nempe non potest Beatus ab illo actu cessare: sed tamen potest manente illo actu non tendere ad objectum beatificum, scilicet secundarium, ad quod ferri non necessariò debet: quod ipse Gabriel indicavit his verbis, *Est in potestate voluntatis quantùm ad tendentiam in objectum, non verò quantùm ad esse elicitum.* Jansenius ex adverso contendit, actum simpliciter necessarium habere essentialem ad merendum libertatem. Hæc paulò fusiùs commemoranda fuere, ut apertissimè pateat quàm turpiter Jansenius Scoti & Gabrielis, ut & aliorum, nomine & auctoritate abutatur.

SECUNDA CONCLUSIO.

Libertas ad merendum vel demerendum requisita excludit simplicem necessitatem seu determinationem ad unum, etiam voluntariam, mutabilem ac transeuntem, qualis, in mente Jansenii, oritur ex delectatione superiori relativa & indeliberata.

Probationes Conclusionis ex his fontibus hauriemus.

I. Ex Scripturis.
II. Ex SS. Patribus.
III. Ex Conciliis.
IV. Ex summis Pontificibus.
V. Ex rationibus Theologicis.

PRIMA PROBATIO.

Ex Scripturis.

Multiplex ex Scripturis argumentum eruitur.

Primum, ex omnibus præceptis morum quæ præscribunt, qualia sunt: *Non habebis*

habebis Deos alienos. Non assumes nomen Dei tui in vanum. Et alia hujusmodi benè multa quæ leguntur Exodi cap. 20. & enumerat S. Augustinus Lib. de Gratia & libero arbitrio cap. 2. Præceptum autem à justo Legislatore non imponitur, nisi iis qui liberi sunt ut illud observent vel non observent: qui verò necessitate quamquam simplici & voluntaria ita sunt ad unum determinati, ut relativè, & in iis circumstantiis in quibus urget observatio præcepti, non possint flectere se ad oppositum, quòd nempe vinculo delectationis superioris indeliberatæ uni parti alligati sint, ii profectò verè non sunt liberi. Sic autem est in sententia Jansenii. Istud libertatis argumentum ex mandatis deductum urget S. Augustinus citato Lib. de Gratia & libero arbitrio c. 2. n. 2. *Revelavit*, inquit, *nobis Deus per Scripturas suas sanctas esse in*
T. 19. p. 718. *homine liberum voluntatis arbitrium... Primum, quia ipsa divina præcepta homi-*
11. Pag. *ni non prodessent, nisi haberet liberum voluntatis arbitrium.* Et postea num. 4.
715. E. Pag. *Quomodo jubet si non est liberum arbitrium? .... Ubi dicitur, Noli hoc, & noli*
720. C. *illud; & ubi ad aliquid faciendum vel non faciendum in divinis monitis opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium.*

Secundum argumentum petitur ex iis locis in quibus Deus aliquid hominibus promittit sub ista conditione, si voluerint. Isaiæ 1. v. 19. & 20. *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Quòd si nolueritis, & me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos.* Amos 5. v. 14. *Quærite bonum & non malum, ut vivatis.* Matth. 19. v. 17 *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Et v. 21. *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo.* Inde sic arguimus. Aut irrisoriæ sunt hujusmodi promissiones, aut conditio sub qua fiunt, verè est in potestate hominis: promissiones Dei irrisorias esse ac per ironiam factas, impium ac sacrilegum est cogitare; ergo conditio ista, si homo voluerit, debet esse in potestate hominis. Non est autem in potestate hominis, quando supponitur per delectationem superiorem ad unum necessariò determinatus; tunc enim, ut sæpius ostendimus, potentia seu facultas non est ad oppositum relativè libera & expedita, defectu scilicet alterius delectationis superioris indeliberatæ, quæ; in principiis Jansenii, tenet se ex parte potentiæ seu actus primi, non verò tantùm ex parte actus secundi.

Jocatur haud dubiè Jansenius, cùm ait conditionem illam semper esse in potestate hominis, quia illam, si vellet, adimpleret. Ita quidem: at non potest illam velle, quando per delectationem superiorem ad oppositam volitionem necessariò inflectitur; deest quippe tunc ratio volendi. Hac ipsa ratione quis dicere posset, quòd si Deus vellet, mentiretur; quod sanè perabsurdum est, cùm sit impossibile ut mentiri velit. Scilicet quando propositio conditionata est de conditione impossibili, tunc vel irrisoria est promissio sub tali conditione facta; ut si habenti pedes vinculis constrictos diceres, Si currere volueris, præmium retribuam: vel id quod dicitur esse possibile sub illa conditione, est simpliciter impossibile saltem relativè & in præsentibus circumstantiis; neque verè potest enuntiari absoluta propositione esse possibile, ut patet in exemplo adducto: dici enim non potest, Si Deus vellet, posset mentiri; quia impossibile est prorsus ut velit mentiri. Illudit pariter Jansenius, cùm dicit conditionem istam, *si homo voluerit*, semper esse possibilem ex gratia. Fateor semper possibilem esse absolutè:

lutè : at in ſententia Janſenii poſſibilis non eſt relativè ; quia abſente gratia efficaci, ac dominante ſuperiori cupiditatis delectatione, voluntas relativè non poteſt bonum velle. Porrò quæſtio non eſt de poſſibilitate illa abſoluta & abſtracta quæ ad uſum & exercitium boni operis nihil confert, ſed de poſſibilitate relativa in præſentibus circumſtantiis, & urgente hic & nunc præcepti obligatione.

Tertium argumentum ex iis locis colligitur, quibus patet per hominem ſtetiſſe, quominus benè ageret, & peccata vitaret. Num. 14. v. 43. *Amalecites & Chananæus ante vos ſunt, quorum gladio corruetis, eò quòd nolueritis acquieſcere Domino.* Deuteron. 30. v. 11. *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum.* Jeremiæ 7. v. 25. & 26. *Miſi Prophetas . . . & non audierunt me, nec inclinaverunt aurem ſuam.* Et v. 28. *Hæc eſt gens quæ non audivit vocem Domini Dei ſui, nec recepit diſciplinam: periit fides & ablata eſt de ore eorum.* Et c. 32. v. 23. *Non obedierunt voci tuæ, & in lege tua non ambulaverunt . . . .* (idcirco) *evenerunt eis omnia mala hæc.* Iſaiæ 5. v. 4. *Quid eſt quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei?* Matth. 23. v. 37. *Quoties volui congregare filios tuos . . . & noluiſti? Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.*

Recurrit hìc idem argumentum: nempè, Per hominem ſtat ut benè vel malè agat: benè quidem ex gratia; malè autem ex concupiſcentia, ſed per eum qui delectatione ſuperiori determinatur neceſſariò ſive ad bonum, ſive ad malum, non ſtat ut benè vel malè agat; licèt ea neceſſitas ſimplex dumtaxat fuerit ac voluntaria: tùm quia, ex Janſenio, delectatio illa ſuperior indeliberata eſt, nec pendet à voluntate hominis; in ejus quippè voluntate poſitum non eſt ut his vel illis occurrentibus viſis moveatur, iiſque delectetur : tùm quia delectatio illa ſuperior indeliberata neceſſariò exprimit actum voluntatis deliberatum; neque enim poteſt voluntas ſuperiori delectatione rapta, actum ſuum ſuſpendere, aut ad oppoſitum ſeipſam flectere. Ergo non eſt in ejus poteſtate ut benè vel malè agat; ſed alterutrum ita neceſſariò vult & agit, ut oppoſitum relativè velle non poſſit.

Quartum argumentum petitur ex iis locis quibus Scriptura teſtatur hominem ſui actus dominium ac poteſtatem habere; poſſe ipſum bonum vel malum eligere; nulla ipſum neceſſitate ad hoc vel illud agendum alligatum eſſe. Geneſeos 4. v. 6. Deus ad Cain dicit: *Quare iratus es? & cur concidit facies tua? Nonne ſi benè egeris, recipies ; ſin autem malè, ſtatim in foribus peccatum aderit? Sed ſub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius.* Eccli. 15. v. 14. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui. Adjecit mandata & præcepta ſua : ſi volueris mandata ſervare, conſervabunt te . . . . Appoſuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit, dabitur illi.* Deutoronomii 30. v. 15. Moyſes ait: *Conſidera quòd hodie propoſuerim in conſpectu tuo vitam & bonum, & è contrario mortem & malum, ut diligas Dominum Deum tuum &c.* Et v. 19. *Teſtes invoco hodie cœlum & terram, quòd propoſuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam, ut & tu vivas, & ſemen tuum.* An porrò eligere poteſt vitam aut mortem, bonum aut malum, ille qui ad alterutrum neceſſitate ex delectatione ſuperiori eaque indeliberata profluente determinatur?

Denique 1. Corinth. cap. 7. v. 37. Apostolus de virginibus sic loquitur: *Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc judicavit in corde suo, servare virginem suam, benè facit.* Paulò antè v. 36. dixerat: *Quod vult faciat: non peccat, si nubat.* Et in posteriore ad eosdem Epistola cap. 9. v. 7. de facienda eleemosyna idem Apostolus ait: *Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus.* Quamquam verò necessitas, quam ibi Apostolus excludit, extrinseca sit, supponit tamen evidentissimè immunitatem ab omni necessitate etiam interna, in eo posita, quòd homo, ut ipse loquitur Apostolus, *potestatem habeat suæ voluntatis.* Id est, ita rem quamlibet faciat, ut oppositam, si voluerit, facere possit: qualis indifferentia, seu ad oppositum potentia, non occurrit in sententia Jansenii, sicut passim ac frequenter observavimus.

Ad hæc & similia Scripturæ & SS. Patrum testimonia Jansenius Lib. 6. de Gratia Christi cap. 34. respondet, ea nihil ad suum propositum facere, quia loquuntur de libertate hominum viatorum, quos ad bonum & malum flecti posse constans ac immobilis est fidei doctrina: ex illis verò probari minimè posse, indifferentiam ad bonum & malum ad essentiam libertatis pertinere, cùm Deus, Christus in via constitutus, Beati in Cœlis liberi sint, nec tamen malum eligere possint; atque postquam fusiori stylo distinxit inter essentiam libertatis & ejus statum, homines viatores ad bonum & malum liberos seu indifferentes esse affirmat. In quo porrò consistat ea libertas ipse candidè aperit, nempè in immunitate à coactione, & in flexibilitate naturali voluntatis, qua successivè ad bonum & malum transire potest. *Hominum igitur viatorum*, inquit, *non solùm coactionis expertem esse libertatem, sed etiam necessitatis immutabilis voluntariæ, hoc est, eam ad utrumque indifferentem esse, fatemur prolibenter.* Idem sub finem capitis repetit.

To 3. p. 300. col. C.

Verùm hæc responsio manifesta est illusio, & erroris professio. Hominem quippè dicere liberum, quia non coactè, sed voluntariè, quamquam necessariò, agit, hoc ipsum est quod Ecclesia in Jansenio, & antea in Luthero & Calvino damnavit, & abundè confutatur mox citatis Scripturæ testimoniis, & expositis argumentis. Dicere pariter, indifferentiam illam nihil esse aliud præter naturalem flexibilitatem, seu, ut ipse loquitur Lib. 8. de Gratia Christi cap. 17. *instabilitatem* voluntatis, qua modò bonum, modò malum succesivè amplectitur, etiam illusio est: 1. quia cum tali flexibilitate successiva stat actualis necessitas determinans sive ad bonum per gratiam, sive ad malum per concupiscentiam; ita ut tota libertatis humanæ prærogativa in eo sit, ut una necessitate excussa, jugum alterius subeat. Citata porrò testimonia excludunt ab actionibus voluntatis omnem necessitatem; nec indifferentiam dumtaxat naturæ, seu status asserunt, sed etiam indifferentiam actionis: siquidem loquuntur de indifferentia electionis; de indifferentia quæ præceptum adimpletur aut violatur; de indifferentia quæ sit ex potestate voluntatis, id est, per quam potestas seu dominium retinetur in actum qui exercetur; uno verbo, de indifferentia, quæ sit radix meriti vel demeriti actionis humanæ. 2. quia Lutherani non negarunt hanc voluntatis flexibilitatem, & tamen damnati sunt.

Ibid. p. 364. col. D.

Extra rem vagatur Jansenius, cùm inter essentiam ac statum libertatis di-

distinguit: nobis satis est, quod & ipse fatetur, laudata scilicet Scripturæ loca de hominibus viatoribus loqui; hic figendus ipsi gradus est. De sola enim libertate hominis viatoris hìc controvertitur ad merendum vel demerendum requisita, quam in immunitate non solùm à coactione, sed ab omni necessitate etiam simplici positam esse contendimus. Quæ verò de libertate generatim sumpta, prout abstrahit à Deo, Angelis & hominibus, congerit Jansenius, planè sunt extra propositum, & eo consilio injecta, ut lectoris oculos à præcipuo scopo avertant, erroremque subtiliter instillent.

Aliter Jansenius Lib. 9. de Grat. cap. 25. adductum ex cap. 15. Ecclesiastici testimonium eludit; nimirum sermonem hìc esse de Adamo innocente, non lapso. Ex Calvino miserum illud effugium more suo excerpsit Jansenius. An verò Moyses Deuteronomii 30. de Adamo innocente loquebatur, cùm eadem ferè verba Ecclesiastici expresit? Apage ineptias. Alloquebatur Ecclesiasticus Judæos tunc viventes, eosque increpat qui dicebant, per Deum stare quominus ipsi benè ac sapienter vitam instituerent. *Non dixeris*, inquit, *per Deum abest: quæ enim odit ne feceris. Non dicas, ille me imp lanavit: non enim necessarii sunt ei homines impii.* Ergo verba quæ sequuntur, *Hominem reliquit in manu consilii sui, &c.* diriguntur ab hominem lapsum, non ad Adamum innocentem. Unde sanctus Augustinus Lib. de Gratia & libero arbitrio cap. 2. post relata Ecclesiastici verba statim addit: *Ecce apertissimè videmus expressum liberum humanæ voluntatis arbitrium.* T. 10. p. 719. E.

SECUNDA PROBATIO.

Ex Sanctis Patribus.

Multos hìc ex utraque Ecclesia seu Græca seu Latina enumerare promptum foret, quos ordine longo recensent Bellarminus Lib. 5. de Gratia & libero arbitrio, capitibus 25. 26. 27. & 28. Coccius in Thesauro Tom. 2. Lib. 1. art. 5. Martinonius in suo Anti-jansenio disput. 31. 32. & 33. Verùm ab illa fusiori enumeratione nos revocant ipsimet Janseniani, qui cùmunum Augustinum pro cæteris omnibus habeant, eique inter Scholasticos S. Thomam perpetuò adjungant, ad hos duos eximios Ecclesiæ Doctores rem totam ultrò deferemus, eorum auctoritate ac testimonio dirimendam.

Probatur ex S. Augustino, argumento multiplici.

PRIMUM ARGUMENTUM.

Sanctus Augustinus Manichæos ac Pelagianos oppugnans, constanter docet humanam libertatem immunem esse ab omni necessitate, seu ineluctabili ad unum determinatione.

MAnichæi, ait S. Aug. Lib. 1. Retract. cap. 15. duas in homine animas admittunt, *quarum unam partem Dei esse dicunt, alteram de gente tenebrarum, quam non condiderit Deus, & quæ sit Deo coæterna: & has ambas animas unam bonam, alteram malam, in uno homine esse delirant: istam scili-*

cet malam, propriam carnis esse dicentes; quam carnem etiam dicunt gentis esse tenebrarum ; illam verò bonam , ex adventitia Dei parte , quæ cum tenebrarum gente conflixerit. atque utramque miscuerit; & omnia quidem bona hominis illi bonæ animæ; omnia verò mala illi malæ animæ tribuunt.

Ex qua Manichæorum doctrina manifestum est, hominem concreata malitia aut bonitate pro duplici anima mala vel bona, ineluctabili necessitate five ad bonum five ad malum compelli : quem errorem ut funditus evertat S. Augustinus , probat hominem non natura , sed voluntate , adeòque liberè agere: nec ulla necessitate ad unam partem inflecti.

Libro de duabus animabus contra Manichæos cap. 10. voluntatem sic
To.8.p. definit: *Voluntas est animi motus, cogente nullo , ad aliquid vel non amittendum,*
85.A. *vel adipiscendum.* Hic voluntas Augustino idem est, ac libertas, seu , ut sæpè loquitur, liberum voluntatis arbitrium; atque istud, *cogente nullo*, idem ac non necessitante, seu ad unum invincibiliter non determinante, ut mox ostendemus.

Ibid.C. Ibidem: *Omnis qui volens facit*, pergit sanctus Doctor, *non cogitur*; *& omnis qui non cogitur , aut volens facit , aut non facit.* Ecce potestas seu indifferentia ad oppositum, quam Augustinus necessitati Manicheæ opponit.

Ibid. F. Et cap. 11. *Peccatum est voluntas retinendi vel consequendi quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere.*

Et cap. 12. *Dicere animas & esse malas , & nihil peccare, plenum est demen-*
Ibid. p. *87. F.* *tiæ: dicere autem peccare sine voluntate , magnum deliramentum est ; & peccati reum tenere quemquam , quia non facit quod facere non potuit , summæ iniquitatis est & insaniæ. Quamobrem illæ animæ quidquid faciunt , si natura, non voluntate faciunt, id est, si libero & ad faciendum & ad non faciendum motu animi carent; si denique his abstinendi ab opere suo potestas nulla conceditur , peccatum earum tenere non possumus.*

Et cap. 13. excludens duas illas Manichæorum animas , *Cur*, inquit , *mihi jam de ulla re audiendi vel consulendi viderentur?* (nempè Manichæi) *An*
Ibid. p. *88. E.* *ut discerem hinc ostendi animarum duo esse genera, quòd in deliberando nunc in malam partem, nunc in bonam nutat assensio? Cur non magis hoc signum est unius animæ, quæ libera illa voluntate huc & huc ferri, atque hinc referri potest?*

In eadem semper libertatis creatæ notione, quòd nempè sit potestas ad utrumque expedita, perstitit Sanctus Augustinus.

Lib. 2. de Actis cum Felice Manichæo cap. 3. *Esse*, inquit, *liberum arbi-*
Ib.p.88. *C.D.* *trium, atque inde peccare quemque si velit, non peccare si nolit....probo....Audi ditentem* (Dominum,) *Aut facite arborem bonam & fructum ejus bonum , aut*
ibid. E. *facite arborem malam & fructum ejus malum. Cùm ergo dicit , Aut hoc facite , aut illud facite ; potestatem indicat, non naturam....Habet unusquisque in voluntate, aut eligere quæ bona sunt....aut eligere quæ mala sunt.*

To.1.p. *756. F.* Denique Lib. de vera Religione cap. 14. *Quoniam*, inquit , *peccari non dubium est , ne hoc quidem dubitandum video , habere animas liberum voluntatis arbitrium . Tales enim servos suos meliores esse Deus judicavit, si ei servirent liberaliter . Quod nullo modo fieri posset, si non voluntate , sed necessitate servirent.*

Jansenianipromptum ac paratum hic habent effugium, Augustinum scilicet excludere necessitatem coactionis ac violentiæ , & fixam ac immutabilem ad unum determinationem, non verò necessitatem simplicem, voluntariam ac mutabilem, quam solam admittere se contestantur.

Verùm

Verùm inepta prorsus responsio. Etenim eam S. Augustinus necessitatem rejicit, quam admittebant Manichæi: atqui Manichæi tam stupidi non fuere, ut existimaverint voluntatem veram & propriam coactione externa perpetua & immutabili rapi & cogi ad actus suos internos. 1. quia talis coactio impossibilis est, ac omni Philosophiæ repugnat. 2. quia duæ illæ animæ, in ipsa etiam Manichæorum mente, bonum vel malum volebant quodam proprio & interno motu, quamquam naturali ac prorsus necessario, à quo temperare se non possent; (neque enim verisimile videtur eos existimasse animas illas seu ad bonum seu ad malum externo motu contra propriam inclinationem sic merè passivè abripi, quomodo v. gr. lapis violento motu sursum projicitur.) Ergo agnoscebant animas illas interiùs, ac vitali quadam actione & inclinatione, licèt necessaria, velle ac se ipsas movere; at hoc ipso, nulla, ut Augustinus docet, vera & propria esse potest coactio. Rem ita esse probat sanctus Doctor cap. 5. Lib. 2. de Actis cum Felice Manichæo, ubi refert verba Manichæi qui dixerat nonnullas animas legem sibi à suo Liberatore datam plenius servare noluisse: unde colligit Augustinus, vel ipsomet fatente Manichæo, animas illas nulla necessitate ad violandam legem astrictas fuisse, sed sua illam voluntate violasse. *Qui enim*, ait sanctus Doctor, *servare legem non vult, in potestate eius est, si velit. Non enim dixit, Non potuerunt, sed noluerunt. Hoc certè quòd nolunt servare legem, non à gente tenebrarum coguntur: si enim coguntur non nolunt, sed non possunt: si autem nolunt, non utique coguntur ut non faciant, sed voluntate sua nolunt.* Ergo Manichæi non coactionem propriè dictam, sed necessitatem duntaxat seu determinationem ad unum ineluctabilem admittebant; ergo S. Augustinus illos impugnans, non tantùm coactionem, sed & necessitatem ab humana libertate procul removet, velut exitialem & inimicam. To. 8. f. 489. B.

Nec tamen ex mox citatis Augustini verbis inferas, omnem voluntatis motum, eo ipso quo est à voluntate, seu quo non est coactus, liberum esse: noverat enim sanctus Doctor, esse motum voluntatis erga beatitudinem in communi non coactum, nec tamen liberum, saltem libertate propriè dicta, sed verè necessarium: cùm nemo, vel uno naturæ instinctu, velit esse miser. Scilicet disputans eximius Doctor contra Manichæos, voluntatem semper distinguit contra naturam, ac in propria & vulgata significatione usurpat, nimirum pro facultate vel actione libera & ad utrumlibet indifferenti, ab omni necessitate non minùs, quàm à coactione prorsus aliena: inde est quòd quidquid voluntate fit, non natura, liberè fieri pronuntiet Augustinus. In exemplo autem adducto amoris beatitudinis in communi, voluntas non agit formaliter ut voluntas, seu quatenùs libera facultas, sed ut natura; unde talis amor propriè ac formaliter liber non est.

III. Non tantùm necessitas interior ac naturalis Manichæorum, sed nec etiam alia externa quam veteres aut ex fato, aut ex præscientia Dei actionibus humanis inferri asserebant, coactiva erat, aut spontaneam excludebat voluntatis actionem: imò hanc spontaneam actionem fato ipso definiri ajebant. Audiatur unus ex illis apud Eusebium Lib. 6. Præparationis Evangelicæ cap. 6. sic de fato suo disserens. *Fiet illud omninò, si fatum ita meum tulerit. Quorsum autem frustra molestus ipse mihi sim? .... Nec enim integrum mihi est hanc mentem consiliumque mutare, quando jam fatum occupavit. Quid me porrò* Pagina 243. C. ibid. D.

juvet contendere, ubi ne optandi quidem facultas arbitriumque relinquatur, nisi optare fatum quoque mihi sit? Optabo verò si fatum erit, ut nihil præcipias, ipsa-
ibid. p. 144. A. met fati necessitate adactus... Nam in rem ipsemet incumbam ultro, si fatum erit: sin autem, manis est utrinsque contentio. Vides ex fato inductam non coactionem, sed unam dumtaxat necessitatem, seu inexorabilem ad unum determinationem, quæ suam voluntati spontaneam permittit actionem, tametsi fato ipso definitam: hanc tamen necessitatem Ecclesia semper reprobavit ac damnavit.

Rectè quidem, inquies, verùm à tali necessitate vel interna & naturali Manichæorum, vel externa & fatali Stoicorum admittenda multùm alienus est Jansenius.

Fateor, si de nomine agatur, aut de origine & causa necessitatis, Jansenium Manichæam & Stoicam rejicere. At quantùm ad effectum, & modum determinationis invincibilis ad unum, contendimus parem ac similem esse ex utraque parte necessitatem. Jansseniana quidem necessitas non est ex concreata malitia vel bonitate, aut ex fato, aut ex Dei præscientia, sed ex decreto Dei, ex dominio gratiæ vel concupiscentiæ; adeoque origine & causa diversa est ab ea necessitate quam veteres Hæretici ac Philosophi admittebant; at quantùm ad effectum & modum determinationis ad unum planè necessarium & ineluctabilem, par & similis est conditio: nec enim magis fieri potest ut voluntas sub dominio gratiæ vel concupiscentiæ in alteram partem flectatur, quàm ut anima mala ex Manichæorum mente flectatur ad bonum; aut, juxta Stoicos, ut ex fato ad unum determinata, feratur ad oppositum. Parum verò refert unde sit ea necessitas, modò vera sit, antecedens & ineluctabilis, ut revera est Jansseniana, quæ ex delectatione superiori relativa & indeliberata oritur.

Neque dicas necessitatem Jansenianam esse voluntariam & mutabilem. Namque 1. Si per voluntariam intelligas, non coactam, sed spontaneam, necessitas pariter Manichæa & Stoica hoc sensu voluntaria erat: si verò per voluntariam intelligas liberam, libertate propriè dicta ad meritum vel demeritum requisita, neutra libera dici potest; quia neutra relinquit potentiam ad oppositum, sed quælibet ita voluntatem invincibiliter ac insuperabiliter ad unum alligat, ut non possit se flectere ad oppositum. In quamcumque ergo partem vertant se Jansseniani, non aliud inter suam ac Manichæorum & Stoicorum necessitatem discrimen reperient, quàm ex parte causæ & originis illius necessitatis, non verò ex parte effectus, seu modi necessitatis & determinationis ad unum invincibilis & ineluctabilis. 2. Necessitas Manichæa suo etiam modo erat mutabilis: neque enim homo aut semper bonum, aut semper malum operabatur, sed modò unum, modò aliud, prout ex mala, vel bona agebat anima. Deinde mutabilitas illa & flexibilitas successiva Jansseniana, importat non immunitatem à necessitate, sed mutationem dumtaxat necessitatis, cùm nempè voluntas à jugo cupiditatis transit ad dominium gratiæ, cui necessariò servit, sicut servierat cupiditati; adeoque mutabilitas illa & flexibilitas successiva, quam perpetuò Jansseniani obtrudunt, non tollit à præsenti voluntatis actione necessitatem, quam tamen removendam esse Ecclesia definivit, ut salva & incolumis sit actionis humanæ libertas.

IV. De-

IV. Denique, Sanctus Augustinus citatis in locis manifestè excludit non modò coactionem, sed etiam necessitatem seu determinationem ad unum insuperabilem & invincibilem. Requirit etenim potestatem hic & nunc expeditam ad hoc vel illud agendum, eligendi bonum vel malum, faciendi arborem bonam vel malam; uno verbo, potestatem, quæ sit vera & propria voluntas, prout à natura distinguitur; voluntas porrò ut à natura distinguitur, facultas est ab omni necessitate libera & expedita; potest enim, ut dixinius, voluntas, ut natura, ad unum determinari.

Et verò vix potuisset sanctus Doctor efficaciter & invictè Manichæos & Stoicos refellere, si ipsemet agnovisset voluntatem sub dominio gratiæ vel concupiscentiæ ad bonum vel malum indeclinabiliter & insuperabiliter inclinari: statim enim repostuissent adversarii, eum in hoc ipsum violatæ libertatis vitium recidere, cujus ipsi arguebantur.

Ab hac sua doctrina non recessit, nec eam usquam revocavit sanctus Augustinus, imò potiùs confirmavit disputans contra Pelagianos. Cùm enim isti arbitrii libertatem definirent per indifferentiam seu potestatem ad oppositum, non reclamavit, nec contradixit sanctus Doctor; sed duo dumtaxat ab ipsis postulavit: primum, ut ad naturam libertatis universim consideratæ non exigerent potestatem seu indifferentiam ad malum. Ratio est aperta, quia Deus liber est, nec tamen est mali capax. Alterum, ut non affirmarent hominem, sine gratia, liberum esse posse ad bonum ordinis supernaturalis. His duobus in tuto positis, ultro confessus est sanctus Doctor, hominis viatoris libertatem in illa indifferentia seu potestate ad oppositum positam esse.

Lib. 2. de nuptiis & concup. cap. 3. *Liberum esse*, inquiebat alloquens Pelagianos, *in hominibus arbitrium ..... utrique dicimus: non hinc estis Cælestiani & Pelagiani.* T. 10. p. 305. A.

Libro 1. Operis imperfecti contra Julianum cap. 78. *Videamus*, ait Julianus, *quæ libertati arbitrii definitio competat, ut planum fit quis ei nostrum consentiat, quis repugnet.* Tum libertatem sic definit. *Libertas arbitrii, qua à Deo mancipatus homo est, in admittendi peccati & abstinendi à peccato possibilitate consistit.... Factum est enim animal rationale, mortale, capax virtutis & vitii, quòd posset ex concessa sibi possibilitate, vel servare mandata, vel transgredi.* Ibid. p. 920. E.

Ea in definitione non reprehendit S. Aug. indifferentiam illam seu potentiam peccandi & non peccandi, quam Julianus in homine agnoscebat, sed obiter verba ista carpit, *qua à Deo mancipatus est homo. Nec attendis*, inquit alloquens Julianum, *hoc cum emancipato agi, ut in familia patris non sit.* Deinde ab eo exigit ut fateatur liberum arbitrium non habere de suo justitiam, hoc est, solis suis viribus sine adjutorio gratiæ non posse rectè vivere, & à mandatorum transgressione abstinere. Ibid.

Eodem Libro cap. 82. libertas arbitrii juxta Julianum cæterosque Pelagianos, est *Possibilitas vel admittendi, vel vitandi peccati, expers cogentis necessitatis, quæ in suo utpotè jure habet, utrum surgentium partem sequatur, id est, vel ardua asperaque virtutum, vel demersa & paludtria voluptatum.* Cogentis necessitatis voce, vel ipso judice Jansenio Lib. 2. de hæresi Pelagiana cap. 1. Pelagiani non rigidam ac propriè dictam violentiam & coactionem intelligebant, sed simplicem necessitatem seu ad unum determinationem. Ibid. p. 921. E.

Unde cap. 84. ejusdem Libri, libertas arbitrii dicitur esse *propulsatrix necessita-*

ſitatum, ut nemo ſit vel bonus vel malus, cui non ſit liberum eſſe contrarium.

Et Libro 3. cap. 122. *Liberum arbitrium non poteſt aliter conſtare, niſi ut & juſtitiæ ab eo, & peccati neceſſitas auferatur.*

Denique Lib. 6. cap. 9. *Liberum arbitrium*, ait idem Julianus, *eſt poſſibilitas peccandi & non peccandi, nulli partis alterutræ ſubdita violentiæ, ſed quæ habet facultatem in quod voluerit latus ſuopte arbitratu inſiſtendi.*

In ea porrò liberi arbitrii definitione, quatenus indifferentiam ſeu potentiam ad utrumlibet includit, & omnis neceſſitatis expers eſt, cum Juliano conſentit Sanctus Auguſtinus, nec ea ex parte legitur unquam illam vellicaſſe; ſed tantùm ea duo conſtanter redarguit, quæ mox diximus: ac niſi liberi arbitrii nomine idem intellexiſſet Auguſtinus, quod Julianus, debuiſſet haud dubiè ſublata omni nominis æquivocatione ſtatim declarare, ſe nomine libertatis ſeu liberi arbitrii, non idem, quod Julianus, intelligere: atqui nuſquam id declaravit S. Auguſtinus, quia reipſa nihil aliud intelligebat quàm quod ipſe volebat Julianus. *Voluntas quippè* (id eſt libertas) *eſt qua & peccatur, & rectè vivitur*, ait Lib. 1. Retract. cap. 9. Et Lib. de ſp. & littera c. 31. jam citato, *Illud in noſtra poteſtate eſt*, (adeoque liberum) *quod ſi volumus facimus, ſi non volumus, non facimus.* Quæ certè indicant indifferentiam arbitrii ad bonum & malum.

Inde eſt quòd ſanctus Doctor impactam ſibi à Pelagianis calumniam, quaſi ſub gratiæ neceſſitate fati neceſſitatem induceret, longiùs à ſe propulſet, eò quòd gratia libertatem potius foveat ac confirmet, juxta illud Chriſti, *Si vos Filius liberavit, tunc verè liberi eritis.*

SECUNDUM ARGUMENTUM.

Sanctus Auguſtinus excludit ab homine lapſo omnem neceſſitatem ad bonum vel ad malum determinantem.

IMmunitatem ab omni neceſſitate certiſſimum eſſe libertatis humanæ ad utramque partem indifferentis argumentum, omnes fatentur Orthodoxi: atque hominem lapſum & viatorem illa præditum eſſe, conſtanter docet S. Auguſtinus.

Lib. de natura & grat. c. 65. hæc Hieronymi verba refert & approbat, *Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia neceſſitate trahimur; alioquin ubi neceſſitas, nec corona eſt. Quis non agnoſcat?* addit Sanctus Auguſtinus, *Quis non toto corde ſuſcipiat? Quis aliter conditam humanam neget eſſe naturam? Sed in rectè faciendo ideò nullum eſt vinculum neceſſitatis.* Hæc audiant Janſeniani, & ſi poſſunt concilient cum iſtis Magiſtri ſui verbis Lib. 7. de Gratia Chriſti cap. 5. *Juſtitiæ vel peccati delectatio, eſt illud vinculum quo liberum arbitrium firmiter ligatur & retinetur.*

Libro 2. contra Fauſtum cap. 5. *Liberum arbitrium*, inquit, *quo vel benè vel malè vivitur, propter juſtum judicium Dei ab omni neceſſitatis vinculo vindicamus.*

Libro 3. de libero arbitrio, cùm Evodius cap. 2. hanc Auguſtino quæſtionem propoſuiſſet, *Quomodo fieri poſſit, ut Deus præſcius ſit omnium futurorum, & nos nulla neceſſitate peccemus?* non aliter ſanctus Doctor cap. 3. & ſequen-

quentibus difficultatem solvit, quàm ostendendo nulla nos necessitate peccare, & tamen Deum peccata nostra præscire, quia nempè præscit nos liberè peccaturos. Et cap. 20. disertè affirmat, *animam in ignorantia & difficultate natam, nulla tamen necessitate comprimi ad permanendum in eo quod nata est.* Ibid. p. 633. B.

Libro 1. Retractat. cap. 9. istos de libero arbitrio libros censoria virgula recognoscens, non retractat quod de immunitate à necessitate, & indifferentia libertatis dixerat; sed monet dumtaxat necessitatis gratiæ mentionem esse faciendam, de qua pauca tunc dixerat, quòd institutæ disputationis contra Manichæos ratio non postularet.

Libro de Gratia & libero arbitrio cap. 4. *Si* (homo) *dixerit, Volo servare* (præcepta,) *sed vincor à concupiscentia mea: respondet Scriptura libero ejus arbitrio.... Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.* T. 10. p. 722. F. Clarè hic innuit sanctus Doctor, nullam à concupiscentia necessitatem ad malum imponi.

In citatis porrò testimoniis excludit S. Doctor à libertate arbitrii omnem prorsus necessitatem; adeoque illam simplicem, quam Evodius ex Dei præscientia, & quam Jansenius ex decreto Dei ac motione indeliberata dominantis gratiæ vel cupiditatis oriri arbitratur.

Nec juvat si reponas, necessitatem Jansenianam voluntariam esse ac mutabilem; jam enim sæpius hujus responsionis fraudem ac fallaciam detexi-mus. Ita quippè ex Jansenio voluntaria est illa necessitas, ut voluntas aliter velle, seu oppositum velle non possit: ita successivè mutabilis, ut de una necessitate transeat ad alteram.

Non abs re erit hìc observasse, nomen necessitatis, cui hominem subjacere interdum S. Augustinus asserit, variis apud ipsum modis usurpari, qui rem nostram præsentem non spectant.

I. Igitur asserit sanctus Doctor, nostram voluntatem esse sub necessitate respectu boni vel mali, sensu nimirum Pelagianorum, non suo. Hoc est, sublata necessitate gratiæ ad bonum faciendum & ad fugiendum malum, necesse est hominem non operari bonum, & malum non declinare: attamen præsente gratia & movente, integra remanet arbitrii libertas, ut ei consentiat vel reluctetur.

II. Cùm ait, necesse esse hominem operari secundùm id quod eum magis delectat, loquitur de necessitate consequente liberam voluntatis determinationem, ut suprà diximus.

III. Quod in idem ferè recidit, ait nos esse sub necessitate, in sensu nempè composito, quem cùm removere possimus, libertatis indifferentiæ non officit. Quo sensu Tractatu 53. in Joannem n. 10. ad hæc verba, *Non poterant credere: Non quia*, inquit, *mutari in melius homines non possunt, sed quamdiu talia sapiunt, non possunt credere.* Et Lib. 2. de sermone Domini in monte cap. 24. *Quamdiu quisque malus est, non potest facere fructus bonos: si enim bonos fructus fecerit, jam malus non erit.* Hoc est, in sensu composito, & quatenus homo malus est, non potest bonos fructus facere: sed quia potest & tenetur malitiam deponere, idcircò liberè fructus illos malos facit, & ipsi ad culpam imputatur quòd eos faciat. To. 3. p. 2. pag. 647. F. To. 3. p. 1. pag. 233. A.

IV. Dicit aliquando nos esse sub necessitate, non quidem absoluta & plena, sed tantùm secundùm quid. Ut v. g. cùm non adest gratia necessaria ut homo proximè ac immediatè mandatum observet, adest tamen remota, nempè

nempè gratia orationis, per quam alia proxima impetrari poteſt; dicitur homo ille eſſe ſub neceſſitate, nempè non adimplendi proximè ac immediatè præceptum. Hoc ſenſu Sanctus Auguſtinus Lib. de natura & gratia cap. 66. ait: *Quòd autem ex vitiis naturæ, non ex conditione naturæ, ſit quædam peccandi neceſſitas, audiat homo, atque ut eadem neceſſitas non ſit, diſcat Deo dicere, De neceſſitatibus meis educ me. Quia & in huiuſmodi oratione certamen eſt adversùs tentatorem de ipſa contra nos neceſſitate pugnantem; ac per hoc opitulante gratia per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, & mala neceſſitas removebitur, & libertas plena tribuetur.*

T.10.p. 161. E.

Et Lib. de Gratia & libero arbitrio cap. 15. *Per gratiam fit ut ſit homo bonæ voluntatis, qui priùs fuit voluntatis malæ. Per hanc etiam fit, ut ipſa bona voluntas quæ jam eſſe cœpit, augeatur, & tam magna fiat, ut poſſit implere divina mandata quæ voluerit, cùm valdè perfectèque voluerit. Ad hoc enim valet quod ſcriptum eſt, Si volueris, conſervabis mandata: ut homo qui voluerit & non potuerit, nondum ſe plenè velle cognoſcat, & oret ut habeat tantam voluntatem, quanta ſufficit ad implenda mandata.* Hujuſmodi porrò neceſſitas ſecundùm quid, libertatem & indifferentiam non tollit; ſiquidem præſto adeſt gratia orationis per quam uberius Dei auxilium impetrari poteſt.

Ibid. p. 734. B.

V. Eſt quædam neceſſitas indeliberata & involuntaria, qualem etiam Sancti experiuntur in motibus concupiſcentiæ, de quibus Apoſtolus Rom. 7. v. 15. *Non enim quod volo bonum hoc ago: ſed quod odi malum, illud facio. Si autem quod nolo, illud facio, conſentio legi, quoniam bona eſt. Nunc autem jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum*, nempè concupiſcentia, quæ peccatum dicitur improprié, quatenùs nempè à peccato eſt, & ad peccatum inclinat. De hac neceſſitatis ſpecie loquitur Sanctus Auguſtinus Sermone 5. de verbis Apoſtoli nunc 154. c. 7. Lib. 1. de nuptiis & concup. cap. 27. & alibi ſæpius: quæ neceſſitas cùm peccato non imputetur, à propoſito noſtro planè aliena eſt.

VI. Aliquando ſanctus Doctor neceſſitatem ſumit pro ſimplici moleſtia aut difficultate in operando, ut Lib. 2. de peccatorum mer. & rem. cap. 10. ubi ſic loquitur: *Nonne ſatis apparuit etiam illa peccata juſtè imputari, quæ non delectationis illecebra committuntur, ſed cauſa devitandæ moleſtiæ alicujus, aut doloris, aut mortis? Nam & hæc dicuntur quadam neceſſitate committi, cùm omnia ſuperanda ſint amore, & delectatione juſtitiæ.* Ecce neceſſitas ſumpta pro difficultate, adeoque impropria: quo ſenſu ſcribens in Pſalm. 106. n. 5. tentationem ait *eſſe difficultatem in benè operando*; quam ibidem vocat *neceſſitatem*, addens: *Liberat Dominus de neceſſitatibus, rumpit vincula difficultatis, conſtituit in operatione æquitatis. Incipit ei jam facile eſſe quod difficile fuerat, abſtinere à malis, non adulterare &c.... facta eſt facultas*, (id eſt facilitas) *quæ fuerat antè difficultas.*

T.10.p. 48. E. F.

T. 4. p. 1106. D. E.

Hinc eſt quòd aliquando vocat non omninò liberum ſed ex neceſſitate factum, quod ex timore factum eſt. Ita Tract. 115. in Joan. dicit Pilatum non omninò fuiſſe liberum, cùm Chriſtum damnavit, quia timuit Cæſarem.

Hæc porrò neceſſitas, cùm impropria ſit, nec aliud, quàm difficultatem ſonet, ad rem præſentem non pertinet.

VII. Sumit aliquando neceſſitatem pro obligatione voti aut præcepti, quæ ſanè vera & propria non eſt, ſed impropria, de qua loquitur Lib. 2. de adul-

adulterinis conjugiis cap. 19. ubi de iis qui tenentur ad servandam continentiam ex abſentia, aut infirmitate conjugum vel alia de cauſa, dicit: *Non eos frangat, quòd videtur eorum continentia neceſſitatis eſſe, non voluntatis: quia & illi qui eam voluntate delegerunt, fecerunt eam eſſe neceſſitatis, quoniam jam ſine damnatione ab illa deviare non poſſunt.* Ubi vides neceſſitatem ſumi pro mera obligatione voti & præcepti. Unde quoties aſſerit ſanctus Doctor, homines cogi per præcepta, hoc unum intelligit, eos præceptis teneri & obligari, quæ tamen ipſi non implent. Hoc ipſo ſenſu Lib. 1. contra adverſarium legis cap. 14. dicit *humanam naturam ita recepiſſe arbitrium liberæ voluntatis, ut neceſſe ſit eam vivere ſub poteſtate melioris.* Hoc eſt, Deo ejuſque mandatis ſubjici. Neceſſitas quippè illa eſt obligatio, ſeu lex impoſita obſervandi mandata, quæ tamen liberè obſervantur aut violantur. Quod patet in Adamo, de quo ibi loquitur Sanctus Auguſtinus, cui præceptum à Deo impoſitum fuit, ad quod obſervandum maximè liberum & indifferentem fuiſſe Janſenius agnoſcit ac profitetur. To. 6. p. 474. A. To. 8. p. 558. F.

VIII. Denique neceſſitatem ſumit pro inclinatione ſeu determinatione naturæ: quo ſenſu Deus ſe ipſum amat, peccare non poteſt &c. quæ neceſſitas vera quidem eſt, ſed quæ maxima eſt in Deo perfectio. Verùm talem neceſſitatem ab actionibus liberis ipſemet Janſenius excludit. Requirit enim ad actum liberum, ut fiat non tantùm voluntariè, ſed ex prævia ac plena rationis advertentia & deliberatione: ad multa autem voluntas naturaliter inclinatur ac propellitur cæco quodam naturæ impetu, ſine ulla prævia ac perfecta deliberatione.

Cùm porrò S. Auguſtinus excludit ab homine libero neceſſitatem, non eam tantùm intelligit quæ phyſica, antecedens & abſoluta dicitur; ſed etiam illam relativam ac mutabilem quæ ex ſuperiori delectatione oritur: eam etenim negat quæ libertatem hìc & nunc lædit, ac meritum actionis labefactat. At talis profectò eſt neceſſitas relativa.

TERTIUM ARGUMENTUM.

Sanctus Auguſtinus docet hominem lapſum eligere poſſe bonum vel malum; adeòque verè ipſum indifferentem eſſe ad alterutrum.

TErtium iſtud argumentum his terminis concludimus. Vis electiva indifferentiam arguit ad utramque partem oppoſitam: atqui eſt in homine lapſo vis electiva boni vel mali; ergo eſt in homine lapſo vera & activa indifferentia ad bonum & malum; adeoque nulla ſimplici neceſſitate determinatur aut ad bonum per gratiam, aut ad malum per dominantem concupiſcentiam.

Major propoſitio probatur.

I. Quia per ſe clarum eſt, eum qui uni parti neceſſariò addictus eſt, liberam non habere ex pluribus electionem.

II. S. Thomas 1. 2. q. 13. art. 6. ait, *electionem eſſe actum potentiæ rationalis; quæ ea quæ ſunt ad finem eligit, non ex neceſſitate, ſed ex libertate.* Cujus concluſionis hanc rationem reddit: *Quia quidquid ratio poteſt apprehendere ut bonum, in hoc voluntas tendere poteſt; poteſt autem ratio apprehendere ut bonum, non ſolùm hoc quod eſt velle aut agere, ſed hoc etiam quod eſt non velle*

velle & non agere : & rursum in omnibus particularibus bonis potest considerare rationem alicujus boni, & defectum alicujus boni, quod habet rationem mali ; & secundum hoc potest unumquodque hujusmodi bonorum apprehendere, ut eligibile vel fugibile. Solum autem perfectum bonum, quod est beatitudo, non potest ratio apprehendere sub ratione mali, aut alicujus defectus ; & ideò ex necessitate beatitudinem homo vult, nec potest velle non esse beatus aut esse miser.

III. Adeò tritum ac pervulgatum est apud omnes, per verbum, *eligere*, significari indifferentiam ad opposita, ut ipsemet Jansenius per illud verbum explicet indifferentiam Pelagianorum, Lib. 2. de hæresi Pelagiana cap. 2. initio; & indifferentiam Adami, Lib. de Gratia primi hominis cap. 6. & indifferentiam quam vocat Recentiorum, Lib. 6. de Gratia Christi cap. 8.

To. 1. p. 42. *To. 2. p. 41.* *To. 3. p. 266.*

IV. In phrasi Augustiniana, electio indifferentiam ad opposita involvit. Lib. 3. de libero arbitrio cap. 8. ait, *eum qui dicit, Mallem hoc quàm illud, aliquid eligere.* Ubi certè indifferentia ad opposita explicatur per electionem.

To. 1. p. 619. A.

In Expositione quarumdam propositionum in Epist. ad Roman. cap. 49. docet electionem pertinere ad prudentiam, quæ, juxta ipsum, semper est ad opposita. Ait quippè, *quòd definitio prudentiæ in appetendis bonis & vitandis malis explicari soleat.* Et posteà loquens de prudentia carnis & spiritus, dicit, quòd *prudentia spiritus eligit superiora bona, sicut prudentia carnis inferiora.*

To. 3. p. 2. pag. 911. E. Ibid. F.

Non aliter indifferentiam Dei erga opera externa explicat quàm per electionem. Sic Lib. 2. de pecc. mer. & rem. cap. 24. de creatione B. Mariæ, ait, *pia fide sanctum germen in se fieri promerentem, quam eligeret creavit, de qua crearetur elegit.* De indifferentia pariter quam habuit Adamus innocens ad peccandum vel non peccandum, Enchiridii cap. 107. ait, *Sic factus est homo rectus, ut & manere in ea rectitudine posset, non sine adjutorio divino ; & suo fieri perversus arbitrio : utrumlibet horum elegisset, Dei voluntas fieret.* Et Sermone 34. de diversis, nunc 278. cap. 2. *Constitutus*, inquit, (Adamus) *inter præceptorem & seductorem, magis seductori, quàm præceptori obtemperare elegit.* Denique cùm Pelagiani indifferentiam arbitrii per electionem exprimerent, nihil ea in re reprehendit S. Augustinus; de hoc uno sollicitus, ut ad bonum gratiam necessariam esse confiterentur. Sic cùm Pelagius Epistola ad Demetriadem dixisset, *habere nos ex nobis boni & mali potestatem*, & inde probasset, *nos habere libertatem*, hoc est indifferentiam ; statim addit: *Licet enim nobis eligere, refutare, probare, respuere.* Pariter Julianus apud S. Augustinum Lib. 1. Operis imperfecti docet, quòd ubi non est facultas per rationem electionis, non est libertas, id est indifferentia. Cùm ergo, ut jam dicebamus, S. Augustinus in Pelagianis non redarguat, quòd libertatem seu indifferentiam inferrent ex vi electiva, certè ea in re cum ipsis consensit S. Augustinus.

To. 6. p. 237. B. *To. 5. p. 1124. A* *T. 2. Op. S. Aug. p. 6. Ap.*

Probatur itaque minor propositio, nimirum esse in homine lapso vim electivam boni & mali. Ita S. Augustinus infinitis penè in locis.

Lib. 2. de libero arbitrio cap. 9. *Ea*, inquit, *bona, quæ in illa* (sapientia) *cernunt & eligunt homines, multa & diversa sunt.... sicut ergo ista multa & diversa sunt, quæ in luce Solis homines vident & eligunt ad fruendum.... ita multa sunt bona eaque diversa, è quibus eligat quisque quod volet.* Et cap. 10. Quid,

To. 1. p. 597. A.

Quid, inquit, *ille qui prudenter vivit, nonne eligit incorruptionem, & eam corruptioni præponendam esse decernit? Cùm ergo id eligit quò convertat animum, quod eligentum esse nemo ambigit, num negari potest sapienter eligere?*

Epistola 140. aliàs 120. ad Honoratum cap. 2. *Est quædam*, inquit, *vita hominis carnalibus sensibus implicata.... ab hac vita incipere necessitatis est, in ea persistere voluntatis... Posteà quam venerit* (infans) *in ætatem, qua in eorationis usus evigilet, poterit adjuta divinitùs voluntate eligere alteram vitam, cujus in mente gaudium est, cujus interna atque æterna felicitas.... Potest igitur anima rationalis etiam temporali felicitate benè uti, si non se dederit creaturæ Creatore neglecto.... Benè agit, si ordinem servet, & distinguendo, eligendo, pendendo subdat minora majoribus, corporalia spiritalibus &c.*

Lib. 1. de Civitate Dei cap. 25. *Nonne*, inquit, *si tantùm dominatur iniquitas, ut non innocentia, sed potius peccata eligantur, satius est &c.* Audis etiam dominante iniquitate, peccata nihilominus eligi libera voluntate.

Lib. 2. de Actis cum Felice Manichæo cap. 4. *Habet*, inquit, *unusquisque in voluntate, aut eligere quæ bona sunt, & esse arbor bona; aut eligere quæ mala sunt, & esse arbor mala.*

Lib. 10. de Gen. ad litt. cap. 14. *Potest*, inquit, (homo) *per voluntatem bonam eligere vitam bonam; quod quidem non poterit nisi adjuverit gratia Dei per Mediatorem.*

Denique, ut infinita hujusmodi prætermittam, Enarratione 2. in Psalm. 36. n. 11. *Non debemus*, inquit, *desperare, fratres, de his qui fortè elegerint veritatem, non secuti fuerint necessitatem.* Opponit hìc sanctus Doctor electionem necessitati. Et in Psal. 51. n. 10. ad hæc verba, *Dilexisti malitiam. Benignitas*, inquit, *ante te; iniquitas ante te: compara & elige.*

Quantùm hìc ab Augustino distat Jansenius! Iste quidem electionis nomine utitur, sed ad fraudem, ut meram scilicet exprimat voluntatis in objecto sibi proposito complacentiam, quam tamen rapiente superiori delectatione, denegare nunquam potest. S. verò Augustinus per electionem intelligit vim illam activam indifferentis ac liberæ voluntatis, per quam distinguendo, eligendo, pendendo, cœlestia terrenis, æterna caducis, quacunque dominante iniquitate seu concupiscentia, potest anteponere. Apud Augustinum, electio libera est ac indifferens; apud Jansenium, electio, seu objecti plùs delectantis approbatio, planè necessaria. Apud Augustinum, electio illa omninò deliberata est, *distinguendo, eligendo, pendendo*; apud Jansenium, partim indeliberata, & partim deliberata: sic tamen, ut deliberatus ille actus seu voluntatis complacentia, ut mox diximus, necessariò sequatur ex actu indeliberato. Neque enim in potestate voluntatis est, ut non approbet ac sequatur majoris delectationis impulsum, juxta effatum à Jansenio sexcenties inculcatum, *Secundùm id operemur necesse est, quod amplius delectaverit.*

Porrò, sicut in phrasi Augustiniana liberum arbitrium significat electionem, & electio indifferentiam; sic & ipsa indifferentia potestatem ad oppositum. Sermone 178. aliàs 19. de verbis Apostoli cap. 6. *Tunc*, inquit S. Augustinus, *te laudabo, quia post aurum non isti, quia potuisti transgredi, & non es transgressus; quia potuisti mala facere, & non fecisti.* Et cap 9. *Interroga ergo te, quisquis vis judicare; & vide si tunc non facis malè, quando potes facere, & ab homine non puniri: tunc times Deum.*

QUAR-

QUARTUM ARGUMENTUM.

Idem eſt apud S. Auguſtinum, hominem lapſum ſub motione gratiæ liberum eſſe ab omni neceſſitate, ac ipſum, ſi velit, agere poſſe, & non agere, ſeu habere actum in ſua poteſtate.

PRobatur: Quia non aliter ſtantis hominis & Angelorum indifferentem & ab omni neceſſitate expeditam ſub gratia voluntatem (quam Janſenius ultro agnoſcit) ſanctus Doctor expreſſit, quàm quòd ſi voluiſſent, potuiſſent benè agere vel non agere, perſeverare vel non perſeverare: atqui hoc idem de homine lapſo aſſeruit; ergo lapſum non minùs, quàm ſtantem hominem docet liberum eſſe ab omni neceſſitate, ſeu invincibili ad unum determinatione.

Major propoſitio certa eſt apud S. Auguſtinum Lib. de correptione & Gratia cap. 11. ubi de Adamo innocente ait: *Poſſet ergo permanere ſi vellet, quia non deerat adjutorium per quod poſſet, & ſine quo non poſſet perſeveranter bonum tenere quod vellet: ſed quia noluit permanere, profectò ejus culpa eſt, cujus meritum fuiſſet ſi permanere voluiſſe.*

De Angelis pariter Lib. 12. de Civitate Dei cap. 9. dicit: *A qua* (bona voluntate) *non defeciſſent ſi utique noluiſſent.*

Non minùs certa & explorata eſt in ſententia ejuſdem ſancti Doctoris minor argumenti propoſitio. De homine quippè lapſo Lib. 5. de Civitate Dei cap. 10. ait: *Si nolit, utique non peccat.* Et paulò antè: *Multa facimus, quæ ſi nollemus, non utique faceremus.*

In Actis cum Felice Manichæo Lib. 2. cap. 3. ait *eſſe liberum arbitrium; atque inde peccare quemque ſi velit, non peccare ſi nolit*: adjuvante ſcilicet Dei gratia.

Et Lib. de fide contra Manichæos cap. 10. *Quis*, inquit, *non clamet ſtultum eſſe, præcepta dare ei cui liberum non eſt quod præcipitur facere; & iniquum eſſe, eum damnare cui non fuit poteſtas juſſa complere?*

Lib. de ſpiritu & littera cap. 31. quærit *utrum fides ſit in noſtra poteſtate.* Sic autem reſpondet: *Vide nunc utrum quiſque credat, ſi noluerit; aut non credat, ſi voluerit. Quòd ſi abſurdum eſt: quid eſt enim credere, niſi conſentire verum eſſe quod dicitur? Conſentio autem utique volentis eſt: profectò fides in poteſtate eſt*, (nempè per gratiam) ut ſtatim oſtendit. Ergo, judice Auguſtino, poſita gratiæ motione, eſt in poteſtate voluntatis credere vel non credere; id eſt, poteſt velle credere, vel non credere: quæ poteſtas veram includit indifferentiam ad oppoſita. *Hoc enim quiſque*, ait ibidem S. Auguſtinus, *in poteſtate habere dicitur, quod ſi vult, facit; ſi non vult, non facit.* Et ut ait Lib. 1. Retract. cap. 22. *In poteſtate noſtra non eſt, niſi quod noſtram ſequitur voluntatem. Porrò cum poteſtas datur*, ait citato cap. 31. Lib. de ſpiritu & littera, *non neceſſitas utique imponitur.* Quo ſenſu Lib. 14. de Civitate Dei cap. 26. de Adamo innocente ait: *Vivebat itaque homo in Paradiſo ſicut volebat, quamdiu hoc volebat quod Deus juſſerat .... Vivebat ſine ulla egeſtate, ita ſemper vivere habens in poteſtate.*

Porrò hominem lapſum eandem habere in ſuos actus poteſtatem ſexcenties

ties asserit idem S. Doctor Lib. de corrept. & Gratia cap. 14. *Sic*, inquit, *velle seu nolle in volentis aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.* Et Lib. 2. de peccat. meritis & remiss. cap. 17. *Cum, voluntatem humanam*, inquit, *gratia adjuvante divina, sine peccato in hac vita possit homo esse, cur non sit, posem facillimè ac veraciter respondere, quia homines nolunt.* T. 10. p. 774. C. Ibid. p. 74. D.

Denique Libro 1. Retract. cap. 22. sub finem, concludit: *In potestate quippè hominis est mutare in melius voluntatem, sed ea potestas nulla est nisi à Deo detur.* Ergo voluntas sub motione gratiæ retinet adhuc potestatem seu dominium in actus suos, ac potest velle & nolle; ergo nulla necessitate etiam simplici determinatur invincibiliter & ineluctabiliter ad volendum: qui enim necessariò aliquid vult, verè potestatem non habet illud nolendi. To. 1. p. 33. F.

Quapropter illudunt Janseniani, cùm ajunt voluntatem semper retinere potestatem seu dominium in suos actus, quia non vult nisi quando vult, nec agit nisi quando vult agere: adeoque semper liberam esse, tametsi ad unumquid determinatam. Egregia verò evasio! Voluntas agit quando vult: quis negat? Nonne volitio est actio? Ergo quoties voluntas vult, semper liberè vult & habet potestatem in actus suos, distinguo: quoties ita liberè vult, ut possit oppositum velle, libera est, concedo: si non possit velle oppositum, sicut in opinione Jansenianinon potest, nego. Ut ergo volitio censeatur libera, non satis est quòd voluntas physicoac vitali influxu eam producat, id enim aliter fieri non potest; sed requiritur ut possit velle oppositum. Unde quando voluntas oppositum velle non potest, sicut v.g. non potest non amare beatitudinem, agit ut natura ad unum determinata; quando verò potest ad oppositum seipsam inclinare, agit formaliter ut voluntas, seu ut facultas libera. Hinc est quòd S. Augustinus Lib. de natura & gratia cap. 46. consentit Pelagio affirmanti, *voluntatis arbitrio ac deliberatione privari, quidquid naturali necessitate constringitur. Nonnulla*, inquit Augustinus, *hic quæstio est. Per enim absurdum est, ut ideò dicamus non pertinere ad voluntatem nostram quòd beati esse volumus, quia id omninò nolle non possumus, nescio qua & bona constrictione naturæ: nec dicere audemus, ideò Deum non voluntatem, sed necessitatem habere justitiæ, quia non potest peccare.* Igitur circa illos actus quos naturalis necessitas à voluntate exprimit, voluntas se habet ut natura ad unum determinata; non ut facultas libera, quæ indifferens est ad opposita. T. 10. p. 150.

Hinc colliges quàm falsò Jansenianiprædicent paradoxum esse in sententia S. Augustini inauditum, quòd ut actus aliquis voluntatis liber sit, oporteat voluntatem ab illo desistere posse. Quid enim, quæso, aliud evincunt citata S. Augustini testimonia, quibus asserit data per gratiam credendi potestate, voluntatem credere posse vel non credere? Nonne hoc ipsum clarissimè demonstrat Lib. de Gratia Christi cap. 14. ubi postquam multa de necessaria ad credendum gratia disseruit, addit: *Quis non videat, & venire quemquam & non venire arbitrio voluntatis? Sed hoc arbitrium potest esse solum, si non venit: non autem potest nisi adjutum esse, si venit.* Ibi d. p. 237. C.

Confirmari potest istud argumentum ex eo quòd S. Augustinus agens Ecclesiæ causam adversùs Pelagianos & Semipelagianos, hoc unum ut confitenetur, postulavit, nempè, gratiam esse necessariam ad singulos pietatis actus & ad initium fidei. De illa verò invincibili & insuperabili motione

ne gratiæ litem non movit: imò cùm Semipelagiani ad omne opus bonum gratia præveniente opus esse agnoscerent, illamque gratiam libero voluntatis arbitrio permissam esse contenderent, (nihil quippè tam capitaliter abhorrebant, quàm gratiam uni parti voluntatem alligantem) S. Augustinus eos hac in parte non reprehendit nec damnavit: quòd nempè ratum ipsi foret, integram sub motione gratiæ permanere voluntatis indifferentiam.

QUINTUM ARGUMENTUM.

Ex definitione peccati quod imputari nemini potest, nisi liberum fuerit ab illo abstinere.

COnstans ac manifesta est Augustini doctrina, sic liberum esse debere peccatum, ut si homo abstinere ab illo non posset, eo ipso verum peccatum esse desineret.

Lib. de vera Religione cap. 14. *Usque adeò*, inquit, *peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium: & hoc quidem ita manifestum est, ut nulla hinc doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat.*

Lib. 3. de libero arbitrio cap. 15. in fine, loquens generaliter de omnibus peccatis quæ nunc committuntur & jam olim commissa sunt, ait: *In omnibus ergo defectibus, aut non acceperunt ultra esse quæ deficiunt*, (id est potestatem ad non deficiendum) *& nulla culpa est; sicut etiam cùm sunt, quia non acceperunt amplius esse quàm sunt, nihilominus nulla culpa est: aut nolunt esse, quod si vellent, esse acceperunt; & quia bonum est, reatus est si nolint.* Ibid. p. 628.

Et cap. 18. ejusdem Libri. *Quæcumque*, inquit, *ista causa est voluntatis, si non ei potest resisti, sine peccato ei creditur: si autem potest, non ei credatur, & non peccabitur.... Quis enim peccat in eo quod nullo modo caveri potest? Peccatur autem: caveri igitur potest.*

Quæ sancti Doctoris verba cùm Pelagius retulisset, ut inde necessitatem gratiæ ad non peccandum impugnaret, sanctus Doctor Lib. de natura & gratia cap. 67. suam agnovit ac confirmat sententiam, adjecta gratiæ ad non peccandum necessitate. *Agnosco*, inquit, *verba mea sunt: sed etiam ipse* (Pelagius) *dignetur agnoscere superiùs cuncta quæ dicta sunt. De gratia quippè Dei agitur, quæ nobis per Mediatorem medicina opitulatur, non de impossibilitate justitiæ. Potest ergo ei causæ, quæcumque illa est; resisti: potest plane. Nam in hoc adjutorium postulamus dicentes, Ne nos inferas in tentationem: quod adjutorium non posceremus, si resisti nullo modo posse crederemus. Potest peccatum caveri, sed opitulante illo qui non potest falli. Nam & hoc ipsum ad cavendum pertinet, si veraciter dicimus, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Duobus enim modis etiam in corpore cavetur morbi malum, & ut non accidat, & ut si acciderit, citò sanetur. Ut non accidat caveamus dicendo Ne nos inferas in tentationem: ut citò sanetur, caveamus dicendo, Dimitte nobis debita nostra. Sive ergo immineat, sive insit, caveri potest.* T. 10. p. 161. G.

Et cap. 19. citati Lib. 3. de libero arbitrio, rursus & libertatem ad peccandum, & gratiæ necessitatem ac præsentiam ad non peccandum confirmat his verbis. *Hic occurrit illa quæstio, quam inter se murmurantes homines rodere con-*

consueverunt, qui quodlibet aliud in peccando quàm se accusare parati sunt. Dicunt enim, Si Adam & Eva peccaverunt, quid nos miseri secimus, ut cum ignorantiæ cœcitate, & difficultatis cruciatibus nascerемur, & primò erraremus nescientes quid nobis esset faciendum; deinde ubi nobis inciperent aperiri præcepta justitiæ, vellemus ea facere, & renitente carnalis concupiscentiæ nescio quæ necessitate non valeremus? Quibus breviter respondetur, ut quiescant, & adversùs Deum murmurare desistant. Rectè enim fortasse quereverentur, si erroris & libidinis nullus hominum victor existeret: cùm verò ubique sit præsens qui multis modis per creaturam sibi Domino servientem aversum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem adhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem; non tibi deputatur ad culpam, quòd invitus ignoras, sed quòd negligis quærere quod ignoras; neque illud quòd vulnerata membra tua colligis, sed quòd volentem sanare contemnis: ista tua propria peccata sunt. Nulli enim homini ablatum est scire utiliter quæri, quod inutiliter ignoratur, & humiliter confitendam esse imbecillitatem, ut quærenti & confitenti ille subveniat, qui nec errat dum subvenit, nec laborat. T. 8. p. 85. F.

Libro de duabus animabus rem clarissimè statuit idem sanctus Doctor his verbis cap. 11. *Peccatum est voluntas retinendi vel consequendi quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere.....Etiamne hi libri obscuri mihi scrutandi erant, unde discerem, neminem vituperatione suppliciove dignum, qui aut id velit quod justitia velle non prohibet, aut id non faciat quod facere non potest? Nonne ista cantant & in montibus pastores, & in theatris poetæ, & indocti in circulis, & docti in Bibliothecis, & Magistri in scholis, & Antistites in sacratis locis, & in orbe terrarum genus humanum?* Et c. 12. *Dicere animas peccare sine voluntate, magnum deliramentum est; & peccati reum tenere quemquam, quia non fecit quod facere non potuit, summæ iniquitatis est & insaniæ.* Tb. p. 87. E.

Lib. 1. Retractationum cap. 13. censorio stylo recognoscens sanctus Doctor Librum suum de vera Religione, ac definitionem peccati quam ibidem cap. 14. à nobis mox citato adduxerat, quodnam sit peccatum illud à se definitum exponit n. 5. *Potest videri*, inquit, *falsa hæc definitio; sed si diligenter discutiatur, invenietur esse verissima: Peccatum quippe illud cogitandum est, quod tantummodo peccatum est, non quod etiam pœna peccati.* Quibus verbis declarat Augustinus, prædicta sua peccati definitione se illud dumtaxat peccatum complexi voluisse, quod verum ac formale peccatum est, & actuale; non illud, quod vel peccatum est impropriè ac materialiter, quales sunt motus indeliberati concupiscentiæ; vel illud quod est pœna primi peccati, originale scilicet, quod omnes Adæ posteri ab ipso primo parente nascendo trahunt, à quo certè ipsis liberum non est abstinere; sed illud dumtaxat actuale & personale quod est peccatum tantùm, & non pœna peccati, quale fuit peccatum Adami, quod totius mali origo fuit. T. 1. p. 19. F.

Rursus cap. 15. ejusdem Libri n. 2. explicans quod dixerat, *Nusquam nisi in voluntate peccatum esse*, de peccato actuali Adami dictum exponit. *Peccatum autem*, ait, *quod nusquam est nisi in voluntate, illud præcipuè intelligendum est, quod justa damnatio consecuta est. Hoc enim per unum hominem introivit in mundum.* Et postea multas explicans propositiones quas statuerat adversùs Manichæos, ut efficeret peccatum liberum esse, unum semper excipit originale, seu commune naturæ peccatum, quod in Adamo, quatenus actuale, Tb. p. 24. C.

voluntarium ac liberum fuit, in ejus verò posteris liberum non est; & hac
Ibid. p. 25. F. dumtaxat ratione voluntarium dici potest, quia ex illius (Adami) *origine venit, qui voluntate peccavit*, ait eodem c. 15.

Et cap. 13. n. 5. dixerat: *Illud quod in parvulis dicitur originale peccatum,*
Ib. p. 20. I. *cùm adhuc non utantur arbitrio voluntatis, non absurdè vocatur etiam voluntarium, quia ex prima hominis mala voluntate contractum, factum est quodammodo hæreditarium.*

Dices: Definitio peccati quam S. Aug. citato c. 11. Libri de duabus animabus adduxit, nihil nos juvat, quandoquidem, judice ipsomet Augustino, unum illa spectat Adami peccatum, summa libertate in paradiso commissum, non verò actualia in quæ homo lapsus jam ex necessitate prolabitur.

Probat Jansenius Lib. 2. de statu naturæ lapsæ c. 4. Cùm enim Julianus hac
To. 1. p. 123. ipsa peccati definitione Augustinum premeret, ac parvulos sine ullo peccato nasci ex eo probaret, quòd in ipsis liberum esse non posset, sanctus Doctor respondet Lib. 1. Operis imperfecti contra Julianum cap. 44. *Hic*
To. 10. p. 889. A. *peccatum definitum est quod tantummodo peccatum est, non quod etiam pœna peccati. De hoc quippe agendum fuit, quando mali origo quærebatur: quale commissum est à primo homine ante omne hominis malum. Sed tu aut non potes intelligere, aut non vis.*

Et rursus cap. 47. de eadem definitione peccati agens, ait: *Ipse est Adam,*
Ibid. p. 890. B. *quem nostra illa definitio, quæ tibi placuit, intuebatur, cùm dicerem, Peccatum est voluntas retinendi vel consequendi quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere. Adam quippe omnino, quando peccavit, nihil in se habebat mali, quo nolens urgeretur ad operandum malum, & propter quod diceret, Non quod volo facio bonum, sed quod nolo malum hoc ago: ac per hoc id egit peccando, quod*
Rom. 7. 29. *justitia vetabat, & unde liberum illi fuerat abstinere. Nam ei qui dicit, Quod nolo malum hoc ago, abstinere inde, liberum non est.* Opponit hic manifestè sanctus Augustinus peccatum hominis lapsi peccato Adami, in eo quòd istud in Adamo liberum fuerit, non verò illud quod homo lapsus committit: agnoscit ergo in præsenti statu verum peccatum actuale, quod liberum non est, sed necessarium. Quod ut clariùs aperiat, docet ibidem tria esse secernenda. *Ac per hoc*, inquit, *si tria ista discernas, & scias aliud esse pec-*
Ib. C. *catum, aliud pœnam peccati, aliud utrumque, id est, ita peccatum, ut ipsum sit etiam pœna peccati; intelligis quid horum trium pertineat ad illam definitionem, ubi voluntas est agendi quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere. Peccatum namque isto modo definitum est, non peccati pœna, non utrumque. Habent autem tria ista genera etiam species suas, de quibus nunc longum est disputare. Horum sanè trium generum si requirantur exempla, primi generis in Adam sine ullo nodo quæstionis occurrit. Multa quippe sunt quæ agunt homines mala, à quibus eis liberum est abstinere: sed nulli tam liberum est, quàm illi fuit, qui Deo suo, à quo erat conditus rectus, nullo prorsus vitio depravatus adhæsit. Secundi autem generis, ubi tantummodo est pœna peccati, exemplum in eo malo est, quod quisque ex nulla parte agit, sed tantummodo patitur: velut cùm pro suo scelere, qui peccavit, occiditur, sive alia corporis pœna quacumque cruciatur. Tertium verò genus, ubi peccatum ipsum est & pœna peccati, potest intelligi in eo qui dicit, Quod nolo malum hoc ago.*

Ex his sic arguitur: Interprete ipsomet S. Augustino, definitio peccati

quam

quam Libro de duabus animabus contra Manichæos adduxerat, ad illud dumtaxat pertinet peccatum, quod tantùm peccatum eſt, non pœna peccati; non utrumque: atqui actualia hominis lapſi peccata, non ſolùm peccata ſunt, ſed etiam pœnæ peccati, nempe originalis; ergo definitio peccati adducta nullo modo ſpectat actualia peccata hominis lapſi, ſed unum dumtaxat Adami adhuc integri peccatum, quod certè ſumma cum libertate ab ipſo commiſſum fuit.

Denique eodem Libro cap. 105. diluens objectionem Juliani, qua contendebat ſequi ex dicta peccati definitione, nullum peccatum non ſolùm in conceptione, ſed nec in moribus inveniri, ſic reſpondet: *Cùm igitur & illa fateamur in hominibus eſſe peccata, quæ committuntur, non neceſſitate, ſed voluntate, quę tantummodo peccata ſunt, unde ab eis liberum eſt abſtinere; & peccatis de ignorantiæ, vel affectionum neceſſitate venientibus, quæ jam non ſolùm peccata, verùm etiam pœnæ ſunt peccatorum, plenum fit genus humanum, quomodo dicis definitionibus noſtris peccatum nec in moribus inveniri?* ibid. p. 935. E.

Quibus verbis clarè & perſpicuè condiſtinguit ſanctus Doctor, peccata venientia de ignorantiæ vel alicujus affectus neceſſitate, contra illa à quibus liberum eſt abſtinere; ac proinde ſentit non omnia peccata actualia noſtra comprehendi ſub illa definitione qua dixerat, *Peccatum eſt voluntas agendi quod juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere.*

Reſp. nego ant. Ad probationem.

Dico 1. S. Auguſtinum ad unum præcipuè Adami peccatum reſpexiſſe, cùm Lib. de duabus animabus peccatum definivit, *voluntatem retinendi vel conſequendi quod juſtitiæ vetat, & unde liberum eſt abſtinere.* Hanc ſuam mentem expreſsè declarat ſanctus Doctor verbis in objectione citatis ex c. 44. & 47. Lib. 1. Operis imperfecti contra Julianum. Rationem & cauſam ſubjicit ibidem: *De hoc quippe*, inquit cap. 44. *agendum fuit*, (contra Manichæos) *quando mali origo quærebatur: quale commiſſum eſt à primo homine ante omne hominis malum.* Ejus igitur inſtituti ratio tunc poſtulabat, ut de ſolo ageret actuali peccato Adami, unde fluxit omnis mali origo; non verò de peccato originali, de quo nulla tunc ipſi erat controverſia. ibid. p. 889. A. B.

Cùm verò Julianus hanc peccati definitionem avidè arripuiſſet, ac contra ipſummet originale peccatum, pro quo ſtrenuè pugnabat Auguſtinus, urgeret, iterum atque iterum repoſuit ſanctus Doctor, ſe illud dumtaxat peccatum definire voluiſſe, quod tantummodo peccatum eſt, non quod eſt pœna peccati, aut utrumque ſimul; adeoque ſalvam ſemper & integram ſtare fidem Eccleſiæ circa peccatum originale quod quiſque naſcèndo neceſſariò contrahit, cui proinde definitio peccati adducta non poteſt accommodari.

Dico 2. Quòd etſi hac ſua peccati definitione unum præcipuè Adami peccatum comprehendere Auguſtinus voluerit; nunquam tamen mens ipſius fuit excludere ab illa definitione actualia hominis lapſi peccata, quaſi vera illa eſſe agnoverit ac formaliter peccata, tametſi neceſſitate facta: imò & hæc libera eſſe profitetur. Cap. enim 45. citati Libri primi Operis imperfecti, cùm Julianus nonnullis Scripturæ teſtimoniis adductam peccati definitionem communire voluiſſet, ſanctus Doctor reponit; *hæc teſtimonia propter illam voluntatem dicta eſſe, in qua quiſque id quod vult agit: ut ſi non habetur, ab eo poſcatur, qui in nobis operatur & velle: ſi autem habetur, fiant* ibid. C.

opera juſtitiæ, & ei qui illam operatus eſt agantur gratiæ. Loquitur ſanctus Doctor de illa voluntate *in qua quiſque id quod vult agit*, in ſtatu nempe præſenti. Supponit igitur liberam jam eſſe hominis voluntatem ad bonum & ad malum; quamquam ſine gratia bonum velle non poſſit. Capite verò 47. abſolutè pronuntiat, *multa eſſe quæ agunt homines mala, à quibus eis liberum*
Ibid. p. 890. D. *eſt abſtinere.* Prædicta igitur definitione excludere dumtaxat voluit ſanctus Doctor, & peccatum originale, quod eſt peccatum & pœna peccati (Adami,) & motus indeliberatos concupiſcentiæ, qui ſunt pœnæ peccati, non verò peccata propriè ac formaliter, ſed materialiter dumtaxat & impropriè, quamdiu voluntatis conſenſus non acceſſerit.

Denique declarat Auguſtinus, ſe illud peccatum definire voluiſſe quod tantùm peccatum eſt, non pœna peccati, quale certè fuit Adami peccatum.
Ib. B. Adam quippe, ait cap. 47. *omnino, quando peccavit, nihil in ſe habebat mali, quo nolens urgeretur ad operandum malum.* Atqui cap. 105. ejuſdem Libri expreſsè agnoſcit ſanctus Doctor, aliqua etiam jam ab homine lapſo committi peccata, quæ peccata tantummodo ſunt, non pœna peccati. *Cùm igi-*
Ibid. p. 915. E. *tur*, ait, *& illa fateamur in hominibus eſſe peccata, quæ committuntur, non neceſſitate, ſed voluntate, quæ tantummodo peccata ſunt, unde ab eis liberum eſt abſtinere.* Diſtinguit ibi Auguſtinus ejuſmodi peccata, à peccatis ignorantiæ, quæ ſimul & peccata ſunt, & pœnæ peccatorum: *Et peccatis*, pergit ibidem,
Ibid. *de ignorantiæ vel affectionum neceſſitate venientibus, quæ jam non ſolùm peccata, verùm etiam pœnæ ſunt peccatorum, plenum ſit genus humanum, &c.*

At, inquies, nonne quodlibet actuale hominis lapſi peccatum jam pœna eſt primævæ & originalis noxæ?

Fateor: ſed iſto ſenſu, quòd quæ duæ ſunt generales peccatorum noſtrorum cauſæ, ignorantia ſcilicet & concupiſcentia, illæ ipſæ ſint effectus ac pœnæ originalis peccati. Verùm quodlibet actuale hominis peccatum non ita eſt, in mente S. Auguſtini, pœna primi peccati Adæ, ut ad culpam imputetur ac verum ſit & formale peccatum, ſi voluntas ipſi liberè non conſentiat, imò totus reclamat Auguſtinus, qui nullum agnoſcit verum ac formale actuale peccatum, niſi quod libera voluntate committitur, *quod non neceſſitate*, inquit, *ſed voluntate committitur, unde liberum eſt abſtinere.* Quapropter ignorantia invincibilis & motus concupiſcentiæ indeliberati propriè ac formaliter peccata non ſunt, ſed materialiter dumtaxat & impropriè: quæ tamen peccata ſæpius adversùs Julianum diſputans Auguſtinus commemorat, ut ex illis, tanquam ab effectibus, peccatum originale, quod hæreticus ille negabat, demonſtraret.

Dico 3. diſcrimen quod Auguſtinus ſtatuit inter Adami peccatum, & actualia noſtra, non ſpectare ſimpliciter libertatem ad peccandum neceſſariam, quaſi ea ſpoliati jam ſimus, qua donatus fuerat primus parens; ſed ſpectare dumtaxat plenam illam ac perfectam libertatem, qua fruebatur Adamus innocens, abſque illa ignorantia & difficultate, qua jam cruciamur & ad peccandum continuò propellimur. Hanc eſſe Auguſtini mentem perſpi-
Ibid. p. 890. B. cuè declarant verba hæc ipſius jam citata ex c. 47. *Adam quippe omnino, quando peccavit, nihil in ſe habebat mali, quo nolens urgeretur ad operandum malum, & propter quod diceret, Non quod volo facio bonum, ſed quod nolo*
Ib. D. malum hoc ago. Et poſtea: *Multa ſunt quæ agunt homines mala, à quibus eis liberum*

berum est abstinere: sed nulli tam liberum est, quàm illi fuit, qui Deo suo, à quo erat conditus rectus, nullo prorsus vitio depravatus adstabat. Scilicet Julianus rejecto originali peccato docebat liberum hominis arbitrium *& post peccata tam plenum esse, quàm fuit ante peccata.* Vide caput 19. Lib. 1. Operis imperfecti. Augustinus igitur Julianum redarguens, asserit quidem eam in homine esse libertatem, qua potest, si velit, mediante gratia à peccato abstinere, quamquam non tam plena ac perfecta illa sit, ob difficultates quas continuò nobis injicit concupiscentia; quàm fuit in Adamo ab omni difficultate libero & expedito. *Quis nostrum*, ait sanctus Doctor Lib. 1. ad Bonifacium contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 2. *dicit quòd primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, sed illa quæ in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate justitiam, propter quod natura humana divina indiget gratia.* *ibid. p. 413. D.*

Dico denique, Augustinum citato cap. 105. Libri 1. Operis imperfecti, peccata, quæ vel ex ignorantia, vel ex alio quolibet inordinato affectu proveniunt, ab aliis peccatis à quibus liberum est abstinere, in eo distinguere, quòd ejusmodi peccata ignorantiæ & concupiscentiæ quæ voluntatis consensum antevertunt, impropriè dumtaxat ac materialiter sint peccata, quòd nempe à peccato veniant, & in peccatum inclinent; alia verò sint propriè ac formaliter peccata. *Hoc peccatum*, ait sanctus Doctor Lib. 1. Retract. cap. 15. *ideo peccatum vocatur, quia peccato factum est, & pœna peccati est.* Esse autem jam peccata propriè dicta eaque libera, in hoc ipso cap. 105. diserte agnoscere sanctum Augustinum, probant quæ ex ipso verba laudavimus. *T. 1. p. 24. B.*

Quæ hic opponi solent ex S. Augustino, ut probent quamdam esse in homine peccandi necessitatem, postea referemus ac diluemus.

Probatur ex Sancto Thoma.

PRIMUM ARGUMENTUM.

Sanctus Thomas ad libertatem arbitrii requirit indifferentiam activam, seu potentiam ad opposita.

IN Librum 2. Sententiarum dist. 25. q. 1. art. 1. ad 2. *Dicendum*, inquit, *quòd ad rationem liberi arbitrii non pertinet ut indeterminatè se habeat ad bonum vel ad malum &c. Sed hoc ad libertatem arbitrii pertinet, ut actionem aliquam facere vel non facere possit; & hoc Deo convenit: bona enim quæ facit, potest non facere, nec tamen malum facere potest.* *T. 2. p. 247. col. 1. B.*

In secundo ad Annibaldum dist. 24. q. unica art. 2. in corpore. *Homo verò*, inquit, *& judicium de suis operibus habet, & libertatem in judicando. Quæ quidem libertas provenit, tùm ex ratione quæ ad opposita viam habet, tùm ex voluntate quæ non est determinata ad unum..... Et pro tanto dicitur esse liberi arbitrii.* *T. 11. part. 1. p. 200. col. 2. E.*

Quæstione 6. de malo in corp. *Deus voluntatem movet secundùm ejus conditionem, non ut ex necessitate, sed ut indeterminatè se habentem ad multa.* *T. 12. p. 272.*

Quæstione 22. de veritate art. 6. in fine corporis: *Cùm autem*, inquit, *col. 2. C.*

voluntas dicatur libera in quantùm necessitatem non habet, libertas voluntatis in tribus considerabitur, scilicet quantùm ad actum, in quantum potest velle vel non velle; & quantùm ad obiectum, in quantùm potest velle hoc vel illud, & eius oppositum; & quantum ad ordinem finis, in quantum potest velle bonum vel malum.

Ibid. p. 859. col. potentia ad oppositos actus se habens.

Et quæstione 24. art. 3. in 3. argumento dicit, *quòd liberum arbitrium est*

1. C. In quæstionibus disputatis de potentia q. 2. art. 3. in corp. *Voluntas*, inquit, *in quantùm voluntas, cùm sit libera, ad utrumlibet se habet: Potest enim voluntas agere vel non agere; sic, vel sic facere; velle, & non velle.*

Ib p. 16. col. 2. E. Denique in Summa 1. p. q. 83. art. 2. ad 2. *Dicendum*, inquit, *quòd facultas nominat quandoque potestatem expeditam ad operandum; & sic facultas ponitur in definitione liberi arbitrii.*

Ibidem art. 3. in corpore. *Dicendum quòd proprium liberi arbitrii est electio. Ex hoc enim liberi arbitrii esse dicimur, quòd possumus unum recipere alio recusato, quod est eligere.* Tum addit, *ad electionem concurrere aliquid ex parte cognitivæ virtutis, & aliquid ex parte appetitivæ; sed principium alius ex parte appetitivæ. Cujus ratio est*, inquit, *quia proprium obiectum electionis est illud quod est ad finem: hoc autem in quantum huiusmodi habet rationem boni quod dicitur utile. Unde, cùm bonum, inquantùm huiusmodi, sit obiectum appetitus, sequitur quòd electio sit principaliter actus appetitivæ virtutis.*

Hæc Angelici Doctoris tam clara & perspicua sunt, ut expositione nostra non indigeant.

SECUNDUM ARGUMENTUM.

Sanctus Thomas excludit à libertate arbitrii omnem necessitatem, seu ad unum determinationem.

MEntem ea de re suam multis in locis aperit sanctus Doctor Libro 1. contra Gentes cap. 68. *Dominium*, inquit, *quod habet voluntas supra suos*

T. 13. p. 224. col. 2. *actus, per quod in eius est potestate velle vel non velle: excludit determinationem virtutis ad unum, & violentiam causæ exterius agentis.*

D. E. Duplicem hic necessitatem excludit S. Thomas, unam simplicem, seu determinationis ad unum, alteram verò coactionis & violentiæ.

T. 12. pag. 16. vol. 2. E. Quæstione 2. de potentia art. 3. in corpore sic loquitur. *Voluntas in quantùm voluntas, cùm sit libera, ad utrumlibet se habet: Potest enim voluntas agere vel non agere, sic vel sic facere; velle & non velle. Et si respectu alicuius hoc voluntati non conveniat, hoc accidit voluntati, non in quantùm voluntas est, sed ex inclinatione naturali quam habet ad aliquid, sicut ad ultimum finem, quem non potest non velle: sicut voluntas humana non potest non velle beatitudinem, nec potest velle miseriam. Ex quo patet quòd omne illud cujus voluntas est principium, quantùm in se est, possibile est esse vel non esse, & esse tale vel tale, & tunc vel nunc. Omne autem illud quod sic se habet, creatum est: quia in eo quod increatum est, non est potestas ad esse vel non esse, sed per se necesse est esse... si ergo ponitur Filius voluntate genitus, necessariò sequetur ipsum esse creatum. Et propter hoc Ariani qui ponebant Filium creaturam, dicebant eum esse genitum voluntate. Catholici autem dicunt Filium non natum voluntate sed natura: natura enim ad unum*

deter-

determinata est. Ibidem colligit *Spiritum sanctum non voluntate, sed natura procedere*; atque ita concludit: *sequitur quòd tam Filius quam Spiritus sanctus naturaliter procedant*.

Duo hic diligenter observa.

Primum, voluntatem considerari posse vel ut simpliciter ac propriè voluntas est, vel ut natura: priori modo libera est ad oppositа, nec ad unum determinata: posteriori, non est libera sed determinata ad unum. S. Augustinus Lib. de natura & gratia c. 46. antea citato ad quartum argumentum, voluntatem sumit pro natura, cùm ait, *homines non posse non velle esse beatos, & Deum non posse peccare*. Hanc naturæ inclinationem voluntatem potius, quàm necessitatem appellare amat sanctus Doctor, quòd nempe necessitatis nomen vim exteriùs illatam vulgò exprimat, illa verò necessitas sit ex intima naturæ inclinatione. Quoties verò disputans cum Manichæis probat hominem non natura, sed voluntate benè vel malè agere, voluntatem propria & vulgata significatione usurpat pro facultate scilicet libera & ad oppositа indifferenti. *T. 10. p. 150. A. B.*

Alterum observa, nempe asserere Angelicum Doctorem processionem Filii & Spiritus sancti, non esse à voluntate, sed à natura: ubi manifestè distinguit voluntatem contra naturam; ac negat utramque illam processionem esse à voluntate, adeoque propriè liberam.

Confirmavit Angelicus Doctor in suа Summa, quod docuerat citata q. 2. de potentia. Sic enim loquitur 1. p. q. 41. art. 2. ad 3. *Dicendum*, inquit, *quòd etiam voluntas in quantùm est natura quædam aliquid naturaliter vult, sicut voluntas hominis naturaliter tendit ad beatitudinem. Et similiter Deus naturaliter vult & amat seipsum. Sed circa alia à se voluntas Dei se habet ad utrumque. Spiritus autem sanctus procedit ut amor, in quantùm Deus amat seipsum: unde naturaliter procedit, quamvis per modum voluntatis procedat*.

Et paulò antè in corpore articuli. *Eorum*, inquit, *voluntas principium est, quæ possunt sic vel aliter esse: eorum autem quæ non possunt nisi sic esse, principium natura est. Quod autem potest sic vel aliter esse, longè est à natura divina, sed hoc pertinet ad rationem creaturæ*.

Et quæstione 19. art. 10. in corpore. *Dicendum*, inquit, *quòd liberum arbitrium habemus respectu eorum quæ non necessariò volumus, vel naturali instinctu. Non enim ad liberum arbitrium pertinet quòd volumus esse felices, sed ad naturalem instinctum. Unde & alia animalia quæ naturali instinctu moventur ad aliquid, non dicuntur libero arbitrio moveri. Cùm igitur Deus ex necessitate suam bonitatem velit, alia verò non ex necessitate; respectu illorum quæ non ex necessitate vult, liberum arbitrium habet*.

De veritate q. 22. art. 5. ait, quòd *voluntati in quantùm voluntas competat appetere secundùm propriam determinationem, non ex necessitate*. Et art. 6. *Voluntas dicitur libera in quantùm necessitatem non habet*. *T. 12. p. 828. col. 2. C.*

Et quæst. 24. art. 2. *Homo non necessariò movetur ab his quæ sibi occurrunt, vel à passionibus insurgentibus; quia potest eas accipere vel refugere; & ideo homo est liberi arbitrii, non autem bruta*. Et art. 3. *Oportet*, inquit, *dicere in Deo liberum arbitrium inveniri, & similiter in Angelis. Non enim ipsi ex necessitate volunt quidquid volunt, sed hoc quod volunt de libero iudicio volunt sicut & nos*. *Ibid. p. 830. col. 2. C. Ibid. p. 858. col. 2. B. Ibid. p. 859. col. 2. A.*

Denique quæstione 6. de malo, articulo unico *Respondeo*, inquit, *dicendum*,

ib. p. 270. col. 2. C. *dum, quòd quidam posuerunt quòd voluntas hominis ex necessitate movetur ad aliquid eligendum, nec tamen ponebant, quòd voluntas cogeretur; non enim omne necessarium est violentum, sed solùm id cujus principium est extra: unde & motus naturales inveniuntur aliqui necessarii, non tamen violenti; violentum enim repugnat naturali, sicut & voluntario, quia utriusque principium est intra, violenti autem principium est extra. Hæc autem opinio est hæretica, tollit enim rationem meriti & demeriti in humanis actibus; non enim videtur esse meritorium vel demeritorium quod aliquis sic ex necessitate agit, quod vitare non possit. Est etiam annumeranda inter extraneas Philosophiæ opiniones; quia non solùm contrariatur fidei, sed subvertit omnia principia Philosophiæ moralis. Si enim non sit liberum aliquid in nobis, sed ex necessitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, & punitio, & laus, & vituperium.*

Decretorium prorsus est adversùs errorem Jansenii istud Angelici Doctoris testimonium. Distinguit enim manifestè simplicem necessitatem à coactione; & contendit esse hæresim admittere in voluntate talem necessitatem, qua fiat ut homo vitare aliquid non possit: sic enim omnis meriti vel demeriti ratio tollitur.

Vincentius Lenis in Theriaca Lib. 2. cap. 8. respondet, S. Thomam excludere dumtaxat ac damnare *necessitatem brutalem*, qualem Manichæi ac Stoici inducebant. Verùm sanctus Doctor eam omnem rejicit qua fic necesse est hominem aliquid agere, ut vitare illud non possit. Hæc verò necessitas, licèt, ut antea fusiùs ostendimus, ratione causæ & originis diversæ esse possit, attamen ratione effectus, seu modi agendi, omnino par ac similis est, eodemque calculo reprobatur ab Angelico Doctore, tanquam vera hæresis inimica libertati, quæ ad merendum vel demerendum necessaria est.

TERTIUM ARGUMENTUM.

Sanctus Thomas exigit potestatem indifferentiæ ad rationem meriti vel demeriti.

T. 12. p. 831. col. 1. B. C. QUæstione 22. de veritate art. 7. quærit num aliquis *mereatur, volendo illud quod de necessitate vult?* Necessitatis porrò nomine intelligere sanctum Doctorem eam, quæ est ex naturali inclinatione, patet ex tertio, quod sibi objicit, argumento, nempe, *Nullus meretur nisi per actum virtutis; sed omnis actus virtutis est ex electione, non autem ex naturali inclinatione; ergo nullus meretur in eo, quod necessitate vult.* Cui argumento sic respondet: *Quòd aliquis volendo id quod naturaliter vult, quodammodo meretur, & quodammodo non. Ad cujus evidentiam sciendum est.... quòd homini inditus est appetitus ultimi finis sui in communi, ut scilicet appetat naturaliter se esse completum in bonitate. Sed in quo ista completio consistat, utrum in virtutibus, vel scientiis, vel delectabilibus, vel hujusmodi aliis, non est ei determinatum à natura. Quando ergo ex propria ratione adjutus divina gratia apprehendit aliquod speciale bonum, ut suam beatitudinem, in quo verè sua beatitudo consistit, tunc meretur; non ex hoc quòd appetit beatitudinem, quam naturaliter appetit, sed ex hoc quòd appetit hoc speciale, quod non naturaliter*

ib. D. E. ib. col. 2. A.

raliter appetit, ut visionem Dei, in quo tamen secundùm rei veritatem sua beatitudo consistit . . . Patet igitur quòd volendo id quod naturaliter vult, secundùm se non est meritorium nec demeritorium, sed secundùm quod specificatur ad hoc vel illud, potest esse meritorium vel demeritorium. Et hoc modo sancti merentur (intellige in via) *appetendo Deum, vel vitam æternam.* ibid. B.

In 3. Sent. dist. 18. q. 1. art. 2. istud sibi contra meritum Christi argumentum proponit. *Naturalibus non meremur, propter hoc quòd sunt determinata ad unum; sed liberum arbitrium in Christo erat determinatum ad bonum; ergo ipse per liberum arbitrium mereri non potuit. Et ita nullo modo, cùm omne meritum sit ex libero arbitrio.* Huic autem argumento sic respondet: *Dicendum quòd liberum arbitrium Christi non erat determinatum ad unum secundùm numerum, sed ad unum secundùm genus; scilicèt ad bonum, quia in malum non potest: sed hoc tamen* (scilicet bonum) *potest facere & non facere.* To. 9. p. 118. co. 2. E.

Eodem prorsus modo ad simile argumentum respondet qu. 29. de veritate art. 6. ad 1. *Licèt*, inquit, *anima Christi esset determinata ad unum secundùm genus moris, scilicet ad bonum, non tamen erat determinata ad unum simpliciter. Poterat enim hoc vel illud facere & non facere, & ideo libertas in illo remanebat quæ requiritur ad merendum.* Et in Summa 3. parte q. 18. art. 4. ad 3. *Dicendum quòd voluntas Christi licèt sit determinata ad bonum, non tamen est determinata ad hoc vel illud bonum. Et ideo pertinet ad Christum eligere per liberum arbitrium.* T. 12. p. 945. co. 2. A.

De libertate Dei similia docet S. Th. in 2. dist. 25. q. unica art. 1. ad 1. *Ad rationem arbitrii*, ait, *non pertinet ut indeterminatè se habeat ad bonum vel malum . . . Sed hoc ad libertatem arbitrii pertinet, ut actionem aliquam facere vel non facere possit; & hoc Deo convenit: bona enim quæ facit, potest non facere, nec tamen mala facere potest.* Et in 1. dist. 42. quæst. 2. art. 1. ad 3. ad istud argumentum, *De ratione voluntatis est ut libertatem ad utrumlibet habeat: sed in Deo verissimè invenitur voluntas; ergo potest in utrumlibet & bonum & malum.* Ad istud, inquam, argumentum sic respondet. *Dicendum quòd posse peccare secundùm Anselmum & Boetium, non pertinet ad libertatem voluntatis; sed magis est conditio voluntatis deficientis, in quantùm est ex nihilo. Sed in hoc attendstur ratio libertatis, quòd possit hoc facere vel non facere, aut hoc vel illud facere.* Pariter in Summa 1. p. q. 19. art. 10. ad 2. *Dicendum quòd cùm malum culpæ dicatur per aversionem à bonitate divina, per quam Deus omnia vult, manifestum est, quòd impossibile est, eum malum culpæ velle. Et tamen ad opposita se habet in quantùm potest velle hoc esse, vel non esse. Sicut & nos non peccando, possumus velle sedere, & non velle sedere.* T. 8. p. 247. co. 2. B. C. T. 7. p. 378. co. 1. D.

In his omnibus testimoniis, S. Thomas ut Dei & Christi libertatem defendat, non recurrit ad Jansenianam opinionem, Deum scilicet & Christum non eogi, sed sponte ac voluntariè agere; sed ad hoc unum, posse Deum & Christum hoc vel illud bonum agere, vel non agere: quæ vera est libertas contradictionis includens indifferentiam ad agendum vel non agendum.

Denique, scribens idem S. Doctor in Lib. 4. Sent. dist. 49. q. 1. art. 3. quæstiuncula 3. ad 2. quod erat hujusmodi. *Cùm meritum & demeritum sint circa idem, nullus meretur in eo quod vitare non potest, sicut nec peccat, ut dicit Augustinus: sed homo non potest non appetere beatitudinem; ergo nullus appetendo beatitudinem meretur.* Sic respondet. *Dicendum quòd quamvis nullus* To. 10. p. 751. co. 2. B. Trid. p. 953. co. 2. A.

nullus possit vitare quin beatitudinem aliquo modo appetat, potest tamen vitare, quòd non appetat eam hoc modo quo est appetenda; & sic potest mereri vel demereri. Quid clarius? Non ait S. Thomas aliquem mereri posse per actus necessarios, quales sunt productio Spiritus sancti, & amor beatificus: sed eum mereri per actus, quos vitare potest; adeoque liberos ab omni necessitate insuperabiliter & invincibiliter ad unum determinante.

TERTIA PROBATIO.

Ex Conciliis.

Unum hìc Tridentinum Concilium, quod omnium postremum est, appellabimus. Lutheri ac Calvini errorem circa liberum arbitrium ex
To. 14. Conc. p. 763. E. professo represit sessione 6. de justificatione Can. 5. *Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imò titulum sine re, figmentum denique à satana invectum in Ecclesiam; anathema sit.*

Ibid. Et Canone 4. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac præparet; neque posse dissentire, si velit, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, merèque passivè se habere, anathema sit.*

Ibid. p. 765. A. Et Canone 6. *Si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permissivè solùm, sed etiam propriè & per se, adeo ut sit proprium ejus opus non minùs proditio Judæ quàm vocatio Pauli, anathema sit.*

Ibidem cap. 5. postquam dixit peccatores adultos vocatos à Deo per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam disponi ad se convertendum, eidem gratiæ liberè assentiendo & cooperando, per vocem hanc; *liberè*, indifferen-
Ibid. p. 758. D. tiam intelligi manifestè indicat his verbis sequentibus: *Ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat; inspirationem illam recipiens; quippe qui illam & abjicere potest. Non*
Ibid. p. 458. D. *enim*, ut ait Conc. Senonense paulò ante Tridentinum an. 1528. cap. 15. *tale est Dei trahentis auxilium, cui resisti non possit, ideoque non præjudicat libero arbitrio.* Situm quippe est in hominis voluntate, ut gratiam Dei oblatam vel accipiat vel repudiet.

Ex his locis apte Bellarminus Lib. 3. de Gratia & libero arbitrio c. 5. sic ar-
To. 4. p. 209. ce. 1. D. guit: *Concilium hoc postremum* (Tridentinum) *sine dubio aliquid voluit declarare adversùs errores nuper exortos. Nullus autem est, nec fuit, qui doceret, hominem non esse liberum à coactione; sed tota quæstio est de libertate à necessitate, quam solam hæretici negant. Igitur hanc ipsam Concilium astruere voluit.* Et sanè qui potest consentire vel dissentire, acceptare vel rejicere, à necessitate se liberum omnino esse demonstrat; nec ipsemet Jansenius Lib. de Gratia primi hominis & Angel. capitibus 8. 14. & 15. & Lib. 2. de Gratia Christi capitibus 4. 5. 6. 7. 8. aliter expressit indifferentem hominis innocentis & Angelorum voluntatem, quàm quòd potuerint uti vel non uti gratia, ei consentire vel non consentire, illam admittere vel respuere.

Insi-

Inflictum errori ſuo vulnus non diſſimulant ipſi Novatores. Calvinus in antidoto Conc. Trid. ad ſeſſ. 6. *De verbo*, inquit, *non moveamus rixam : ſed quia per liberum arbitrium intelligunt eligendi facultatem, quæ ſit in utramque partem libera & ſoluta , titulum ſine re eſſe , qui affirmant , Chriſtum habent auctorem*. Vides Calvinum non aliam à Concilio aſſertam libertatem exiſtimare, quàm quæ ſit à neceſſitate: neque enim decreto acquieſcere recuſaſſet, ſi de una immunitate à coactione loqui Concilium putaſſet. Ipſemet etenim Lib. 2. de libero arbitrio contra Pighium, apertè mentem ſuam declarat: *Si coactioni opponatur libertas, liberum arbitrium eſſe , & fateor , & conſtanter aſſevero; ac pro hæretico habeo quiſquis ſecus ſentiat.* *Inter Opuſ. p. 721.* *Ibid. p. 251.*

Quin & ipſemet VViclefus in Conc. Conſtantienſi damnatus , quòd liberum homini arbitrium ſuſtuliſſet , immunitatem à coactione ultro agnoſcit. *Deus*, ajebat, referente Thoma Vvaldenſi Lib. 1. cap. 23. *non neceſſitat neceſſitate coactionis ad bonum vel malum futurum : quia illa ſola tollit arbitrii dignitatem, non autem alia neceſſitas.*

Janſenius, ut ſuum iſtud de libertate à ſola coactione non verò ſimplici neceſſitate immuni dogma defendat à Concilii Tridentini fulminibus, & à proſcripta Calvini ſententia ſejungat, c. 21. Lib. 8. de Gratia Chriſti innuit hanc Calvini ſententiam meritò reprehendi non poſſe, nec à Concilio fuiſſe perſtrictam. *Non enim*, inquit, *omnia quæ hæretici docent, ſunt hæretica. Mos enim ſolemnis omnium hæreticorum eſt, ut falſis vera miſceant , miſcendoque perturbent omnia . . . . Quòd ſi qua in re Calvinus cum Auguſtino & antiquis Patribus ſenſerit, non propter Calvinum Auguſtino indignandum eſt , ſed propter Auguſtinum Calvino potius gratulandum.* Et in præfatione Lib. 6. *Faceſſat*, inquit, *& iſta hinc invidioſa querimonia, quòd Auguſtini ſententia Luthero aut Calvino favere videatur. Si enim Auguſtini eſt, illorum error eſſe non poteſt. Sed quia non uſque adeo hæretici exorbitare ſolent, quin ſæpe in aliquibus articulis veritatem, in aliis nonnulla veritatis lineamenta retineant, ſi quid fortè hac in re cum Auguſtino ſenſerint , veritas amplectenda eſt* . Exiſtimat itaque Janſenius, Calvini ſententiam de natura libertatis, quam in una immunitate à coactione collocat, intactam à Concilio prætermiſſam fuiſſe: qua certè in re hæreticis indulgentior fuit, quàm illi ſibimetipſis fuerint. Calvinus enim cum ſuis, etſi parvi pendat, non tamen diſſimulat Tridentino fulmine ſuam hanc de libertate ſententiam percuſſam fuiſſe. Quapropter ad alia doctrinæ Calvinianæ circa libertatem capita, Janſenius cenſuram derivare ac deflectere conatur. *Hæc igitur ſunt*, inquit ille cap. 21. Lib. 8. de Gratia, *quæ Eccleſia in Calvino quantùm ad hanc materiam gratiæ & liberi arbitrii improbavit, cenſuraque ſuæ ſecuritate damnavit.* *To. 3. p. 370. c. 2. B. C.* *Ib. D.* *Ibid. p. 255.* *Ibid. p. 370. c. 2. D.*

I. *Calvinus negat eſſe in homine boni & mali electionem , quam tamen ſemper Auguſtinus libero arbitrio aſſerit.*

II. *Docet virtutem & vitium, benè agere & malè, non eſſe in noſtra poteſtate.*

Verùm ſi expendatur ſedulò quo ſenſu utrumque Calvinus neget, quo ſenſu affirmet Janſenius, facile erit intelligere nihil inter utriuſque ſententiam eſſe diſcriminis. Negat Calvinus virtutes & vitia eſſe in noſtra poteſtate : quo ſenſu? An quia voluntas nihil prorſus agat, nec ſeipſam vitaliter moveat? minimè: ſed quia uſu recepto ac communi ille dicitur aliquid in ſua poteſtate aut electione habere, ad quod faciendum nulla neceſſitate adigitur. *Ibid. p. 371. c. 1. D.*

tur. Cùm autem in mente Calvini peccatores in vitia necessariò per concupiscentiam abripiantur, & justi aspirante gratia pari necessitate virtutes amplectantur, consequenter negat, quod Philosophi asserunt, virtutes & vitia esse in nostra potestate. At nonne hoc idem eodem sensu Jansenius negat? Nonne docet peccatores dominante concupiscentia ad malum necessariò inflecti, sicut justos ad bonum rapiente superiori gratia? Nonne libertatis indifferentiam, qualem Philosophi astruunt, & qualem Calvinus in eo ipso loco quem Jansenius citat ex Lib. 2. Instit. cap. 2. explodit, Jansenius ipse sæpius velut fœtum Aristotelicæ ac Pelagianæ Philosophiæ traducit ac damnat? Nonne hoc uno sensu virtutes & vitia in nostra esse potestate asserit, quòd voluntaria sint, & ea cùm volumus exerceamus? Nihil enim magis in nostra est potestate, quàm ipsa voluntas seu volitio. An verò negavit unquam Calvinus, bonas vel malas actiones esse voluntarias? *Ego ne*, inquit Lib. 3. de libero arbitrio, *voluntaria esse bona opera unquam negavi*? Nihil ergo est quod Jansenii hac in parte sententiam disjungat ac separet à sententia Calvini.

Inter Opusc. p. 275.

III. Inquit Jansenius ibid. *Calvinus docet gratiam ita movere hominem, ut non sit ei liberum resistere . . . Augustino verò, Dominus ita movet voluntatem, ut quamvis infallibiliter convertatur & operetur, possit tamen motioni Dei refragari, aut obtemperare, seu, ut Conc. Trid. loquitur, illi dissentire si velit. Potentia quippe dissentiendi*, pergit Jansenius, *non repugnat actuali gratiæ motioni & consensui, quamvis fieri nequeat, ut actualis dissensus cum actuali Dei motione jungatur.*

To. 3. p. 371. co. 1. A.

Verùm fuci ac doli plena est ista Jansenii responsio. Equidem si homo vellet, gratiæ resisteret; & si resisteret, haud dubiè vellet resistere: quis dubitat? At in opinione Calvini & Jansenii, non potest homo velle resistere gratiæ efficaciter moventi: tunc enim ligatam & impeditam habet facultatem, quia destituitur opposita superiori delectatione, quæ planè necessaria est, ut voluntas possit velle oppositum. Porrò, vel ipso judice Jansenio, Lib. 6. de Gratia Christi cap. 35. *Omnibus à natura indita est illa notio, qua liberum dicitur quod fit cùm volumus, non fit cùm nolumus.* Ergo cùm voluntas movente ac efficaciter determinante gratia ad bonum non possit velle malum, sed necessariò velit bonum, consequenter libera non est ea libertate, cujus notio à natura ipsa omnibus indita est, per quam scilicet potest homo velle vel nolle, consentire gratiæ vel non consentire &c. Potentia igitur dissentiendi quam Jansenius ait non repugnare actuali gratiæ motioni & consensui, non illa est, quam Catholici vulgò intelligunt, facultas scilicet expedita ut agat vel non agat; sed mera est flexibilitas voluntatis qua successivè, sed pari necessitate, potest à bono ad malum, aut viciſſim à malo ad bonum transire.

Ibid. p. 301. co. 1. C.

In idem recidit quod addit Jansenius, Calvinum scilicet in eo errasse, *quòd nolit hominem gratiæ moventi pedissequa voluntate consentire*. Quis enim Calvino sensus? An quòd voluntas non agat, non consentiat? At fatetur ipsemet Lib. 5. de libero arbitrio, *hominem ipsum & conari & agere, & ad Dei obsequium applicare suas facultates.* Ergo isto dumtaxat sensu negat Calvinus hominem *pedissequa voluntate prævenienti gratiæ obsequi*, vel quòd in ipsius potestate non sit non obsequi, quod certè fateri Jansenius ipse tenetur;

Ibid. p. 371. co. 1. B.

Inter Opusc. p. 318.

vel

vel quòd motus ille voluntatis pedisequæ, seu obtemperantis motioni gratiæ nullam partem habeat in bono opere formaliter sumpto, quatenus nempe bonum est, sed illius totalis & unica causa Deus sit, sicut exposuimus cùm Lutheri & Calvini sententia disputavimus agendo de Gratia.

IV. Istud præcipuè Tridentina Synodus, si Jansenio fides, in Calvino proscripsit, *quòd fronte retecta doceat non esse in homine liberum arbitrium, ipsumque nomen inane & exterminandum esse*, à qua insania multùm se abesse Jansenius profitetur. Verùm putidum est ac inane effugium: nihil enim certius quàm eodem sensu à Jansenio atque Calvino liberum arbitrium negari aut affirmari. Calvinus homini lapso liberum arbitrium tribuendum esse negat; sed quo sensu? Nimirum si liberi arbitrii nomine facultas intelligatur ab omni necessitate expedita. *De verbo*, ait ille loco jam citato in Antidoto Conc. Tridentini ad sess. 6. Canone 5. *ne moveamus rixam: sed quia per liberum arbitrium intelligunt* (Patres Tridentini) *eligendi facultatem, quæ sit in utramque partem libera & soluta, titulum sine re esse qui affirmant, Christum habent auctorem.* Quoties eodem sensu Jansenius affirmat liberum arbitrium primi parentis periisse? Quid aliud docet eo capite cui hunc titulum præfixit Lib. 3. de statu naturæ lapsæ cap. 9. *Periit non solùm libertas ad agendum bonum, sed etiam abstinendi à peccato.* Item altero capite 11. quod ita inscribit. *Loco libertatis abstinendi à peccato, inducta est peccandi necessitas.* Affirmat Jansenius superesse homini lapso liberum arbitrium; & qui istud negaverit, anathemate percellendum censet: sed cùm ita pronuntiat, quid tandem liberi arbitrii nomine intelligit? Nimirum facultatem ab interna coactione solutam ac liberam. An verò liberum arbitrium eo sensu rejecit unquam Calvinus? Minimè profectò. *Si*, inquit Lib. 2. de libero arbitrio, *coactioni opponitur libertas, liberum esse arbitrium & fateor, & constanter asserò; ac pro hæretico habeo, quisquis secus sentiat.* Et Lib. 3. *Semper*, inquit, *testatus sum me de nomine pugnare nolle, si hoc semel constitueretur, libertatem non ad potentiam vel facultatem boni æquè ac mali eligendi, sed ad spontaneum motum & consensum referri debere.* Et Lib. 2. Instit. cap. 2. nu. 7. *Liberi arbitrii hoc modo dicetur homo, non quia liberam habeat boni æquè ac mali electionem; sed quia malè voluntate agit, non coactione.* Videndes perfectam Calvini cum Jansenio circa liberum arbitrium vel affirmandum vel negandum consensionem.

To. 3. p. 371. co. 1. C.

Inter Opusc. p. 721.

To. 2. p. 191. co. 1.

Ibid. p. 194. co. 2.

Inter Opusc. p. 251.

Ibid. p. 268.

Pa. 81.

V. Aliam discriminis causam inter sententiam Calvini & Jansenii vulgò proferunt Jansenistæ, scilicet, idcirco damnatos recentiores hæreticos quòd asserant, voluntatem ad justificationem passivè tantùm se habere, quod à Jansenii opinione mirum quantùm abhorret.

Verùm ludicra & jocularis est ista responsio. Quid enim causari possunt? Hæreticos existimasse voluntatem lapidis instar & truncі sine motu ac sensu à Deo moveri; non agere, non operari? At longè istud ab eorum mente alienum videtur. Lutherus Libro de servo arbitrio docet, hominem, etsi necessariò agat, quidquid agit voluntariè tamen agere. *Necessariò*, inquit, *operamur: necessariò dico, non coactè; necessitate immutabilitatis, non coactionis, hoc est, homo cùm vacat Spiritu Dei, non quidem violentia, velut raptus obtorto collo, nolens facit malum, sed sponte, & libenti voluntate facit. Hoc vocamus modo necessitatem immutabilitatis, quòd voluntas sese mutare & ver-*

vertere aliò non possit. Rursus ex altera parte si Deus in nobis operatur, mutata, & blandè assibilata per spiritum Dei voluntas, iterum mera lubentia & pronitate, ac sponte sua vult & facit non coactè pro natura voluntatis, quæ si cogeretur voluntas non esset: nam coactio potius est, ut sic dicam, noluntas. Cùm ergo Lutherus ait voluntatem se habere passivè, non ita intelligendus est, quasi velit nihil omnino voluntatem agere; cùm ipse testetur eam velle, & voluntariè velle, agere, operari.

Eadem est Calvino mens atque sententia. Lib. 2. Instit. c. 5. n. 14. *Quis*, ait, P. 116. *ita desipit, ut hominis motionem à jactu lapidis nihil differre autumet? Neque verò quidquam simile consequitur ex nostra doctrina. In naturales hominis facultates referimus, approbare, respuere; velle, nolle; eniti, resistere.* Et post pauca. *Qua ratione Augustinus, Dices mihi, inquit, ergo agimur, non agimus. Imò agis, & ageris; & tunc benè agis, si à bono agaris.* Atque ut intelligas quantùm absit Calvinus ab ea opinione quam illi affingunt adversarii, ut ab eo discrepare videantur, expende hæc ejus verba: *Id dicit Augustinus, ut delire & impiæ eorum ignorationi occurrat, qui Deum in homine, sicut in lapide, hoc est sine intrinseco, ut ita loquar, voluntatis ejus motu operari fingunt.*

Ex quibus Calvini locis descriptum est istud Synodi Dordracenæ decretum art. 12. *Voluntas jam renovata non tantùm agitur & movetur à Deo, sed à Deo acta agit & ipsa. Quamobrem etiam homo ipse per gratiam acceptam credere & respicere rectè dicitur.*

Fatendum nihilominus est, durè omnino & incompositè locutum fuisse Lutherum cùm dixit, hominem ad regenerationem seu conversionem passivè se habere: quem rigidum & durum loquendi modum temperarunt ejus discipuli, probante ipso Calvino Lib. 1. de libero arbitrio. *Hoc quoque verum est*, inquit, *nonnulla quæ Scholastico dicendi genere, &* Inter. Opusc. p. 251. *minùs populari stylo scripserat Lutherus, Philippum Melanchthonem prudenter, & magna dexteritate in meliorem formam flectendo, ad vulgarem hominum captum accommodasse, & communem vitæ usum.*

Quo igitur sensu, inquies, dixit Lutherus voluntatem in opere justificationis passivè se habere?

Resp. sensu duplici.

I. Quia regenerationem & conversionem ita in nobis & à nobis fieri voluerit, ut liberum nobis non sit motuum illorum productionem impedire; eo ferè modo quo Theologi dicunt gratiam divinæ illuminationis & piæ motionis prævenientem liberum consensum, fieri in nobis sine nobis; id est, non quidem sine nobis vitaliter concurrentibus ad ejusmodi actus voluntatis, sed sine nobis liberè ad eos cooperantibus. Quo sensu Synodus Dordracena sic statuit: *Ad hoc ipsum opus regenerationis habet se homo passivè; neque est in voluntate potestatis humanæ impedire Deum sic immediatè regenerantem*: En quid sibi hæretici velint, dum merè passivè se habere voluntatem asserunt; nimirum, eam opus suum ita in potestate non habere, ut abstinere ab eo possit: quæ profectò ipsa est Jansenianorum doctrina, adversùs quam Conc. Tridentinum meritò pronuntiavit, voluntatem liberè consentire & cooperari, ita ut possit abjicere inspirationem quam recipit, & dissentire gratiæ cui consentit.

II. Vo-

II. Voluntatem passivè se habere dixerunt Novatores respectu boni, non quidem materialiter, sed formaliter sumpti: quia nempe ne partiali quidem influxu voluntatem bono formaliter sumpto cooperari asserunt, nimirum propter adhærescentem etiam sanctissimorum virorum actionibus concupiscentiæ labem, qua inficiuntur. Quapropter totum quod in actionibus boni est, in Deum tanquam totalem & adæquatam causam referunt; atque voluntatem illius boni respectu, nihil cooperari ac passivè se habere arbitrantur. Audiatur Calvinus Lib. 6. de libero arbitrio, *Non hoc*, inquit, *quæritur, agat ne voluntas, quod extra dubium est*; (En actio voluntatis circa bonum materialiter sumptum) *sed agat ne à se ipsa, an pro modo divinæ actionis; aut crassiore, si placet, loquendi modo, distincta ne, an separatasit actio voluntatis ab operatione Dei; an illi, quod aiunt, subordinetur. Quis enim nescit per voluntatem fieri ut velit homo? Sed Paulus illic voluntatem asserit Dei spiritu gubernari, ut ad bonum inclinet & aspiret: ideoque propriam ejus esse actionem, si quid boni animo concipimus.* En quomodo Deus, in mente Calvini, sit causa totalis & adæquata boni formaliter sumpti, nec ullam ipsius partem cooperando voluntas humana vendicare sibi possit. Cujus quidem doctrinæ ratio & causa à priori hæc est, juxta Calvinum, quòd optima quæque viri etiam sanctissimi opera inficiantur ac maculentur aliqua peccati, saltem venialis labe, ob vitium concupiscentiæ quod semper adhæreſcit. *Bonorum operum laudem*, ait Calvinus Lib. 3. Instit. c. 15. n. 3. *non (ut sophistæ faciunt) inter Deum & hominem partimur; sed totam, integram ac illibatam Domino servamus. Tantùm hoc homini assignamus, quòd ea ipsa quæ bona erant, sua impuritate polluit & contaminat. Nihil enim ab homine exit, quamtumvis perfecto, quod non sit aliqua macula inquinatum.* Et n. 4. *Scripturæ doctrina est*, pergit, *asperſa esse perpetuò sordibus multis bona nostra opera, quibus meritò Deus offendatur, ac nobis succenseat.* *Inter Opusc. p. 344.* *Ibid.*

QUARTA PROBATIO.

Ex Summis Pontificibus.

S. Pius V. anno 1567. Constitutione quam Gregorius XIII. innovavit ac confirmavit anno 1579. istas Baji Propositiones damnavit. *Quod voluntariè fit, etiamsi necessariò fiat, liberè tamen fit.* Item, *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* Item, *Homo peccat etiam damnabiliter, in eo quod necessariò facit.* *Recueil des Bulles, Pag. 18. & 22.* 39. 66. 67.

Non parum desudat Jansenius Lib. 6. de Gratia Christi cap. 36. ut hanc eludat Pontificum censuram.

Respondet 1. *Incredibile esse tot doctissimorum magna ex parte sanctissimorum virorum doctrinam à duobus Pontificibus esse damnatam vel notatam.* To. 3. p. 304. co. 1. B.

Sic ille duos illos Pontifices cum doctissimis & sanctissimis Scriptoribus, quasi pugnantia docerent, committit; eadem prorsus methodo & audacia qua Lutherani & Calvinistæ Patres Tridentinos cum veteri Ecclesia pugnare ac dissentire criminantur.

Verùm putida est Jansenii calumnia, ac mera fictio in ejus cerebro nata. Nihil etenim novi decernunt Pontifices, sed à majoribus traditam fidem tuentur ac declarant.

Ref-

Respondet 2. SS. Pontifices sua censura attendere dumtaxat, *ad significationem hujus temporis, quo liberum illud à Scholasticis dicitur, quod sit cum indifferentia saltem contradictionis; & quidquid non ita fit, non liberum vocant. Illam autem significationem*, pergit Jansenius, *non ita fuisse à Patribus veteribus usurpatam, ex allegatis testimoniis id expresse conteslantibus demonstrari possit.*

Nemo certè Catholicus est, qui Jansenio non indignetur, quòd tam protervè illudat Apostolicis Decretis. Namque aut vera est illa significatio liberii arbitrii, quæ tunc invaluerat, aut falsa: si vera, jure ac meritò proscriptæ sunt adductæ Baji Propositiones, nec illarum censuram effugere potest Jansenius, qui Baji doctrinam renovavit. Si falsa, ut reipsa falsam, imò & Pelagianam atque à Veterum sensu abhorrentem Jansenius existimat, aut crassa fuit horum Pontificum ignorantia, quos latuit genuina libertatis notio, & Veterum ea de re sententia; aut error manifestus, qui Propositiones veras proscribendo, Pelagianam libertatis definitionem approbaverunt.

Respondet 3. Idcirco SS. Pontifices censuisse damnandas esse Propositiones illas, *quia tendebant eò, ut motus illi concupiscentiæ, quæ rationem antevertunt, essent liberi, quod sine dubio falsum est . . . Eò autem in istis propositionibus collimari indicat Vasques in 1.2. ubi dicit auctorem propositionum istarum putasse hominem peccare in omnibus affectibus & motibus suis qui non essent virtutis, ut etiam in his qui sine libertate fiunt, peccatum esse diceret. Hoc est, in istis motibus concupiscentiæ indeliberatis, quos non esse liberos constat. Id ipsum probabile & satis perspicuum faciunt alia nonnulla pronuntiata, quibus eadem censura inflicta est*, qualia sunt ista. *Prava desideria quibus ratio non consentit, & quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto, Non concupisces.* Item, *Concupiscentia, seu lex membrorum, & prava ejus desideria quæ invisenti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.* Item, *Homo peccat etiam damnabiliter, in eo quod necessario facit.*

Ibid. D. E.

Disput. 190. c. 18.

Pro 40. vel 50.

Pro 49. vel 51.

Pro 65. vel 67.

Verùm hæc Jansenii conjectura nullo planè fundamento nititur, aut saltem magis ipsi nocet, quàm faveat. Namque vel propositiones istæ omnino inter se distinctæ sunt, ac diversos errores exprimunt, vel ita sunt connexæ, ut quæ libertatem à sola coactione immunem spectant, sint veluti fons atque principium, unde aliæ circa motus indeliberatos concupiscentiæ derivantur. Si primum, (quod ad verum propiùs accedit) funditus ruit Jansenii responsio: si postremum, non minùs Pontificia censura premitur. Si enim ex doctrina quæ statuit liberum idem esse ac voluntarium, ac libertatem arbitrii coactionem dumtaxat excludere, non simplicem necessitatem, si, inquam, ex illa doctrina necessariò sequitur indeliberatos concupiscentiæ motus vera esse peccata, nonne fateri necesse est, & principium seu fundamentum, & conclusiones, quæ inde defluunt, eidem censuræ subjacere?

Porrò id sequitur ex doctrina quæ statuit voluntarium essentialiter idem esse ac liberum. Illi etenim motus voluntarii sunt, seu in potestate voluntatis; non sunt enim coactione aut violentia expressi; porrò, ex Jansenio, nihil magis est in potestate voluntatis, quàm ejus volitio.

Non id, inquies, sufficit; sed requiritur ut voluntarium illud sit perfectum, seu deliberatum, id est, ex perfecta rationis advertentia: dicti autem motus sunt indeliberati, adeoque nec in potestate voluntatis, nec vera peccata.

Verùm

Verùm responsio hæc nodum non solvit. Rogo enim, quare motus illi defectu præviæ deliberationis seu cognitionis non sunt liberi ex Jansenio, licèt sint voluntarii? quia scilicet non sunt in potestate seu dominio voluntatis, quibus illa carere ad nutum non potest. *Constat*, ait ibidem Jansenius, *hujusmodi improvisos voluntatis motus esse voluntarios, & sine violentia ex voluntate fluere, nec tamen etiam isto sensu esse liberos. Deest illis quippe id quod præcipuum est, quia non sunt in hominis potestate, non sumus eorum domini; fiunt sine plena rationis advertentia; profluunt invita repugnantesque voluntate.* To.3.p. 304.co. 1.A.B.

Atqui cùm voluntas ineluctabili necessitate ad unum rapitur, licèt ex prævia & perfecta rationis advertentia, non habet pariter actum suum in sua potestate, non est illius domina; eo ad nutum carere non potest; non est expedita ad oppositum; ergo tunc verè libera non est libertate quæ sufficiat ad rationem meriti vel demeriti. In quamcumque ergo partem vertat se Jansenius, tenetur fateri aut actus voluntatis indeliberatos esse sufficienter liberos ad meritum vel demeritum, aut actus deliberatos ex necessitate insuperabili elicitos verè liberos non esse: præsertim cùm, in mente Jansenii, actus illi deliberati necessariò sequantur ex motione prævia indeliberata superioris delectationis.

Vasques, quem Jansenius laudat, hoc unum vult, nempe Bajum ita putasse hominem peccare in omnibus affectibus & motibus suis, qui non sunt virtutis, ut etiam in his quæ sine libertate fiunt, peccatum esse diceret: quod sanè sponte sua ex ipsius opinione fluebat: & Jansenius ipse, si cohærenter loqui ac sentire velit, admittere tenetur.

Innocentius X. an. 1653. & Alexander VII. an. 1656. istam n. 3. Jansenii Propositionem, *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione*, hæreticam declarant, & uti talem damnant. Rec. des Bulles p.77.

Jansenistæ respondent, SS. Pontifices meritò postulare ad merendum vel demerendum libertatem à necessitate naturali & cæca; meritòque damnare tertiam illam Propositionem, cùm sufficienter non excludat hanc naturalem necessitatem: verùm censuram illam nihil ad Jansenium pertinere, qui non naturalem, sed simplicem dumtaxat necessitatem contendit conciliari cum libertate ad merendum vel demerendum necessaria.

Verùm hac ipsa responsione seipsos jugulant. Namque SS. Pontifices Propositiones illas damnarunt in sensu Jansenii; ergo cùm Jansenius naturalem necessitatem excludat à libertate, fatentibus ipsius discipulis, nec ea in parte censuræ subjaceat, consequenter fatendum est, damnatam fuisse in tertia ipsius Propositione, necessitatem illam quam vocat simplicem, hoc est, insuperabilem ad unum determinationem.

Ratio autem quare SS. Pontifices non addiderint in dicta Propositione, *à necessitate etiam simplici voluntaria ad unum determinante*, hæc est, 1. Quia nomine *necessitatis*, prout distinguitur à coactione, semper intelligitur illa necessitas etiam voluntaria ad unum determinans: distinctio quippe adversariorum, *necessitatis naturalis & simplicis*, mera est argutia ad declinandam censuram excogitata. 2. Quia Jansenius ex professo docet, coactionis nomine se intelligere etiam necessitatem illam merè naturalem. *Hæc ergo*, inquit Lib. 6. de Gratia Christi cap. 6. *necessitas* (coactionis) *valdè generalis est*, To.3.p. 265.co. 2. D.

& ſub ea naturales omnes impetus comprehendit (S. Auguſtinus) *qui non poſſunt volendo impediri.* Cùm ergo S. Pontifex excludendo à libertate coactionem, eo ipſo excluderet neceſſitatem merè naturalem & cæcam, quæ, fatente ipſomet Janſenio, coactionis nomine comprehenditur, addendo neceſſitatem opponi libertati ad meritum vel demeritum requiſitæ, evidenter ſignificavit, ſe nomine *neceſſitatis*, eam intelligere ſimplicem, voluntariam, ad unum determinantem, quam Janſenius velut ſufficientem propugnat.

Ad hæc accedat cenſura Sacræ Facultatis Pariſienſis quæ Baji errores proſcripſit, ac S. Pii V. & Gregorii XIII. fulminibus, fulguris inſtar, præivit. Anno ſcilicet 1560 die 27. Junii, inter alias Baji Propoſitiones ad ſe ad examen & judicium tranſmiſſas per fratres Petrum de Quercu Guardianum Conventus Nivellenſis, & fratrem Ægidium de Querceto Guardianum Athenſem, iſtas, quæ rem noſtram præſentem ſpectant, cenſuræ ſuæ aculeo confixit. *Libertas & neceſſitas eidem conveniunt reſpectu ejuſdem, & ſola violentia repugnat libertati naturali hominis. Hujus propoſitionis prima pars*, ait cenſura: *includit contradictionem, & eſt hæretica.* Item. *Liberum arbitrium liberè vult quidquid ſponte ſeu voluntate vult, ita ut quod liberè vult idem neceſſariò velit. Hujus propoſitionis ſecunda pars*, ait cenſura, *implicat contradictionem, & eſt hæretica.* Eodem ſpectat illud Baji pronuntiatum quod in ipſa cenſuræ ſuæ fronte collocant Theologi Pariſienſes, ut aliorum fontem ac veluti originem eſſe deſignent. Sic habet: *Liberum arbitrium hominis non habet poteſtatem ad oppoſita; nec ei convenit ea poteſtas ex ipſius naturali & intrinſeca ratione.* Quid ad hanc ſententiam ſacra Facultas Pariſienſis? *Prima pars*, inquit, *hujus propoſitionis eſt hæretica: ſecunda eſt falſa, & morali Philoſophiæ adverſa.*

Opera Baii p. 2. p. 4.

ib. p. 5.

Quàm appoſitè hæc in Janſenium contorquentur! Docet ille, quod docuerat Bajus, hominem ſcilicet primi parentis culpa in peccandi neceſſitatem eſſe demerſum, adeoque liberum ejus arbitrium uni ſic affixum eſſe parti, ut ad oppoſitam flectere ſe non poſſet, quod his expri-
ib. p. 3. mebat verbis, *Liberum arbitrium hominis non habet potentiam ad oppoſita.* Nequis tamen adversùs hanc ejus ſententiam, ex primi hominis conditione præſcriberet, fatebatur Adamum accepiſſe liberum arbitrium in utramque partem, hoc eſt, ad agendum vel non agendum expeditum: contendebat nihilominus poteſtatem illam ad oppoſita illæſo libero arbitrio periiſſe, quòd nempe ad ejus eſſentiam & naturam non ſpectaret; atque illud ipſum eſt, quod his verbis deſignabat, *nec ei convenit ea poteſtas ex ipſius intrinſeca & naturali ratione.* Quam utramque ſententiæ partem ſacra Facultas Pariſienſis etiam ante Conſtitutionem S. Pii V. & Gregorii XIII. damnavit; & rurſus anno 1644. die 15. Januarii prohibuit tam Doctoribus quàm Baccalaureis, *ne probent, vel ſuſtineant Propoſitiones per Bullas S. Pii V. & Gregorii XIII. & Urbani VIII. SS. Pontificum prohibitas.*

QUIN-

QUINTA PROBATIO.

Ex rationibus Theologicis.

PRIMA RATIO.

Ex definitione potentiæ liberæ.

Libera dicitur à Philosphis non minùs quàm à Theologis potentia, quæ positis omnibus ad agendum prærequisitis potest agere & non agere; ergo à sensu contrario libera non est nec dici potest, quæ positis omnibus ad agendum prærequisitis non potest actum suum suspendere, sed invincibili necessitate, tametsi non perpetua, ad unum quid determinatur.

Reponunt Jansenianicum Vincentio Lenis in Theriaca Lib. 1. cap. 25.

I. Definitionem adductam non spectare libertatis essentiam, sed dumtaxat ipsius statum, seu accidentalem in homine viatore conditionem: ut si quis diceret hominem esse animal risibile; non per essentiam, sed per proprietatem dumtaxat illum definiret.

II. Dato quòd essentialis definiatur libertas, sensus adductæ definitionis est, quòd potentia liberè operans positis omnibus ad agendum prærequisitis sic agat, ut quantùm est ex parte modi agendi, etiam possit non agere, cùm modus ille sit contingens.

Refellitur prima evasio auctoritate S. Th. q. 24. de veritate art. 4. ubi quærens S. Doctor, *Utrum liberum arbitrium sit potentia vel non*, respondet esse potentiam, & id ipsum probat in secundo argumento *Sed contra*, hoc discursu: *Hoc videtur inter potentiam & habitum distare, quòd potentia quæ se ad opposita habet, per habitum determinatur ad unum: sed liberum arbitrium nominat aliquid ad opposita se habens, nullo modo determinatum ad unum; ergo liberum arbitrium est potentia & non habitus.* Quòd verò mens S. Doctoris sit assignare id quod est potentiæ liberæ essentiale, manifestum est ex responsione ad 12. ejusdem articuli argumentum, quod petitur ex auctoritate S. Aug. dicentis, *quòd liberum arbitrium est vitalis & rationalis animæ motus. Sed motus actum nominat; ergo liberum arbitrium est actus & non potentia.* Respondet: *quòd Augustinus definit liberum arbitrium per actum proprium, eò quòd potentiæ per actus cognoscuntur. Unde prædicatio illa non est essentialis, sed causalis.* Ergo altera prædicatio qua liberum arbitrium dicitur potentia ad opposita, essentialis est juxta S. Th. In hoc enim actus à potentia distinguitur, quòd actus sit effectus accidentalis potentiæ, per quem ipsa dignoscitur; ipsa verò aptitudo proxima ad actum, sit essentialis potentiæ, imò sit ipsamet realiter potentia. Cùm ergo essentiale sit libero arbitrio ut sit ad opposita, hæc aptitudo seu potentia ad opposita planè libero arbitrio est essentialis.

T. 12. p. 859. co. 2. E.

Ibid. p. 860. co. 2. B.

Ib. col. 1. B.

Ibid. p. 861. co. 2. B.

Idem Sanctus Doctor q. 16. de malo art. 5. in corpore, postquam retulit errorem Origenis existimantis cujuslibet creaturæ liberum arbitrium in quolibet statu esse vertibile ad bonum, & malum, statim sic prosequitur: *Considerandum est autem, quòd hic Origenis error ex hoc provenit, quòd non rectè consideravit quid per se pertineret ad liberi arbitrii potestatem, sine qua*

Ibid. p. 354. co. 2. E.

homo in nullo ſtatu inveniturꝰ. Immediatè poſt ſubjungit tres modos indifferentiæ, unum contradictionis, *ſecundùm differentiam rerum*, quas poteſt quis velle, & non velle. Alterum contrarietatis, *ſecundùm differentiam boni & mali*. Et tertium mutabilitatis, *ſecundùm differentiam mutationis*, qua quis unum & idem pro eodem tempore non vult, quod priùs volebat. Primum ergo modum indifferentiæ aſſerit pertinere ad rationem liberi arbitrii per ſe, ita ut ſine illo, in nullo ſtatu ſubſiſtere poſſit. *Secundum autem & tertium per accidens tantùm, in quantum invenitur liberum arbitrium in natura deficere potenti, & in natura mutabili.*

Ibid. p. 353. co. 1.

Ergo non exiſtimat Angelicus Doctor, poteſtatem ſeu aptitudinem ad agendum cum indifferentia contradictionis, eſſe accidens ſeparabile à ratione eſſentiali liberi arbitrii, qua tale eſt; ſed potius ita per ſe ad illam pertinere, ut ſine hujuſmodi aptitudine intelligi non poſſit.

Secunda reſponſio planè nobis favet, ac videtur eſſe in Vincentio Lenis erroris retractatio. Si enim potentia poteſt ſemper non agere, ſaltem quantùm eſt ex parte modi agendi, neceſſe eſt fateri modum illum eſſentialem eſſe omni actioni liberæ; atque actus proceſſionis Spiritus ſancti, & amoris beatifici vel non eſſe liberos, vel ex parte modi agendi liberos eſſe, qui proinde poſſint non eſſe: primum negat paſſim in ſuo Opere Vincentius, & negare debet ſi ſuis ſtare velit principiis; omne ſcilicet voluntarium ex plena & perfecta cognitione eſſentialiter liberum eſſe: alterum verò quomodo conciliari poſſit cum fide Catholica, non ſatis intelligimus: quaſi Pater & Filius abſtinere poſſent ab illo modo quo ſpirant Spiritum ſanctum; hoc eſt, ab illa ſpontanea effuſione voluntatis qua ſeſe mutuò diligendo Spiritum ſanctum producunt. Inde enim ſequeretur Spiritum ſanctum creaturam eſſe, à qua nempe producenda poſſent Pater & Filius ſe abſtinere.

Dices 1. Ut ſalva & integra remaneat libertas, ſufficit potentia remota ad oppoſita, nec proxima requiritur; hoc eſt, ſufficit quòd abſolutè & ſublata præſenti ad unum determinatione, homo poſſit ad oppoſitum ſe convertere; per illam quippe remotam facultatem homo ſufficienter diſtinguitur à creatura irrationali, in qua nulla eſt hujuſmodi ne remota quidem facultas.

Reſp. nego ant. Talis enim requiritur potentia qualis libertas: ſed libertas debet eſſe proxima, id eſt proximè ac relativè expedita ab omni vinculo ſeu impedimento: hoc enim ſtante, facultas actu libera dici non poteſt. Illudunt profectò cùm ajunt, ſublato illo vinculo, hoc eſt, neceſſitate ad unum hic & nunc determinante, proximè tunc liberam futuram eſſe facultatem. Quid enim, rogo, id ſignificat, niſi pro illo inſtanti neceſſitatis liberam non eſſe facultatem, ſed in alio liberam futuram eſſe? Nihil abſurdius ac ridiculum magis proferi poteſt. Quæſtio enim eſt de libertate actionis, hic & nunc ponendæ, quæ prorſus nulla eſt, ſtante illo vinculo, ſeu determinatione ad unum.

Ad probationem ſubjunctam, diſtinguo: per poteſtatem remotam ſufficienter differt homo in ratione agentis liberi à bruto, libertate radicali, eſto: libertate proxima, de qua hic agitur, nego.

Dices 2. Poteſt eſſe libera determinatio ad aliquid, ſine proxima ad oppoſitum potentia, quia iſta proxima potentia eſſe non poteſt, niſi quo inſtanti fit actio, adſit indifferentia judicii quæ repræſentet conveniens eſſe ut actio non fiat: atqui ſæpiſſimè contingit talem non adeſſe indifferentiam judicii,

judicii, quo inſtanti voluntas ſe ad agendum determinat; ergo tunc non eſt potentia proxima ad oppoſitum. Eſt tamen actio libera : ergo ſtat libertas actionis ſine potentia proximè expedita ad oppoſitum.

Reſp. nego ant. Ad probationem, falsò prorſus ſupponitur illam indifferentiam judicii adeſſe debere quo inſtanti fit actio ; imò implicat illam adeſſe. Actio quippè fit, quia voluntas ex judicio rationis ad id ſe determinat quod hic & nunc conveniens judicatur ; ſufficit ergo ad libertatem actionis illa præcedens judicii indifferentia, qua rei bonitas apprehenditur ut non neceſſariò amanda, ſed talis, ut eam voluntas proſequi poſſit vel non proſequi: quo verò inſtanti determinat ſe ſe ad illius rei amorem, procul dubio non adeſt judicium illud rationis practicum dictans rem amandam non eſſe; aliàs illam non amaret, quod eſt contra hypotheſim.

SECUNDA RATIO.

Omnis actio libera procedit à voluntate ut voluntas eſt, non à voluntate ut natura eſt.

Trita & vulgata hæc eſt D. Thomæ ſententia, voluntatem ſpectari poſſe vel ut eſt formaliter voluntas, vel ut eſt natura. Quatenus voluntas, non eſt ad unum determinata, ſed planè indifferens ad oppoſita: quatenus verò natura eſt, ſeu ut agit per modum naturæ, hoc eſt naturalis inclinationis à Deo naturæ auctore inditæ, ad unum neceſſariò determinata eſt. Ita in divinis, voluntas Patris & Filii determinata eſt ad productionem Spiritus ſancti: voluntas hominis determinata eſt ad amorem beatitudinis in communi. Audiatur S. Thomas 1. p. q. 41. art. 2. ubi quærit, *Utrum actus notionales in Deo ſint voluntarii*: in corpore articuli, *Dicendum*, inquit, *quòd Deus Pater non genuit Filium voluntate, ſed voluntate produxit creaturam . . . . Et hujus ratio eſt: quia voluntas & natura ſecundùm hoc differunt in cauſando, quòd natura determinata eſt ad unum; ſed voluntas non eſt determinata ad unum*. Et paulò poſt. *Eorum igitur voluntas principium eſt quæ poſſunt fic, vel aliter eſſe. Eorum autem quæ non poſſunt niſi ſic eſſe, principium natura eſt*. Ex quo principio concludit, *id quod poteſt fic vel aliter eſſe, longè eſſe à natura divina, ac pertinere ad rationem creaturæ*.

Quæſtione 22. de veritate art. 5. in corp. *Natura & voluntas*, inquit, *hoc modo ſunt ordinata, ut ipſa voluntas quædam natura ſit, quia omne quod in rebus invenitur, natura quædam dicitur. Et ideò in voluntate oportet invenire, non ſolùm id quod voluntatis eſt, ſed etiam quod naturæ eſt: hoc autem eſt cujuslibet naturæ creatæ, ut à Deo ſit ordinata in bonum naturaliter appetens illud. Unde & voluntati ipſi ineſt naturalis quidam appetitus ſibi convenientis boni ; & præter hoc habet appetere aliquid ſecundùm propriam determinationem, non ex neceſſitate, quod ei competit in quantùm voluntas eſt*. P. 12. p. 828. col. 1. C.

Ibidem in reſponſione ad 5. in contrarium, ait, *quòd voluntas in quantùm eſt rationalis, ad oppoſita ſe habet; hoc enim eſt conſiderare ipſam ſecundùm hoc quod eſt ei proprium: ſed prout eſt natura quædam, nihil prohibet eam determinari ad unum*. Ibid. p. 829. col. 2. C.

Rurſus q. 2. de potentia art. 3. in corp. *Voluntas*, inquit, *in quantùm*,

Ibid. p. 16. col. 2. E. voluntas, cùm sit libera, ad utrumlibet se habet. Potest enim voluntas agere vel non agere, sic vel sic facere, velle & non velle. Et si respectu alicujus, hoc voluntati non conveniat, hoc accidet voluntati, non in quantùm voluntas est, sed ex inclinatione naturali quam habet ad aliquid, sicut ad finem ultimum quem non potest non velle, sicut voluntas humana non potest non velle beatitudinem, nec potest velle miseriam.

Ex his sic facilè arguitur: Omnis actio libera formaliter & quatenus libera debet esse à voluntate quatenus voluntas est, non autem à voluntate quatenus natura est: atqui voluntas quatenus voluntas est, nulla necessitate ad unum est determinata, sed ad oppositа indifferenter se habet, ait S. Thomas; ergo omnis actio libera formaliter & quatenus libera, fluit à voluntate quatenus est facultas expedita ad oppositа.

At, inquies, nonne satis est ad rationem voluntatis, etiam ut voluntas est, quòd agat ex perfecto rationis judicio; Porrò etiam cùm necessariò agit, ex ipso nihilominus agit prævio rationis judicio.

Resp. nego ant. Cùm enim voluntas sit appetitus rationalis, etiam cùm necessariò agit, ex judicio rationis agit, non tamen liberè, quia non est expedita nec indifferens ad oppositа, quam conditionem planè facultati liberæ essentialem esse docet S. Thomas. Unde in opere voluntatis distingui debet id quod ad substantiam operis pertinet, ab eo quod spectat ad modum operis: ad substantiam ejus spectat quòd voluntas ex judicio rationis operetur, cùm ipsa sit, ut dictum est, appetitus intellectualis; ad modum autem spectat quòd agat vel cum determinatione ad unum, vel cum indifferentia. Nusquam verò libera dici potest actio, quando voluntas est ad agendum necessitate determinata.

Dices 1. Actus voluntatis necessarii solùm procedunt à voluntate naturaliter: at idem non est procedere à voluntate naturaliter, & procedere à voluntate per modum naturæ; ergo falsò asseritur hujusmodi actus procedere à voluntate quatenus natura est.

Minor probatur ex S. Thoma qu. 10. de potentia art. 2. ad 4. ubi distinguit agere naturaliter, & agere per modum naturæ: aitque voluntatem aliquid agere naturaliter, non autem per modum naturæ. *Dicitur enim*, inquit, *ali-*

Ibid. p. 179. co. 1. D. *quid produci naturaliter, propter naturalem habitudinem, quam habet ad suum principium; per modum verò naturæ produci dicitur, quod producitur ab alio quo principio sic producente, sicut natura producit:* Hoc est, ait Vincentius Lenis in Theriaca Lib. 1. cap. 2. effræni & impotenti quodam impetu.

Resp. nego min. Ad probationem ex S. Thoma dico manifestè patere solutionem ex ipsius instituto. Expenditibi discrimen processionis Verbi in divinis, & processionis Spiritus sancti: utramque ait esse à sua propria potentia naturaliter, sed unam tantùm, nempe processionem Verbi, esse per modum naturæ, hoc est formaliter in similitudinem naturæ. Itaque eò loci, procedere per modum naturæ non significat procedere cum naturali determinatione ad unum, sed procedere in similitudinem naturæ. Si enim procedere per modum naturæ significaret, citato loco, procedere cum effræni & impotenti quodam impetu, certè concludendum esset, existimasse S. Thomam Verbum in Deo procedere cum effræni & impotenti quodam impetu: quis tantam absurditatem, imò impietatem Sancto Doctori tribuerit?

Dices

Dices 2. Actus voluntatis ſi neceſſarii, de quibus loquimur, ſunt perfectè voluntarii; ergo non procedunt à voluntate per modum naturæ. Probatur. Quia perfectè voluntarium dividitur contra naturale.

Reſp. cum S. Th. q. 22. de veritate art. 5. ad 6. in contrarium, ubi idem argumentum proponit & ſic ſolvit: *Ad ſextum dicendum, quòd voluntas dividitur contra appetitum naturalem cum præciſione ſumptum, id eſt, qui eſt naturalis tantùm, ſicut homo contra id, quod eſt animal tantùm: non autem dividitur contra appetitum naturalem abſolutè, ſed includit ipſum, ſicut homo includit animal.* Sic ergo dicimus actus neceſſarios voluntatis eſſe perfectè voluntarios, & nihilominus procedere à voluntate per modum naturæ, ſeu eſſe naturales: non tamen naturales tantùm, ſed cum præciſione; ſuperaddendo propriam differentiam perfecti voluntarii, ex eo nempe quòd procedant ex perfecto judicio rationis. *Ibid. p. 819 col. 2. D.*

TERTIA RATIO.

Omnis actio libera dirigi debet judicio rationis libero ſeu indifferenti.

Cùm voluntas non feratur in incognitum, neceſſe eſt eam ad agendum dirigi prævio rationis judicio libero ſeu indifferentia; id eſt, quod repræſentet objectum non ut neceſſariò amandum, ſed tale, ut illud voluntas aut proſequi, aut non proſequi poſſit. Hinc ſi arguimus.

Omnis actio verè libera dirigi debet judicio libero ſeu indifferenti: ſed actio voluntatis neceſſaria non dirigitur judicio libero ſeu indifferenti, cùm procedat ex judicio ab intrinſeco determinato ad unum, quod circa tale objectum aliter ſe habere non poteſt, ut patet in judicio dirigente productionem Spiritus ſancti & amorem beatificum; ergo actio voluntatis neceſſaria ſeu ad unum determinata, non eſt verè libera.

Totum iſtud argumentum ex doctrina S. Thomæ colligitur.

Quæſtione 24. de veritate art. 2. quærens *utrum in brutis ſit liberum arbitrium*, in corpore articuli ſtatim principium iſtud fundamenti loco ſtatuit: *Tota ratio libertatis ex modo cognitionis dependet.* Et paulò poſt: *Totius libertatis radix eſt in ratione conſtituta.* Tùm verò ſic pergit. *In brutis eſt quædam ſimilitudo liberi arbitrii, in quantùm poſſunt agere vel non agere unum & idem ſecundùm ſuum judicium, ut ſic ſit in eis quaſi quædam conditionata libertas; poſſunt enim agere, ſi judicant eſſe agendum, vel non agere ſi non judicant. Sed quia judicium eorum eſt determinatum ad unum, per conſequens & appetitus & actio ad unum determinatur. Unde ſecundùm Auguſtinum 11. ſuper Geneſim ad litteram, moventur viſis; & ſecundùm Damaſcenum, aguntur paſſionibus; quia ſcilicet naturaliter de tali viſo & tali paſſione ſic judicant; unde neceſſe habent ab ipſa viſione alicujus rei vel paſſione inſurgente moveri ad fugiendum vel proſequendum: ſicut ovis viſo lupo neceſſe habet timere & fugere; & canis, inſurgente paſſione iræ, neceſſe habet latrare & proſequi ad nocendum. Sed homo non neceſſariò movetur ab his quæ ſibi occurrunt, vel à paſſionibus inſurgentibus; quia poteſt ea accipere vel refugere; & ideo homo eſt liberi arbitrii, non autem bruta.* Ita ſanctus Doctor totam libertatem hominis revocat ad indifferentiam judicii, quo ſcilicet ipſi objecta repræſentantur, non ut neceſſariò proſe- *T. 12. p. 858. col. 1. C. Ib. E. Ib. col. 2. A.*

quenda, vel ut necessariò fugienda, sicut contingit in brutis; sed ut prosequenda vel fugienda indifferenter. Existimat igitur, in tantùm actus ejus verè liberos esse, in quantùm diriguntur judicio libero seu indifferenti, & non determinato ad unum.

Ibid. D. Et in responsione ad 3. *Quamvis*, inquit, *sit indifferentia ad agere & non agere in bruto, considerata ipsa actione secundùm seipsam, tamen considerato ordine ejus ad judicium à quo provenit, quod est determinatum ad unum, etiam ad ipsas actiones obligatio quædam derivatur, ut non possit in eis inveniri ratio libertatis absolutè.*

Ibid. p. 856. co. 1. B. Articulo 1. ejusdem q. 24. de veritate in corpore sic concludit: *Et ideo* (homo) *est liberi arbitrii; ac si diceretur liberi judicii de agendo vel non agendo.*

T. 11 p. 1. p. 200. co. 2. B. Denique Lib. 2. ad Annibaldum dist. 24. q. unica art. 2. ad idem propositum sit docet: *Respondeo dicendum, quòd quædam sunt res quæ operantur absque judicio, sicut inanimata: quædam verò cum judicio, sed non libero, imò ex ipsa natura determinato ad unum, sicut bruta, quæ ex naturali æstimatione, unum appetunt & aliud refugiunt. Homo verò & judicium de suis operibus habet, & libertatem in judicando: quæ quidem libertas provenit, tùm ex ratione, quæ ad opposita vim habet, tùm ex voluntate quæ non est determinata ad unum: unde homo est dominus sui judicii, quia potest sic vel aliter judicare de agendis; & pro tanto dicitur esse liberi arbitrii.* Nihil clarius, expressius nihil proferre potuit sanctus Doctor.

Neque dicas Sanctum Doctorem his in locis loqui de libertate dumtaxat accidentali, non verò essentiali. Namque expresè agit de radice *totius libertatis* citata q. 24. de veritate art. 2. Ergo etiam de libertate essentiali.

Nec dicas 2. Sanctum Doctorem ab actione libera excludere non qualecumque judicium ad unum determinatum, sed illud dumtaxat quod est à natura determinatum, quale nullum invenitur in actibus necessariis naturæ intellectualis: licèt enim sit ad unum determinatum, non à natura, sed à ratione determinatum est.

Ne, inquam, id dicas: excludit enim Sanctus Doctor à libertate omne judicium determinatum ad unum, etiam à natura rationali; hoc est ab ipso Deo auctore naturæ, quale est v. g. judicium quo quisque necessariò judicat amandam esse beatitudinem. Hanc esse S. Thomæ mentem patet manifestè ex 4. Sent. dist. 49. q. 1. art. 3. in solutione ad 1. *Ad primum*, inquit, *dicendum, quòd potentia rationalis se habet ad opposita in his quæ ei subsunt; & hæc*

T. 10. p. 792. co. 2. E. *sunt illa quæ per ipsam determinantur. Non potest autem in opposita illorum quæ sunt ei ab alio determinata; & ideo voluntas non potest in oppositum ejus ad quod ex divina impressione determinatur, scilicèt in oppositum finis ultimi. Potest autem in oppositum illorum quæ ipsa sibi determinat; sicut sunt ea quæ ordinantur in finem ultimum, quorum electio ad ipsam pertinet.*

Dices: Ad veram libertatem actus sufficit tale judicium ut operans possit super illud reflecti: at super quodlibet judicium quantumvis determinatum potest operans intellectuale reflecti, si cum perfecta advertentia illud eliciat; ergo judicium indifferens ad veram libertatem actus non requiritur.

Minor expressa est doctrina S. Th. citata q. 24. de veritate art. 2. in corp.

Resp. dist. maj. Ut operans possit super illud reflecti practicè, id est, judicare

judicare an debeat objectum prosequi vel non, concedo: reflecti speculativè tantùm, hoc est, cognoscere suum judicium, ejusque causas & rationes, nego. Tale scilicet ad libertatem actus judicium requiritur, quod junctum sit cum indifferentia voluntatis ad agendum vel non agendum.

QUARTA RATIO.

Omnis actus verè liber debet esse sub potestate seu dominio operantis.

Ita significant sacræ Litteræ Gen. 4. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Et 1. ad Conrinth. 7. *Non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis.* Hinc sic arguimus: Omnis actus verè liber debet esse sub potestate seu dominio operantis; sed actus omnino necessarii, de quibus hic agitur, non sunt sub potestate seu dominio operantis, à quibus liberum ipsi non est abstinere; ergo non sunt verè liberi.

Argumentum istud ex Augustino antea probavimus. Juvat idem ex S. Thoma jam demonstrare, 1. p. q. 82. art. 1. ubi quærit, *utrum voluntas aliquid ex necessitate appetat*, sibi tertio loco objicit: *Secundùm voluntatem sumus domini nostrorum actuum: sed ejus quod ex necessitate est non sumus domini; ergo actus voluntatis non potest de necessitate esse.* Ad quod sic respondet: *Dicendum quòd sumus domini nostrorum actuum, secundùm quod possumus hoc vel illud eligere. Electio autem non est de fine, sed de his quæ sunt ad finem; unde appetitus ultimi finis non est de his quorum domini sumus.* Supponit hic manifestè sanctus Doctor veritatem majoris & minoris argumenti nostri: nempe actum liberum illum esse, cujus operans dominium habet, seu quem potest elicere vel non; actum verò necessarium idcirco liberum non esse, quia illius operans dominium non habet, quem proinde suspendere seu cohibere non potest. Talis est appetitus finis ultimi, seu beatitudinis in genere: talis in Deo actus generationis Filii, & spirationis Spiritus sancti. Quantùm verò ad alios actus divinos qui circa creaturas occupantur, licèt in eos ratione substantiæ propriè ac strictè loquendo Deus non habeat potestatem seu dominium, habet tamen ratione termini, seu terminationis ad objecta creata, quatenus scilicet liberè Deus omnia creavit, quæ potuit non creare.

1. 2. q. 6. art. 2. ad 2. docet, hominem idcirco *dominum esse suî actus, quòd habet deliberationem de suis actibus. Ex hoc enim quòd ratio deliberans se habet ad opposita, voluntas in utrumque potest.* Quid clarius? Nonne idem prorsus ac si diceret, hominem non habere dominium, nisi ratione potestatis ad oppositum?

Ibidem qu. 21. art. 2. ad 1. *Actus naturales*, inquit, *non sunt in potestate naturalis agentis, cùm natura sit determinata ad unum.*

Denique qu. 22. de veritate art. 5. ad 7. in contrarium, *Proprium*, inquit, *est voluntatis, in quantùm voluntas est, quòd sit domina suorum actuum.* T. 12. p. 219. col. Si ergo dominium est proprium voluntatis, in quantùm voluntas est; 2. D. sanè non competit voluntati in quantùm natura est, quatenus scilicet agit ex necessitate ad unum determinante.

QUIN-

QUINTA RATIO.

Hæretici humanæ libertatis hostes, non coactionem, sed simplicem necessitatem, seu invincibilem ad unum determinationem admiserunt, & idcirco proscripti sunt ab Ecclesia.

Si veteres Hæretici, quotquot ob violatam hominis libertatem ab Ecclesia proscripti sunt, non coactionem, sed simplicem dumtaxat necessitatem, seu invincibilem ad unum determinationem admiserunt; procul dubio ea est Ecclesiæ mens atque sententia, stare non posse libertatem cum illa simplici necessitate; adeoque veteres illos Hæreticos propter illam, quam asserebant, simplicem necessitatem, non verò propter coactionem, damnatos fuisse; ac consequenter pari cum ipsis sententia damnationis involvi eos omnes qui libertatem cum illa necessitate conciliari arbitrantur.

Porrò veteres illos Hæreticos, Astrologos, Stoicos, Manichæos, & alios omnes qui ex divina præscientia necessitatem humanis actibus imponi asseruerunt, non veram coactionem, sed unam tantùm simplicem admisisse necessitatem, (quamquam, ut ipitio hujusce disputationis observavimus, ex causa diversa profluentem) res est per se clara & manifesta, de qua jam diximus inter probationes ex S. Augustino, Argumento primo.

I. Agnoscit ipsemet Jansenius, imò & Lutherus, fieri non posse ut voluntas in suis actibus internis & elicitis cogatur; quia fieri non potest ut actio voluntatis non sit voluntaria. *Implicat contradictionem*, ait Jansenius Lib. T. 3. p. 262. col. 1. A. 6. de Gratia Salvat. cap. 5. *ut voluntas non sit libera, sicut implicat ut volendo non velimus, aut non faciamus quod volumus; hoc est, ut voluntas non sit voluntas.*

Et Lutherus Lib. de servo arbitrio. *Voluntas mera lubentia & pronitate ac sponte sua vult & facit, non coactè, pro natura voluntatis, quæ si cogeretur, voluntas esset.* An verò tam stupidos & habetes fuisse dicemus veteres illos Hæreticos, ut id ignoraverint, quod impossibile prorsus esse, vel simplex naturæ voluntatis notio cuicumque suggerit?

II. Fatalem à stellis necessitatem humanæ voluntati imprimi putaverunt Astrologi, Stoici &c. Quæ porrò est illa necessitas? an veræ coactionis, ita ut voluntas coacta & nolens velit? absurdum id profectò & contradictionem involvit. Ergo id unum per fatalem illam necessitatem contendebant, nempe humanam voluntatem vi syderum ad unam partem addici, quam voluntariè quidem, sed tanta necessitate amplectitur, ut se se ad alteram flectere non possit; atque adeo eum qui v. g. sub Venere natus sit, ad libidinem, eum qui sub Mercurio, ad furtum, insita quadam sed ineluctabili necessitate pertrahi: non quòd spontanea & voluntaria propensione ad libidinem & furtum non feratur, sed quòd inclinationem illam cohibere ac suspendere non possit; atque ad hoc non vera coactio requiritur, sed una simplex sufficit necessitas antecedens; qua suppositâ, æque certò ac sine erroris periculo poterant illi Astrologi seu Mathematici futuras hominis actiones prædicere. Finge enim eandem nobis ab astris necessitatem imponi, quam clara Dei visio ad amandum Deum Beatis imponit; nonne illa, etsi voluntas-

luntarii rationem non tollat, satis erit Astrologis ut futura certò augurentur?

Ita sensisse veteres illos Hæreticos testatur Eusebius Lib. 6. de præparatione Evangelica cap. 6. ubi aliquem eorum opinione imbutum sic loquentem inducit. *Fiet illud omnino, si fatum meum ita tulerit. Quorsum autem frustra molestus mihi sim?* Hunc si officii sui admoneas, *referet utique monitori suo, quemadmodum nonnullis, qui superiori memoria vixere, contigit: Ad quid hæc tu mihi monita, bone vir? Nec enim integrum mihi est mentem hanc consiliumque mutare, quando jam fatum occupavit. Quid me porrò juvet contendere, ubi ne optandi quidem facultas arbitriumque relinquitur, nisi optare fatum quoque mihi sit? Optabo verò si fatum erit, ut mihil præcipias, ipsemet fati necessitate adactus. Cur ergo frustra molestus tibi es? Urget nimirum eadem te necessitas, atque ut ista mihi suadeas omnino cogit. At quorsum hæc in re tantum stolidii? cassa quippe & inutilis cohortatio tua est. Nam in rem ipsemet incumbam ultro, si fatum erit: sin autem, inanis est utriusque contentio.* Qui sic loquitur non alia se necessitate devinctum putat, quàm quæ voluntatem uni parti sic alligat, ut ab ea expedire se non possit; quia non potest velle se ab ea expedire. P. 243. C. It. D.

Quàm aptè tota hæc oratio repræsentat Jansenianam ex delectatione superiori promanantem necessitatem! Quippe si loco fati delectationem illam substituas, mirè consentiunt omnia. Ut enim ex fato pendet humanarum actionum conditio; ita ex delectatione sine qua voluntas moveri nullatenus potest. Ut fatum non est in potestate hominis; ita nec superior delectatio, cùm sit motus indeliberatus. Ut homo id semper ac necessariò agit, quod est fato præscriptum; ita & id ad quod superiori delectatione indeliberata rapitur: secundùm enim id necesse est nos operari, quod ampliùs nos delectat. Ut fati necessitas hoc sensu dicitur voluntaria, quia voluntas id sponte, tametsi necessariò, vult, ad quod volendum fato compellitur: *In rem ipsemet incumbam ultro, si fatum erit*, ait ille apud Eusb. loco mox citato; ita pariter necessitas quæ ex delectatione superiori imponitur, voluntaria est, quia voluntas sponte, tametsi necessariò, id vult quod eam magis delectat. Ut fato ad unum propellente, alio fato opus foret, ut voluntas ad oppositum posset inclinari; ita pariter delectatione superiori v.g. concupiscentiæ ad malum inclinante, voluntas contraria & superiori opus habet delectatione ut bonum velle possit; & sicut stante fato ad unum, non stat expedita libertas ad oppositum, ita stante delectatione ad unum applicante, non stat libera & expedita facultas ad oppositum. *Quid me porrò juvet contendere*, ait idem apud Eusebium, *ubi ne optandi quidem facultas arbitriumque relinquitur, nisi optare fatum quoquo mihi sit?* Comparatur fatum delectatione superiori Jansenistæ.

Denique, ut fato ad unum alligante frustra est ad oppositum exhortatio & suasio, *quia*, inquit idem, *integrum mihi non est mentem consiliumque mutare, quando jam fatum occupavit*; ita quoque per superiorem delectationem inclinata ad unum voluntate, frustra tentares eam adhortationibus tuis in oppositum inflectere, quia integrum ipsi non est mentem consiliumque mutare, quando jam superior occupavit delectatio, quæ nisi alia superiori eaque indeliberata vincatur, nunquam ad oppositum ferri potest: *Cassa quippe*, pergit idem, *& inutilis cohortatio tua est. Nam in rem ipsemet incumbam ultro, si fatum*, (si delectatio) *erit. Sin autem; inanis est utriusque contentio.*

Per fatum, non coactionem propriè dictam, sed necessitatem dumtaxat inclu-

ineluctabilem induci existimabat procul dubio S. Augustinus, cùm Lib. 2. contra Faustum cap. 5. dicebat: *Et nos quidem sub fato stellarum nullius hominis genesim ponimus, ut liberum arbitrium voluntatis, quo benè vel malè vivitur, propter justum judicium Dei ab omni necessitatis vinculo vindicemus. Nemo enim*, ait idem sanctus Doctor Lib. de duabus animabus c. 11. *vituperio suppliciove dignus est, qui id non faciat, quod facere non potest*, aut faciat id quod non potest non facere.

T. 8. p. 188. E.

Ib. p. 85. F. G.

III. Nemo nescit Manichæos tanquam violatæ & extinctæ libertatis reos damnatos fuisse. Quam porrò illis necessitatem admittebant? an coactionis, an eam quæ simplex dicitur? Mirum profectò quantum à sententia illorum abhorreat illa voluntatis coactio. Statuebant enim duas esse in nobis animas, bonam alteram, alteram malam, quæ ita perpetuò confligerent, ut si vinceret bona, sponte quidem, sed necessariò ad virtutem inclinaret, si mala, etiam sponte, sed pari necessitate in vitium præcipitaret. Vide S. Augustinum Lib. 1. Retract. cap. 15. ubi Manichæorum sententiam exponit ex quo Manichæorum dogmate liberi arbitrii totale excidium sequi Patres & Concilia proclamant. At quis non videt, nihil illud officere libertati à coactione, eamque solam lædere, quæ necessitati seu determinationi ad unum opponitur? Nam animæ illæ duo erant domestica principia, quæ actus suos necessariò quidem, at sponte deprompebant. Et sanè id unum contendebant Manichæi, bonam animam eadem necessitate virtutem amplecti, qua Deus ipse, cujus illam fragmentum esse delirabant, bonum amat: item malam animam eadem necessitate in vitium ruere, qua malum principium, à quo decisam esse fingebant, in malum fertur.

Porrò necessitas illa, qua Deus necessariò bonum amplectitur, & qua malum principium, si daretur, necessariò malum amaret, non est interna coactio, sed necessitas dumtaxat simplex, & ad unam partem determinatio; igitur Manichæi non coactionem, sed simplicem tantùm necessitatem induxerunt. Sic invictè Calvinum premebat Ruardus Tapperus articulo 7. eumque extinctum cum Manichæis liberi arbitrii reum convincebat. *Hanc*, inquiebat, *voluntatis libertatem, quæ coactionem excludit.... nec Manichæi, nec Valla, nec ulli hæretici negaverunt; noverunt enim inseparabilem esse à voluntate. Non enim docebat Manichæus, quòd voluntas violenter externo motu invita trahitur ad bonum vel malum; sed quòd homo ea parte quam à malo habeat principio, sponte sua & voluntate ferebatur in malum; parte verò alia quæ à Deo est, in bonum, sed necessariò: ita ut secundùm illam bonum eligere non posset, nec malum secundùm istam.*

Ed. Lovan. 1565. T. 2. p. 270.

Quàm porrò benè consentiat Jansenius cum Manichæis in convellenda libertate arbitrii, difficile non est demonstrare. Liberum arbitrium Manichæi tollebant, quia ineste homini duas animas fabulabantur, quæ in perpetuò luctarentur inter se atque confligerent, ut si bona vinceret, nos ad virtutem necessariò pertraheret; si victrix evaderet mala, pari necessitate præcipites ageret in vitia.

Confertur sententia Janseniicum Manichæa.

Jansenius verò Lib. 4. de Gratia cap. 5. & 9. docet, *esse in nobis luctam duarum delectationum terrenæ & cœlestis; atque hominem quamdiu in hac vita post acceptam gratiam militat Deo, alternante creaturæ & Creatoris delectatione nunc rectè, nunc perperam facere, prout Cœli aut terræ delectatio consensum ejus abripuerit*; quem necessariò exprimit illa, quæ victrix est ac supe[r]ior: *Quod enim*

T. 3. p. 173. & 185.

enim ampliùs delectat, secundùm id operemur neceſſe eſt. Atque ut omnes intelligant, qua neceſſitate voluntatis conſenſum eliciat victrix delectatio, ait illi eſſe perſimilem, *quo ardentiſſimè voluntas Deum in Cælo diligit, atque ita immobiliter diligit ut peccare non poſſit*. Vides nullum inter utramque opinionem diſcrimen eſſe quod ad rem noſtram pertineat: nam ambæ eamdem neceſſitatem ſive ab anima duplici, ſive à gemina delectatione fluere arbitrantur. *p. 185. col. 2. B.*

Liceat igitur cum Eſtio in 2. diſt. 7. paragr. 7. concludere, *arbitrii libertatem, quam contra Hæreticos veteres & novos defendit Eccleſia, conſiſtere in facultate eligendi utrumlibet oppoſitorum*. *To. 1. part. 2. p. 64. col. 1. E.*

Fruſtra Calvinus, ut ſuam à Manichæa ſententiam disjungat, reponit. Lib. 5. in Pighium, neceſſitatem illam Manichæam à concreata & eſſentiali ſeu bonitate ſeu malitia hominis profluere, ſuam verò ex naturæ corruptione. Inde quippe oſtenditur diverſam quidem eſſe cauſam ſeu originem unde neceſſitas illa fluit; ſed eandem eſſe neceſſitatem ſimplicem, non coactionem propriè dictam ſemper ſtat inconcuſſum: atque idcirco veteres illos Hæreticos Eccleſia proſcripſit, quòd ſimplicem illam neceſſitatem, ſeu ad unum invincibilem determinationem inducerent, ex quacumque tandem cauſa & origine illam derivarent. *Inter Opuſc. p. 303.*

Licèt Janſenius hanc Calvini reſponſionem aliquando probet, ſæpius tamen aliam inſinuat: nimirum hoc ſe à veteribus Hæreticis diſſidere, quòd illi propriè dictam coactionem inducerent, *quæ nobis nolentibus, invitis & coactis operatur effectum ſuum*, ait Lib. 6. de Gratia Chriſti cap. 6. ipſe verò ſimplicem dumtaxat neceſſitatem. Verùm, neceſſe eſt fateatur Janſenius, omnes illos veteres Hæreticos mente ac ratione planè deſtitutos fuiſſe, qui talem admiſerint coactionem, quam Janſenius ipſe fatetur prorſus impoſſibilem eſſe, nec in voluntatem cadere unquam poſſe: præſertim cùm ejuſmodi coactionem ab iis pariter inductam eſſe contendat, qui ex Dei præſcientia rebus futuris neceſſitatem imponi arbitrabantur; quos certè ab illo figmento alienos plurimùm fuiſſe jam demonſtrandum nobis eſt. *T. 3. p. 264. & ſeq.*

III. Certum eſt multos ex veteribus in eo errore verſatos eſſe, ex Dei ſcilicet præſcientia humanum tolli liberum arbitrium. Non minùs certum illos non coactionem, ſed ſimplicem dumtaxat ex divina præſcientia rebus neceſſitatem inferri, docuiſſe. Ergo in eorum damnatione involvuntur quicumque libertatem collocant in immunitate à coactione, non verò à ſimplici neceſſitate.

Antecedens probatur.

I. ex argumentis quibus illi contendebant ſtare non poſſe liberum arbitrium cum Dei præſcientia.

Unum eſt: Quia quod neceſſariò fit nec poteſt non fieri, non eſt liberum: ſed quod ſubeſt certæ & infallibili præſcientiæ Dei, non eſt liberum. Ita Marcion apud Tertull. Lib. 2. contra eundem; & Cicero apud Auguſtinum Lib. 5. de Civitate Dei c. 9.

Alterum eſt: Quia res à Deo præſcita non poteſt aliter atque aliter ſe habere; alioqui præſcientia divina falli poteſt; ergo res à Deo præſcita non poteſt eſſe libera. Ita Vvicleſus apud Valdenſem. Idem argumentum ut difficillimum proponit Evodius S. Auguſtino Lib. 3. de libero arbitrio cap. 2. *Ineſfabili-*

To. 1. pa. 611. C. D. *fabiliter*, inquit, *me movet, quomodo fieri possit, ut & Deus præscius sit omnium futurorum, & nos nulla necessitate peccemus. Quisquis enim dixerit aliter evenire posse aliquid quàm Deus antè præscivit, præscientiam Dei destruere insanissima impietate molitur &c. Itaque necesse erat id fieri, quod futurum esse præsciebat Deus. Quomodo est igitur voluntas libera, ubi tam inevitabilis apparet necessitas?* Eodemque argumento permotos fuisse quamplurimos testatur idem sanctus Doctor ibidem paulò post; & illud resumens sic ait cap. 3. *Certè enim hoc te movet, & hoc miraris, quomodo non sint contraria & repugnantia, ut & Deus sit præscius omnium futurorum, & nos non necessitate, sed voluntate peccemus. Si enim præscius est Deus, inquis, peccaturum esse hominem, necesse est ut peccet: si autem necesse est, non est ergo in peccando voluntatis arbitrium, sed potiùs inevitabilis, & fixa necessitas.* Vides nullam hìc coactionis, sed necessitatis dumtaxat mentionem fieri ab auctoribus utriusque argumenti. Et verò ad eorum scopum, nempe ut certitudinem divinæ præscientiæ, & infallibilitatem futuri eventus astruant, minimè necessaria est coactio, sed simplex necessitas sufficit.

Ibid. p. 612. B. C.

II. Probatur ratione jam adducta: Quia nempe non adeo illi despiebant, ut existimarent præscientia divina fieri, ut non velimus, quæ volumus: vel ut volitio nostra sit à principio extrinseco, passo nihil conferente, imò planè reluctante; quæ est definitio coacti simpliciter.

III. Probatur: Quia S. Patres fatentur difficillimum esse conciliare præscientiam Dei cum libertate hominis, ut videre est apud S. Augustinum Lib. 3. de libero arbitrio cap. 2. & Lib. 5. de Civitate Dei cap. 9. Atqui nulla esset difficultas in ea concilianda cum libertate solùm à coactione: breviter enim dici posset, quamvis id quod subest Dei præscientiæ necessariò eveniat, non tamen everti liberum arbitrium, quia non inviti, non reluctantes, nec coacti, sed sponte ac voluntariè volumus id quod necessariò volumus.

IV. Probatur ex modis quibus SS. Patres conciliant infallibilitatem divinæ præscientiæ cum libertate; ac infidelium aut hæreticorum argumentis respondent. Unus est: Quia præscientia divina non est causa effectus liberi, sed potiùs effectus liber est causa præscientiæ; adeoque in potestate hominis facere ut Deus hoc aut illud præscíverit. Alter est: Quia Dei præscientia merè speculativè se habet, neque magis ad operandum nos astringit, quàm præscientia hominis, qui præsciret quid alter operaturus esset; aut visio hominis, qui videt alterum operantem; aut memoria eorum quæ præterita sunt, quæ non efficitut necessariò illa evenerint. Ista profectò nullam important necessitatem. Tertius est: Quia licèt id quod à Deo præscitur esse futurum, non possit non esse futurum ex suppositione præscientiæ, id tamen non oritur ex necessitate antecedente quæ facit operari, sed ex necessitate consequente seu consequentiæ, quæ ex ipsomet liberè operante & ipsa operatione nascitur; quæ cùm non possit simul esse & non esse, consequenter non potest quin sit futura, ex suppositione quòd futura sit: non præscitur autem à Deo esse futura, nisi ex hypothesi quòd sit futura. Verùm, quia pendet à libertate operantis quòd sit futura vel non futura, pendet etiam ab illa objicere Dei præscientiæ veluti speculo, aut oculo intuenti omnia, sitne futura vel non futura: idcirco enim Deus præscivit esse futuram, quia futura est. Ita re-

spon-

ſpondent S. Anſelmus Lib. de concordia liberi arbitrii cum prædeſtinatione & gratia, & Lib. 2. Cur Deus homo cap. 18. & D. Thomas q. 84. de veritate art. 1. ad 13. Hi porrò modi eò tendunt, ut oſtendant præſcientiam divinam non adimere libertatem, quia non imponit antecedentem neceſſitatem, ſed indifferentem relinquit voluntatem creatam ad agendum vel non agendum; ergo ex mente SS. Patrum libertas conſiſtit in hujuſmodi indifferentia.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Adversùs doctrinam quam hactenus expoſuimus, adverſarii objectiones colligunt ex ipſo potiſſimùm Auguſtino, tùm ex variis Theologicis momentis.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Ex S. AUGUSTINO.

Ad hæc capitâ revocantur quæ ex Auguſtino nobis hìc opponuntur.
I. per peccatum Adami liberum arbitrium in homine periiſſe.
II. omnem actum voluntatis, eo ipſo quo voluntatis eſt, planè liberum eſſe.
III. omnem actum voluntatis à natura condiſtingui.
IV. omnem actum eo ipſo eſſe liberum, quo ducem habet rationem.
V. Deum & Beatos liberos eſſe, tametſi neceſſitate ad agendum determinati ſint.
VI. actibus neceſſariis meriti laudem adſcribi.
VII. eſſe in homine quamdam peccandi neceſſitatem.

PRIMA OBJECTIO.

Adamus peccando liberum perdidit arbitrium.

Objicies 1. cum Janſenio L. 3. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 3. multa ex Auguſtino teſtimonia quibus docet arbitrium voluntatis poſt peccatum, ex libero factum eſſe peccati ſervum atque captivum; in eaque captivitate & ſervitute poſitum, non poſſe ullo modo ſuis viribus à compedibus, quibus vinctum eſt, liberari, ut reſpiret in libertatem. Ita Lib. 2. de nupt. & concup. c. 3. & 8. Lib. 3. ad Bonif. c. 8. Lib. de ſp. & litt. c. 30. in Enchiridio c. 30. Lib. 1. Operis imperfecti contra Julianum c. 153. *T. 2. p. 179. col. 1.*

Reſp. iſta ad rem noſtram præſentem non pertinere; Loquimur hìc ſcilicet de libertate arbitrii ſeu indifferentiæ oppoſitâ neceſſitati ſeu determinationi ad unum invincibili: quæ autem indicata ſunt Auguſtini teſtimonia loquuntur de libertate à ſervitute ſeu captivitate peccati. Fatemur ultro abiſta libertate nos excidiſſe, qui ſervi facti ſumus peccati; neque poſſe nos ab ea ſervitute liberari, ac in priſtinam reparari libertatem, niſi per Chriſtum Liberatorem noſtrum. *Si vos Filius liberavit, tunc verè liberi eritis*, ait ipſe Chriſtus. *Joan. 8. v. 36.*

Hæc

Hæc porrò indigentia Liberatoris ac gratiæ ipſius ſine qua nihil poſſumus, non repugnat libertati indifferentiæ, nec eam excludit, vel ipſo judice Janſenio Lib. 3. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 2. quod manifeſtè patet exemplo Adami innocentis & Angelorum, qui gratia opus habuerunt ad faciendum bonum, & tamen plena atque perfecta fruebantur indifferentia libertatis.

Ex Jan. L. 3. de ſtatu naturæ lapſæ c. 4. T. 1. p. 179. col. 2. B.

Inſtabis 1. Conſtat ex multis ejuſdem ſancti Auguſtini locis, ante advenientem gratiæ ſive fidei, carnalem concupiſcentiam ſeu iniquitatem, voluntatis arbitrio dominari: cujuſmodi dominatus, qui viribus humanis excuti non poteſt, directè repugnat libertati ad bonum. Hoc eſt enim dominari alteri, illum habere in ſua poteſtate, ut faciat quidquid dominus impe-

T. 2. p. 545. A.

raverit. *Quomodo enim libera eſt voluntas*, ait ſanctus Doctor in Epiſtola 98. ad Hilarium, 157. *cui dominatur iniquitas? Ut ei autem non dominetur, vide ab illa quis invocetur*, &c. Idem legere eſt Serm. 12. de verbis Apoſtoli, nunc 30. cap. 1. & 2. & cap. 106. Enchiridii, & Lib. 3. de libero arbitrio cap. 10.

Reſp. dominatum illum concupiſcentiæ opponi quidem libertati ab omni ſervitute ac ſubjectione, non verò libertati à neceſſitate, ſeu libertati indifferentiæ per quam beneficio gratiæ poteſt voluntas non quidem omnem excutere concupiſcentiam, ſed ejus motibus non conſentire. Unum ſcilicet adversùs Pelagianos demonſtrandum habebat S. Auguſtinus, hominem poſt lapſum Adami captivum factum eſſe peccati ac concupiſcentiæ; adeoque non poſſe illum à tali captivitate liberari ac operari bonum, niſi adjuvetur gratia medicinali Redemptoris, qua præſente ac movente ſtat

T. 1. p. 630. F.

indifferentia libertatis ad faciendum bonum, & ad non peccandum. *Quis enim peccat*, ait S. Auguſtinus Lib. 3. de libero arbitrio cap. 18. *in eo quod nullo modo caveri poteſt?* Et cap. 1. dixerat: *Si natura vel neceſſitate, motus iſte exiſtit, culpabilis eſſe nullo pacto poteſt.* His ergo & aliis benè multis ſimilibus

Ibid. p. 609. D.

Auguſtini teſtimoniis gratiæ neceſſitas rectè demonſtratur, indifferentia verò arbitrii ſub gratia minimè læditur.

Ex eodē Janſ. ib. c. 5. T. 2. p. 181.

Inſtabis 2. Multis in locis S. Auguſtinus docet amiſſum fuiſſe per peccatum primi parentis liberum arbitrium. Lib. de perfectione juſtitiæ cap. 14. *Victa vitio, in quod cecidit, voluntate*, ait, *carnit libertate natura.*

Enchiridii cap. 30. *Libero arbitrio malè utens homo, & ſe perdidit, & ipſum.* In Epiſtola ad Vitalem: *Liberum arbitrium ad diligendum Deum, pri-*

T. 10. p. 170. E.

mi peccati granditate perdidimus. Quibus ſimilia tradit Lib. 14. de Civit. Dei

T. 6. p. 207. E.

cap. 11. & Lib. 1. Operis imperfecti contra Julianum cap. 117. aliiſque locis ſæpius affirmat liberum arbitrium peccato Adæ perditum, non poſſe niſi

T. 2. p. 803. E.

per Chriſti gratiam recuperari.

Reſp. 1. hæc à Janſenianis fruſtra & incaſſum nobis opponi: tùm quia contendunt illi etiam nunc remanere in homine lapſo liberum arbitrium: (quamquam in ejus aſſignanda natura multum aberrent) tùm quia tot aliis in locis hoc idem liberum arbitrium agnoſcit S. Auguſt. ut ſi ſtet objectio, neceſſe ſit fateri in apertam incidiſſe contradictionem. *Quis noſtrum*

T. 10. p. 413. D.

ait Lib. 1. ad Bonifacium cap. 2. *dicat, quòd primi hominis peccato perie-*

Ibid. p. 436. E.

rit liberum arbitrium de humano genere? Et Lib. 2. cap. 5. *Peccato Adæ ar-*

T. 2. p. 794. F.

bitrium liberum de hominum natura periiſſe non dicimus. Et Epiſtola 47. ad Valentinum nunc 215. *Fides Catholica*, inquit, *neque liberum arbitrium negat,*

ſive

ſive in vitam bonam, ſive in malam; neque tantùm ei tribuit, ut ſine gratia valeat aliquid. Denique Lib. 2. de nupt. & conc. cap. 3. objicientibus Pelagianis negari à ſe liberum arbitrium, reſpondet: *Liberum in hominibus eſſe arbitrium, & Deum eſſe naſcentium Conditorem utrique dicimus; non hinc eſtis Cœleſtiani & Pelagiani.* Neceſſe igitur eſt, ne pugnare ſecum videatur Auguſtinus, exponere quo ſenſu dixerit periiſſe in homine poſt lapſum, liberum arbitrium. T. 10. p. 305. A.

Reſp. Itaque 2. liberum arbitrium peccato Adami periiſſe, non quidem quoad ſubſtantiam ſeu facultatem volendi cum electione ac indifferentia, ſed dicitur ab Auguſtino periiſſe. Quot modis dicat S. Aug. periiſſe in homine liberū arbitrium.

I. Quantùm ad complementum facultatis ex gratia. Cùm enim facultas naturalis ex propriis viribus ſine gratia ſupernaturali nihil omninò boni poſſit in ordine ad ſalutem; amiſſa per peccatum gratia, dicitur amiſſa libertas, non ſimpliciter & quoad ſubſtantiam, ſed quoad gratiam, quæ complementum eſt facultatis omninò neceſſarium ut illa aliquid boni ſupernaturalis elicere poſſit. Nomine ſcilicet liberi arbitrii, Auguſtinus diſputans cum Pelagianis, intelligit, non ſolam facultatem naturalem volendi, ſed etiam illius complementum, ſeu quidquid neceſſarium eſt ut illa operetur bonum, qualis profectò eſt gratia medicinalis quam illi Hæretici rejiciebant: unde amiſſa per peccatum gratia, amiſſum quòque dicit liberum arbitrium ad bonum ſupernaturale; quia ex ſe ipſo ſine gratia nihil poteſt boni ſupernaturalis. Hunc ſenſum clarè indicat S. Doctor citato mox cap. 3. Lib. 2. de nupt. & conc. *Liberum eſſe in hominibus arbitrium*, ait, *utrique dicimus: non hinc eſtis Cœleſtiani & Pelagiani. Liberum autem quemquam eſſe ad agendum hoc num ſine adjutorio Dei, & non erui parvulos à poteſtate tenebrarum, & ſi, transferri in regnum Dei, hoc vos dicitis: hinc eſtis Cœleſtiani & Pelagiani.* T. 10. p. 305. A.

Idem planè eſt S. Doctori ſenſus cap. 5. Libri 2. ad Bonifacium. *Peccato Adæ* inquit, *liberum arbitrium de natura hominum periiſſe non dicimus: ſed ad peccandum valere in hominibus ſubditis diabolo; ad benè autem pièque vivendum non valere, niſi ipſa voluntas hominis Dei gratia fuerit liberata, & ad omne bonum actionis, cogitationis, ſermonis adjuta.* Ibid. p. 436. E.

II. Cùm S. Auguſtinus ait liberum periiſſe in hominibus arbitrium poſt Adami peccatum, liberum intelligit, non à neceſſitate, ſed liberum dumtaxat à ſervitute peccati, à miſeria aliiſque infirmitatibus hujus ſtatus, quibus caruit innocens ætas. *Qui enim facit peccatum, ſervus eſt peccati.* Joan. 8. v. 34. Et Rom. 6. *Cùm ſervi eſſetis peccati, liberi facti eſtis juſtitiæ.* Ita ſeipſum exponit S. Doctor citato cap. 2. Libri 1. ad Bonifacium. *Quis*, inquit, *noſtrum dicit, quòd primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, ſed illa quæ in paradiſo fuit, habendi plenam cum immortalitate juſtitiam; propter quod natura humana indiget gratia.* Ibid. p. 413. D.

Eodem planè ſenſu cap. 30. Enchiridii dixit hominem *malè utentem libero arbitrio, ſe perdidiſſe & ipſum*: nempè, non quoad ſubſtantiam, ſed quoad modum illum perfectionis quem habebat in ſtatu integritatis & innocentiæ. Neque enim ſeipſum quoad ſubſtantiam homo perdidit, ſed quoad bona accidentalia quæ habuit in eo felicitatis ſtatu, & quibus propter peccatum ſpoliatus meritò fuit. T. 6. p. 207. E.

Arbitrium voluntatis, ait idem S. Doctor Lib. 14. de Civitate Dei cap. 11. T. 7. p. 363. A.


image
not
available

lentes diligimus Deum & proximum: & tamen charitas ex Deo eſt diffuſa in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis. Audis qua ratione ſanctus Proſper conciliet gratiam cum libertate; quia volentes *oramus, loquimur, diligimus &c.*

Eodem pertinet quod ait S. Fulgentius Lib. 2. de veritate prædeſt. cap. 4. *His verbis*, inquit, *quibus dicitur, Si volueritis, &, Si nolueritis, procul dubio libertas humani declaratur arbitrii: Velle enim & nolle, voluntatis eſſe nullus ignorat.* Pagina 460.

Et S. Damaſcenus Lib. 3. de fide orthodoxa cap. 14. *Arbitrii libertas*, inquit, *nihil aliud eſt, quàm voluntas.* To. 1. p. 226. D.

Et S. Anſelmus Lib. de Concordia q. 1. cap. 2. *Ex libertate ſit, quod ſit ex voluntate.* P. 123. col. 2. C To. 1. p. 604. B.

Denique S. Bernardus in Libro de libero arbitrio cap. 1. ſic loquitur: *Conſenſus voluntarius eſt habitus animi liber ſui; ſiquidem non cogitur, non extorquetur. Eſt quippè volontatis, non neceſſitatis; nec negat ſe, nec præbet cuiquam, niſi ex voluntate. Alioquin ſi compelli valet invitus, violentus eſt, non voluntarius. Ubi autem voluntas non eſt, nec conſenſus: non enim eſt conſenſus, niſi voluntarius. Ubi ergo conſenſus, ibi voluntas: Porrò ubi voluntas, ibi libertas.*

Reſp. diſtinguo ant. Omnis actus voluntatis eo ipſo quo eſt voluntatis formaliter ſumptæ, eſt liber, concedo: eo ipſo quo eſt voluntatis, ut natura eſt, ſeu quatenus agit ut natura, eſt liber, nego. Duplici modo ſpectant Scholæ Theologi poſt S. Thomam voluntatem: 1. ut eſt formaliter voluntas, ac conſequenter libera. 2. ut eſt natura quædam, ſeu ut agit per modum naturæ ad unum determinatæ; ſub quo reſpectu non eſt libera à neceſſitate, licèt libera ſit à coactione.

Audiatur S. Thomas q. 2. de potentia art. 3. in corp. *Voluntas*, inquit, *in quantùm voluntas, cùm ſit libera, ad utramlibet ſe habet: poteſt enim agere vel non agere, ſic vel ſic facere, velle & non velle.* En voluntas formaliter ſpectata, ſeu quatenus voluntas. *Si reſpectu alicujus*, pergit Angelicus Doctor, *hoc voluntati non conveniat, hoc accidit voluntati, non in quantùm voluntas eſt, ſed ex inclinatione naturali quam habet ad aliquid ſicut ad ultimum finem quem non poteſt non velle.* En voluntas ſpectata ut natura, ſeu ut agit per modum naturæ. To. 12. pa. 16. col. 2. B

Videtur S. Doctor ex S. Auguſtino diſtinctionem hanc hauſiſſe. Libro enim de duabus animabus cap. 12. *Quamobrem*, inquit, *illæ animæ ſi natura, non voluntate faciunt, id eſt, ſi libero & ad faciendum & ad non faciendum animi motu carent*, en voluntas ſpectata ut eſt formaliter voluntas; ſcilicet ut dicit liberum ad faciendum animi motum. Et iterum agens cum Felice Manichæo. *In meritis*, inquit Lib. 2. cap. 7. *non neceſſitatem naturæ facit, ſed voluntas culpam.* Et cap. 4. *Cùm* (Dominus) *dicit, Aut hoc facite, aut illud facite; poteſtatem* (id eſt voluntatem) *indicat, non naturam.* Quibus certè in locis apertiſſimè diſtinguit S. Doctor modum agendi naturæ tanquam non liberum, & modum agendi voluntatis tanquam liberum. Cùm ergo voluntas naturam habeat, quando contingit eam agere ut natura eſt, procul dubio libero caret animi motu: è contra cùm agit ut voluntas formaliter, tunc libera eſt, id eſt, expedita ad oppoſitum. To. 8 p. 87. F. Ibid. p. 489. F. Ibid. p. 488. E.

Porrò SS. Patres locis in objectione citatis voluntatem conſiderant ut formaliter voluntas eſt, pro recepta ac communi hujus nominis ſignifica-

tione: unde mirum videri non debet, quòd omnem actionem voluntatis eo ipso liberam dicant, quòd est à voluntate; nimirum ut formaliter voluntas est. *Hoc enim modo*, ait S.Th. laudatus, *ad utrumlibet se habet.*

Neque verò est, quòd distinctionem illam, seu reduplicationem voluntatis quatenus voluntas, utpotè Scholasticam ac nimis subtilem hìc fugillent adversarii, nisi & ipsum D. Thomam, imò & Augustinum explodere ac fugillare ipsis placuerit. Nec certè infrequens est ista apud S. Augustinum reduplicatio per particulam, *in quantùm*, expressa. Sic Lib.3. contra Julian. cap.7. ait: *Quando ego negavi, naturam hominum esse laudabilem, in quantum homines sunt?* Et cap.9. *Horum bonorum fructus homo est, quod in quantùm homo est, bonum est.* Et cap.22. *Conjugium bonum est, in quantùm conjugium est.*

T.10.p. 259.G. Ibid. p. 561.F. Ibid. p. 577.B.

TERTIA OBJECTIO.

Voluntas nunquam agit per modum naturæ.

Objicies 3. Voluntas differt à natura: ergo nunquam agit per modum naturæ: ergo semper liberè, ac proinde etiam liberè in actibus necessariis.

Antecedens probatur, quia SS. Patres distinguunt naturam contra voluntatem. S. Augustinus Lib. de duabus animabus c. 12. *Illæ animæ*, inquit, *quidquid faciunt, si natura, non voluntate faciunt.* Et Lib.3. de libero arbitrio cap.1. *Motus voluntatis*, inquit, *non est utique naturalis, sed voluntarius.* S. Bernardus serm.81. in Cantica n.7. *Interveniente peccato*, ait, *patitur quamdam vim & ipse* (homo,) *sed à voluntate, non à natura, ut ne sic quidem ingenita libertate privetur.*

To.8.p. 87.F. To.1.p. 610.D. To.1.p. 1551.E

S. Thomas 1.2.q.10.art.1. ad 1. *Voluntas*, inquit, *dividitur contra naturam, sicut una causa contra aliam: quædam enim fiunt naturaliter, quædam voluntariè.*

Denique Scotus ipse quæst. quodlibetica 16. *Voluntas*, inquit, *semper habet suum modum causandi proprium, scilicet liberè .... Non magis igitur voluntas potest esse naturaliter activa*, (id est habere motum naturalem) *quàm natura, ut est principium distinctum contra voluntatem, potest esse liberè activa*: quem locum magna confidentia laudat Janfenius Lib.6. de Gratia Christi cap.25.

To.12. pa.457. n.14. N.15.

Resp. distinguo ant. Voluntas differt à natura, & distinguitur à SS. Patribus contra naturam, voluntas formaliter ut voluntas, est, concedo, voluntas ut natura est, seu ut agit per modum naturæ ad unum determinatæ, nego. Recurrit hìc solutio jam exposita. Distinguitur ergo voluntas ut formaliter voluntas, à voluntate ut est natura, non tanquam res à re, (eadem enim voluntas simul est & voluntas & natura) sed tanquam una causa ab alia, seu distinguitur ratione modi agendi. Ita nodum solvit S. Thomas 1. 2. q. 10. art. 1. ubi cùm sibi objecisset, *voluntatem non moveri ad aliquid naturaliter, quia* (inquit) *agens naturale dividitur contra voluntarium*; sic respondet: *Ad 1. dicendum quòd voluntas dividitur contra naturam, sicut una causa contra aliam: quædam enim fiunt naturaliter, & quædam fiunt voluntariè. Est autem alius modus causandi proprius voluntati, quæ est domina sui actus, præter modum qui convenit naturæ, quæ est determinata ad unum: sed quia voluntas in*

aliqua

aliqua natura fundatur, necesse est, quòd modus proprius naturæ, quantùm ad aliquid participetur à voluntate.

Aliter eidem objectioni respondet S.Th.q.22.de veritate art. 5. in sexto argumento in contrarium. *Dicendum*, inquit, *quòd voluntas dividitur contra appetitum naturalem cum præcisione sumptum, id est, qui est naturalis tantùm; sicut homo contra id quod est animal tantùm : non autem dividitur contra appetitum naturalem absolutè, sed includit ipsum, sicut homo includit animal.* T.12.p. 82.col. 2.C.D.

Sensus responsionis est voluntatem distingui contra naturam, etiam tanquam rem à re; sed tunc natura sumitur cum præcisione, pro eo scilicet quòd est natura tantùm. Porrò voluntas non est natura tantùm, sed simul natura est, & voluntas: quia nempè agit in aliquibus ut natura, in aliis ut voluntas, seu facultas libera.

Hoc duplici sensu exponi facilè possunt quæ laudata fuere testimonia.

Ad Scotum, Esto distinxerit ille voluntatem contra naturam, non solùm in genere causæ, sed in genere rei, seu tamquam rem à re, ita ut crediderit eandem voluntatem non posse habere actum liberum & actum naturalem; posset nihilominus explicari juxta secundam solutionem. Videlicet, quando dividit naturam contra voluntatem distinctione rei à re, sumpsit naturam cum præcisione, seu pro eo quod est natura tantùm. Imò, esto etiam quòd Scotus distinxisset voluntatem contra naturam tantùm absolutè, ita ut voluntas nec identicè posset esse natura quædam; adhuc tamen staret eum Catholicè hìc sentire: quando enim docet nullum actum voluntatis esse naturalem; sed omnem esse liberum, ita ut etiam libera sit libertate essentiali productio Spiritus sancti, profectò mens illius non est, hujusmodi libertatem, præcisa etiam libertate contradictionis, sufficere ad meritum vel demeritum. Clarissimè enim in secundo dist.6.q.2.expresè exigit ad meritoriam & demeritoriam libertatem, indifferentiam seu potestatem ad oppositum. Loquens enim *in casu quo Angelus haberet appetitum intellectivum merè, ut appetitum talem, & non ut liberum*, sic habet: *Talis Angelus non posset non velle commoda, nec etiam non summè velle talia; nec imputaretur sibi in peccatum: quia iste appetitus se haberet ad suam cognitivam, sicut modò appetitus visivus ad visum, necessariò consequendo ostensionem istius cognitivæ, & inclinationem ad optimum ostensum à tali potentia; quia non haberet unde se refrenaret.* Et paulò post. *Potentia*, inquit, *aliqua si fuisset appetitiva præcisè, sequens in actu suo inclinationem eius, sicut appetitus visivus sequitur visum & eius inclinationem, tunc licèt illa non posset appetere nisi visibile; tamen non posset tunc peccare, quia non esset in potestate eius aliud nec aliter appetere, quàm cognitiva ostenderet & inclinaret.* Hæc Scotus. Tom.6. p.534. num.8. Ibid. p. 540.

Nec obstat quòd Scotus doceat actum beatificum fruitionis in Christo fuisse meritorium, ac proinde verè & propriè liberum, tametsi cum necessitate conjunctum: namque negat Scotus actum illum esse planè necessarium; imò contingentem esse contra S.Thomam affirmat, unde colligit illum esse meritorium, adeoque liberum vera libertate contradictionis.

Nusquam verò docuit essentialem libertatem quæ ad meritum vel demeritum requiritur, compati posse cum necessitate.

QUARTA OBJECTIO.

Omnis actus voluntatis eo ipso liber est quo ducem habet rationem.

Objicies 4. Quilibet voluntatis actus eo ipso liber est, quo ducem habet rationem: atqui multi actus voluntatis, quamtumvis necessarii, ducem habent rationem; ergo actus hujusmodi liberi sunt.

Major propositio probatur.

To.1.p. 228. B. I. Ex S. Damasceno Lib.3. de fide orthodoxa, cap.14. ubi sic loquitur. *Enim verò cùm voluntatem naturalem pronuntiamus, non eam necessitate obstrictam, sed liberam dicimus. Nam quia rationem comitatur, utique & libera est.*

Quòd autem sanctus ille Doctor loquatur non tantùm de libertate potentiæ seu in actu primo, sed etiam de libertate actus, qui eo ipso liber censeri debet, quo dirigitur judicio rationis, constat ex Libro de duabus voluntatibus ubi asserit hominem, quatenus rationis est particeps, rationem du-

Ibid. p. 537. cem in appetendo sequi, liberosque appetitus habere. Et Lib.2. orthodoxæ fidei cap.22. *In hominibus*, inquit, *ut potè ratione præditis, naturalis appetitus non tam ducit quam ducitur; quippè qui liberè & cum ratione movetur, quia fa-*

Ibid. p. 188. D. *cultates cognoscendi & vivendi in homine conjunctæ sunt; ac proinde liberè appetit, vult, inquirit, considerat, deliberat, judicat, afficitur, eligit, ad agendum prorumpit, agitque in illis rebus quæ naturæ consentaneæ sunt.* Quibus certè in locis manifestum est S. Joannem Damascenum loqui non solùm de libertate suppositi seu potentiæ, sed etiam de libertate actus.

II. Probatur ex S. Bernardo in Libro de libero arbitrio cap.13. ubi probat manere in diabolo aut homine malo meritum malum, *quia diabolus vel*

To.1.p. 621. A. *homo malus cùm vigent & vigilant ratione, jam quidem merentur, sed non nisi pœnam, pro eo quòd à bono dissentiunt.* E contra verò serm.81. in Cant. negat bruta in agendo esse libera, quia judicio rationis carent, quo appetitus

Ibid. p. 1551. E. suos regant. *Sensu enim aguntur*, inquit, *feruntur impetu, rapiuntur appetitu. Neque enim judicium habent quo se dijudicent sive regant: sed ne instrumentum quidem judicii, id est rationem. Inde est quòd non judicantur, quia non judicant.*

Idem docet & S. Thomas Lib.1. contra gentes cap.88. *Homo*, inquit, *di-*

T.13.p. 269. col. 1. E. *citur præ cæteris animalibus liberum arbitrium habere, quia ad volendum judicio rationis inclinatur, non impetu naturæ, sicut bruta.*

Resp. nego maj. Processio siquidem Spiritus sancti haud dubiè ducem habet rationem, nec tamen propriè libera est: pariter amor beatificus ducem habet rationem, nec tamen eo sensu liber est, quòd possit Beatus abeo se continere. Ad formalem itaque actus voluntatis libertatem, non sufficit quòd dirigatur judicio rationis, sed requiritur ut dirigatur judicio rationis indifferenter proponentis objectum; hoc est, neque ut necessariò prosequendum, neque ut necessariò fugiendum; sed tale, ut voluntas pro sua indifferentia activa possit illud vel prosequi, vel declinare. Vide quę inter probationes ex ratione superiùs dicta sunt.

Ad probationem: Vel adducta testimonia intelliguntur de libertate suppositi seu potentiæ, vel de libertate actus. Si primum, optima est ac vera consecutio, homo ratione & intellectu dirigitur, ergo liber est; radix quippè liber-

bertatis in intellectu seu ratione posita est. Si verò secundum ; non valet ista consecutio , Actus ille ducem supponit rationem, ergo est formaliter liber: requiritur enim præterea , ut ratio seu intellectus objectum proponat indifferenter prosequendum vel fugiendum ; & si hæc conditio defuerit, actus non erit formaliter liber, ut patet in processione Spiritus sancti & amore beatifico: quæ certè conditio subintelligi debet, si adducta SS. Patrum testimonia intelligere placeat de libertate non solùm potentiæ sed etiam actus.

QUINTA OBJECTIO.

Est in Deo ac Beatis necessitas simul ac libertas.

Objicies 5. Est in Deo ac Beatis ad quoslam actus producendos necessitas simul ac libertas; ergo libertas stat cum necessitate.

Antecedens probatur ex S. Augustino pluribus in locis.

Lib. de natura & gratia cap. 46. ubi cùm Pelagius ei objecisset, *Voluntatis arbitrio ac deliberatione privatur, quidquid naturali necessitate constringitur*, sic respondet sanctus Doctor. *Per enim absurdum est, ut ideò dicamus non pertinere ad voluntatem nostram*, (hoc est ad libertatem) *quòd beati esse volumus, quia id omninò nolle non possumus, nescio, qua & bona constrictione naturæ : nec dicere audemus, ideò Deum non voluntatem, sed necessitatem habere justitiæ, quia non potest velle peccare.* Vides , judice Augustino, stare simul necessitatem & libertatem respectu beatitudinis. *T. 10. p. 150. A.*

Lib. 1. Operis imperfecti contra Julianum cap. 100. *Siccine Deum laudas*, inquit, *ut ei auferas libertatem? An potiùs intelligere debes, esse quamdam beatam necessitatem, qua Deus iniustus esse non potest.* *Ibid. p. 933. A.*

Et cap. 103. cùm iterum Julianus Augustino objectasset, ab ipso liberum hominis arbitrium subverti, quia ante gratiam ponebat mali necessitatem, post gratiam autem necessitatem boni; respondet his verbis: *Dicturus es, ut video, Deum necessitate premi, ut peccare non possit; qui utique nec potest velle, nec vult posse peccare. Imò verò si necessitas dicenda est, qua necesse est aliquid vel esse vel fieri; beatissima est ista omninò necessitas, qua necesse est feliciter vivere, & in eadem vita necesse est non mori, necesse est in deterius non mutari. Hac necessitate, si necessitas etiam ipsa dicenda est, non premuntur sancti Angeli, sed fruuntur.* *Ibid. p. 934. C.*

Lib. 5. de Civitate Dei cap. 10. *Si illa*, inquit, *definitur necessitas, secundùm quam diximus necesse esse, ut ita sit aliquid , vel ita fiat; nescio cur eam timeamus, ne nobis libertatem auferat voluntatis. Neque enim & vitam Dei, & præscientiam Dei sub necessitate ponimus, si dicamus necesse esse Deum semper vivere , & cuncta præscire .* Multa alia ejusdem generis testimonia laudat Jansenius Lib. 6. de Gratia Christi cap. 7. & 8. additque in fine capitis octavi. *T. 7. p. 125. A.*

I. In Augustini doctrina paradoxum inauditum esse, quòd actus aliquis voluntatis propterea liber sit, quòd ab illo desistere voluntas & non agere potest. *Ex quo fit*, inquit, *ut in illo conflictu, quo cum Pelagianis de gratia & voluntatis libertate disputat, in nullis ejus Libris, vel semel inveniri queat unus textus, vel vestigium opinionis istius.* *T. 3. p. 271. col. 2. E. Ibid. p. 272. col. 1. A.*

II. Quòd ipse loco miraculi esset habiturus, si in Augustini doctrina
Ibid. B. ostendi posset, voluntatem quæ *potentissimè & immobiliter & perpetuò iustitiamdil igit & operatur, non esse in ista volitione & operatione liberam.*

Resp. distinguo ant. Est in Deo ac Beatis ad quosdam actus producendos necessitas quoad specificationem simul cum libertate exercitii, concedo: necessitas quoad exercitium simul cum libertate, nego. Distinguo etiam consequens. Ergo stat libertas exercitii seu contradictionis simul cum necessitate quoad specificationem, concedo: quoad exercitium, nego. Explico. Alia est libertas contrarietatis seu specificationis, alia libertas contradictionis seu exercitii: prior in eo consistit, ut agens liberum possit ad malum sicut & ad bonum se flectere; posterior, in eo ut tametsi agens illud sit quoad speciem actionis ad bonum determinatum, nec possit ad malum ferri, liberè tamen hoc vel illud bonum eligit & amplectitur: ad essentiam porrò libertatis non pertinet libertas contrarietatis, hoc est facultas mali perpetrandi. Namque ex S. Anselmo, Dial. de lib. arb. cap. 1. *Nec libertas, nec*
P. 117. col. 1. B *pars libertatis est potestas peccandi*; sed potius, ut ait S. Thomas, defectus est libertatis. Itaque cum necessitate naturali specificationis, hoc est ad bonum determinante, stare potest libertas exercitii circa hoc vel illud. Hoc modo Deus natura sua est ad bonum ita determinatus, ut non possit malum velle: ita Christus vi unionis hypostaticæ planè impeccabilis fuit; & tamen est in Deo & in Christo libertas exercitii circa hoc vel illud bonum. Pariter homo naturali necessitate quoad specificationem fertur ad amorem beatitudinis in communi; est tamen liber quoad exercitium, respectu hujus vel illius rei in qua suam collocat felicitatem. Stat ergo cum necessitate quantùm ad specificationem, libertas contradictionis seu exercitii: quæ libertas integra subsistit, quoties objectum indifferenter proponitur ab intellectu prosequendum vel non prosequendum: tale est quodlibet bonum creatum quod ab humano intellectu apprehenditur. Non ita Deus à Beatis clarè & intuitivè cognitus: neque enim liberi sunt Beati etiam quoad exercitium in amando Deo, à cujus amore temperare se felici necessitate non possunt, cùm nulla in ipsis quantùm ad hoc indifferentia judicii supersit. *Intellectus*, ait S. Thomas 1. 2. q. 13. art. 6. *in omnibus particularibus bonis potest considerare rationem boni alicujus, & defectum boni alicujus, quod habet rationem mali; & secundùm hoc potest unumquodque hujusmodi bonorum apprehendere ut eligibile vel fugibile: Solum autem perfectum bonum quod est beatitudo, non potest ratio apprehendere sub ratione mali, aut alicujus defectus; & ideò ex necessitate* (id est non liberè) *beatitudinem homo vult.*

His præsuppositis facilè solvuntur quæ ex Augustino proposita sunt testimonia.

In primo refellit Pelagium qui contendebat ad essentiam libertatis spectare indifferentiam non solùm contradictionis, sed etiam contrarietatis, per quam liberum arbitrium æquè indifferens est ac potens ex propriis suis viribus ad bonum & ad malum. Ergo, pugnabat Augustinus, *Deus liber non*
T. 10. p. 923. A. *est, qui malum non potest velle. Siccine*, dicebat Juliano, *Deum laudas, ut ei auferas libertatem?* Ostendit igitur sanctus Doctor, dari aliquos actus quoad specificationem necessariò bonos, qui tamen liberi sunt quoad exercitium; duoque eam in rem profert exempla, unum ex necessitate qua

in

in via ſic volumus beatitudinem, ut miſeriam velle non poſſimus; alterum ex neceſſitate, qua Deus vult juſtitiam ſeu bonum, ita ut non poſſit velle facere malum aut peccatum: quas neceſſitates conſtat ex una parte eſſe utcumque naturales, cùm ſint quoad ſpecificationem abſolutè determinatæ ad hujuſmodi objecta; & ex alia libertatem arbitrii non minuere, cùm habeant admixtam indifferentiam exercitii.

Sed objicit Janſenius. Licèt voluntas, qua in via volumus beatitudinem, ſit indifferens indifferentia contradictionis, hujuſmodi tamen indifferentiam non habet voluntas, qua Deus vult juſtitiam. *Certiſsimum enim eſt*, ait Janſenius, *hanc voluntatem eſſe ad juſtitiam omni modo determinatam, & indifferentia carere contradictionis*. Ergo ſi hoc non obſtante, Auguſtinus illam etiam voluntatem juſtitiæ aſſerit eſſe liberam, ſentit haud dubiè actum aliquem eſſe liberum, etiam ſublata indifferentia contradictionis.

Reſp. illam in Deo juſtitiæ voluntatem, de qua loquitur S. Auguſtinus, indifferentem eſſe indifferentia contradictionis. Non enim confundi debet, ut perperam confundit Janſenius, cum ea volitione, qua Deus vult ſuam bonitatem ſecundùm ſe, ſeu juſtitiam ſempiternam & increatam, quæ ſua eſt eſſentia: (hanc enim ſic indifferentem non eſſe ultro concedimus) ſed ea eſt volitio qua Deus nonniſi bona ſeu juſta ad extra operatur, quotieſcumque operatur; quæ voluntas indifferentiam contradictionis habet, licèt malum velle aut operari non poſſit. Ut enim ait S. Th. in 2. diſt. 25. q. 1. art. 1. ad 2. *Bona quæ facit Deus, poteſt non facere, nec tamen malum facere poteſt*.

Inſtat Janſenius. Auguſtinus loquitur de voluntate juſtitiæ prout in Deo ſeu Beatis eſt ſtabilis, perpetua & immutabilis voluntas non deficiendi à juſtitia; ergo non loquitur de aliqua voluntate juſtitiæ admittente indifferentiam contradictionis.

Reſp. nego conſequentiam. Loquitur enim S. Doctor de volitione juſtitiæ, qua Deus extra ſe juſtè ſemper operatur, quotieſcumque operatur; quæ cùm ex una parte ſit naturaliter determinata quoad ſpecificationem ad faciendum bonum, ita ut malum non poſſit, non poteſt utique à juſtitia deficere agendo contra illam, ſeu non poteſt ab illa deficere privativè & contrariè; ſed poteſt deficere negativè, quia nulla neceſſitate tenetur Deus hoc vel illud bonum ad extra operari. *Operatur enim omnia*, inquit S. Ambroſ. Lib. 2. de fide cap. 6. *unus atque idem ſpiritus, dividens ſingulis pro ut vult. Prout vult, inquit, hoc eſt pro liberæ voluntatis arbitrio, non pro neceſſitatis obſequio*.

Ad ſecundum eadem eſt reſponſio. Illa etenim neceſſitas de qua ibi S. Auguſtinus, ſola eſt neceſſitas ſpecificationis, qua nempè Deus *injuſtus non poteſt eſſe*, ſeu injuſta operari: quæ certè neceſſitas, ut jam monuimus, non obeſt libertati exercitii ſeu contradictionis. Hanc autem mentem eſſe S. Doctoris patet, quia refellit Julianum, qui in eodem cum Pelagio errore verſabatur, *liberum ſcilicet non eſſe niſi quod duo poteſt velle, id eſt bonum & malum*. Unde Auguſtinus inferebat, *Ergo Deus liber non eſt, qui malum non poteſt velle. Et, ſiccine Deum laudas, ut ei auferas libertatem?* Quaſi Juliano diceret, quod Pelagio dixerat, illam indifferentiam contrarietatis ad bonum & malum minimè ad libertatem requiri, cùm Deus liber ſit, & illa tamen indifferentia contrarietatis careat, ut potè qui naturæ ſuæ neceſſitate malum velle non poſſit.

Ad

Ad tertium, idem est Augustini consilium, & eadem nostra responsio : necessitate scilicet specificationis non tolli libertatem exercitii. Addi potest S. Doctorem à majori ad minus ibi argumentari : nempè vim & efficaciam gratiæ nullam voluntati necessitatem inferre, nec essentiali libertati nocere; sicut libertati Dei quoad exercitium non nocet ea necessitas, qua est ad bonum determinatus.

Ad quartum ex cap. 10. Lib. 5. de Civitate Dei. Resp. S. Augustinum ibi loqui de necessitate ex suppositione, seu de necessitate consequente, secundùm quam dicitur necesse esse rem esse, dum revera est; & hanc quoque nos fatemur libertati non obesse, cùm non tollat, imò præsupponat indifferentiam ad oppositum.

Hunc verò esse D. Augustini sensum patet.

I. Quia ibi agit contra Stoicos, qui, ut ipse refert, voluntates nostras nolebant necessitati subjici, *ne videlicet non essent liberæ, si subjicerentur necessitati*: quibus respondet, istud timendum non esse. *Si enim necessitas nostra*, inquit, *illa dicenda est, quæ non est in nostra potestate, sed etiamsi nolimus, efficit quod potest, sicut est necessitas mortis; manifestum est voluntates nostras quibus rectè vel perperam vivitur, sub tali necessitate non esse.*

To. 7. p. 124. G.

Manifestè ibi ostendit S. Doctor nulla nos necessitate ad malum teneri : *Multa enim facimus*, ait, *quæ si nollemus, non utique faceremus.*

Ibid.

II. Quia assignans posteà rationem cur ista necessitas ex suppositione libertatem non auferat, expresè dicit, quia illa necessitate non obstante, *nostræ voluntates sunt, & ipsæ faciunt quidquid volendo facimus, quod non fieret, si nollemus*: quibus certè verbis manifestè indicat, necessitatem (de qua loquitur) aliam non esse, quàm quæ ex nostris liberis profluit voluntatibus; ita ut si necesse sit ita esse, ideò necesse sit, quia nostræ voluntates sic faciunt, & quia sic volunt; ergo non est alia necessitas, quàm ex suppositione nostræ libertatis.

Ibid. p. 125. C.

III. Quia id ipsum ostendit illud exemplum quod apponit de necessitate secundùm quam necesse est Deum cuncta præscire: hanc enim conditionatam esse ac consequentem, apud omnes Theologos constat.

IV. Et id manifestè probat aliud exemplum. *Sic etiam cùm dicimus*, inquit, *necesse est esse, ut cùm volumus, libero arbitrio velimus; & verum procul dubio dicimus, & non ideò ipsum liberum arbitrium necessitati subjicimus, quæ adimit libertatem.* Quod certè exemplum necessitatem ex suppositione seu consequentem manifestè supponit.

Ibid. B.

Verùm, inquies, S. Augustinum confirmat exemplo vitæ Dei, quæ certè necessaria est etiam absoluta necessitate, non verò conditionata dumtaxat seu consequente & hypothetica : necesse quippè est absolutè Deum vivere.

Resp. nomine vitæ Dei S. Doctorem ibi non intelligere vitam Dei naturalem, qua in se est substantia vivens sine ullo respectu ad creaturas; sed eum intelligere vitalem Dei operationem, qua ad extra operatur : quæ certè operatio, quatenus extra Deum transit, necessaria non est absoluta necessitate, sed hypothetica dumtaxat & conditionata.

SEXTA

SEXTA OBJECTIO.

Laus & meritum tribuitur actionibus etiam neceſſariis.

Objicies 6. Laus attribuitur actibus omninò neceſſariis: ſed laus non attribuitur niſi liberis; ergo actus omninò neceſſarii, ſunt liberi.

Major propoſitio conſtat ex S. Auguſtino duobus maximè in locis.

Primus locus extat Lib. 12. de Civitate Dei cap. 1. in fine, ubi de Angelis ſic loquitur: *Quam porrò magna ſit laus* (naturæ Angelicæ) *adhærere Deo, ut ei vivat, inde ſapiat, illo gaudeat, tantoque bono ſine morte, ſine errore, ſine moleſtia perfruatur; quis cogitare dignè poſſit aut eloqui?* Laudantur ibi ab Auguſtino Angeli ob amorem beatificum, qui tamen neceſſarius in ipſis eſt. *ibid. p. 301. E.*

Alter locus ſumitur ex Tractatu 53. in Joan. ubi explicans illa verba Pauli dicta de Deo, *Negare ſe ipſum non poteſt. Sic dictum eſt*, inquit, *Non poterant* (credere,) *ubi intelligendum eſt quòd nolebant: quemadmodum dictum eſt de Domino Deo noſtro, Si non credimus, ille fidelis permanet, negare ſeipſum non poteſt. Sicut ergo quòd Dominus negare ſeipſum, laus eſt voluntatis divinæ; ita quòd illi non poterant credere,* (ſcilicet Judæi) *culpa eſt voluntatis humanæ.* Et iterum laudem Deo aſcribit Auguſtinus, ex eo quòd ſeipſum negare non poſſit: quod tamen in ipſo maximè neceſſarium eſt. *T. 3. p. 2. p. 647.*

Reſp. diſtinguo maj. Laus ſenſu latiori ſumpta, nempè pro honore, tribuitur actibus neceſſariis, concedo: laus propriè ac ſtrictè ſumpta, nego. Diſtinguo pariter min. Laus propriè ac ſtrictè ſumpta non tribuitur niſi liberis, concedo: laus ſenſu latiori pro honore uſurpata, nego.

Obſerva 1. laudem latiori quodam ſenſu idem eſſe ac honorem, ſeu proteſtationem de excellentia & virtute alicujus, ſive fiat verbis, eloquendo vel narrando virtutem, ſive ſignis tantùm, ut quando aliquis alteri aſſurgit, vel genuflectit. Laus verò propriè ac ſtrictè ſumpta eſt proteſtatio de virtute alicujus determinatè facta per verba: qua ratione à D. Thoma definitur, *Sermo dilucidans magnitudinem virtutis*: atque hoc modo laus ab honore differt. Ita expreſsè S. Thom. in primo Ethicorum lectione 18. & 2. 2. q. 130. art. 1. ad 3.

Obſerva 2. laudem ſpecialiter ſumptam non tribui alicui niſi propter bonitatem alicujus in ordine ad aliquem finem; puta quia facit actum congruentem fini: honor autem debetur alicui propter bonitatem quam habet ſecundùm ſe, ut ait S. Th. in 3. diſt. 9. q. 1. art. 2. quæſtiuncula 1. in corpore. Et 2. 2. q. 103. art. 1. ad 3. ex quo ſequitur laudem propriè non tribui niſi tendentibus ad finem. *Honor autem eſt etiam optimorum, quæ non ordinantur ad finem, ſed jam ſunt in fine*, ut ait ibid. S. Doctor. Unde Deus in ſe ſpectatus propriè loquendo non laudatur, ſed honoratur; quia ipſe non tendit in finem, ſed omnium finis eſt. Qua de cauſa teſte eodem Angelico Doctore 2. 2. q. 91. art. 1. ad 1. dicitur Eccleſiaſtici 43. *quòd Deus major eſt laude. De Deo enim*, ait S. Thom. *loqui dupliciter poſſumus; uno modo abſolutè, ſeu conſiderando propriam eius excellentiam in ordine ad ſe; alio modo comparativè ad effectus, quos in noſtram utilitatem ordinat. Primo modo*, ait S. Th. *non debetur ipſi laus, ſed honor. Secundo verò modo, etiam ipſi laus debetur*; ſic- *2. 2. q. 91. art. 1. ad 1.*

que

que intelligi debent loca Scripturæ quando nobis proponitur laudandus : quod clarè exprimitur Isaiæ 63. his verbis: *Laudem Domini annuntiabo super omnibus quæ reddidit nobis Dominus*, id est propter effectus, seu in ordine ad illa quæ nobis contulit.

Observa 3. ex S. Th. in 3. Sent. dist. 9. q. 1. art. 2. quæstiuncula 1. in corp. To. 9. p. 102. col. 1. D. *quòd laus non debetur nisi actui, vel agenti qui est dominus actus, quasi per electionem agens, ita etiam nec honor ..... Ergo ratione sui honoratur illud cujus est per electionem agere* : ex quo sequitur neminem propriè laudari, nisi ratione actionis liberæ, & quidem per electionem; tametsi honor alicui exhibeatur, non ratione actionis; sed etiam ratione dignitatis solius suppositi: Ibid. *Honor non ita debetur actui, sicut laus, sed magis agenti*; ait Doctor Angelicus.

His præsuppositis facilis est ad Augustini testimonia responsio.

Ad primum: Angelos laude dignos appellat ob amorem beatificum, sumendo laudis nomen in ampliori significatione, nempè pro honore : quo sensu, sicut alicui exhibetur propter solam dignitatem suppositi, nulla facta consideratione actionis liberæ, ita & potest exhiberi alicui propter excellentissimos actus quantumvis non liberos: unde Augustini sensus est, Angelos propter indefectibilem illam adhæsionem ad summum bonum per constantem amorem, esse ineffabiliter honorandos, venerandos, colendos.

Ad secundum : Revera loquitur S. Augustinus de laude propriè dicta, cùm ait, hanc esse divinæ voluntatis laudem quòd Deus seipsum negare non possit; sed loquitur S. Doctor de Deo comparativè, seu relativè ad effectus quos in nostram utilitatem ordinat per actum verè liberum suæ fidelitatis, tenendo nempè seu servando suam fidem: actus verò promissionis, licèt quoad specificationem sit necessarius, quia videlicet nequit esse infidelitatis, est tamen absolutè indifferens quoad exercitium non minùs quàm quilibet alius actus quem Deus exercet in ordine ad creaturas. Sensus ergo Augustini est, laudem esse voluntatis divinæ, non quòd se negare non possit, quasi in actu primo; (hoc enim totum est perfectio necessaria) sed quòd se non neget, id est, fidelitatem exerceat in actu secundo; quod verè est actus liber, quem absolutè potest non ponere, licèt non quoad substantiam, saltem quoad terminationem.

Hanc autem esse Augustini mentem constat apertè ex verbis prioribus quibus comparat quod dixit, *Deum non posse seipsum negare*, cum eo quod de Judæis dicitur: *Non poterant credere*, nempè, inquit, *quia nolebant*. Ergo eodem sensu intelligit quòd Deus seipsum negare non possit, quia non vult seipsum negare; quod idem est ac quòd actu velit suam fidelitatem servare & exequi, quod quidem absolutè liberum est ac indifferens quoad exercitium.

SEPTIMA OBJECTIO.

Est in homine quædam peccandi necessitas.

Objicies 7. S. Augustinus agnoscit quamdam esse in homine peccandi necessitatem.

T. 10. p. 934. G. Lib. 1. Operis imperfecti contra Julian. c. 105. *Multùm erras*, inquit, *qui vel necessitatem nullam putas esse peccandi, vel eam non intelligis illius peccati esse*

esse pœnam, quod nulla necessitate commissum est. Sienim necessitas nulla peccandi est....quid patiebatur, quæso, qui secundùm vestrum sensum, tanta mole malæ consuetudinis premebatur, ut diceret, Non quod volo facio bonum, sed quod nolo malum hoc ago? Deinde cogitare te existimo, quid appetendum, quid vitandum sit in agenda vita, quanto labore discatur. Qui autem hoc nesciunt, ipsa boni appetendi malique vitandi ignorantia patiuntur peccandi necessitatem. Necesse est enim ut peccet, qui nesciendo quid facere debeat, quod non debet facit.

Porrò ejusmodi peccata, tametsi necessaria, culpæ imputari, docet ibid. S. Augustinus. *De quo genere malorum*, pergit, *Deus rogatur, ubi dicitur, Delicta juventutis & ignorantiæ meæ ne memineris. Quod genus delictorum si non imputaret Deus justus, non ea sibi dimitti posceret homo fidelis.* *Ibid. p. 935. B.*

Lib. de natura & gratia adversùs Pelagium cap. 66. *Quod autem*, inquit, *ex vitiis naturæ, non ex conditione naturæ, sit quædam peccandi necessitas, audiat homo, atque ut eadem necessitas non sit discat Deo dicere, De necessitatibus meis educ me. Quia & in hujusmodi oratione certamen est adversùs tentatorem de ipsa contra nos necessitate pugnantem, ac per hoc opitulante gratia per Jesum Christum Dominum nostrum, & mala necessitas removebitur, & libertas plena tribuetur.* *Ibid. p. 161. E.*

Lib. 1. Retract. cap. 15. *Qui cogenti cupiditati bona voluntate resistere non potest, & ideò facit contra præcepta justitiæ, jam hoc ita peccatum est, ut sit etiam pœna peccati.* *T. 1. p. 14. F.*

Eodem pertinet quod ait S. Bernardus serm. 81. in Cantica. *Quis me*, inquit, *liberabit de manibus meis? Non enim quod volo, hoc ago, sed me, non alio prohibente, & quod odi, illud facio, sed me, non alio compellente. Atque utinam prohibitio hæc, & hæc compulsio ita violenta esset, ut non esset voluntaria; forsitan enim sic posset excusari: aut certè ita esset voluntaria, ut non violenta; profectò enim sic posset corrigi. Nunc verò nusquam exitus misero patet, quem & voluntas inexcusabilem, & incorrigibilem necessitas facit.* *To. 1. p. 1552.*

Hìc ex una parte S. Bernardus ait compulsionem illam & necessitatem peccandi adeò violentam esse, ut homo corrigere se non possit; ex alia verò parte subjungit, à peccato eandem non excusare, ac proinde arbitrii libertatem non evertere: sentit ergo ad veram libertatem potestatem ad oppositum non requiri.

Resp. distinguo ant. S. Augustinus agnoscit in homine lapso quamdam peccandi necessitatem, peccato materialiter & impropriè dicto, concedo: peccato propriè ac formaliter dicto, iterùm distinguo: vago & indeterminato, concedo: hoc vel illo singulari peccato, nego. Vel adhuc distinguo: agnoscit peccandi necessitatem ante gratiam: concedo: cum gratia, subdistinguo: peccandi necessitatem moralem, id est difficultatem abstinendi à peccato, concedo: necessitatem physicam, nego. Mens S. Doctoris facilè patebit attendenti statum controversiæ quam habebat cum Juliano cæterisque Pelagianis.

I. Totus in eo erat ut peccatum originale ab unoquoque hominum nascendo contrahi demonstraret: demonstrat autem ex effectibus, ignorantia scilicet & concupiscentia quibus necessariò subjicimus, & quas peccata vocat Augustinus, quia sunt pœnæ peccati & causæ peccatorum.

Ut pœnæ peccati, necessariò supponunt peccatum originale cujus pœnæ sunt;

sunt; & hoc modo spectatæ vocantur ab Augustino necessaria peccata, (materialiter scilicet & impropriè) quia iis carere liberum nobis hac in vita non est. *Erras*, inquit sanctus Doctor refellens Julianum, *qui vel necessitatem nullam putas esse peccandi, vel eam non intelligis illius peccati esse pœnam, quod nulla necessitate commissum est*. Et paulò post ostendit longè satius esse necessitatem illam peccandi referre ad originale peccatum, quàm ad consuetudinem peccandi, sicut ipse dicebat Julianus. *Cur ergo non credis*, ait sanctus Doctor, *tantùm saltem valuisse illud primi hominis infallibiliter grande peccatum, ut eo vitiaretur humana natura universa; quantùm valet nunc in homine uno secunda natura*. Quatenus verò ignorantia & concupiscentia sunt causæ peccatorum, dicuntur ab Augustino quamdam inducere peccandi necessitatem, non quidem absolutam, physicam, specificationis & exercitii, sed moralem, vagam & indeterminatam; quia fieri moraliter non potest, ut habita ratione fragilitatis humanæ ac frequentissimarum, quibus pulsamur, tentationum, homo non peccet, tametsi nullum sit in particulari peccatum quod vitare liberè non possit. Ita nodum solvit S. Th. in secundo ad Annibaldum dist. 29. q. unica art. 1. in corpore. *Respondeo*, inquit, *dicendum quòd circa hanc quæstionem sic cautè loquendum est, ut neque excludendo necessitatem peccandi, necessitatem gratiæ tollamus secundùm Pelagium; neque necessitatem peccandi ponendo, tollatur liberum arbitrium secundùm Manichæum. Sciendum est ergo quòd liberum arbitrium se extendit ad aliquem particularem actum, non autem ad totius temporis cursum: in potestate enim liberi arbitrii est, quòd nunc velim hoc vel illud, aut non velim; sed non est in potestate liberi arbitrii, quòd nullo tempore aliquid voliturus sim: non enim est in ejus potestate immutabilitatem habere. Et ideò dicendum est, quòd homo, etiam sine gratia, in peccato mortali existens potest consentire vel non consentire in hoc peccatum, quantùm ad nunc; & contrarium dicere, tolleret libertatem arbitrii: sed non potest homo sine gratia firmare se, ut nullatenus in hoc vel illud peccatum consensurus sit; imò hæc firmitas non potest ei esse, nisi ex adjutorio divinæ gratiæ. Et ideò dicendum est, quòd homo in peccato mortali existens, potest singula peccata mortalia vitare; non tamen potest facere quòd omnia vitet, quia hoc ejus electioni non subditur*. Et qu. 24. de veritate art. 12. cùm sibi istud argumentum objecisset, *Quod est necessarium vitari non potest: sed peccata quædam sunt necessaria, ut patet per illud Psal. De necessitatibus meis erue me Domine. Ergo homo per liberum arbitrium peccatum vitare non potest*, Sic respondet: *Ad septimum dicendum, quòd peccata dicuntur necessaria, in quantùm non possunt vitari omnia, quamvis possint vitari singula*.

Eodem redit quod docet Estius in Librum Proverbiorum cap. 20. v. 9. & S. Gregorius Lib. 18. Moralium cap. 5. *Sciendum est*, inquit, *quòd sunt peccata quæ à justis vitari non possunt*. Non quòd ullum sit nominatim quod seorsim vitari non possit, sed quia universim *secundùm cursum* præsentis fragilitatis non vitantur: nam alioquin error Manichæorum est, hominem non posse vitare peccatum, & similiter omnium ferè hæreticorum nostri temporis.

Cùm itaque illa peccandi necessitas vagè & indeterminatè quæ ex ignorantia & concupiscentia nascitur, in nullum determinatè ac singulare peccatum, cadat, meritò pronuntiat Augustinus peccata hujusmodi ignoran-

tiæ


image
not
available

poteſt intelligi eſſe cogens abſolutè liberum arbitrium, quia ſemper eſt liberum à coactione; ſed dicitur cogens propter vehementiam inclinationis, cui tamen reſiſti poteſt, licèt cum difficultate. En conciliat hic ſimul S.Thomas potentiam reſiſtendi cum difficultate orta ex parte concupiſcentiæ. Imò & ipſe S. Auguſtinus idem fatetur Lib.3. de libero arbitrio cap.20. his verbis: *Quamquam enim in ignorantia & difficultate nata ſit* (humana natura) *non tamen ad permanendum in eo quod nata eſt, aliqua neceſſitate comprimitur*: quia nempè talis non eſt ea difficultas cui non poſſit reſiſti. *Poteſt*, ait idem ſanctus Doctor Lib. 10. de natura & gratia cap.67. *ei cauſæ, quæcumque illa eſt, reſiſti; poteſt planè. Nam in hoc adjutorium poſtulamus, dicentes, Ne nos inferas in tentationem: quod adjutorium non poſceremus, ſi reſiſti nullo modo poſſe crederemus.*

Inſtabis 1. S. Auguſtinus Lib. de natura & gratia cap.67. *fatetur eſſe quædam etiam neceſſitate facta improbanda, ubi vult homo rectè facere & non poteſt. Nam unde ſunt illæ voces, Non enim quod volo facio bonum, ſed quod odi malum, hoc ago?* Et paulò poſt. *Illa eſt omnis peccati pœna juſtiſſima, ut amittat quiſque quo benè uti noluit, cùm ſine ulla poſſet difficultate, ſi vellet: id eſt autem, ut qui ſciens rectè non facit, amittat ſcire quid rectum ſit, & qui rectè facere cùm poſſet noluit, amittat poſſe cùm velit.*

Reſp. manifeſtum eſſe vel ex ipſo citato textu, loqui S.Doctorem de motibus indeliberatis concupiſcentiæ, & de ignorantia involuntaria, quæ peccata dicuntur materialiter & impropriè, quibus carere homo in præſenti ſtatu non poteſt; de quibus dicebat Apoſtolus; *Non quod volo facio bonum, ſed quod odi malum, hoc ago.* Non imputari autem ad culpam hujuſmodi motus, niſi conſenſus voluntatis acceſſerit, oſtendit ibidem S. Auguſtinus ex iis ipſis quæ docuerat Lib.3. de libero arbitrio cap. 19. *Non tibi deputatur ad culpam quòd invitus ignoras, ſed quòd negligis quærere quod ignoras; neque illud quòd vulnerata membra non colligis, ſed quòd volentem ſanare contemnis.*

Inſtabis 2. ex eodem S. Doctore cap.17. Lib. de natura & gratia. *Aliud eſt non curaſſe ſcire, quæ negligentiæ peccata etiam per ſacrificia quædam Legis videbantur expiari: aliud, intelligere velle, nec poſſe; & facere contra legem, non intelligendo quid fieri velit.* Ergo ex S.Auguſtino, homo peccat non ſolùm per ignorantiam vincibilem, ſed etiam invincibilem.

Reſp. diſtinguo conſeq. Homo peccat per ignorantiam invincibilem, peccato materialiter & impropriè dicto, concedo: propriè ac formaliter dicto, nego. *Non tibi deputatur ad culpam, quòd invitus ignoras.* Ergo ut ignorantia imputetur culpæ, debet eſſe cum negligentiæ labe conjuncta. Unde citato cap.17. Lib. de natura & gratia ſanctus Doctor ait, *nos admoneri à Deo petere ſapientiam, qui dat omnibus affluenter, utique his omnibus qui ſic petunt, & tantùm petunt, quomodo & quantùm res tanta petenda eſt.* Et paulò antè dixerat: *Tractat etiam iſte* (Pelagius) *de peccatis ignorantiæ, & dicit, hominem pervigilare debere ne ignoret; ideòque eſſe culpandam ignorantiam &c. dum tamen omnia potius diſputet, quàm ut oret & dicat, Da mihi intellectum, ut diſcam mandata tua.* Obſerva hic obiter, S.Doctorem in his locis paſſim orationem proponere, velut gratiæ ſubſidium omnibus promptum ac paratum, quo impetrentur à Deo vires præcepto faciendo pares.

Fruſtra reponunt adverſarii, ipſam ignorantiam, ſi fuerit invincibilis peccatum non eſſe; ſed ipſum dumtaxat factum conſequens ex ignorantia: nam-

que

què S.Augustinus loquitur de ipso facto consequente ex ignorantia. Et verò, non potest factum esse culpabile quòd sequitur ex ignorantia inculpabili; sicut factum necessariò consequens ex motu concupiscentiæ indeliberato culpa vacat, eò quòd motus ipse culpabilis non sit.

At, inquies, nonne Concilium Diospolitanum damnavit sententiam Pelagii qui asserebat n.11. *oblivionem & ignorantiam non subjacere peccato, quoniam non secundùm voluntatem eveniunt, sed secundùm necessitatem?* Ita quippè refert S.Augustinus, Lib.de gestis Pelagii cap.36. *Tom.1. Conc.p. 1531.B T.10.p. 226.D.*

Resp. inde plùs probaturos adversarios, quàm ipsi contendant. 1. ignorantiam ipsam esse peccatum, quod tamen ipsi negant; cùm solam actionem ex ignorantia factam dicant esse peccatum. 2. ignorantiam invincibilem etiam juris positivi non excusare à peccato, quod tamen iidem negant. Quapropter cùm S.Augustinus & Patres Concilii Diospolitani docent ignorantiam subjacere peccato, loquuntur de ignorantia vincibili: loquuntur enim de ignorantia facti quæ in Lege Mosaica purgabatur per sacrificia, ut patet ex S.Aug. Lib. de gestis Pelagii cap.8. ita scribente: *Cùm in Lege sacrificia pro ignorantia sicut pro peccato offerantur.* Atqui ignorantia quæ per sacrificia purgabatur in Lege, erat vincibilis; erat enim ignorantia juris positivi & ignorantia facti; v.g. si quid immundum per ignorantiam tangeretur, Levitici 5. si per ignorantiam de sacrificatis quis comedisset, Levitici 22. quæ profectò ignorantia juris positivi peccato non subjacet, nisi fuerit vincibilis, ne ipsis quidem diffitentibus adversariis; ergo S.Augustinus damnat ignorantiam vincibilem. *Ibid. p. 215.A.*

Adde quòd etsi sanctus Doctor de ignorantia invincibili intelligendus foret, nihil inde consequerentur adversarii; sensu quippè oppositò Pelagianorum errori dixit ignorantiam invincibilem subjacere peccato, ea nempè quæ invincibilis est dumtaxat per naturam, licèt vincibilis sit per gratiam. Disputat enim sanctus Doctor contra Pelagium contendentem eam solam ignorantiam culpæ imputari debere, quæ solis naturæ viribus sanari & expelli potest: è contrà docet Augustinus, ignorantiam illam quæ nonnisi beneficio gratiæ depelli potest, meritò tamen culpæ imputari, quia hominis culpa est qui negligit quærere quod ignorat. *Nulli enim homini*, ait Lib. 3. de libero arbitrio cap.19. *ablatum est scire utiliter quæri, quod inutiliter ignoratur, & humiliter confitendam esse imbecillitatem.* *To.1.p. 632.A.*

Instabis 3. Si potest homo per gratiam saltem orationis ignorantiam expellere, nulla omninò fingi potest esse invincibilis ignorantia.

Resp. distinguo seq. Nulla fingi potest ignorantia invincibilis remotè, concedo: proximè, nego. S. verò Augustinus loquitur de ignorantia quæ sit proximè invincibilis, quando scilicet nullum adest medium proximum quo rei veritas detegi possit; quo casu ignorantia invincibilis excusat à peccato: ut si nullus adsit Concionator Evangelicus qui fidem annuntiet, ignorantia fidei culpæ non imputatur, licèt per orationem possit homo generatim ac remotè petere à Deo quidquid ad salutem animæ necessarium est.

Instabis 4. Ad rationem peccati sufficit quòd sit voluntarium in capite. Ea de causa peccatum originale quod quisque nascendo contrahit, verum est peccatum ac culpæ imputatur, quia in Adamo, in quo omnes includebantur, voluntarium fuit: atqui peccata hujus status tametsi necessitate commissa, libera tamen fuerunt in Adamo, unde omnis fluxit origo mali; ergo

vera sunt peccata culpæ imputabilia, tametsi ex necessitate commissa; Resp. distinguo maj. Ad rationem peccati originalis seu naturæ, concedo: peccati personalis, nego. Ita S. Th. in 2. dist. 30. qu. 1. art. 2. in corpore. *Oportet*, inquit, *quòd secundùm hoc, quod aliquid rationem culpæ habet, secundùm hoc ratio voluntatis in ipso reperiatur. Sicut autem est quoddam bonum quod respicit naturam, & quoddam quod respicit personam, ita etiam est quædam culpa naturæ, & quædam personæ. Unde ad culpam personæ requiritur voluntas personæ; sicut patet in culpa actuali, quæ per actum personæ committitur: ad culpam verò naturæ, non requiritur nisi voluntas in natura illa.*

T. 8. p. 295. col. 2. B.

Et certè si ad verum peccatum culpæ imputandum sufficiat quòd voluntarium fuerit in capite, id est in Adamo, ignorantia invincibilis juris non tantùm naturalis, sed etiam divini positivi culpæ imputari poterit: omnes pariter indeliberati motus concupiscentiæ pro veris peccatis habendi erunt, quia in Adamo voluntarii fuerunt, cùm sint effectus primi illius peccati, quod certè omnino liberum & voluntarium in ipso fuit: atqui ne ipsi quidem Janseniani admittunt ignorantiam juris positivi, v. g. Evangelicæ legis, seu infidelitatem, ut vocant, negativam, verum esse ac formale peccatum; & Concilium Trid. Sess. 5. decreto de peccato originali Can. 5. declarat motus indeliberatos concupiscentiæ propriè non esse peccata. Hanc *concupiscentiam*, inquit, *quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod verè & propriè in renatis peccatum sit: sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Si qui contrarium senserit, anathema sit.*

T. 14. Conc. p. 753. B.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

EX MOMENTIS THEOLOGICIS.

Quæ adversarii ex ratione argumenta hìc contorquent, ex duplici maximè capite derivantur.

I. Ex parte naturæ voluntatis humanæ.

II. Ex parte libertatis Dei, Christi, & Beatorum.

Solvuntur Objectiones primi generis.

Objicies 1. Omnis actus voluntatis qui duce rationis judicio elicitur, perfectè liber est, tametsi necessarius: atqui omnis actus voluntatis humanæ duce rationis judicio elicitur: ergo est perfectè liber, tametsi necessarius.

Major propositio patet. Nam quoties voluntas modum agendi naturalium supergreditur, ipsa liberè agit: at quoties judicium rationis ducem se præbet voluntatis, voluntas modum agendi naturalium supergreditur: ergo quoties judicium rationis ducem se præbet voluntati, voluntas liberè agit.

Resp. 1. nego maj. Actus enim voluntatis quo Spiritus sanctus in Deo procedit, ducem haud dubiè rationem habet: actus pariter voluntatis quo Beati Deum intuitivè cognitum amant, ducem habet rationem: neuter tamen hoc sensu liber est, ut ab ipso voluntas seu Dei, seu Beatorum possit abstinere. Quin, juxta Manichæos, voluntas animæ bonæ ad bonum ferrea necessita-

ceſſitate determinatur, tametſi talis voluntas ducem ſupponat, juxta illos, rationem: neque enim docuerunt judicium hominis in omni ſuo actu abſorberi & extingui: ergo falsò prorſus aſſeritur toties liberum eſſe actum voluntatis, quoties ducem ſupponit rationis judicium.

Reſp. 2. diſtinguo maj. Omnis actus voluntatis qui elicitur duce rationis judicio indifferenti, eſt perfectè liber, concedo: ſi non habeat judicium illud indifferens, hoc eſt, quod proponit objectum indifferenter proſequendum vel non proſequendum, nego. Vide quæ ſuprà expoſita ſunt tùm inter probationes ex ratione, tertia ratione, tùm inter ſolutiones Objectionum ex S. Auguſtino aliiſque SS. Patribus, Objectione quarta.

Diſtinguo min. Atqui omnis actus voluntatis elicitur duce rationis judicio aliquo, concedo: judicio indifferenti, nego. In omni actu voluntatis agentis ratione prædíti, haud dubiè ſemper præſupponitur aliquod rationis ſeu intellectus judicium; voluntas quippe ex ſeſe potentia eſt cœca quæ in incognitum ferri non poteſt: ſed ad veram actus voluntatis libertatem, non ſufficit qualecunque judicium rationis præcedens, ſed requiritur judicium indifferens. Quapropter actus qui non ſupponit tale judicium rationis indifferens, à S. Th. 1. 2. q. 17. a. 5. ad 3. dicitur *eſſe ex inſtinctu naturæ aut ſuperioris cauſæ potius, quàm ex ordinatione rationis*.

Ad probationem majoris, nego min. nempe voluntatem modum agendi naturalium ſupergredi, quoties ſe ducem ipſi præbet judicium rationis. Cùm enim aliqui actus perfectè voluntarii ſint etiam abſolutè neceſſarii, & in illis voluntas habeat modum agendi communem cum cæteris rebus naturalibus, nempe cum determinatione ad unum; conſequens omnino eſt, illam in hujuſmodi actibus modum agendi rerum naturalium non ſupergredi, ſaltem quoad modum agendi cum libertate; licèt quantùm ad ſubſtantiam operis, ſemper modum agendi rerum naturalium ſupergrediatur, cùm ejusmodi actus oriantur ex principio intellectuali. Voluntas itaque in illis actibus, in quibus non adeſt judicium rationis indifferens, agit ut natura, non verò formaliter ut voluntas libera: *Modus enim voluntatis*, ex S. Th. q. 6. de veritate art. 3. ad 3. *in libertate ad utrumlibet conſiſtit*. T. 12. p. 636. col. 1. A.

Objicies 2. Omne quod non ſolùm agitur, ſed etiam ſeipſum agit, ſeu ſeipſum movet, liberum eſt: at voluntas in omni actu voluntario ſeipſam movet; ergo voluntas in omni actu ſuo eſt libera.

Major propoſitio probatur ex S. Th. duplici in loco.

I. Quæſtione 24. de veritate art. 2. in 2. argumento ſic ait: *Omne quod eſt liberi arbitrii agit & non ſolùm agitur: ſed bruta non agunt, ſed aguntur, ut Damaſcenus dicit; ergo bruta non ſunt liberi arbitrii*. Ib. col. 858. col. 1. B.

II. In Libro ſecundo contra gentes cap. 48. Ratione ſecunda docet, *quòd ſola moventia ſeipſa libertatem habent in agendo*. T. 13. 42. 3. col. 1. D.

Reſp. 1. nego maj. Namque voluntas Dei ſeipſam movet in productione Spiritus ſancti; voluntas Beatorum ſeipſam pariter movet in amando Deo: neque tamen vera eſt libertas, tùm in Deo ad productionem Spiritus ſancti; tùm in Beatis ad Deum amandum. Imò in hypotheſi Manichæorum, anima ſeipſam movet ſeu ad bonum ſeu ad malum; neque tamen vera fruitur ad utrumlibet libertatis indifferentia. Quin omne vivens movet ſeipſum, neque tamen idcirco liberum eſt.

Reſp. 2. diſtinguo maj. Omne quod ſeipſum movet cum facultate ad op-

positum, seu cum dominio sui actus, liberum est, concedo: quod seipsum movet sine tali facultate, seu dominio sui actus, nego. Porrò in actibus voluntatis necessariis deest illud dominium actus, deest illa facultas ad oppositum; ita quippe voluntas in his actibus seipsam movet, ut non possit non se movere. Ita S. Th. Lib. 2. contra gentes c. 47. Ratione 3. in fine; & 1. p. q. 82. art. 1. in tertio argumento, *ejus quod est ex necessitate, non sumus domini.*

Ad probationem majoris ex S. Thoma,

Resp. ad primum testimonium, S. Doctoris sensum esse, bruta idcirco non esse liberi arbitrii, quia non agunt cum dominio sui actus: illa etenim agere & seipsa movere physico & interno principio vitali, exploratum esse debet. Dicuntur tamen potius agi, quàm agere, quia in moralibus (de quibus sermo est) non sufficit quòd seipsum quis moveat physicè, sed necesse est ut se moveat moraliter, hoc est cum dominio actus & activa ad oppositum indifferentia. Hæc est S. Thomæ doctrina Lib. 2. contra Gentes cap. 47. Ratione 3. *Licèt bruta*, inquit, *quodammodo dicantur movere seipsa, in quantùm eorum una pars est movens, & alia est mota, tamen ipsum movere non est eis ex seipsis, sed partim ex exterioribus sensatis, & partim à natura. In quantùm enim appetitus movet membra, dicuntur seipsa movere, quod habent supra inanimata & plantas; in quantùm verò ipsum appetere sequitur de necessitate in eis ex formis acceptis per sensum, & judicium naturalis æstimationis, non sibi sunt causa quòd moveantur. Unde non habent dominium sui actus.* Ibid. p. 421. col. 1. A.

Ad secundum testimonium eadem est responsio: videlicet quando sanctus Doctor dixit, *Sola moventia seipsa libertatem habent in agendo*, loquitur de iis quæ seipsa movent moraliter, seu cum dominio sui actus.

Dici etiam potest, & quidem magis appositè ad textum litteralem S. Doctoris; eum nomine libertatis non intelligere moralem illam, de qua loquimur, sese determinandi facultatem, sed simpliciter vim illam physicam & activam, per quam, quæ animata sunt, seipsa movent, non verò ab extrinseco simpliciter moventur, qualia sunt omnia inanimata non viventia. Hanc esse S. Doctoris mentem apertè indicant hæc ipsius verba loco citato ex Lib. 2. contra Gentes cap. 48. *Animalia*, inquit, *irrationalia sunt quodammodo liberi quidem motus sive actionis, non autem liberi judicii: inanimata autem quæ solùm ab aliis moventur, neque liberæ actionis sunt aut motus: intellectualia verò non solùm libere actionis, sed etiam liberi judicii.* Ibid. p. 423. col. E. Audis Angelicum Doctorem brutis animantibus tribuere libertatem in agendo, seu liberam actionem, cùm tamen vera libertas ipsis tribui non possit. Igitur per libertatem in agendo non intelligit veram illam & propriam, de qua loquimur, moralem libertatem, sed tantùm vim illam principalem per quam animalia seipsa movent, non verò ab extrinseco purè moventur, sicut moventur inanimata. Hanc autem vim se movendi, libertatem vocavit, non absolutè, sed comparativè ad illum infimum gradum motus inanimatorum.

Objicies 3. Omnis actus à voluntate non solùm elicitus, sed etiam imperatus, liber est: atqui omnis actus voluntarius tametsi necessarius, à voluntate est non solùm elicitus, sed etiam imperatus; ergo &c.

Major propositio certa est. In hoc enim maximè libertas alicujus actus posita est, quòd sit sub imperio seu dominio voluntatis; ergo omnis actus à voluntate imperatus est liber.

Minor autem probatur.

L Quia

I. Quia omnis actus voluntatis perfectè voluntarius, est virtualiter super seipsum reflexus; ergo actus ille est volitus, adeoque ex imperio voluntatis.

II. Quia sic expresè docet S. Anselm. Dial. de libero arbitrio cap. 5. *Omnis*, inquit, *volens, ipsum suum velle vult.*

III. Quia sic etiam docet S. Th. 1. 2. q. 16. art. 4. ad 3. *Actus voluntatis*, inquit, *reflectuntur super seipsos; in quolibet actu voluntatis potest accipi consensus & electio & usus: ut si dicitur quòd voluntas consentit se eligere & consentire, & utitur se ad consentiendum & eligendum.* Pag. 119. col. 1. C.

Resp. concessa majori, nego min. Actus enim ille dicitur à voluntate imperatus, seu esse sub imperio ac dominio voluntatis, à quo potest illa, si velit, abstinere: atqui talis non est actus necessarius; ergo actus necessarius tametsi perfectè voluntarius non est à voluntate imperatus, seu non est sub imperio ac dominio voluntatis. *Ejus enim quod est ex necessitate non sumus domini*, ait S. Th. 1. p. q. 82. art. 1.

Ad probationem min. Fatemur ultro quemlibet actum voluntarium quamtumvis necessarium esse à voluntate volitum, propter intrinsecam & virtualem reflexionem quæ in ipso actu involvitur: at id non sufficit ad libertatem actus, sed planè requiritur ut voluntas ita velit suum actum, ut possit eum non velle, sitque ad oppositum omnino & relativè expedita; aliàs propriè actus non est sub imperio seu dominio voluntatis. Ita S. Th. 1. 2. qu. 17. art. 7. in corp. *Secundùm hoc*, ait, *aliquis actus imperio nostro subjacet, prout est in potestate nostra, ut suprà dictum est.* Dixerat autem suprà art. 6. in fine corp. *quòd actus necessarius, & qui aliter se habere non potest, non est in potestate nostra, sed in ordine naturæ, & ideo, propriè loquendo, naturæ imperio subjacet*, non nostræ voluntatis.

Solutio manifesta est ex actu voluntatis quo Spiritus sanctus producitur; & ex illo primo actu voluntatis quo in beatitudinem tendimus. Illi enim actus haud dubiè sunt perfectè voliti, utpote ab intrinseco principio, non sine prævia cognitione intellectiva, ac reflexa in proprios suos actus voluntate, ita ut illa velit se velle: attamen actus hujusmodi non sunt liberi, non sunt sub imperio ac dominio voluntatis, quasi ab illis posset illa se continere. Imò in hypothesi Manichæa de necessitate inducta ad malum per animam malam, actus est à voluntate volitus non sine prævia cognitione ac reflexione; neque tamen in illo actu veram libertatem agnoscunt Janseniani.

Objicies 4. Omnis actus perfectè voluntarius & non coactus, est verè liber: atqui omnis actus voluntatis voluntarius est nec coactus; ergo hoc ipso liber est, tametsi necessarius.

Minor certa est: Major probatur ex Augustino Lib. contra Secundinum Manichæum cap. 19. ubi ait. *Si cogitur consentire, ita ut non sit in ejus potestate aliter facere; non ergo, ut dicebas, voluntate peccat, quando non voluntate consentit.* Quo in loco sanctus Doctor infert actum ex eo liberum esse, quòd non fit coactus. T. 8. p. 529. E.

Resp. nego maj. Ad libertatem enim actus requiritur non tantùm immunitas à coactione, sed etiam ab omni necessitate etiam simplici & ad unum determinante. Patet exemplis processionis Spiritus sancti, & amoris beatifici, qui actus haud dubiè non sunt coacti, sed perfectè voluntarii, non tamen liberi, sed necessarii.

Ad probationem ex S. Augustino: Rectè concludit S. Doctor actum non esse liberum, si coactus sit; at non concludit, liberum illum esse, ex eo quòd non sit coactus. Quamquam coactionis nomine non veram intelligit Augustinus coactionem, quæ in voluntatem cadere non potest, sed solam intelligit insuperabilem necessitatem, seu ad unum determinationem invincibilem: neque enim Manichæi cæterique humanæ libertatis hostes docuerunt unquam voluntatem propriè cogi; sed tantùm eam ad bonum aut malum naturali & invincibili necessitate determinari. Vide quæ suprà dicta sunt inter probationes ex rationibus, ratione 5.

Instabis. Libertatis negativa quasi proprietas est, non cogi: sed ubicumque invenitur proprietas, invenitur & essentia ad quam proprietas consequitur; ergo ubicumque voluntas agit incoactè, agit ibidem & liberè.

Resp. nego maj. Non cogi enim proprietas est voluntarii in se spectati, prout abstrahit à voluntario libero & à voluntario necessario; adeoque non est proprietas determinatè consequens essentiam liberi. Agere igitur incoactè est veluti genus superius ad agere liberè & ad agere necessariò seu non liberè: unde nullomodo sequitur; Iste actus voluntatis est incoactus; ergo est liber: siquidem potest esse necessarius. Non valet enim consecutio à superiori ad suum inferius affirmativè: ut si dicas, Ist animal, ergo est homo: falsa consecutio, potest enim esse brutum. Patet etiam in potentiis sensitivis animæ quæ sunt proprietates consequentes essentiam animalis non in determinata aliqua specie, sed essentiam animalis ut sic, seu prout abstrahit à rationali & irrationali: unde sicut non sequitur, Hoc suppositum habet potentias sensitivas, ergo habet formam animalis rationalis; quia hujusmodi potentiæ etiam consequuntur formam irrationalem: ita pariter in re præsenti, non rectè infertur, Hic actus procedit incoactè, ergo procedit liberè; quia ratio incoacti est proprietas consequens actum voluntarium non in determinata specie liberi, sed actum voluntarium ut sic, prout abstrahit à libero & necessario; ac proinde invenitur etiam in actu non libero.

Objicies 5. Omnis actus qui est in nostra potestate, est liber: sed quilibet actus rationalis voluntatis quantumvis necessarius, est in nostra potestate; ergo quilibet actus hujusmodi est liber. *Janf. Lib. 6. c. 4.*

Major vera est, cùm intelligatur de potestate non purè physica, quæ est visagendi: quo sensu actiones naturales sunt in potestate agentis; sed de potestate morali quæ juncta est cum dominio.

Minor probatur ex S. Aug. Lib. de spir. & litt. cap. 31. *Hoc quisque*, inquit, *in potestate habere dicitur, quod si vult, facit; si non vult, non facit.* At quemlibet actum voluntatis tametsi necessarium, si volumus, facimus; si non volumus, non facimus; ergo quilibet actus est in nostra potestate. *T. 10. pa. 115. E.*

Confirmatur. Quis actus externi à voluntate imperati sunt in nostra potestate per ipsam volitionem; ergo ipsa volitio est in potestate voluntatis per seipsam seu ratione sui.

Resp. nego min. Ad probationem ex S. Augustino, fateor hoc quemque in sua habere potestate, *quod si vult, facit; si non vult, non facit:* sed nego id locum habere in actibus necessariis; quos voluntas ita vult ut eos non possit non velle; qui proinde non subjacent dominio & arbitrio ipsius, nec propriè liberi sunt: talis est processio Spiritus sancti: talis amor beatificus; talis amor beatitudinis in communi. Vide quæ inter probatio-

bationes ex Augustino superiùs dicta sunt ad quartum argumentum.

Ad confirmationem, dico actus illos externos imperatos à voluntate esse in nostra potestate per ipsam volitionem, quando volitio libera est & indifferens; secus si volitio ipsa sit necessaria, à qua voluntas cohibere seipsam non possit. Dico pariter volitionem esse in potestate nostra per seipsam, quando juncta est cum indifferentia seu potestate ad oppositum; secus non est in potestate nostra, cùm in ea ponenda liberi non simus.

Objicies 6. Impossibile est ut voluntas duplicem habeat actionem, liberam, & naturalem; ergo omnis actio voluntatis erit libera, & nulla naturalis.

Antecedens probat Jans. Lib. 6. de Gratia Christi c. 37. & Lib. 6. c. 13. etiam in fine. *Quia potentia naturalis & habere directè sunt oppositæ potentiæ. Siquidem Aristoteles in Metaphysica distinguit liberum à naturali. Ergo non magis potest voluntas considerari ut libera & naturalis, quàm si hominem considerare velis, ut hominem & brutum: vel idem distinguere in seipsum & oppositum sui; ac proinde voluntas non potest habere aliquam actionem naturalem.* T. 1. p. 305. col. 2. E. & p. 354. col. 2. C.

Resp. totum istud Jansenii argumentum directè adversari doctrinæ S. Thomæ, qui conceptis verbis agnoscit duplicem in voluntate operationem; unam quam elicit ut natura, alteram quam elicit formaliter ut voluntas est libera. Vide quæ interprobationes ex rationibus dicta sunt ad secundam rationem.

Objicies 7. Actus voluntatis qui est cum delectatione est liber: sed actus voluntatis quantumvis necessarius est cum delectatione; ergo est liber. Jans. l. 7. de Grat. c. 3. inter. T. 2. p. 87. E.

Minor certa est, quia voluntas non vult nisi res volita delectet: unde illud Augustini Lib. de spir. & litt. cap. 3. *Cum id quod agendum est, coperit non latere, gro. nisi etiam delectet & ametur, non agitur, non suscipitur.*

Major probatur 1. ex eodem S. Augustino Lib. 1. de nuptiis & concupiscentia c. 30. *Ibi sumus*, inquit, *veraciter liberi, ubi non delectamur invitis.* Ibid. p. 296. E. Et in Psalm. 134. *Libera voluntate facimus, quia delectati facimus.* T. 4. p. 1499. C.

II. Quia sicut delectatio facit velle, ita ponit actum in potestate voluntatis; ergo facit actum liberum.

III. Id maximè liberè fit, quod est gratia sui: atqui quod fit ex delectatione fit gratia sui, ideo enim fit quia placet, quia delectat; ergo quod fit ex delectatione, liberè fit.

Resp. dictinguo maj. Actus qui est cum delectatione quam voluntas cohibere potest, est liber, concedo: qui est cum delectatione quam voluntas non potest cohibere, nego. Distinguo min. Sed actus voluntatis quantumvis necessarius est cum delectatione, quam voluntas non potest cohibere in systemate Jansenio, concedo: est cum delectatione, quam voluntas potest cohibere, nego. Itaque ut actus ex delectatione procedens sit liber, necesse est ut voluntas delectationi resistere possit, sitque omnino expedita relativè ad oppositum actum: ita fert communis Orthodoxorum doctrina. Porrò in systemate Jansenii, voluntas semper, & quidem necessariò, agit ex delectatione superiori, atque delectatione victrici ita rapitur, ut non possit his in circumstantiis seu relativè ei reluctari; adeoque non est amplius domina sui actus, nec consequenter verè libera.

Hanc esse SS. Augustini & Thomæ constantem doctrinam manifestum est.

S. Augustinus docet, animam malam Manichæorum liberè non peccaturam, quia licèt malum vellet, ac proinde & malo delectaretur, tamen ita hoc vellet, & ita delectaretur, ut non esset in ejus potestate aliter

aliter facere: ergo sensu contrario approbat sanctus Doctor, *ut verè bonam illam naturam, quæ habet in potestate illicitam delectationem, si extiterit, ita cohibere, ut non solùm de cæteris licitis rectèque factis, verùm etiam de ipsius pravæ delectationis cohibitione lætetur.*

Lib. 11. de Gen. ad litt. c. 7.

Tom. 3. part. 1. p. 278. E.

S. Thomas pariter in Lib. 2. Sent. dist. 24. q. 3. art. 4. in fine corp. docet, *delectationem consequentem appetitum, ante consensum rationis deliberatæ, non esse peccatum mortale; sed post consensum rationis deliberantis*: quia nimirum ante talem consensum non est perfectè in potestate voluntatis hujusmodi delectationem cohibere. Unde & ad 2. dicit, *quòd non dicitur diuturna delectatio propter moram temporis, sed ex consensu rationis deliberatæ.*

T. 8. p. 239. col. 1. D.

Ib. E.

Ad probationem ex Lib. 1. de nuptiis & conc. quod objicitur plùs nocet adversariis, quàm faveat: indicat enim sanctus Doctor, non quamcumque delectationem sufficere ad libertatem, sed illam requiri, quæ sit nobis volentibus: ea scilicet voluntate quæ formaliter voluntas est, quæ habet in potestate delectationem sequi, vel cohibere. Quod verò ait sanctus Augustinus, nos *libera voluntate facere, quod delectati facimus*, vel ab ipsis adversariis benignè explicari debet, nisi velint, delectationem etiam præviam, quæ omnem rationis advertentiam præcedit, liberam esse, ac proinde culpæ posse imputari; quod certè falsum & erroneum esse patet ex motibus primò primis seu indeliberatis concupiscentiæ, qui non sunt vera & propriè dicta peccata. Intelligi ergo debet S. Augustini textus, de iis quæ facimus delectati cum indifferentia & ad oppositum potentia, ex plena rationis advertentia.

Ad secundum, non satis est ad libertatem, quòd delectatio faciat velle; nonnulla etenim voluntas necessariò ex delectatione vult: sed necesse est ut faciat velle cum indifferentia & potentia ad oppositum.

Ad tertium pariter dico; id esse maximè liberum quod fit gratia sui cum dominio in id quod fit, seu cum indifferentia, ita ut fieri vel non fieri possit, prout voluntati placuerit.

Solvuntur Objectiones secundi generis.

Objicies 1. Stat ac subsistit libertas sine indifferentia: ergo stat cum necessitate.

Antecedens probatur: Quia est in Deo libertas circa creaturas: atqui non est in ipso indifferentia, siquidem ab æterno determinatus est ad hoc agendum vel non agendum, nec, quod semel voluit, potest deinceps non velle, cùm sit immutabilis: ergo nulla penitus est in Deo indifferentia.

Jans. l. 6. de c. 11. S. Th in 1. ad Anib. dist. 17. art. 1. idem argumentum præponis & solvit.

Resp. nego ant.

Ad probationem, nego min. Quod enim Deus ab æterno voluit circa creaturas, potuit absolutè non voluisse.

Ad probationem minoris, distinguo. Deus ab æterno determinatus est ad agendum vel non agendum, liberè, concedo: determinatus est necessariò, nego. Ergo ab æterno non fuit indifferens, distinguo: non fuit indifferens suspensione actus seu volitionis, quia quod voluit semper voluit, concedo: non fuit indifferens libera terminatione voluntatis ad creaturas, nego. Potuit enim absolutè divina voluntas ad creaturas non referri seu terminari, cùm nulla sit habitudo necessaria inter divinam volitionem & creaturas.

Ad id quod additur, Deus in tempore non ampliùs indifferentem esse, quia non potest non velle quod ab æterno voluit, cùm sit immutabilis: dico necessi-

neceſſitatem illam qua Deus jam non poteſt velle quod ab æterno voluit, eſſe conſequentem dumtaxat & ex hypotheſi, quali neceſſitate neceſſe eſt v. g. me loqui, qui ad loquendum liberè me determinavi; non eſſe verò neceſſitatem antecedentem, quandoquidem ita Deus ſeipſum ad creationem mundi v. g. liberè determinavit, ut potuerit abſolutè ſeipſum non determinare. *Deus*, ait S. Thomas in 1. ad Annibaldum diſt. 47. art. 1. in corp. *de neceſſitate vult bonitatem ſuam, & quidquid in ipſo eſt: creaturas autem non vult de neceſſitate, quia hoc modo ordinantur ad divinam bonitatem, ut ſine eis divina bonitas eſſe poſſit.* Ibid. ad 1. *Non eſt neceſſaria Deum velle aliquid circa creaturas; quia non eſt neceſſaria habitudo voluntatis ad volitum . . . . Alio modo dicitur aliquid eſſe neceßarium ex ſuppoſitione*, ait ibidem Sanctus Doctor, *ſicut dicitur ſortes moveri, ſi currit, & ſic eſt neceßarium Deum aliquid velle circa creaturas ex ſuppoſitione facta, quòd ab æterno velit illud.* Ita Sanctus Thomas. To. 11. p. 132. col. 1. C. Ibid.

Inſtabis: Eſto fuerit Deus ab æterno liber circa creaturas; jam verò liber dici non poteſt, cùm non poſſit non velle quod ab æterno voluit.

Reſp. Deum etiamnum verè liberum eſſe circa creaturas: quia licèt ratione ſuæ immutabilitatis non poſſit quin jam velit quod voluit ab æterno, quia tamen abſolutè potuit ab æterno non velle creaturas, eadem abſolutè perſeverat in ipſo libertas; ac neceſſitas volendi quod voluit, neceſſitas eſt dumtaxat conſequens & ex hypotheſi: conjunctio quippe potentiæ cum actu proprio non deſtruit naturam potentiæ.

Urgebis: Ergo Deus in tantùm nunc ſeu de præſenti liber eſt, in quantùm pro priori cum indifferentia & propria libertate ad actum ſe determinavit, licèt poſtea in illa determinatione propter naturæ voluntatiſque conſtantiam immutabilis permaneat. Quòd ſi iſtud ſufficiat, actus amoris beatifici verè ac propriè liber dici poterit, quia certiſſimum eſt Angelos & homines qui beati fiunt, ita liberè ac indifferenti voluntate juſtitiam elegiſſe, propriaque ſe libertate determinaſſe ad diligendam juſtitiam. Si ergo immutabilitas naturæ in Deo non extinguit illam primigeniam electionis libertatem, multò minùs immutabilitas gratiæ interimet in Beatis. Janſen. Ibid.

Reſp. diſparem eſſe rationem actus amoris beatifici, & actus ſeu volitionis qua Deus ab æterno voluit creaturas, quas jam non poteſt conſequenter non velle: imò & diſparem quoque rationem eſſe actus amoris quem Beati in patria eliciunt, & illius ad quem, dum eſſent in via, ſe ſe liberè determinaverunt. Namque & in Deo, cùm ſe ad creandum mundum v. g. determinavit, & in Sanctis, cùm Deum in via conſtituti dilexerunt, fuit indifferentia judicii, quæ fons eſt ac radix libertatis: at verò in Sanctis intuitiva Dei viſione fruentibus nulla eſt talis indifferentia, cùm Deus non proponatur voluntati Beatorum indifferenter amandus, ſed ita neceſſariò, ut voluntas ab ipſius amore ſeipſam cohibere non poſſit.

Urgebis iterum: Eſt idem numero actus charitatis Beatorum in patria, qui fuit in via: nec enim verìſimile eſt aliam Beatis infundi cum beatitudine voluntatem, quæ propter perpetuam determinationem non ſit libera; ſed eadem omnino voluntas libera & amor juſtitiæ liberrimè ſuſceptus in hac vita, ſine ulla mutatione firmior & ardentior & jucundior permanet; ergo amor ille beatificus æquè liber eſt, ac amor in via elicitus. Janſen. Ibid.

Reſp.

Resp. 1. nego ant. Esto sit eadem charitas habitualis numero, & eadem actualis quoad speciem, non tamen est idem actus charitatis secundùm identitatem numericam.

Resp. 2. Quòd etsi idem foret actus charitatis, non tamen idem foret modus illum producendi in patria & in via. In via enim à voluntate indifferente producitur, non sic in patria; quia nulla est in patria, sicut in via, indifferentia judicii, quæ proponat Deum indifferenter amandum vel non amandum.

Ex libertate Christi Jans. Lib. 6. cap. 9.

Objicies 2. Voluntas Christi fuit libera non solùm in bonis operibus, sed etiam formaliter in non peccando: at licèt habuerit indifferentiam respectu bonorum operum, nullam tamen habuit ad non peccandum, quia per unionem hypostaticam physicam habuit ad non peccandum impotentiam; ergo ad libertatem non requiritur indifferentia.

Major probatur ex S. Augustino Lib. de prædestinatione SS. cap. 15. ubi S. Doct. loquens de humana Christi voluntate ait: *An ideo in illo non* T.10.p. 810.A. *libera voluntas erat; ac non tantò magis erat, quantò magis peccato servire non poterat?*

Resp. nego maj. Si enim istud *non peccare* negativè sumatur, nempe pro negatione actus mali, procul dubio circa talem negationem nec liber nec indifferens fuit Christus, qui fuit natura impeccabilis. Si verò istud *non peccare* positivè sumatur, & idem sit ac bonum operari, liber profectò & indifferens fuit Christus circa hoc vel illud bonum, hoc vel illo motivo faciendum. *Licèt anima Christi*, ait S. Th. q. 29. de veritate art. 6. ad 1. *esset determinata ad* T.12.p. 945.co. 2.A. *unum secundum genus moris, scilicet ad bonum; non tamen erat determinata ad unum simpliciter: poterat enim hoc vel illud facere & non facere, & ideo libertas in eo remanebat, quæ requiritur ad merendum.*

Ad probationem dicendum, vel Santum Doctorem loqui de libertate à servitute peccati, quo sensu eò liberior fuit Christus, quò ab omni vel leviſſimi peccati umbra remotior: vel liberum ab ipso dici Christum ad non peccandum, sensu positivo, quia eo major fuit ac perfectior ejus libertas ad bonum, quo minùs peccare potuit. Cùm enim posse peccato servire, potiùs sit defectus libertatis, quàm pars aut perfectio ejus, rectè sequitur, bona opera fieri tantò liberiùs, quantò à potestate peccandi remotiùs; semper tamen cum indifferentia ad eadem vel omittenda vel facienda.

Et certè sicut naturam humanam Christi subsistere in suppositò divino, voluntati humanæ Christi liberum non fuit, ita nec ipsi liberum fuit non peccare; hoc enim postremum ex primo sequitur. Quòd verò istud primum voluntati humanæ Christi liberum non fuerit, patet, quia inde sequeretur Incarnationem pro aliquo priori dependentem fuisse à voluntate humana Christi: hoc est, ideo illam perfectam fuisse, quia humana Christi voluntas ita voluit; quod certè repugnat Augustini doctrinæ L. de correp. & grat. c. 11. T.10.p. 767.A. *Ista*, inquit, *nativitas profectò gratuita, conjunxit in unitate personæ hominem Deo, carnem Verbo. Istam nativitatem bona opera secuta sunt*, (nempe in Christo) *non bona opera meruerunt*.

Jans. Lib. 7. cap. 15.

Objicies 3. Christus liber fuit in obeunda morte, cujus à Patre mandatum acceperat: atqui non fuit indifferens in adimplendo illo mortis subeundæ mandato, quia cùm ab intrinseco vi unionis hypostaticæ impeccabilis fuerit, non potuit non obedire paterno mandato, aliàs potuisset illi non

obtemperando peccare ; ergo ſtat vera libertas ſine indifferentia.

Reſp. 1. in hac difficili ad ſolvendum quæſtione, iſta certa & explorata eſſe debere. 1. Chriſtum in ipſa morte obeuda, quod à Patre mandatum acceperat, adimpleviſſe. Joan. 14. v. 31. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio.* Lucæ 22. v. 21. *Filius hominis ſecundùm quod definitum eſt, vadit.* 2. In obeunda morte ſibi à Patre præſcripta Chriſtum verè liberum fuiſſe. Iſaiæ 53. v. 7. *Oblatus eſt quia ipſe voluit.* Joan. 10. v. 17. & 18. *Ego pono animam meam ut iterum ſumam eam. Nemo tollit eam à me, ſed ego pono eam a me ipſo.... Hoc mandatum accepi à Patre meo.* His certè verbis Chriſtus ſimul conjungit & impoſitum ſibi à Patre moriendi mandatum, & ſuam in eo adimplendo libertatem. Et verò certum eſt Chriſtum ſubeundo mortem, & ſibi & nobis meruiſſe per veram obedientiam. *Humiliavit enim ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis.* Philipp. 2. v. 8. At non eſſet vera obedientiæ virtus, nec meritoria, niſi & verum ſupponeret præceptum, & veram in eo adimplendo libertatem.

Qua porrò ratione duo hæc conciliari in Chriſto poſſint cum ejus impeccabilitate, fatemur rem eſſe explicatu difficilem; ſed cum Auguſtino alia in occaſione dicemus: *Numquid ideò negandum eſt quod apertum eſt, quia comprehendi non poteſt quod occultum eſt? Numquid, inquam, propterea dicturi ſumus quod ita eſſe perſpicimus, non ita eſſe, quoniam cur ita ſit, non poſſumus invenire?* Lib. de dono perſ. cap. 14. Licèt igitur non poſſemus exponere quomodo ſtet libertas Chriſti cum ejus impeccabilitate, ac præcepto ſubeundæ mortis, quod à Patre accepit, nihilominus firma ſemper ac conſtans ſtaret hæc Catholica veritas. T. 10. p. 441. E.

Reſp. 2. nego min. argumenti. Cùm enim moriendi præceptum Chriſto impoſitum abſolutum non fuerit, ſed conditionatum, ſuppoſito nimirum libero ipſius voluntatis conſenſu; conſequenter in eo adimplendo verè liber fuit ſimul & impeccabilis. Verùm de hoc argumento proprius eſt dicendi locus ubi de myſterio Incarnationis.

Objicies 4. Chriſtus in eliciendo actu amoris beatifici liber fuit, ſiquidem per eum ſibi & nobis meruit: atqui tamen indifferens non fuit circa hujuſmodi actum amoris beatifici; ergo ſtat vera libertas ſine indifferentia.

Reſpondent nonnulli negando maj. Quia Chriſtus, inquiunt, per alios quàm amoris beatifici actus, & ſibi & nobis meruit; quia actus illi neceſſarii omninò in ipſo fuerunt: per illos igitur amoris actus meruit, quos tanquam viator exercuit.

Reſpondent alii diſtinguendo maj. Chriſtus in eliciendo actu amoris beatifici liber fuit, quatenus amor ille ad creaturas tendebat, concedo: quatenus amor ille divinam bonitatem intuitivè cognitam ſpectabat, nego. Bonitas ergo divina per amorem beatificum attingi poteſt ſeu conſiderari ſub duplici reſpectu: primò, in ſe immediatè & abſolutè; ſub quo reſpectu actus amoris beatifici nec liber eſt nec indifferens, ſed planè neceſſarius: ſecundò, quatenus divina illa bonitas ad creaturas ſe extendit, ſeu eſt ratio formalis diligendi creaturas; ſub quo reſpectu amor ille liber in Chriſto fuit & indifferens: poterat enim has vel illas creaturas, hoc vel illo actu amoris non proſequi. Sicut enim eodem actu amoris Deus ſemetipſum amat neceſſariò, creaturas verò liberè; ita quoque idem actus amoris beatifici in Chriſto, prout ad Deum clarè & intuitivè viſum

sum tendebat, erat necessarius; prout verò spectabat creaturas, erat liber & indifferens ac meritorius.

Objicies 5. Si non est alia vera libertas voluntatis quàm indifferentia agendi vel non agendi, sequitur operationem divinæ gratiæ ex diametro repugnare arbitrii libertati: consequens absurdum est, sequela verò probatur. Nam effectus gratiæ est, delectando voluntatem facere, ut actu velit & faciat id quod antè non volebat neque faciebat; ergo illam extrahit ab indifferentia agendi, eamque determinatè facit agere vel non agere; ergo diametraliter repugnat libertati, seu indifferentiæ libertatis.

Resp. nego sequelam antecedentis. Ad cujus probationem distinguo istam propositionem; effectus gratiæ est delectando voluntatem facere ut velit, ita ut voluntas possit etiam non velle, concedo: ita ut voluntas non possit non velle & non facere, nego. Equidem fatemur proprium gratiæ efficacis effectum esse ut faciat voluntatem velle & agere, seu ut illam ad agendum determinet, sicque tollat suspensionem actus, & indifferentiam in actu secundo: eo enim ipso quo quis in unam partem magis inclinatur, eò minùs actu indifferens est circa partem illam ad quam inclinatur; & tantùm abest ut hæc inclinatio, seu propensio, seu determinatio libertatem lædat, quin eam confirmat magis ac probat: actus enim potentiam perficit, nedum destruat. Verùm cum illa determinatione ad actum quam gratia efficit, cohæret semper indifferentia potentiæ, quia ita gratia movet voluntatem, ut possit voluntas ei resistere vera, propria, ac relativa potentia. Non ita est in systemate Jansenianо: stante enim delectatione superiori ad unum, voluntas non est verè ac relativè expedita ad oppositum; quia caret delectatione superiori oppositа, sine qua, juxta Jansenium, nec velle nec agere oppositum potest: delectatio quippe illa potentiam ipsam seu actum primum eo in systemate afficit, non verò actum secundum.

Atque hæc dicta sint de Deo ac divinis Attributis, in quibus exponendis, si quid nobis incautis minùs sanum ac rectum excidisse deprehendatur, pro non dicto ac revocato habemus.

FINIS.